tum, non ingressurum illum in terram promissionis, quæ omnium, quæ Iudæis promissa fuerant, erat tunc caput. Quoties igitur orantem hunc video, & nihil exorantem, quotiesque reputo mecum nihil ei prodesse potuisse præclara adeo multa quæ fecerat facinora, vt veniam tam breui verbo impetraret, vere (vt est apud Apostolum) rigidam † Dei seueritatem video: vereque illud dictum esse persuadeo mihi: *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Verum quid hæc ego commemoro? Quoties horrendam illam Domini sententiam audio aduersus illum, qui vnum modo, idque ex ignorantia, mandatum transgressus est, profectò non reperio quomodo dignè satis iræ illius magnitudinem extimescam. Scriptum est enim: *Et anima quæ peccauerit per ignorantiam, feceritq; vnum ex his, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, asseret arietem immaculatum de gregibus precio argenti in delictum ad sacerdotem, iuxta mensuram æstimationemq; peccati, qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit coram Domino.* Quòd si de delictis iis quæ ex ignorantia committuntur, iudicium habetur adeò durum, & pro eorum expiatione necessarium est sacrificium, quod ex testimonio diuinarum literarum accepimus solitum fuisse Iob pro filiis suis offerre: quid obsecro de illis dicendum sit, qui scientes peccant? aut de iis qui peccantes istos † silentio transmittunt, non coarguentes? Verum ne probabilibus modo nixi coniecturis, hanc à Deo aduersus istiusmodi homines indignationem solere suscipi, probare velle videamur: necessario denuo afferenda in medium eiusdem Scripturæ autoritas est (extra quam nihil est quod præterea nunc requiramus) atque ex vnius historiæ commemoratione, huiusmodi ante oculos ponendum nobis iudicium est. *Porrò*, inquit, *filij Heli, † filij Belial.* Eo igitur quod in hos pater, cum essent tales, non se vehementem adhibuerit, eiusmodi aduersum eos clementissimi alioqui Dei iracundiam concitauit, vt facta contra ab alienigenis impressione, illi ipsi eius filij vno & eodem die in prælio trucidati occubuerint, & populus fuerit vniuersus debellatus, quamplurimis ex eo internecione consumptis: eaque in arcam sacrosancti Testamenti Dei secuta sint, quæ ante illam memoriam nemo vnquam audiuerat, vt quæ scilicet neque ab Israëlitis, neque ab ipsis sacerdotibus omnibus passim, neque quouis tempore, sine sceleris piaculo contingi poterat, neque temere quouis in loco asseruabatur: hæc sceleratorum manibus sublata identidem modo huc, modo illuc transmoueretur: & quæ in sacrosanctis antea solita erat locis reponi, ea in prophanis tunc simulachrorum delubris locaretur. Ex quo est coniecturam capere, quàm magnus in nomen Dei risus, quantumque ludibrium apud * extraneas illas nationes consequeretur. Atque ad hæc omnia scriptum legimus ipsum Heli miserabili admodum exitu vitam terminasse, cum sibi prius interminatum sciret fore omnino, vt illius posteritas ab sacerdotali dignitate submoueretur: cuius quidem prædictionis veritatem postea eius euentus comprobauit. Hæc tam multa populo euenere: tales propter filiorum scelus parenti calamitates accidere. Neque enim quod ad ipsum nominatim pertineret, in vita vnquam sua ipse reprehensus est: De quo quidem neque hoc dici potest, quod eorum flagitia tacitus sustinuerit, qui eos sæpè admoneret, atque à peccatis istiusmodi dehortaretur, sic dicens: *Nolite filij mei, nolite. Non est bona fama, quam ego audio de vobis:* Atque etiam magnitudinem sceleris * exaggerans, periculum ipsis formidabilius proponit, cum ait: *Si peccauerit vir in virum, orabunt pro eo ad Dominum: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Veruntamen quoniam vt dixi, non eum quem par erat, aduersum ipsos animi zelum præ se tulit, secuta ea sunt postea, quæ memorauimus. Atque huiusmodi quidem sunt plutima, quæ in veteri Testamento aduersus eos iudicia reperio, qui quacumque in re Dei dicto audientes non fuerint. Cum verò ad Nouum deueni Testam. quod est Domini nostri Iesu Christi, in eoque Dominum ipsum animaduerto, cum ne ea quidem, quæ ex ignorantia peccata committuntur, libera à supplicio dimiserit, illis tamen vehementius comminatum quæ à scientibus commissa de industria sint, idq; illis in verbis: *Ille autem seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis:* quoties igitur ipsius vnigeniti filij Dei huiusmodi sententias considero, & sanctorum eius Apostolorum aduersus peccantes indignationem contemplor, talesq; * ac tantas iis, qui vel vna in re qualicumque offenderint, oblatas calamitates aspicio: sine dubio animaduersionis seueritatem in hoc nihilo minorem, imò maiorem etiam quàm in veteri intelligo. Siquidem *cui multum datum est, multum quæretur ab eo*; & cui commendauerunt multum, plus repetent ab eo. Animaduerte enim quæ beatus Paulus, simul & Christianæ vocationis dignitatem, & imminentem eius peccato pœnam subindicans, dicat: *Arma enim militiæ nostræ*, inquit, *non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi: non solum hoc autem, sed & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Quo in loco potest qui singulorum verborum pondera diligenter examinet, explicatius intelligere voluntatem diuinæ Scripturæ: eam videlicet nequaquam permisisse animum cuiusque nostrum erroribus falsarum opinionum, veluti in deuia quædam abductum, in peccati lubricum prolabi, quod videlicet, existimaret de peccatis, esse quædam quidem de quibus supplicium sumeret Deus; quædam vero, quæ impunita dimitterentur. Sed quid ait illa? *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei:* quippe tanquam omne peccatum, propter contumeliam quæ ex eo in Deum, negligendo illius mandatum, redundet, *altitudo* appelletur *extollens se aduersus scientiam Dei*, id quod etiam in libro Numerorum planius explicatur. Cum enim in eo enumeratis iam Deus peccatis, à quoque contra voluntatem eius admissis, sacrificiisque quæ propter ea fieri vellet, descriptis, populo deinceps de voluntariis legem vellet sancire, quam ille seruaret, in hunc modum exorditur: *Et anima quæcumque † in manu superbiam fecerit* (Superbiæ manum appellans audaciam eorum, qui dedita opera peccant scientes, quod Apostolus *altitudinem* nominat *extollentem se aduersus scientiam Dei.*) Igitur *anima*, inquit, *quæ * in manu superbiam fecerit*, siue indigena sit ille, siue aduena, Deum hic ad iracundiam prouocat, & *exterminabitur anima illa de medio populi eius, eo quòd verbum Domini contempserit, & præceptum eius * irritum fecerit, contritione conteretur anima illa de medio populi eius, peccatum eius in ea.* Illud autem operæ precium est hoc in loco obseruare, quod nisi contritione contrita fuerit anima illa, peccatum eius non in ea residet solum, sed ad alios etiam permanat, qui ad id vindicandum iustum animi ardorem non adhibuerint: sicut scriptum est multis in locis, & sæpenumero factitatum. Atque vt ex his quæ sunt leuiora, intelligamus quam grauiter metuendum periculum sit in his, quæ maioris sunt ponderis, attendere operæ precium est indignatio illa quanta sit, qua eadem diuina Scriptura aduersus illos vtatur, qui sacerdotis dicto, aut iudicis audientes non fuerint. *Qui autem*, inquit, *fecerit in manu superbiam, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore minister Domino Deo tuo, vel iudici, qui fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & auferes malum de medio Israel, cunctusq; populus audiens timebit: & non agent amplius impiè.* Ex quibus verbis facile est intelligere, quàm vehementer nos oporteat solicitos esse, quantoque opere exhorrescere. *Et in captiuitatem*, inquit, *redigentes omnem intellectum in * obsequium Christi.* Omnem intellectum, non hunc, aut illum. *Et in promptu habentes vlcisci*, & hoc in loco etiam non hanc, aut illam, sed *omnem inobedientiam.* Sine dubio pessima nos decepit consuetudo: sine dubio magnorum in nobis malorum causa extitit peruersa hominum traditio, quæ videlicet ex peccatis partim declinarit, partim nullo discrimine adhibito susceperit: & cum aliis vehementer se assimulet succensere, veluti homicidio, adulterio, & ceteris generis eiusdem, alia ne simplici quidem increpatione digna * iudicet, veluti iracundiam, conuitium, temulentiam, auaritiam, & si qua sunt his similia, aduersus quæ omnia alibi etiam is, ex cuius ore Christus loquebatur, Paulus sententiam extulit, cum dixit, *dignos morte esse, qui talia agunt.* Vbi vero omnis altitudo destruitur, quæ se aduersus Dei scientiam extollit,

† θεοῦ ἀποστομίαν. Rom. 11. 1. Pet. 4.

ἐπ' ἄγνοια παραβεβηκότων. Leuit. 5.

Iob 1. 5.

† ἐν γνώσει.

1 Reg. 2. * υἱοὶ λοιμοὶ. pro בניצל abiq; iugo exemplar habet λοιμοὶ, pestes, corruptelæ.

* παράτοις ἀλλοφύλοις.

1 Reg. 2. * καταστενάζων.

1 Reg. 2.

Luc. 12.

Ibidem. Neglectus diuini mandati per contumeliam, altitudo extollens se, dicitur Paulo. Num. 15.

Ibidem. † χεῖρα ὑπερηφανίας.

2 Cor. 10. 4 Num. 15. 30 * quæ per superbiam quid commiserit. * διεσκέδασεν.

Num. 15.

2 Cor. 10. 5 * εἰς ὑπακοὴν

2 Cor. 10. 6

* κρίνασα, alij, λιθάσαι.

Rom. 1.

& omnis intellectus captiuus ducitur in obsequium Christi, & sine vllo discrimine supplicium sumitur de quauis inobedientia; ibi haud dubiè nihil quod non destruatur, nihil non punitum remittitur, nihil à Christi obedientia
† μέγιστον ἀσέβημα. excluſum relinquitur, quandoquidem commune, & † maximum in quacumque præcepti violatione scelus ineſſe
Rom. 11. Paulus declarauit, cum dixit: *Qui in lege gloriaris, per transgreſſionem legis Deo contumeliã infligis.* Sed numquid hæc verba fortaſſe tantummodo, ac nihil præterea in re? Quid? nonne qui apud Corinthios vxorem patris habebat, cum hoc vno excepto, alterius criminis insimularetur nullius, non ſolum ipſe traditur Satanæ ad interitum carnis, quoadusque editis dignis pœnitentiæ fructibus, peccati labem emendet, ſed ſimul Eccleſiam itidem etiam vniuerſam, quòd facinus illud merita pœna perſecuta non eſſet, ſecum in crimi-
1. Cor. 4. nis ſocietatem adducit? Sic enim ſcriptum eſt: *Quid vultis? in virgane veniam ad vos?* Et paulo inferius: *Et vos inflati eſtis, & non magis luxiſtis, vt tollatur de medio qui hoc opus fecit?*
Act. 5. Quid verò Ananias, cuius hiſtoriam ſcriptam in Actis legimus? Quid, numquid ille quoque aliud feciſſe maleficium reperitur, præter id vnum propter quod acerbè adeo multatus eſt? Vbi igitur apparet, grauem adeo pœnam fuiſſe illum commeritum? Prædium ſuum vendiderat, precium attulerat, idque ante Apoſtolorum pedes ſtatuerat: attamen
* νοσφισάμενον quod partem de eo clam maliciosè * compilaſſet, propterea eodem ipſo tempore vnà cum vxore morte afficitur, non dignus habitus qui de agenda ob admiſſum peccatum pœnitentia quicquam audiret: non qui ſpatij ſaltem tan-
† ὀυ προσδεσμὰν λαβών. tum nanciſceretur, per quod vel leuiter † animo indoleret & compungeretur, non qui moram denique ad ſeipſum redeundi vllam inueniret. Quid porrò talis ille ac tanti iudicij apparitor, atque adeo vehemens ſententiæ Dei aduerſus peccati autorem miniſter Petrus? ille, inquam, beatus, qui & cæteris antelatus diſcipulis fuit, cuique magnificentius quàm reliquis omnibus datum teſtimonium eſt, magiſque quàm reliqui omnes *beatus* appellatus, cui claues regni cœleſtis commiſſæ: is cum ei dicitur à Domino: *Niſi lauero te, non habebis partem mecum:* quod non obſecro vel
λιθίνην καρδίαν. duriſſimum cor metu horroreque iudiciorum Dei cogat contremiſcere: præſertim qui nullius flagitij, nulliuſve contumaciæ ſignificationem vllam dediſſet, contraque potius, qui eximio Dominum ſuum honore affeciſſet, & egregiè, vt ſeruum ac diſcipulum facere par erat, eſſet reueritus. Cum enim ſuum pariter atque omnium Deum ac regem & dominum & magiſtrum, & ſalutis autorem, eum denique, qui omnia eſſet ſimul, in ſeruili habitu linteo ſe præcinxiſſe, & pedes ſibi lauare velle animaduertiſſet, confeſtim, veluti qui indignitatem ſuam ſecum ipſe reputans agnouiſſet, venientiſque ad ſe eximiæ eſſet dignitatis ful-
Ioan. 13. gore perculſus, in clamorem prorupit his verbis: *Domine*
Ibid. *tu mihi lauas pedes?* Et item: *Non lauabis mihi pedes in æternum:* Hac de cauſa vehemens adeo ei comminatio illa intenditur. Quod niſi rurſum cognita Domini verborum veritate, obedientiæ abiectionem quàm celerrimè parendi mox promptitudine emendaſſet, nihil omnino vllum illi ex tot ſuperioris temporis ipſius rectè factis, nulla ex mirificis illis, quibus à Deo laudibus fuerat ornatus, non dona, non promiſſa vlla, non denique ipſius Dei ac Patris talis ac tanta erga filium charitatis, ſtudiique delata cognitio quicquam potuiſſent afferre, quo pœnam quam ea re quod Dei imperio fuerat aduerſatus, in præſentia commeritus erat, mitigaſſet. Verum enim vero ſi omnia ſingulatim velim
*παραμυθήσασθαι. * recenſere, quæ in veteri, nouoque Teſtamento exempla in hoc genere reperiuntur, narrantem fortaſſe me tempus deficiet. Iam vero quoties ad ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ in Euangelio ſunt, verba deuenio, & ipſius illius qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, dicta conſidero, quibus maior à fidelibus hominibus tribui oportere autoritas videtur, quàm alij cuiuis hiſtoriæ, aut certiſſimæ, quæ afferri poſſet veritati, haud dubiè magnam quandam in ipſis, omnibus in rebus parendi Deo neceſſitatem, vt ita dicam, animaduerto, neque vllum prorſus iis, qui quoquo modo ſecus faciant, ac non pœnitentiam poſtea agant, veniæ locum relinqui, niſi ſi quid aliud fortaſſe aduerſus apertas adeo claraſque ſententias audendum ſit, aut vel ipſa etiam

A tacita cogitatione comminiſcendum. *Cœlum, inquit, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Nullum eſt hoc Matt. 24.
in loco diſcrimen, nulla diſtinctio, nihil vſquam reliquum factum eſt omnino, quin fuerit comprehenſum. Non dixit hæc aut illa, ſed *verba mea*, omnia ſimul videlicet non præteribunt. Siquidem ſcriptum eſt, *Fidelis Dominus in omni-* Pſal. 144.
bus verbis ſuis, in omnibus ſcilicet, quæcumque vel vetat, vel iubet, vel promittit, vel minatur, idque ſiue facta ſint, quæ vetita, ſiue omiſſa quæ iuſſa. Nam quòd bonorum operum omiſſio, nihilominus æquè ac malorum perpetratio puniatur, ſatis magno eſſe argumento poterat quo animæ perſuaderetur, quæ non vſquequaque infidelitatis morbo laboraret, iudicium illud, quod ſupra memorauimus de Pe-
B tro: qui Petrus cum eorum nihil de iis quæ vetita eſſent, feciſſet, aut præceptum huiuſmodi vllum prætermiſiſſet, vnde eius, à quo id eſſet omiſſum vel ſocordia, vel faſtidium argui poſſet, quique tantum honoris ac reuerentiæ cauſa miniſterium illud, honoremque ne ſibi à Domino adhiberetur, recuſaſſet, eiuſmodi comminationem audiuit, cuius euentum nullo modo euitaſſet, niſi, vt ſupradictum eſt, correctionis celeritate, ac vehementi ad parendum ſtudio, excitatæ iam aduerſum ſe iracundiæ occurriſſet. Verum enim quoniam, quæ illius clementia, & mirabilis quædam facilitas eſt quando illi viſum eſt nobiſcum indulgenter agere, eadem ſæpe, atque in multorum perſonis exempla proponere nobis non ceſſat, quò aſſidua eorum veluti in-
C culcatione † animus noſter quaſi à grauiſſimo torpore † ψυχὴ μοχλευθεῖσα καὶ καταγληθεῖσα.
quodam poſſit excitari, diuturnumque contra legem agendi morem abolere, eorum tantummodo in præſentia facienda mentio eſt, qui in magno illo ac formidinis pleniſſimo nouiſſimi iudicij die ad læuam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſtaturi ſunt: quibus dicturus eſt is, cui omnis iudicij poteſtas data fuerat à patre, qui venturus eſt, vt *abſcondita tenebrarum illuminet*, &, *conſilia cordium in apertum proferat:* Ioan. 5. 1 Cor. 4.
Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, paratum diabolo, & Matt. 25.
angelis eius. Et cauſam cur ita ab ſe diſcedere illos iubeat, ſubiicit, non quod aut quenquam interfeciſtis, inquit, aut fornicati eſtis, aut mendacium dixiſtis, aut vllam cuiquam iniuriam intuliſtis, aliudue quicquam licet exiguum admo-
D dum feciſtis eorum, quæ ne faceretis, vobis fuerat interdictum. Sed quid quòd bona opera facere neglexiſtis. *Eſuriui* enim, *& non dediſtis mihi manducare. Sitiui, & non dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Nudus, & non cooperuiſtis me. Debilis & in carcere, & non viſitaſtis me.* Hæc atque id genus alia, cum Dei virtute, qui *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire*, docetque omnem hominem ſcientiam, in ſanctis literis animaduerterim, & Pſal 33.
ſumme horribile huiuſmodi diſcordantis inter ſe, & in præceptis Domini noſtri Ieſu Chriſti interpretandis diſcrepantis multitudinis periculum perſpexerim, & quam formidabile illud magnæ adeo peruerſitatis iudicium ſit, ex pleriſque exemplis collegerim, neque minus quicquid
E aduerſus Dei iudicium quodcumque geratur, æquè intellexerim vindicari: denique cum terribile iudicium illud cognouerim latum contra eos, qui cum peccatum ipſi nullum admiſiſſent, tamen quòd non acres ſe contra eos qui peccauerant, vindices præbuiſſent, parem cum illis indignationem ſubiere, & quod magis mirandum videtur, qui ſæpe ne admiſi quidem flagitij eſſent conſcij, ipſe neceſſario à me fieri duxi oportere, vt licet minus iam idoneo tempore (elapſa ferè opportuna occaſione, quòd ad hanc vſque diem in aſſidua illorum eſſem expectatione qui idem mecum defendendæ veræ pietatis certamen ſuſcipere, neque meimet vnius tantum viribus confiderem) at non cer-
F te fortaſſe alieno tempore, etiam nunc ſaltem commonendi cauſa eos qui in * pietatis curriculo decertarent, de diui- * ἀγωνιζομένοις
nis literis ea ſelegiſſem & quibus Deus offenderetur, & quibus item propitius haberetur, eáque quantum mihi per ἀγῶνα θεοσεβείας
vires liceret ex communibus votis exponerem, quò videlicet beneficio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & doctrina ſpiritus ſancti, confeſtim abraſa penitus voluntatum noſtrarum ἀποκδύσαντες.
conſuetudine, & humanarum traditionum obſeruatione, & euangelij immortalis Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti itinere inito, vitáque inſtantis huius temporis ex eius voluntate tranſacta, partim vetitis rebus maiorem in modum declinandis, Epheſ. 5.

clinandis, partim iusis attentiore cura exequendis, idonei habeamur qui in futuro sæculo æternitatis iram fugiamus venturam *in filios contumaciæ*, * taleſque exiſtamus, qui ſempiternam vitam & cœleſte regnum merito adipiſcamur, quod à Domino noſtro Ieſu Chriſto promiſſum eſt *iis qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea*. Memoria tenes præterea dixiſſe Apoſtolum, quod *in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur*, conſequens ſimul ac neceſſarium exiſtimaui, vt expoſita prius * ſana fide, pietatiq́ conſentaneo de Patre & Filio, & Spiritu ſancto dogmate, deinceps de Moribus librum ſubtexerem.

* *Aliàs*, diffidētiæ. *Pſal.* 102.

Galat. 5.

* εὐσεβῆ δόξαν.

Eiuſdem de vera ac pia fide.

QVVM per diuinæ bonitatis gratiam mihi innotuiſſet veſtræ pietatis iuſſio digna prorſus ea quæ in Chriſto eſt, erga Deum charitate: quibus quidem iuſſionis veſtræ literis reuerenter petiiſtis, meum vt ipſe de vera ac pia fide teſtimonium literis conſignarem, & ad vos tranſmitterem, ſanè ipſo initio, vt qui exiguitatis ac tenuitatis virium mearum facile mihi eſſem conſcius, timidè cœpi quomodo reſponderem, dubitare. Simul ac verò venit mihi in mentem verborum Apoſtoli illorum, *Supportantes inuicem in charitate*, & item illorum alio in loco, *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: nequaquam rem me periculo vacuam facturum putaui, ſi & vobis in eo non paruiſſem quod iuberetis, & ſalutarem tacitus confeſſionem præteriiſſem, fiduciam habens per Chriſtum ad Deum, ſicut ſcriptum eſt: *Non quod ſufficientes ſimus à nobis cogitare aliquid quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui* tunc quidem illos, nunc verò *nos* etiam (& hoc ipſum cauſa veſtra) *idoneos fecit qui eſſemus miniſtri noui Teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu*. Porro fidelis miniſtri hoc eſſe proprium, ſine dubio ſcitis vos quoque: nimirum vt quæ à benigno domino in conſeruos ſuos diſtribuenda acceperit, hæc ipſis integra, & nullius rei alterius admiſtione † adulterata cuſtodiat. Quocirca ego quoque, quæ ex diuinis literis accepi, hæc quemadmodum Dei voluntas eſt, ad communem vtilitatem exponere vobis teneor neceſſariò. Etenim ſi ipſe Dominus, in quo pater ſibi bene complacuit, *omneſq́ ſapientiæ ac ſcientiæ abſconditi theſauri ſunt*, quique à patre poteſtatem omnem, & omne iudicium accepit, de ſeipſo ac patre loquens, *Mandatum dedit mihi*, inquit, *quid dicam, & quid loquar*, itémque: *Quæ ergo ego loquor, quemadmodum dixit mihi Pater, ſic loquor*, denique ſi Spiritus ſanctus à ſeipſo non loquitur quicquam, ſed quæcunque audierit ab ipſo, hæc loquitur: quî non tandem veriſimile eſt, pietati nos magis ſatisfacturos, periculoq́ noſtro magis conſulturos, ſi hoc ita ſenſerimus, itaq́ fecerimus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti? Atque quamdiu quidem aduerſus conſurgentes varijs temporibus varias hæreticorum factiones pugnandum fuit: eorum à quibus in certamen prouocabar, in dicendo ſtyli veſtigijs inſiſtens, conſequens eſſe arbitrabar, vt ei impietatis peſti, quam diabolus ſeminaret, eiuſdemmodi oppoſitis ipſi vocabulis obuiam irem, & maledicta quæ † in Deum inde naſcerentur, reprimerem, vel etiam penitus refutarem: & alijs alias, prout videlicet hæreſeos morbo laborantium vtilitas neceſſario videbatur poſtulare: atque his ſæpenumero eiuſmodi, quæ licet in ſacroſancta Scriptura nuſquam reperirentur, à pio tamen & ſanctis literis conſentaneo ſenſu neutiquam abhorrerent, neque (id quod frequenter etiam Apoſtolus fecit) Græcorum verbis, ſi ea in rem meam eſſe animaduerterem, abſtinerem. Hoc autem tempore communi omnium veſtrum propoſito, ſimul ac meo arbitratus ſum conuenire, ſi impoſitum mihi à veſtra, quæ eſt in Chriſto charitate negocium cum ea, quę ſanę fidei congrueret, ſimplicitate conficerem, eaque dicerem, quæ à ſanctis literis accepiſſem: etſi in his quidem & nominibus & verbis vſurpandis parcus eſſem, quæ vt voce ipſa cum diuinis literis non conuenirent, eundem tamen, qui in ea haberetur, ſenſum tenerent. Quæ verò eius generis eſſent vt præter vocis nouitatem, ſenſum etiam nobis nouum atque inuſitatum afferrent, & apud ſanctos viros nuſquam in vſu fuiſſe reperirentur, hæc omnia veluti peregrina, atque à pia fide penitus aliena repudiarem atque auerſarer. Eſt igitur fides, eorum quæ dicta ſunt aſſentiens approbatio ſine vlla hæſitatione, cum ſumma animi perſuaſione de eorum veritate, quæ Dei munere ſunt prædicata: quam fidem Abraham perhibetur habuiſſe, quippe de quo teſtatum ſit, Ipſum neutiquam incredulitate hæſitaſſe, ſed confirmatum fuiſſe in fide, dantem gloriam Deo, & certiſſimè perſuaſum quòd quæcumque promiſerat Deus, potens erat & facere. Quòd ſi *fidelis eſt Dominus in omnibus verbis ſuis*. * *Fidelia etiam omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate*: haud dubiè manifeſtiſſimum hoc infidelitatis argumentum fuerit & ſignum † ſuperbiæ certiſsimum, ſi quis eorum quæ ſcripta ſunt, aliquid velit reiicere, aut eorum quæ non ſcripta, introducere, cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerit: *Oues meæ vocem meam audiunt*. Et paulò ante idem dixiſſet: *Alienum autem non ſequentur, ſed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum*. Apoſtoluſq́ ſumpto ex hominibus exemplo vehementiſſimè interdicat, ne quid eorum, quæ in diuinis literis habeantur, dematur, aut quod abſit, addatur. Sic enim eſt apud illum, *Tamen † hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat*. Quamobrem nos quoque cum antehac ſemper illud in animo ratum habuerimus, vt omnem à Dominica doctrina alienam & vocem & ſententiam fugeremus: tum verò hoc ipſo tempore (vt ſupra diximus) hoc à nobis ſeruari arbitror oportere, cum id nobis ſimul, vobiſq́ tractandum propoſitum ſit longè diuerſum ab argumentis illis, à quibus alio modo aliàs, vel ad ſcribendum aliquid, vel ad dicendum inducebamur. Quoniam videlicet eo tempore de hæreſi confutanda, euertendoq́ue diaboli artificio ſtudioſè agebatur: nunc autem ſimplex fidei confeſſio explanatioq́ue propoſita eſt: quò fit, vt cum tractatio nunc diſſimilis ſit, diſſimilis etiam eſſe debeat ſtylus. Quemadmodum enim non eadem inſtrumenta in manus ſumat, & qui prælium eſt initurus, & qui colere agrum velit (alia ſiquidem ſupellex inſtrumentorum iis congruit, qui in pacis quiete res ſibi ad victum neceſſarias parant: alij armorum apparatus iis qui in bello ſe aduerſum hoſtiles copias inſtruunt) ſimiliter quoque nequaquam eodem dicendi genere vtatur, & qui in ſana doctrina cohortetur, & qui in diſputatione ſibi repugnantes redarguat. Siquidem aliud eſt genus dicendi, quo vtimur in refellendo: aliud, quo in cohortando. Itemque alia eorum ſimplicitas qui in pace veram pietatem prædicant & confitentur: alij illorum ſudores, qui aduerſus oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ fortiter dimicant. Quamobrē nos quoque ſic diſponentes ſermones noſtros in iudicio, vbique ſiue defendenda, ſiue tradenda ſimpliciter fides fuerit, operam dabimus vt ad ſubiectam materiam ſtylum accommodemus: modo videlicet iis qui diabolico aſtu illam conentur euertere, maiore cum acrimonia & conuentione refutandis, modo ijs qui in ea ædificari voluerint, ſimplicius, & ad illorum intelligentiam accommodatius ipſam fidem exponendo: nihilq́ue aliud faciendo, quàm quod dictum eſt ab Apoſtolo: *Vt ſciamus*, ſcilicet, *quomodo nos oporteat vnicuique reſpondere*. Sed antequam ad ipſam fidei confeſſionem veniamus, illud profuerit indicaſſe, Dei maieſtatem & gloriam, talis cum ſit vt eam neque oratio vlla pro dignitate circumſcribere poſſit, neque mens comprehendere, vnico verbo ſententiáve neque declarari potuiſſe, neque intelligi, ſed pluribus, quæ in ſermonis noſtri vſu trita eſſent, ſanctas literas vix iis etiam, qui puro eſſent corde, tanquam per ſpeculum obſcurè ſignificaſſe. Nam illud *facie ad faciem*, & ab omni parte cumulata ac perfecta cognitio, ea in futuro ſæculo promiſſa idoneis ſunt. Quamdiu verò in hac vita ſumus, licet Petrus ſit aliquis, licet Paulus, † cernit verè ille quidem, quæ cernit, neque per errorem decipitur, neque animo imagines falſas concipit: per ſpeculum tamen cernit, & per ænigma: & quod ex parte eſt, in hac vita cum gratiarum actione ſuſcipiens, quod perfectum eſt, in futura ſe accepturum incredibili lætitia circumfuſum confidit. Quod ita eſſe Apoſtolus etiam Paulus confirmat, qui tali quadam ſimilitudine id quod diximus, comprobat, quando dicit, Quemadmodum *Cum eſſem paruulus*, & prima rudimenta doctrinæ Dei tum primum inciperem

Fidei finitio

Rom. 4.

Pſal. 144. * *Pſ.* 110.

† ὑπερηφανίας κατηγωρία.

Ioan. 10.

† ὃ ὑποδείγματι ἀνθρωπίνῳ. *Gal.* 3.

Stylum ſibi variandū confirmat eleganti Τῇ ὁμοιώσει.

1 *Tim.* 6. *Pſal.* 111.

Coloſſ. 4.

1 *Cor.* 13.

† πιστοῦται τοιούτῳ τινὶ τρόπῳ.

1. *Cor.* 13.

Ephes. 4. *Rom.* 10.

2 *Cor.* 3.

1 *Cor.* 4.

† ἀνοθεύτως καὶ ἀκαπηλούτως.

Matt. 3. 2 *Pet.* 1. *Coloſſ.* 2.

Ioan. 12. *Ibid.*

Ioan. 16.

Act. quam fide niteus Baſil. obuiã ierit temporis ſui hæreticis.

† ἀντιτύποις φωναῖς, ſiue ἀντιθέοις.

perem deguſtare, *loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus.* † τὸ παιδίον μαγ φθάσαι. *Poſtquam autem factus † ſum vir, & ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti peruenire feſtino, euacuaui quæ erãt paruuli,* & adeò magnos in cognitione rerum diuinarum progreſſus feci, ac profectum meliorem, vt cognitio quidem illa, quam prius habebam dum in Iudaici adhuc ritus cultu verſarer, motionibus illis aſſimilis videretur, quibus imbecilla pueruli mens cieri ſolet. Contra verò ſcientia illa per Euangelium acquiſita, eiuſmodi quæ viro iam planè vſquequaque ætate perfecta conueniat: Similiter quoque quæ in hac vita videtur à nobis in cognitione haberi perfectio, ea ſi cum ſcientia illa ſit collata quæ in conſequenti ſæculo reuelanda idoneis eſt, † exiguum neſcio quid eſt, & adeo obſcurum, vt ab ea claritate quæ in futura vita expectatur, longius abſit quàm abeſt ab eo, facie ad faciem illud, videre per ſpeculum & in ænigmate. Atque etiam hoc ita eſſe confirmant diſcipuli Domini, qui cum Petro & Ioanne fuere. Nam quòd dum hic inter homines viuerent quotidie magis ac magis proficerent, maioreſque in dies proceſſus facerent: nihilominus etiam ipſi incredibilem eſſe magnitudinem eius ſcientiæ probant, quæ in ſempiterna illa vita tradenda ſeruatur. Qui quidem poſt illud, quod idonei viſi fuerant qui à Domino eligerentur, qui vnà cum eo vitam agerent, qui eius Apoſtoli eſſent, qui promererentur accipere donorum ſpiritus diſtributionem, poſtquam etiam audierunt, *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum:* poſt eiuſmodi ſcientiam, poſt aperta ipſis, quæ reliquis erant operta & arcana: tamen longo tandem tempore poſt, aduentante iam paſſione, verba audiunt illa, *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Ex his igitur atque huius generis aliis colligimus infinitum quiddam eſſe, quod de rerum diuinarum cognitione diuinæ literæ ſentiant: neque vllo modo vires humanas, quamdiu hic in terris vitam ducimus, earum arcana penitus poſſe comprehendere cum maioribus in dies ſingulos progreſſibus faciendis aliquid noui aſſiduè ſemper acquiratur: neque ſit quiſquam qui ad ſummum illud prius queat peruenire, quam venerit quod perfectum eſt, quo ſanè tempore euacuabitur quod ex parte eſt. Quocirca cum ad omnes ſimul de Deo notiones explicandas omnemque pariter depromendam gloriam non vnicum nomen ſufficiat, at neque ſingula, ſi cum integra ipſorum ſignificatione ſeruentur, ſine periculo aſſumentur. Siquidem vt dixerit aliquis, Deus non protinus tamen eum patrem eſſe declarauit: porrò huic ipſi vocabulo, pater, abeſt ea ſignificatio, quòd ſit creator. Rurſus in iam dictis deſiderantur bonitas, ſapientia, potentia, & quæ de Deo in ſanctis literis reliqua pronunciantur. Itemque vocabulum patris, ſi cum integra eius ſignificatione, ſicut apud nos eſt in vſu, accipiamus in Deo, impiè facimus, quandoquidem vnà cum eo neceſſariò ſimul & affectio, & defluxio ſeminis genitiui, & ignorantia, & infirmitas, & talia quæcumque ipſo nomine euulgantur. Quod idem vſu venit etiam in creatoris vocabulo, noſtro enim loquendi vſu notio huius nominis tempus, materiam, † inſtrumenta, adiumenta requirit: à quibus omnibus vacua penitus ſit oportet ea, quæ pia de Deo habenda intelligentia eſt: eatenus id tamen, quoad præſtare humana facultas poteſt. Nam rem ipſam planè, vti ſuapte natura eſt, & ſi omnes omnium mentes vnà ad inueſtigandum coirent, itemque ad enunciandum linguæ concurrerent, tamen qui aſſequi poſſet, exiſteret nemo. Hunc ſanè ſcripturæ eſſe ſenſum luculenter ſapientiſſimus declarat Salomon, dicens: *Dixi, ſapiens efficiar, & ipſa longius receſſit à me, multò magis, quàm erat.* Non quidem quòd re vera illa fugeret, ſed quòd ij maximè intelligunt, quàm ea omnem cuiuſuis ad ipſam comprehendendam captum exuperet, qui Dei beneficio ampliorem ipſi quàm cæteri cognitionem ſunt conſecuti. Sed hæc cùm ita ſint, pluribus diuinæ literæ neceſſario & nominibus vtuntur & verbis ad exiguam quandam, atque hanc ipſam * obſcuram diuinæ notionis * αἰνίγματώδη παράσασιν. expreſſionem. Nobis vero ad omnia colligenda, quæ vbique in ſacris Scripturis reperiantur de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, neque facultas fuit, neque ocium, idque ea re, quod vos nimio plus me vrgeretis. Verum ſatisfactum iri per hæc conſcientiæ veſtræ opinamur, ſi de omnibus pauca quædam in medium protulerimus: tum ad noſtræ ex ſcripturis ſententiæ explicationem, tum ad veſtram ipſorum & eorum qui inter vos id expetunt, nulli controuertendam perſuaſionem ac indubitatam ſatisfactionem. Vt enim vocabula multa vnicam modo tuendæ pietatis ſententiam enunciant, ſic ex paucis quoque is, qui modo iniquus interpres non ſit, facillimè pietatem, quæ inſit omnibus ſcripturæ locis poterit, ſi volet, agnoſcere. Credimus igitur & confitemur vnum ſolum, & verum, & bonum Deum, & Patrem omnipotentem, ex quo omnia, Deum Patrem Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti: Et vnicum, vnigenitumque eius Filium Dominum & Deum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſolum, verum: per quem omnia facta ſunt, viſibiliaque atque inuiſibilia, & in quo omnia conſtant: quique *in principio erat apud Deum, & Deus erat,* & poſt hæc ſecundum ſcripturas in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit:* & per natiuitatem ex virgine, *formam ſerui cùm accepiſſet, & habitu inuentus eſſet vt homo,* omnia, quæ in ipſum, & de ipſo ſcripta fuerant, compleuit, ſecundum mandatum patris *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et poſtquam tertia die reſurrexiſſet à mortuis ſecundum ſcripturas, viſus eſt à ſanctis diſcipulis ſuis, & reliquis, ſicut ſcriptum eſt. Et aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Patris, vnde venturus eſt in conſummatione ſæculi huius ad excitandos omnes, & reddendum vnicuique iuxta opus illius: quando iuſti quidem aſſumentur ad vitam æternam, peccatores verò ſempiterno addicentur ſupplicio, *vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Credimus item vnum ſolum Spiritum ſanctum paracletum, *a in quo obſignati ſumus in diem redemptionis,* b *Spiritum veritatis,* c *Spiritus adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater.* Qui diuidit & efficaciter operatur dona, quæ à Deo dantur ſingulis, prout vult ad vtilitatem, ſpiritum, inquam, qui quæcumque audiuerit à filio, docentem & commonentem omnia, bonum, deducentem in omnem veritatem; & confirmantem omnes credentes ad cognitionem veram, & exactam, & cultum Dei pium, & adorationem ſpiritalem, & veram confeſſionem Dei Patris, vnigenitique eius filij, Dominique ac Dei noſtri Ieſu Chriſti, & ſuiipſius. Quæ tria nomina ſeorſum ſingula ſuam peculiarem quandam proprietatem apertè ſignificant, quæ piè conſiderari in ipſis poteſt: atque in patre quidem proprietas Patris, in Filio vero proprietas Filij, in Spiritu ſancto poſtremo, ſua quædam à duobus diuerſa proprietas, cum neque Spiritus ſanctus à ſeipſo loquatur, neque filius à ſemetipſo faciat quicquam: ac pater quidem filium mittat, filius vero Spiritum ſanctum. Sic ſentimus, & ſic baptizamus in * Trinitatem conſubſtantialem, idque ex præcepto ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Quæ ſeruantes, & charitatem erga illum habere nos demonſtramus, & digni efficimur, qui in ea maneamus, ſicut ſcriptum eſt. Contrà negligentes eam ſeruare, ab ea diſiuncti, aut aliter affecti conuincimur. *Qui enim non diligit me,* inquit Dominus, *ſermones meos non ſeruat.* Et item: *Qui habet mandata mea, & cuſtodit ea, ille eſt qui diligit me.* Porro vehementer demiror, quid ita cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicat: *Nolite gaudere quòd * dæmonia ſubiiciuntur vobis, gaudete autem quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Et item alibi: *In hoc cognoſcent, quod diſcipuli mei eſtis, ſi charitatem habueritis inter vos.* Ex quibus verbis nactus occaſionem Apoſtolus, docens quàm neceſſaria omnibus in rebus charitas ſit, palam teſtificatur his verbis: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et paulò poſt, *Siue autem prophetiæ, euacuabuntur: ſiue linguæ, ceſſabunt: ſiue ſcientia, deſtruetur:* quibus verbis continuò adiungit: *Nunc autem manent ſpes, fides, charitas, tria hæc: maxima autem horum eſt charitas.* Hæc, inquam, & conſimilis formæ permulta cum adeo affirmatè à Domino primum, deinde ab Apoſtolo dicta, ac definita

Collatio.

† ραχύτι καὶ ἀμυδρότερον.

Matt. 13.

Ioan. 16.

† σκευῶν al. ὀργάνων.

Eccl. 7.

* εἰς τριάδα ὁμοούσιον.

Matt. 28.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

Ibid.

Luc. 10.

* τὰ δαιμόνια.

Ioan. 13.

1. Cor. 13.

Act. 1.

Matt. 16.

Rom. 2.

Marc. 9.

a Ephes. 4.
b 1 Ioan. 4.
c Rom. 8.

Att. quid maximopere demiretur Baſilius.

nita sint, vehementer demiror, qua ratione inducti homi-
† πόθην pro quo alij, γνῶσιν. nes † studium adeo magnum in res fluxas ac fragiles conferant, & his tantopere inhient: in eas vero quæ stabiles sunt, & ad sempiternum tempus permanent, maximeque in eam, quæ ex omnibus maior est, charitatem, & Christiani hominis peculiare est quasi quoddam insigne, non modo ipsi studium nullum adhibeant, sed si quis sit qui adhibeat, ei aduersentur, & contrà pugnantes, illud efficiant quod dictum est, *Quod neque ipsi introeunt, & alios prohibent intrare.* Luc. 11. Quod cum ita sit, magnopere hortor & oratos velim vos fratres charissimi, vt missa istiusmodi curiosa inuestigatione, flagitiosaque verborum contentione, his contenti simus, quæ à sanctis viris, atque ab ipso adeo Domino nostro Iesu Christo dicta sunt: eaque sentiamus, quæ respondeant cœlesti vocationi: & vitam agamus Christi Euangelio conuenientem, sempiternam vitam, & cœleste regnum sperantes, paratum omnibus seruantibus mandata Dei & Patris, quæ sunt secundum Euangelium † beati Dei Iesu Christi Domini nostri, in Spiritu sancto & veritate. Hæc sunt quæ à vestra pietate admonitus necessario mihi duxi facienda, vt ad vos in postremis perscriberem, sensumque animi super his rebus mei vobis, & per vos fratribus iis, qui in Christo sunt, explicarem, vtque & vestris & illorum animis omni ex parte satisfieret, in nomine Domini nostri Iesu Christi: quò omnis prorsus omnibus de fide nostra dubitatio tolleretur (orta fortasse propter diuersam rationem eorum, quæ aliàs alio modo exposita à nobis sunt, quæ res eo nimirum vsu venit, quòd necessario assiduè cogebamur aduersus proposita nobis à pietatis veræ impugnatoribus argumenta, vt quæque ab ipsis in medium afferebantur, depugnare) neque cuiquam esset causa, cur fluctuaret: summè contrà adnitentibus illis qui quæ aliena sunt, nobis attribuunt, aut sæpenumero etiam, quo facilius simpliciores in sententiam suam auferant, deprauatæ suæ ipsorum mentis flagitiosa commenta falso nobis affingunt: à quibus necessario vos, vt ab hominibus ab Euangelica & Apostolica fide, charitateque alienis cauere debetis, memoriaque verba Apostoli illa tenere. Galat. 1. a *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, a præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit:* vt illud seruantes, b *Attendite à falsis prophetis*: & illud, c *Vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante, & non secundum traditionem, quam* d *acceperunt à nobis:* ordine incedamus in regula sanctorum, e *tanquam superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV *Domino nostro, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*; f *Deus autem pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in aduentu Domini nostri* IESV *Christi conseruetur. Fidelis Deus qui vocauit nos, qui etiam faciet*, modò mandata eius seruemus, gratiam Christi in Spiritu sancto.

a 2 Cor. 10. ὡς χῶμεν τῷ κάνονι.
b Matt. 7.
c 2. Thess. 3.
d τυγχάνειν alij, ἔυρεθῆ.
e Ephes. 2.
f 1 Thess. 5.

Παρασκευὴ ad moralia.

De his, quæ in sacris literis, vel vetita sunt, vel iussa.

CVM quæ ad sanam fidem pertineant, de his satis, quantum huius temporis ratio requireret, suprà à nobis arbitrer demonstratum: reliquum est vt ad ea studiosè tractanda pergamus, quæ de his quæ ad mores pertineant, scripturos nos polliciti sumus in nomine Domini nostri Iesu Christi. Quæcumque igitur in nouo Testamento hactenus sparsim diuersis in locis vel † vetita inuenimus, vel iussa, hæc studiose operam dedimus, vt quo ad facere nobis per vires liceret, in compendiarias quasdam regulas redigeremus: quò facilius ab his, qui modo vellent, percipi possent, appositò ad singulas regulas numero etiam capitum scripturæ, vt quæque ex ea desumpta in regula continentur, siue ex Euangelio ea sint, siue ex Apostolo, Actisve: vt qui regulam legerit, & appositum ipsi, verbi causa, primum aut secundum numerum animaduerterit, deinde scripturam ipsam in manus sumpserit, & prædicti numeri caput inuestigauerit, hoc modo testimonium inueniat, cuius gratia confecta regula sit. Saneque initio erat animus apponere ad singulas regulas etiam de veteri Testamento, vt quæque cum his singulis visa essent con-
† ἀπηγορευμένα ἢ ἐγκεκρυμμένα.

A gruere, quæ sumpsissemus de nouo. Verum quoniam necessitas vrgebat, maiorem in modum flagitantibus hoc tempore à nobis fratribus ea, quæ iampridem ipsis eramus polliciti: venit in mentem mihi scitum illud sapientis: *Da sapienti* occasionem, & sapientior erit.* Quare licet vnicuique arbitratu suo, accepta iam satis magna occasione ex his, quæ de nouo apposita viderit, vetus ipsum Testamentum sumere, ac per se ipse intelligere, quàm ex omni parte diuinæ inter se literæ consentiant: præsertim cùm vel vnica modo dicto fidelibus saris sit, iisque quorum animus de summa verborum Domini veritate omnino nihil dubitet. Quæ quidem etiam causa fuit, quamobrem satis existimauerim, si de nouo etiam non omnia, quæcumque
B possent, sed pauca quædam ex omnibus apponerent. Sunt autem regulæ, vt summatim dicam, de hisce rebus.

* ἀφορμὴν. Prou. 9. secundum LXX.

INDEX

REGVLARVM.

1 *De pœnitentia, & quod sit tempus idoneum ad pœnitentiam, deq; proprietatibus, & fructibus ipsius.*
2 *De eo, quod qui à Deo inire gratiam studeat, eius studium esse sincerum debet, atque ab omni penitus rei contrariæ admistione vacuum.*
C 3 *De charitate erga Deum, & quomodo ea verè cognoscitur.*
4 *Qui sit honor erga Deum, & quæ item contumelia.*
5 *De charitate mutua, & proprietatibus ipsius.*
6 *Quod in confessione Dei, & Christi eius fideliter, fortiterq; agendum sit.*
7 *Quod non sit satis ad salutem confessio Domini, facientibus contra mandata eius.*
8 *De fide & summa autoritate ac certitudine verborum Domini.*
9 *De cognitione siue scientia ignorationeq; rerum ad officium nostrum pertinentium.*
10 *Quæ sit finis peccati, quæue item præcepti Dei.*
D 11 *De iudiciis Dei, & quantopere ea sint metuenda.*
12 *De improbatione & impugnatione aut contradictione vel obedientia, & obseruatione voluntatum Dei.*
13 *De eo quod singulis momentis voluntate ac studio indilato parati esse debeamus ad ea, per quæ possimus inire Dei gratiam.*
14 *De maturitate opportuna, & commoda cuiuslibet rectè facti.*
15 *Quod non debet quis, sperans in aliorum rectè factis, negligere ipse officium suum.*
16 *De iis qui prodesse sibi aliquid opinantur, si cum bonis, & Deo charis hominibus viuant, ipsi autem boni nihil faciant.*
17 *Quomodo occasione vitæ huius, in qua sumus vti debemus.*
18 *De modo & affectione animi, quæ teneri ab his debeat, qui studium suum adhibent in conseruandis præceptis Dei.*
E 19 *De iis, qui alios impediunt, vel ab aliis ipsi impediuntur, quominus obire possint mandatum Dei.*
20 *De baptismate, & quæ sit ratio & virtus baptismatis.*
21 *De communione corporis & sanguinis Christi, & quæ sit ratio huius sacramenti.*
22 *Quomodo alienatur aliquis à Deo, quomodove item conciliatur.*
23 *De iis, qui præ animi impotentia, in ea etiam quæ oderunt, peccata prolabuntur.*
24 *De mendacio & veritate.*
25 *De inutili atque otioso sermone, deq; vtilium & studiosorum sermonum vsu ac tractatione.*
F 26 *Quod ad ea confirmanda, quæ à nobis vel fiunt, vel dicuntur, primum petitis de sanctis literis testimoniis vtendum sit, deinde iis etiam, quæ in communi vitæ consuetudine nota sunt.*
27 *Quod pro viribus enitendum nobis est, vt quam simillimi Deo, & sanctis eius simus.*
28 *Quod perspicaces esse debemus & discreti in habendo bonorum & malorum delectu.*
29 *Qua ratione efficere possimus, vt professioni nostræ autoritatem comparemus.*
30 *De honore habendo rebus consecratis Deo.*
31 *De vsu rerum quæ sanctis sunt attributæ.*
32 *De debitis & persolutionibus.*

33 De

33 De iis qui alios ſcandalizant, vel aliunde ipſi ſcandalizantur.
34 Quod debeat vnuſquiſque pro modulo virium ſuarum exemplar ſe ad res honeſtas cæteris præbere.
35 De iis qui res honeſtas ac bonas vituperant.
36 De honore & animi propenſione erga ſanctos.
37 De iis qui in rebus minutis ſtudium ſuum adhibent pro facultate ſua.
38 Quomodo accipiendi, tractandiq; ſint hoſpites.
39 De firmitate & conſtantia animi in ſcandalis retinenda.
40 De ijs qui aliter docent.
41 Quòd excidi debent, qui autores ſcandalorum ſunt, & quòd cum infirmioribus temperate & indulgenter eſt agendum.
42 De eo quòd Dominus venerit ad implendam legem.
43 De differentia inter mandata legis, & mandata Euangelij.
44 Quòd onus Domini leue ſit, & quòd peccatum graue.
45 De æqualitate in honoribus ſeruanda, & de ſummiſſione animi ſiue humilitate.
46 De ſtudio rectè factorum maiorum & minorum.
47 De diuitiis & paupertate, & de iis, quæ his eſſe ſolent adiuncta & conſequuntur.
48 De beneficentia in fratres, & quòd propterea opus faciendum ſit.
49 De iis, qui in iudicio experiuntur, ac litigant & ſeipſos defendunt, vel etiam alios.
50 De pace & pacificatione.
51 Cuiuſmodi eſſe debeat is, qui proximum nitatur corrigere.
52 De mœrore ſuſcipiendo eorum cauſa, qui peccant, quomodove cum illis congrediendum: quando defugiendi, quandoq; item in conſortium cum cæteris recipiendi.
53 Quòd ſit eorum iudicium, qui iniuriarum memoriam retinent, quæ ſibi factæ eſſe videntur illatæ.
54 De iudicio, & iudicij ſuſpenſione, vel diſcretione.
55 De affectione animi erga Deum, quomodoq; eius beneficia prædicare debemus, & pro iis gratias agere.
56 De oratione, & quando, & quid, & quomodo, & pro quibus orandum ſit.
57 De elatione animi, quæ ex rectè factis naſcitur.
58 De acquiſitione donorum Dei, & de eorum in alios communicatione.
59 De honore & gloria humanis.
60 De differentia donorum diuinorum, deq; eorum inter ſe concordia, qui in his præcellunt, vel etiam inferiores ſunt.
61 De abiecta conditione (ſi vt homines reſpicias) eorum qui ſuſcipiunt gratiam Dei.
62 De tentationibus, & quando iis concedere oporteat, & quando item reſiſtere, quomodove aduerſariis occurrere.
63 De timore vel animi præſentia in periculis.
64 De lætitia, quam habere debemus in iis, quæ Chriſti cauſa incommoda ſuſtinemus.
65 Quomodo in ipſo etiam extremo vitæ exitu orare nos conueniat.
66 De iis qui eos deſerunt, qui pro defendenda pietate certamina ſuſcipiunt, itemq; de iis, qui eos adiuuant.
67 De iis, qui morientium cauſa, miſerè mœrore ſe affligunt.
68 De differentia, quæ eſt inter vitam hanc & futuram.
69 De iis, quæ ſimul & coniunctim à ſanctis literis vel vetantur, vel etiam iubentur.
70 De iis, quibus Euangelij prædicatio committitur: & quando, & quos, & quid docere, & quomodo antè corrigere ſeipſos debeant, qui tales ſunt: & quomodo in prædicatione liberè & fortiter agere, quomodove eorum qui ſibi crediti ſint, commodis & ſaluti prouidere, & cuiuſmodi animi affectione, & in cuiuſmodi ſtudiis verſari: & quomodo caſtos ſe ab iis vitiis conſeruare, quæ vt plurimum eiuſmodi hominum generi ſolent eſſe adiuncta: & quos docendos ſuſceperint, ad cuiuſmodi menſuram eos perducere, quomodove reluctantes inducere: & quomodo iis auſcultare, qui propter metum aliquem eorum prædicationem recuſant, quomodoq; item ab iis recedere qui ipſam ex improbitate nolunt admittere, & quomodo aliquos deſignare, vel deſignatos iam improbare: oportereq; vnumquemque qui cæteris præſit, obnoxium ſe eſſe exiſtimare ad reddendam iis qui eius curæ crediti ſint, rationem de omnibus quæ faciant, & dicant.
71 De iis quæ coniunctim præcepta ſunt iis, qui aliis præſunt.
72 Qua ratione debeant ij, qui docentur, ſpirituales magiſtros diſcernere ab iis qui tales non ſunt, quomodove erga ipſos eſſe animati, vel quomodo quæ ab ipſis dicantur, ſuſcipere.
73 De iis, qui matrimonio coniuncti ſunt.
74 De viduis.
75 De ſeruis & dominis.
76 De filiis & parentibus.
77 De virginibus.
78 De iis, qui militiæ operam dant.
79 De principibus & ſubiectis.
80 Cuiuſmodi in vniuerſum ratio, eſſe Chriſtianos, poſtulet, & cuiuſmodi eos, qui aliis præſunt.

BASILII

BASILII MAGNI

ARCHIEPISCOPI CÆSARIENSIS

ETHICA,

HOC EST, MORALIA.

REGVLA PRIMA MORALIVM SENTENTIARVM.

Quod credentes Domino, oportet pœnitentiam agere primum ex prædicatione Ioannis, & ipsius Domini nostri Iesu Christi, quando grauius, quàm qui ante Euangelium fuerunt, ij multantur nunc, qui pœnitentiam non agunt.

A

CAP. I.

Matth. 4. EXINDE cœpit Iesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite. Appropinquauit enim regnũ cœlorũ. *Matth.* 11. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factę fuerant plurimæ virtutes eius, quòd non egissent pœnitentiam. Væ tibi Chorozaim, Væ tibi Bethsaida, quia si B in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim vtique in sacco & cinere sedentes pœnitentiam egissent. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis, &c.

Quod tempus vitæ huius, pœnitentiæ tempus est, & remissionis peccatorum, & quòd in futuro iustum erit iudicium retributionis.

CAP. II.

Marc. 2. *Matth.* 18. VT autem sciatis, quod filius hominis habet potestatẽ in terra dimittẽdi peccata, ait, Amẽ dico vobis, quęcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. C *Et item,* Amen dico vobis, quòd si duo de vobis consenserint super terram, de omni re, quancunque petierint, fiet illis à *Ioan.* 5. patre meo, qui est in cœlis. Quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò *Rom.* 2. mala, in resurrectionem iudicij. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis & iusti iudicij Dei, qui reddet vni- *Act.* 17. cuique secundum opera sua. Et tempora quidem huius ignorantiæ cum dissimularet Deus, nunc annunciat omnibus D hominibus, vt omnes pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem.

Quòd pœnitentiam agentes oporteat amarè flere, & reliqua quæ sunt pœnitentiæ signa, edere ex corde.

CAP. III.

Matth. 28. ET recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras, *2. Cor.* 7. fleuit amarè. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos E in aduentu Titi: non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me. *Et paulò inferius:* Ecce enim hoc ipsum quòd secundum Deum contristati estis, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam: in omnibus vos exhibuistis incontaminatos esse negotio. *Act.* 19. Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos: multi autem ex eis, qui erant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus.

Quod pœnitentibus illud satis non sit ad salutem, si tantummodo recesserint à peccatis, sed opus esse ipsis, vt fructus pœnitentiæ dignos ferant.

CAP. IV.

VIdens autem multos Pharisæorum & Sadducæorum *Matth.* 3. venientes ab baptismum suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim & securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in B ignem mittitur.

Quòd confestim, vbi de hac vita migrauerimus, omnis nobis benefaciendi facultas præcisa est: quodq; hoc ipsum, quod hìc viuimus, temporis, nobis pro bonitate sua Deus ad ea facienda præfiniuerit, per quæ eius gratiam ineamus.

CAP. V.

TVnc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *Matth.* 25. quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. C Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes; & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiã ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes, Ne forte nõ sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime autem, veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine Domine aperi nobis: At ille respondens ait, Amen dico vobis, nescio vos. Con- *Luc.* 13. tẽdite intrare per angustam portam, quia multi (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt. Cum autem intrauerit paterfamiliàs, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine Domine aperi nobis, & respondens dicet vobis, Nescio vos vnde sitis. Ecce nunc *2. Cor.* 6. tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nemini dantes vllã offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibentes nosmetipsos sicut Dei ministros. Ergo *Galat.* 6. dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes.

REGVLA II.

Quod nequaquam is Deo possit seruire, qui etiam se alienis à pietate negotijs immisceat.

CAP. I.

NEmo potest duobus Dominis seruire. Aut enim vnum *Matth.* 6. odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterũ contemnet: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim parti- *2. Cor.* 6. cipatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut

quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo A
Dei cum idolis?

Quod is qui Euangelicam doctrinam susceperit, debet primum purgatus esse ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt hoc modo ex ijs, quæ recte ac sancte faciat, Dei gratiam promereatur.

CAP. II.

Matth. 23. VÆ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immundicia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat & id,
2. Cor. 7. quod deforis est, mundum. Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore B
Dei.

Quòd neutiquam is Domini fieri discipulus potest, qui de re aliqua vitæ huius nimio plus affectus sit, vel ab aliqua earum rerum detineatur, quæ vel leniter retrahere illum possit à mandato Dei.

CAP. III.

Matth. 10. QVi amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam plusquam me, non est me dignus: Et qui non accipit crucem suam & se- C
Matth. 16. quitur me, non est me dignus. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim vult animam suam saluam facere, perdet eam.

REGVLA III.

Quòd primum & magnum mandatum in lege Domini testimonio confirmatum est esse Deum vt diligamus ex toto corde, Secundum item, proximum vt diligas, sicut teipsum.

CAP. I.

Matth. 22. AIt illi Iesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto D
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum sicut teipsum.

Quòd certissimum sit argumentum, quod aliquis Deum non diligat, neque Christum eius, qui eius præceptis non pareat: quodque euidens, contrà, erga eundem charitatis indicium sit, si Christi præceptis obtemperet, in patientia passionum illius vsque ad mortem.

CAP. II.

Ioan. 14. QVi habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui non diligit me, sermones meos non ser- E
Ioan. 15. uat. Si mandata mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruaui, & maneo
Rom. 8. in eius dilectione. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.

REGVLA IV.

Quòd is honore & gloria afficit Deum qui voluntati obtemperat illius: & contra contumelia, qui legem illius violat. F

CAP. I.

Ioan. 17. EGo te glorificaui super terram, opus consummaui
Matth. 5. quod dedisti mihi, vt faciam. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: vt sitis sinceri &
Philip. 1. sine offensa in diem Christi, repleti fructibus iustitiæ, qui
Rom. 2. sunt per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

REGVLA V.

Quòd Christiani officium est, liberum purumque esse omnis odij erga cæteros, contraque, omnes etiam inimicos diligere, & pro amicis vitam deponere, quandocunque id ita fieri conuenire vtilitatis illius ratio suadeat: quodque eiusmodi charitas erga proximum haberi debet, qualem habuit erga nos Deus, & Christus eius.

CAP. I.

AVdistis quòd dictum est antiquis, Diliges proximum *Matth. 5.*
tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros. *Et paulo inferius*: Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vni- *Ioan. 3.*
genitum daret. hoc est præceptum meum, vt diligatis in- *Ioan. 15.*
uicem sicut dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et *Luc. 6.*
eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes sicut & pater vester misericors est. Commendat autem charitatem suam Deus *Rom. 5.*
in nobis, quòd cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Estote ergo imitatores Dei sicut fi- *Ephe. 5.*
lij charissimi & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo.

Quod certissimum illud argumentum sit, aliquos esse Christi discipulos, si inter se mutuò se diligant.

CAP. II.

IN hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si di- *Ioan. 13.*
lectionem habueritis ad inuicem.

Quod euidens argumentum sit aliquem charitatem Christi aduersum proximum non habere, si fecerit aliquid, quod eius vel rem vel animum offendat, & fidem impediat, licet genere ipso, quod fiat, concessum sit à scriptura.

CAP. III.

SI autem propter cibum frater tuus contristatur, iam non *Rom. 14.*
secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, propter quem Christus mortuus est.

Quòd Christiani officium est, quandocunque quis ipsi factus offensior est, eum studere sibi mitigare, & quantum in ipso sit illius sibi gratiam reconciliare.

CAP. IV.

SI ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus *Matth. 5.*
fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare: & vadens prius, reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum. Male- *1. Cor. 4.*
dicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.

Quòd qui veram, quæ est secundum Christum, charitatem habet, id est, cum aliquando eius quem diligit animum offendere non dubitat, quandocunque id in rem illius esse animaduerterit.

CAP. V.

ET nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis *Ioan. 16.*
interrogat me: Quò vadis? sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Ita vt magis gauderem: *2. Cor. 7.*
quoniam etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet, etsi me pœnituisset. Video enim quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit. Nunc gaudeo, non quòd contristati estis, sed quod contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

REGVLA VI.

Quòd intrepidè ac sine vlla verecundia liberè agere oporteat in confessione Domini nostri Iesu Christi, & doctrinæ eius.

CAP.

CAP. I.

Matth. 10. QVòd dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & angelorum sanctorum. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora Euangelio, vt bonus miles Christi.

Luc. 9.
2. Tim. 1.
2. Tim. 2.

REGVLA VII.

Quod licet quis videatur Dominum confiteri, & eius sermones auscultet: is tamen si eius mandatis non pareat, condemnatus est, licet ex aliquo consilio Dei occulto permissum sit, vt aliquo ornatus sit dono spirituali.

CAP. I.

Matth. 7. NOn omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui est in cœlis, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis, Nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem, *& cætera.* Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Luc. 6.
Tit. 1.

REGVLA VIII.

Quòd ab ijs quæ dicuntur à Domino, dubitatio omnis, omnisq; hæsitatio repelli debet: quodque quidquid à Domino dictum sit, id & verissimum tenere oportet, eiusmodique, quod fieri possit, licet natura ipsa videatur repugnare, quando in hoc fieri cognatus declaratur.

CAP. I.

Matth. 14. QVarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare: & videntes eum discipuli super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes, Phantasma est: & præ timore clamauerunt. Statimque Iesus locutus est eis, dicens, Habete fiduciam. Ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit, Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas. Et ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de naui, ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit. Et cum cœpisset mergi, clamauit dicens, Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi, Modicæ fidei, quare dubitasti? Litigabant ergo Iudæi adinuicem, dicentes. Quomodo hic potest dare nobis carnem suam ad manducandum? Dixit ergo ei Iesus, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ne timeas Zacharia, quia exaudita est deprecatio tua. Et Elizabet vxor tua pariet tibi filium. *Et paulò post.* Et dixit Zacharias ad Angelum, Vnde hoc sciam? ego enim sum senex: & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus dixit ei, Ego sum Gabriel qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare: Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuum vuluam Sarræ. In promissione vero Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quod quæcunque promisit Deus, potens est & facere: ideo & reputatum est illi ad iustitiam.

Ioan. 6.
Luc. 1.
Rom. 4.

Quod qui in rebus leuioribus Domino fidem non habet, hic eam multò minus in ijs habere conuincitur, quæ sunt grauioris momenti.

CAP. II.

SI terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Qui fidelis in minimo est, & in maiori fidelis est: Et qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.

Ioan. 3.
Luc. 16.

Quòd nullo modo ratione proprij consilij niti debemus, vt ijs fidem derogemus, quæ à Domino dicuntur: contràque quòd scire conuenit maiorem deberi autoritatem verbis Domini, quàm vlli quantumuis animi nostri certissimæ expletioni.

CAP. III.

TVnc dicit illis Iesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Respondens autem Petrus, ait illi, Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus, Amen dico tibi, quod in hac nocte antè, quàm gallus cantet, ter me negabis. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis: & edentibus illis, dixit, Amen dico vobis, quòd vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine? Et facta est vox ad eum, Surge Petre, occide, & manduca, ait autem Petrus, Absit Domine, quia nunquam manducaui quicquam commune, & immundum. Et vox iterum secundo ad eum, Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Matth. 26.
Ibid.
Acto. 10.
2. Cor. 10.

REGVLA IX.

Quod nullo modo negligentes nos esse conueniat in ijs cognoscendis, quæ officij nostri sint, quodque contra adhibita summa animi attentione verba Domini & auscultare debemus, & intelligere, & voluntatem eius facere.

CAP. I.

REspondens autem Petrus dixit ei, Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit, Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quod omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem? Cum quis audit verbum Dei, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius. Hic est, qui secus viam seminatus est. *Et Paulò post.* Qui autem in terram bonam seminatus est, hic est qui audit, & intelligit, & fructum affert, aliud centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum. Et aduocans iterum totam turbam, dicebat illis, Audite me omnes & intelligite. Videte itaque quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Domini.

Matth. 15.
Matth. 13.
Marc. 7.
Epho. 5.

Quòd in rebus minime ad nos pertinentibus inuestigandis, nullo modo debemus esse curiosi.

CAP. II.

ET post buccellam introiuit in eum Satanas. Et dicit ei Iesus, Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixit ei. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis, Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua ipsius potestate.

Ioan. 13.
Acto. 1.

Quòd eorum proprium est, qui de ineunda Dei gratia soliciti sunt, de rebus ad officium ipsorum pertinentibus percontari.

CAP. III.

ET accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Et ecce vnus accedens, ait illi, Magister bone, quid boni faciam, vt habeam

Matth. 13.
Matth. 19.

Luc. 3. vitam æternam? Dicebat igitur venientibus ad se turbis, vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? *Et paulò post*, Et interrogabant eum turbæ dicentes, Quid faciemus? similiter & publicani, Actor. 2. & milites. His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, Quid faciemus viri fratres?

Curandum ei qui interrogatur, digna fide vt respondeat.

CAP. IV.

Luc. 10. ET ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum, & dicens, Magister bone, quid faciendo, vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi, Rectè respondisti. Fac hoc, & vives. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo vos oporteat vnicuique respondere. Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

Colo. 4. Luc. 12.

REGVLA X.

Quòd finis peccati, Mors.

CAP. I.

Ioan. 8. Rom. 6. QVi incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. *Et*

1. Cor. 15. *paulò post.* Stipendia peccati mors: stimulus autem mortis, peccatum.

Quod finis mandati Dei, est vita æterna.

CAP. II.

Ioan. 8. Ioan. 12. AMen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid

Rom. 6. loquar. Et scio quòd mandatum eius vita æterna est. Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò, vitam æternam.

REGVLA XI.

Quòd nequaquam contemnere oporteat iudicia Dei, potiusq; maiorem in modum metuere, licet ea confestim debita pœna non subsequatur.

CAP. I.

Matth. 10. Luc. 12. SEd potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus serui illius in die, in qua non sperat, & hora, qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ, siue inobedientiæ.

Ioan. 5. Ephe. 5.

Quòd qui semel ob commissa aliqua peccata castigatus à Deo est, & tamen veniam deinde consecutus, is si denuo post illud tempus peccat, seuerius in se animaduertendi postea Deo causam dat.

CAP. II.

Ioan. 5. ECce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Quòd quandocunque aliquos in Dei offensionem viderimus incidisse, dare nos studiosè operam debemus, vt illorum exemplo cautiores simus, ac vitam nostram in melius commutemus.

CAP. III.

ADerant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs eorum. Et respondens dixit illis, Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis. Sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut illi decē & octo, super quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos. Putatis quod & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hierusalem? Non, dico vobis, sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Audiens autem Ananias Actor. 5. hæc verba, cecidit, & expirauit, & factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. Neque murmuraueritis, sicut 1. Cor. 10. quidam eorum, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.

Luc. 13.

Quòd sæpenumero propter præcedentem in alicuius animo impietatem, eum Deus loco supplicij ea facere permittit quæ flagitiosissima sunt.

CAP. IIII.

ET sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittit illis operationem erroris, vt credant mendacio.

Rom. 1. 2. Thess. 2.

Quòd non est multitudo peccatorum illa, quæ exoret Deum, sed is, qui est apud illum in gratia, licet vnus modo, vel vna etiam muliercula sit.

CAP. V.

IN veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullā illarū missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniorum ad mulierem viduam. Nolo enim vos ignorare fratres quòd 1. Cor. 10. patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali sequente eos petra, petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.

Luc. 4.

REGVLA XII.

Quòd omnis, qui iussis Domini aduersatur, licet id amico & pio animo faciat, is tamen ob eam causam abalienatur à Domino: quodque quicquid à Domino dicatur, id summa cum animi expletione debemus suscipere.

CAP. I.

ET cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus, venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum.

Ioan. 13.

Quòd nullo modo humanas traditiones sequi debemus, ita vt pro illis defendendis, præcepta diuina violemus.

CAP. II.

ET interrogant eum pharisæi & scribæ, Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum? Sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens dixit eis, Bene prophetauit de vobis Esaias hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum, &c.

Marc. 7. ἀγίαις illotis, eodem recidit, vt cōmunibus.

Quòd

Quòd ad vnum omnia seruanda sunt, quæ à Domino per euangelium & Apostolos tradita sunt, neque eorum omnino quicquam prætermitti debet.

A

CAP. III.

Matth. 28. EVntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos
Luc. 1. seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis &
Luc. 10. iustificationibus Domini sine querela. Qui vos audit, me audit:
2. Thess 2. qui vos spernit, me spernit. Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam tanquam per nos.

B

Quòd non debet Christianus dominicæ voluntati suam præponere, veluti meliorem: sed contrà omni in re quærere, & facere ea, quæ Deum velle intelligat.

CAP. IV.

Ioan. 5. QVia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem
Luc. 22. eius, qui misit me patris. Et positis genibus orabat eum
Ephe. 2. dicens. Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. In quibus & nos aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum. Et eramus natura filij iræ sicut & cæteri.

C

REGVLA XIII.

Quòd oporteat Christianum hominẽ perpetuo sobrium esse: & ad ea studia, per quæ Dei gratiam possit promereri, semper paratum, agnoscentem quantum periculum sit in mora.

CAP. I.

Luc. 12. SInt lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant illi. Beati serui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, *& reliqua.* Hoc autem scitote, quòd si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos ergo estote parati, quia qua hora non putatis, filius
1. The. 5. hominis veniet. De temporibus autem & momentis, fratres non indigetis vt scribamus vobis, ipsi diligenter scitis, quòd dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. *Et paulò inferius.*
Ibid. Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus.

D

Quòd nullum non tempus debemus aptum existimare ad studium earum rerum, quas Deo gratas esse intelligamus.

CAP. II.

Ioan. 9. ME oportet operari opera eius, qui misit me, donec
Philip. 2. dies est. Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis, non in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia, cum metu & tremore vestram salutem operemini.

E

REGVLA XIV.

Quòd in omni re, quam vel facimus, vel dicimus, habere rationem conuenit idoneæ opportunitatis temporis, & quod ijs alieni nihil admiscri debeat.

CAP. I.

Matth. 9. TVnc accedunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes, Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Iesus, Nunquid possint filij sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, &c.
Gal. 4. Itaque fratres non sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua liber-
Gal. 5. tate Christus nos liberauit. State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.

F

REGVLA XV.

Quòd neutiquam rectè facit, qui in aliorum rectè factis spem ponens, ipse ob eam causam negligit officium suum.

CAP. I.

FAcite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & non velitis di- Matt. 3.
cere intra vosipsos, Patrem habemus Abraham.

REGVLA XVI.

De ijs, qui prodesse sibi aliquid arbitrantur, si cum bonis & Deo charis hominibus viuant, ipsi autem boni nihil faciant: tametsi in speciem videantur nihilo cæteris dissimiles.

CAP. I.

TVnc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, Matth. 25.
quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. *Et paulo post subiungit de fatuis.* Domine Domine aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis, nescio vos. Dico vobis in illa nocte, erunt duo in Luc. 17.
lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. Erunt duæ molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur. Et respondentes dicunt illi. Vbi Domine? Qui dixit. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

REGVLA XVII.

Quòd oporteat Christianum, cum ex declaratis ipsi à sanctis literis proprietatibus, quale sit instans tempus cognouerit, pro capta de eo coniectura, res suas ad illud accommodare.

CAP. I.

AB arbore autem fici discite parabolam: Cum iam ra- Matth. 24.
mus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quòd propè est æstas. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quòd propè est in ianuis. Cũ videritis nubem orientem ab occasu, Luc. 12.
statim dicitis, Nimbus venit, & ita fit. Et cum Austrum flantem, dicitis, quòd æstus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Hoc itaque dico fratres, tempus breue est: reli- 1. Cor. 7.
quum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: qui gaudent, tanquam nõ gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non abutentes. Præterit enim figura huius mundi.

REGVLA XVIII.

Quòd mandata Dei eo modo fieri debent, quomodo ea vt fierent, Dominus præcepit: quando qui in ijs faciendis offendit in modo, licet mandatum videatur facere, is tamen neutiquam probatus est apud Deum.

CAP. I.

DIcebat autem & ei, qui se inuitauerat: Cum facis pran- Luc. 14.
dium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non possunt retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Quòd mandatum Domini, neque colligendæ causa gratiæ humanæ fieri debet, neque omnino cum praua vlla animi affectione: & quod in omni re illud constantissime vsque tenere propositum debemus, vt rem Deo gratam faciamus, & eum, quantum facere possimus, glorificemus.

CAP. II.

ATtendite, ne eleemosynam vestram faciatis coram Matth. 6.
hominibus, vt videamini ab eis: Alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, *& cætera.* Siue enim manducatis, siue bibitis, siue aliud 1. Cor. 10.
quid facitis, omnia in laudẽ Dei facite. Sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur, 1. Thess. 2.

non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.

Quòd mandata Domini adhibito mentis candore cum apud Deum, tum apud homines fieri debent & quod qui hoc modo non facit, actum est de eius salute.

CAP. III.

Matth. 23. VÆ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem estis pleni rapina & iniquitate. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat & quod deforis *Rom. 12.* est mundum. Qui tribuit, in simplicitate. Omnia autem fa- *Philip. 2.* cite sine murmurationibus & disceptationibus. Finis autē *1. Tim. 1.* præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, naufragium fecerunt circa fidem.

Quòd qui in rebus minoribus rectè se gesserit, is ex iusto iudicio, maioribus mercedis loco, præficitur.

CAP. IV.

Matth. 25. EVge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. *Et paucis post interiectis*: Omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. *Luc. 16.* Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quòd verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?

Quòd mandata Domini inexplebili cum desiderio fieri debent, & quòd vlterius semper est festinandum.

CAP. V.

Matth. 5. Philip. 3. BEati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Fratres, ego me nondum arbitror comprehendisse. Vnum autem. Quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ priora sunt, extendens meipsum, iuxta destinatum persequor ad brauium supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.

Quòd mandata Dei ita fieri debent, vt quantum in faciente sit omnes illuminentur, & gloria afficiatur Deus.

CAP. VI.

Matth. 5. VOs estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, & lucet omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem ve- *Luc. 8.* strum, qui in cœlis est. Nemo autem accendens lucernam, operit eam vase, aut subter lectum ponit, sed super candela- *Philip. 1.* brum, vt intrantes videant lumen. Vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ, qui est per Iesum Christium, in laudem & gloriam Dei.

REGVLA XIX.

Quòd nullo modo impediri debet, qui Dei voluntatem facere velit, siue ea sit ex mandato Dei, siue ex ratione à mandato Dei non aliena, neque faciens, impedire se volenti cuiquam auscultare, licet ille arctissima ipsi necessitate coniunctus sit, sed in suscepta deliberatione permanere.

CAP. I.

Matt. 3. TVnc venit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei, Sine modo. Sic enim de- *Matth. 16.* cet nos implere omnem iustitiam, *& cætera.* Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotū, & occidi, & tertia die resurgere, & apprehendens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens, Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro, Vade post me Satana. Scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Et offerebant illi paruulos, *Mar. 10.* vt tangeret illos, discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Iesus, indigne tulit, & ait illis, Sinite paruulos venire ad me, ne prohibueritis eos. talium est enim regnum cœlorum. Et cum morarentur dies aliquot, *Act. 21.* superuenit quidam vir à Iudæa nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem, & tradent in manus gentium. quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respondit Paulus, & dixit, Quid facitis flentes, & affligentes cor meū? Ego autem non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cum ei persuadere nō possemus, quieuimus, dicētes, Domini volūtas fiat. Qui & Dominum occiderunt Iesum, & proprios prophe- *1. Thess 2.* tas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur prohibentes nos gentibus loqui, vt salui fiant, vt impleant peccata sua semper. Peruenit autem ira Dei super illos vsque in finem.

Quod eum, qui animo non syncero Dei mandatum facit, is si modò in ijs, quæ extrinsecus apparent, exactam teneat disciplinam doctrinæ dominicæ, prohibere non debemus: quum quantum est in re ipsa, nemo lædatur ab eo, potiusque sit, cum aliquis aliquando etiam iuuetur: & quod non prætermittendum tamen, quin eum admoneamus saltem, vt ad rectè facta, quæ apparent, animi quoque candorem velit adhibere.

CAP. II.

Matt. 6. CVm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi in manifesto. Et de oratione, simili modo. Magister vidi- *Mar. 9.* mus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur vos, & prohibuimus eum, quia non sequitur nos. Iesus autem ait, Nolite prohibere eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. Quidam quidem & propter inuidiam, & con- *Phil. 1.* tentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes quod in defensione Euāgelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntiatur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

REGVLA XX.

Quòd Domino credentes baptizari debent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

CAP. I.

EVntes ergo docete omnes gentes', baptizantes eos in *Matth. 28.* nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen amen *Ioan. 3.* dico vobis, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.

Quòd ratio & virtus baptismi est, vt qui baptizantur, & animo, & verbis, & opere immutentur, & pro data sibi virtute illud efficiantur, quod est illud, ex quo nati sunt.

CAP. II.

QVod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex *Ibid.* spiritu, spiritus est. Non mireris quod dixi tibi, Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Ita & vos existimate vos ipsos mor- *Rom. 6.* tuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu. An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus *Ibid.* in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus? vt quo modo Christus surrexit à mortuis in gloriam patris, ita &

ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quòd vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus
Col. 2. peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. In quo & circuncisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & simul resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Quicumque ergo in Christo baptizati estis, Christum
Gal. 3. induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina. Omnes enim
Col. 3. vos vnum estis in Christo Iesu, postquam exuistis veterem hominem cum actibus suis & induistis nouum, qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius, qui creauit illum: vbi non est Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia in omnibus Dominus Christus.

REGVLA XXI.

Quòd necessaria etiam ad vitam æternam sit communicatio corporis & sanguinis Christi.

CAP. I.

Ioan. 6. AMen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, *& reliqua.*

Quòd qui ad communicationem corporis & sanguinis Christi accedit, neque rationem illam considerat, cuius causa illa instituta est, vtilitatis ex ea fructum nullum reportat: & quòd qui indigne communicat, is damnatus est.

CAP. II.

Ibid. AMen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habe-
Ibid. bitis vitam in vobis. *Et paulò inferius.* Sciens autem Iesus apud semetipsum, quòd murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego loquor vobis, spiri-
1. Cor. 11. tus & vita sunt. Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice illo bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Quòd ratio, quamobrem corpus Domini manducari, & sanguis bibi debeat, commemoratio sit obedientiæ Domini vsque ad mortem, vt qui viuunt, non iam sibi viuant, sed ei qui causa nostra ipse mortuus sit & resurrexerit.

CAP. III.

Luc. 22. ET accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicēs, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, Hic est calix nouum testamentum in
1. Cor. 11. sanguine meo, qui pro vobis funditur. Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec
2. Cor. 5. veniat. Charitas enim Christi vrget nos, æstimantes hoc quòd si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, &
Rom. 12. resurrexit, & sint multi vnum corpus in Christo. Panis quem
1. Cor. 10. frangimus nónne communicatio corporis Christi est? quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus. Omnes enim de vno pane participamus.

Quòd qui sancta communicat, is canere Deo laudes debet.

CAP. IV.

COEnantibus autem illis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, *& quæ sequuntur. Quibus adiungit:* Et hymno dicto exierunt in † montem oliuarum. Matth. 26. † εἰς ὄρος ἐλαιῶν.

REGVLA XXII.

Quòd peccati commissio ea est, quæ homines abalienat à Deo, & conciliat diabolo.

CAP. I.

AMen amen dico vobis, quòd omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati: vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Ioan. 8. Rom. 6.

Quòd propinquitas, quæ est cum Domino, ea non cernitur in naturali coniunctione sanguinis, quodq; eam quilibet assequi potest, qui faciat voluntatem Dei.

CAP. II.

QVi ex Deo est, verba Dei audit. Et nunciatum est illi à dicentibus, Mater tua & fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respondens dixit ad eos, Mater mea, & fratres mei sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Vos amici mei estis, si feceritis ea quæ ego præcipio vobis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Ioan. 8. Luc. 8. Ioan. 15. Rom. 8.

REGVLA XXIII.

Quòd qui præter animi sui voluntatem trahitur ad peccatum, is intelligere debet, se ab alio prius à se commisso peccato constrictum teneri: cui inuitus cum seruiat, ab eo ad ea etiam pertrahitur, ad quæ minime vult.

CAP. I.

SCimus enim quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi quòd bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Rom. 7.

REGVLA XXIV.

Quòd mendacia sunt fugienda, & in vnaquaque re veritas dicenda.

CAP. I.

SIt autem sermo vester, Est, est, Non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem, vnusquisque cum proximo suo. Nolite mentiri inuicem. Matt. 5. Eph. 4. Col. 3.

REGVLA XXV.

Quòd reijci debent quæstiones eæ quæ inutiles sunt & contentiosæ.

CAP. I.

HÆc commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis ad nullam vtilitatem, ad subuersionem audientium. *Et paulo inferius:* Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quod generant lites. 2. Tim. 2. Ibid.

Quòd nullo modo ociosa verba debent proferri, ex quibus nulla vtilitas nascatur: cum id ipsum etiam, quodammodo suapte natura concessum sit: non ad ædificationem fidei: facere tamen, id sit contristare Spiritum sanctum.

CAP. II.

Matt. 12. DIco autem vobis, quod de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudi-
Ephe. 4. cij. Omnis sermo malus, ex ore vestro non procedat. Sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo obsignati estis in diem redemptionis.

REGVLA XXVI.

Quòd quidquid vel dicimus, vel facimus, id testimonio diuinarum literarum confirmari debet, ad confirmationem fidei bonorum & confusionem malorum.

CAP. I.

Matt. 4. ET accedens tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit, Scriptum est:
Act. 2. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Et repleti sunt omnes Spititu sancto, & cœperunt loqui alijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. *Et paucis deinde interiectis verbis*, Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes, Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes dicebant, Musto pleni sunt isti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos putatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioël, Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt, *& quæ sequuntur.*

Quòd similibus etiam ex natura rerum & quotidiano vsu petitis vti possumus ad ea comprobanda, quæ à nobis vel dicuntur, vel fiunt.

CAP. II.

Matt. 7. ATtendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:
à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit, &c.
Luc. 5. Et murmurabant Pharisæi & scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et respondens Iesus dixit ad illos, Non
2. Tim. 2. egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt placeat ei, qui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

REGVLA XXVII.

Quòd nullo modo nos ijs similes efficere debemus, qui alieni sunt à Dominica doctrina: contrà, quod Deum & sanctos eius pro data nobis ab illo facultate nos conuenit imitari.

CAP. I.

Matt. 10. SCitis quod ij qui videntur principari gentibus dominantur eis, & principes eorum potestatem habent in illos, non sic autem erit in vobis: sed quicumque voluerit maior fieri inter vos, erit vester minister. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus: sicut & Filius
Rom. 12. hominis non venit vt ministraretur sibi, sed vt ministraret, & daret animam suam in redemptionem pro multis. Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens &
1. Cor. 11. perfecta. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

REGVLA XXVIII.

Quòd nequaquam temere, inconsideranterue finere nos debemus in errorem auferri ab ijs qui veritatem simulant: contrà, quod ex datis nobis ab diuinis literis signis agnosci debeat vnusquisque qualis sit.

CAP. I.

Matt. 7. ATtendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:
à fructibus eorum cognoscetis eos. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem mutuam habueritis inter vos. Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiri-
1. Cor. 12. tu Dei loquens, dicit anathema Iesum. Ioan. 13.

REGVLA XXIX.

Quòd debet vnusquisque professionem suam factis ipsi consentaneis comprobare.

CAP. I.

IPsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, Ioan. 5.
quod pater miserit me. Si non facio opera patris mei, no- Ioan. 10.
lite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quod pater in me est, & ego in patre. Nemini dantes vllam offensio-
2. Cor. 6. nem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibentes vosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, &c.

REGVLA XXX.

Quòd res sacræ haberi in contumelia non debent, neque cum ijs haberi promiscuæ, quæ sunt in communi ac prophano vsu protritæ.

CAP. I.

ET intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes Matth. 21.
ementes & vendentes in templo, & mensas numelariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis: Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur,
1. Cor. 11. vos autem feciſtis eam speluncam latronum. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis? & confunditis eos, qui non habent? Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.

Quòd res Deo dedicata tamdiu in honore habenda sit, quamdiu in ea voluntas Dei conseruatur.

CAP. II.

HIerusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapi- Matt. 13.
das eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta.

REGVLA XXXI.

Quòd res in vsum eorum attributæ, qui Deo se dedicauerunt, nullo modo in alios insumi debent, nisi ex eo forte, quod abundet.

CAP. I.

ERat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere, & ro- ἑλληνὶς gentilis siue Græca.
gabat eum, vt dæmonium eijceret de filia eius. Qui dixit Matt. 7.
illi, Sine prius saturari filios. Non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Et illa respondit, & dicit illi, Vtique Domine, nam & catelli comedunt ab mensa de micis puerorum. Et ait illi, Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium de filia tua.

REGVLA XXXII.

Quòd vnicuique reddi debent quæ sua sunt.

CAP. I.

ET interrogauerunt eum dicentes: Magister, scimus quia Luc. 20.
recte dicis, & doces, & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: licet nobis tributum dare Cæsari, an non? Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos, Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem, & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei, Cæsaris. Et ait illis, reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, Rom. 13.
tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

REGVLA XXXIII.

Quòd neminem debemus scandalizare.

CAP.

CAP. I.

Matt. 18. QVi autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. *Et item:* væ Rom. 14. homini illi, per quem scandalum venit. Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

Quòd id scandalum est, quicquid voluntati Domini aduersatur.

CAP. II.

Matt. 16. EXinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et apprehendens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Satana. Scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.

Quòd licet à scriptura vel res, vel verbum aliquod concedatur, ea tamen missa fieri debent, quandocumque ex simili re alij vel alacriores ad peccatum fiant, vel ad rectè facta lentiores.

CAP. III.

1. Cor. 8. DE esu igitur eorum, quæ idolis immolantur, scimus quod nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus alius nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt multi dij, & Domini multi) nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quē omnia, & nos per ipsum, sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia illorum vsque nunc idolothytum manducant, & conscientia illorum, cum sint infirmi, polluitur. Esca autem non nos commendat Deo. Neque enim si mãducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit te, qui habes scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia eius, qui infirmus est, ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quẽm Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo
1. Cor. 9. carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri apostoli & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c.

Quòd ne aliquem scandalizemus, ea etiam à nobis fieri debent, quæ minime alioqui necessaria sunt.

CAPVT IV.

Matt. 17. ET cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa vel censum? A filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Iesus, Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.

Quòd licet aliqui in voluntatibus Dei scandalizentur, non tamen idcirco nos de solita libertate dicendi quicquam oportet remittere.

CAP. V.

Matt. 15. NOn quod intrat per os, coinquinat animam, sed quod exit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quòd Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadũt. Amen amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Et Paulo post:* Ex eo multi discipulorum suorum abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? Quia Christi bonus 2. Cor. 2. odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam: & ad hæc quis idoneus?

Ioan. 6. Ibid.

REGVLA XXXIV.

Quòd eniti debet vnusquisque, quantum in ipso est, vt talis sit, vnde honestarum ac bonarum rerum cæteri exemplum sumant.

CAP. I.

DIscite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones, quod Achaia parata est ab anno præterito: & vestra æmulatio prouocauit complures. Et vos 1. Thess. 1. imitatores mei facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti, ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia.

Matt. 11. 2. Cor. 9.

REGVLA XXXV.

Quòd qui fructum Spiritus sancti in aliquo animaduertunt, qui eundem vbique tenorem pietatis retineat, & illum non Spiritui sancto, sed aduersario assignant, ij in ipsum Spiritum sanctum blasphemi sunt.

CAP. I.

TVnc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur, & videret. Et stupebant omnes turbę, & dicebant: Nunquid hic est Christus filius Dauid? Pharisæi autem audientes dixerunt, Hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas & domus diuisa contra se, non stabit. Et si Satanas Satanam eijcit, aduersus se diuisus est: quomodo erga stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eijcio dæmones, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei eijcio dęmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quispiam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non cõgregat mecum, spargit. Ideo dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemię non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.

Matt. 12.

REGVLA XXXVI.

Quòd seruantes formam doctrinæ Domini, omni cum studio atque honore excipi debent, idque ad gloriam ipsius Domini, quodq; qui eis non auscultauerit, neque susceperit, is prorsus est desperatæ salutis.

CAP. I.

QVi recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Exeuntes de domo, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Necessarium autem existimaui Epaphrodytum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meæ mittere ad vos. *Et Paulo inferius:* Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum gaudio habetote.

Matt. 10. Ibid. Ioan. 12. Philip. 2.

REGVLA XXXVII.

Quòd animi promptitudo pro viribus in rebus quantumuis minimis accepta est Deo, etiam in mulierculis.

CAP.

CAP. I.

Matt. 10. ET quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, Amen
Luc. 21. dico vobis, non perdet mercedem suam. Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem ærea minuta duo, & dixit: Verè dico vobis, quòd hęc
pauper plus quàm omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi, miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod
Matt. 26. deest illi, omnem victum, quem habuit, misit. Cùm autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrum vnguenti precioſi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? Potuit
B enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim
Act. 16. bonum operata est in me. *De Lydia autem in Actis:* Cum autem baptizata esset & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem in Domino esse, introite in domum meam, & manete: & coëgit nos.

REGVLA XXXVIII.

Quòd debeat Christianus adhibitos à se ad mensam suam fratres, remoto tumultu, modestè ac frugaliter tractare.

CAP. I.

Ioan. 6. DIcit ei vnus de discipulis eius Andreas frater Simonis
C Petri, Est puer hic habēs quinque panes ordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tam multos? Dixit ergo Iesus, Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque milia. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum
Luc. 10. volebant. Et mulier quædam Martha nomine accepit eum in domum suam, & huic soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Iesu, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Respondens dixit illi Iesus, Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem
D elegit, quæ non auferetur ab ea.

REGVLA XXXIX.

Quòd Christianum oporteat esse non facile mutabilem, sed stabilem in fide, & eiusmodi, qui ab ijs, quæ sunt in Domino bonis, nullo modo dimoueatur.

CAP. I.

Matt. 13. QVi autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: non autem habet in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò
1. Cor. 15. scandalizatur. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini, scientes quod labor
E Gal. 1. vester non est inanis in Domino. Miror quod tam cito transferimini ab eo, qui vocauit vos in gratiam, ad aliud Euangelium.

REGVLA XL.

Quòd neutiquam ferri debent, qui aliter docent: licet ea re id facere se simulent, qua eos, qui instabiles sunt, vel decipiant, vel redarguant.

CAP. I.

Matt. 24. VIdete ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos se-
Luc. 20. ducent. Attendite à scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs: qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem, hi accipient
Gal. 1. damnationem maiorem. Sed licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod nunc accepistis, anathema sit.

A

REGVLA XLI.

Quòd omne quidquid scandalizat, amputari debet, licet coniunctissimum quid, ac summe necessarium nobis videatur.

CAP. I.

VÆ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem Matt. 18.
manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. Bonum est tibi ad ciuitatem ingredi debilem vel claudum, potius quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.

Quòd cum infirmioribus temperatè agendum est, & quòd diligenti
B *cura adhibita ali & erigi, & duci ad perfectionem debent: ita tamen temperate, vt propterea Dei mandatum non negligatur.*

CAP. II.

ARundinem quassatam non confringet, & linum fumi- Matt. 12.
gans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium. Et in nomine eius gentes sperabunt. Infirmum autem Rom. 14.
in fide assumite. Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo Gal. 6.
delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instaurate in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

REGVLA XLII.

Quòd non est credendum idcirco Dominum venisse, vt legem
C *tolleret, & prophetas, sed vt adimpleret, & quæ deerant, perfectiora adijceret.*

CAPVT I.

NOlite putare quòd venerim soluere legem, aut pro- Matt. 5.
phetas. Non veni soluere legem, sed adimplere. Rom. 4.
Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem
statuimus.

REGVLA XLIII.

Quòd sicut lex actus prauos vetat, ita euangelium ipsa latentia animi vitia prohibet.

CAP. I.

D AVdistis quod dictum est antiquis: Non occides, qui au- Matt. 5.
tem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico, quod
qui temerè irascitur fratri, reus erit iudicio. Non enim qui Rom. 2.
in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne, circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo.

Quòd sicut Lex in singulis officijs satis habet, si quædam tantummodo
fiant, ita euangelium nihil penitus vult desiderari.

CAP. II.

OMnia quæcunque habes, vende, & da pauperibus, & Luc. 18.
habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me. In Col. 2.
E quo & circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circuncisione Christi.

Quòd nullo modo cœlesti regno digni esse possunt ij, qui euangelicæ
iustitiæ documenta non dederint maiora, quàm ea sint, quæ à lege tradita sint.

CAP. III.

NIsi vestra iustitia abundauerit plus, quàm Scribarum Matt. 5.
& Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.
Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis circunci- Philip. 3.
F sus octauo die, ex genere Israël de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus: secundum æmulationem, persequens ecclesiam Dei: secundum iustitiam, quę in lege est, conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror stercora esse, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam,

iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est, iustitiam.

REGVLA XLIV.

Quòd iugum Christi suaue est, & onus eius leue, & eiusmodi, quod illos reficiat, qui illud subeunt: quodq; omnia, quæ aliena sunt à doctrina euangelica, onerosa sunt & grauia.

CAP. I.

Matt. 11. VEnite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

REGVLA XLV.

Quòd nullo modo digni haberi possunt regno cœlorum, qui puerorum æqualitatem inter se ipsi imitati non fuerint.

CAP. I.

Matt. 18. AMen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

Quòd qui maiorem gloriam assequi cupit in regno cœlorum, hic humilitatem, & infimam omnium conditionem debet sectari in hac vita.

CAP. II.

Ibid. QVicunque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic
Matth. 20. est maior in regno cœlorum. Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit minister vester. Et qui voluerit inter
Philip. 2. vos primus esse, erit omnium seruus. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed humilitate alij alios superiores sibi inuicem arbitrantes.

REGVLA XLVI.

Quòd ex similitudine rationis eius quæ in rebus leuioris momenti seruatur, studium à nobis in rebus maioribus requiritur à Deo.

CAP. I.

Luc. 13. VNusquisque sabbato non soluit bouẽ suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non
Luc. 18. oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Dicebat autem parabolam ad illos in hoc, quod oportet semper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in ciuitate, qui Deum nõ timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Ait autem Dominus, Audite quid iudex iniquus dicat. Deus autem non facit vindictam electorum suorum clamantium ad
2. Tim. 2. se die ac nocte. Nemo militans, implicat se negocijs secularibus vt ei placeat, qui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit.

Quòd ex comparatione eorum qui in rebus minoribus ex fide metum, & ex laudabili cupiditate studium præ se tulerint, ij seueriore iudicio plectentur, qui in rebus grauioribus contemptum adhibuerint.

CAP. II.

Luc. 11. REgina Austri surget in iudicio, cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquàm Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquàm Ionas hic.

Quòd qui in rebus minoribus diligens est, is nequaquam propterea maiores debet contemnere: sed cum in eo præcipuè elaboret, vt præceptis maioribus satisfaciat, ea etiam obire simul debet, quæ videantur leuiora.

CAP. III.

Matt. 23. VÆ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

REGVLA XLVII.

Quòd non debemus nobis thesaurizare in terra, sed in cœlo: & quis sit modus thesaurizandi in cœlo.

CAP. I.

Matt. 6. NOlite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi tinea, & ærugo demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. *Luc.* 12. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. Omnia quæcunque habes, vende, & *Luc.* 18. da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Facile tribue- *1. Tim.* 6. re, communicare, thesaurizare sibi thesaurum bonum in futurum, vt apprehendant bonam vitam.

REGVLA XLVIII.

Quòd misericordem & facilem ad communicandum esse Christianum oportet, quando accusantur, qui tales non sunt.

CAP. I.

Matt 5. BEati misericordes, quoniam ipsi misericordiam conse-
Luc. 6. quentur. Omni autem petenti te tribue. Sine affectio-
Rom. 1. ne, absque fœdere, sine misericordia: qui cum cognouissent iustitiam Dei, quòd qui talia agunt, digni sunt morte, &c.

Quòd quicquid habet quis vltra naturalem suam ad victum necessitatem, id necessario in beneficium alterius debet conferre, ex mandato Domini, vnde ea etiam accepimus, quæ habemus.

CAP. II.

Luc. 3. QVi habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet
1. Cor. 4. escas, similiter faciat. Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illo-
2. Cor. 8. rum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas sicut scriptum est: Qui multum, non abundauit, & qui modicum, non minorauit.

Quòd secundum ea, quæ à Domino dicta accepimus, neutiquam diuitiæ nobis amplectendæ sunt, sed paupertas.

CAP. III.

Luc. 6. BEati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Væ
2. Cor. 8. vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Et altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tenta-
1. Tim. 6. tionem, & in laqueum, & in desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est auaritia, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Quòd nequaquam in eo solliciti esse debemus, vt rebus ad vitæ vsum necessarijs abundemus, neque in eo nobis occupandum est studium nostrum, vt aut saturitatem sectemur, aut apparatus magnificos: & quòd à quacunque immodica habendi cupiditate casti ac puri esse debemus, similiterq; exquisitum omnem ornatum defugere.

CAP. IV.

Luc. 12. VIdete & cauete ab omni auaritia, quia non in abundan-
1. Tim. 2. tia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. Ornare se non in intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa. Habentes autem alimenta, & quibus tega-
Ibid. 6. mur, his contenti simus.

Quòd nullo modo de ijs rebus solliciti esse debemus, quæ necessariæ nobis ad victum sunt: neque in ijs, quæ ad hanc vitam degendam parta habemus, spes nostra ponenda: sed debere vnumquemque curam sui remittere prouidentiæ diuinæ.

CAP.

CAP. V.

Matt. 6. NOn potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima pluris est quam esca? & corpus pluris quàm vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Nónne vos pluris estis illis? Quis autem vestrum sollicitè cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum est ex istis. Si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus: aut quid bibemus? aut quomodo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester cœlestis, quòd his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibijpsi. Sufficit diei malicia sua, &c.

Quòd in procuratione rerum ad vsum fratrum necessariarum curam ac sollicitudinem suscipere nos oportet, in eoq; voluntati Dominicæ satisfacere.

CAP. VI.

Matt. 25. VEnite benedicti patris mei, percipite paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & operuistis me, infirmus, & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me. *Quibus illa mox adiunguntur:* Amen dico vobis, quatenus fecistis vni de
Ioan. 6. his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quod multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes, vt man-
1. Cor. 16. ducent hi? &c. De collecta autem in sanctos, sicut ordinauit ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite, per vnam sabbatorum vnusquisque vestrum seponat, recondens quod ei beneplacuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant.

Quòd debet vnusquisque qui posit, laborare, & ex quæstu, quem ex opere faciat, aliorum inopiæ subuenire, quando qui laborare non vult, is nec dignus quidem videtur, qui manducet.

CAP. VII.

Matth. 20. Act. 20. DIgnus est enim operarius cibo suo. Omnia ostendi vobis, quòd sic laborantes oportet suscipere infirmos, & meminisse verborum Domini, quod ipse dixit: Beatum est
Ephes. 4. magis dare quàm accipere. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem iam laboret operando manibus suis quod bo-
2. Thess. 3. num est: vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quod si quis non vult operari, non manducet.

REGVLA XLIX.

Quòd nec de necessarijs quidem ad corpus vestimentis, in iudicio cum aliquo experiri Christianus debet.

CAP. I.

Luc. 6. ET qui te percutit in maxillam vnam, præbe illi & alteram: & ei qui aufert tibi vestimentum, & tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ
1. Cor. 6. tua sunt, ne repetas. Audet aliquis vestrûm, habens negocium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? *Et post statim:* Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.

Quòd nullo modo debet Christianus cum aliquo pugnare aut seipsum defendere: sed aduersum omnes, si fieri posit, ex mandato Domini pacem seruare.

CAP. II.

AVdistis quòd dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere Matt. 5.
malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, *& quæ sequuntur.* Charitatem habete in vo- Marc. 9.
bis, sed & pacem habete inter vos. Nulli malum pro malo Rom. 12.
redden tes, prouidentes bona coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod in vobis est, cùm omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes charissimi. Sed date locum iræ. Seruum autem Domini non oportet li- 2. Tim. 2.
tigare, sed mansuetum esse erga omnes.

Quòd neque etiam cum iniuria alter afficiatur, violentum illum vlcisci debemus.

CAP. III.

TVnc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & te- Matt. 26.
nuerunt eum. Et ecce vnus ex ijs, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus, Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio
peribunt. Et misit nuncios ante conspectum suum, & eun- Luc. 9.
tes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi, & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes dixerunt: Domine, vis dicamus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Et abierunt in aliud castellum.

REGVLA L.

Quòd alios quoque ad pacem, quæ est in Christo, debemus inducere.

CAP. I.

BEati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacem re- Matt. 5.
linquo vobis, pacem meam do vobis. Ioan. 14.

REGVLA LI.

Quòd quicunque vult alterum criminari, eum castum se ab omni vitio prius oportet præstitisse.

CAP. I.

QVid autem vides festucam in oculo fratris tui, & tra- Matt. 7.
bem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dices fratri tuo, Sine eijciam festucam de oculo tuo? & ecce trabs est in oculo tuo. Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.
Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. Rom. 2.
In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis tu, qui iudicas. Scimus autem, quod iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Existimas autem hoc ô homo qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quod effugies iudicium Dei?

REGVLA LII.

Quòd nequaquam, perinde ac si nihil referret æquo animo ferre debemus, quandocunque aliquos videamus, qui peccent: sed contrà potius, eorum vicem dolere ac lugere nos oportet.

CAP. I.

ET vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super Luc. 19.
eam, dicens: Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt
ab oculis tuis. Omnino auditur inter vos fornicatio, & ta- 1. Cor. 5.
lis fornicatio, qualis nec inter gentes nominatur, vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc
opus fecit? Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud 1. Cor. 12.
vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, &c.

Quòd nullo modo aliorum peccata silentio debemus præterire.

CAP.

CAP. II.

Matth. 18. Ephes. 5. SI autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c. Et nolite commuuicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & arguite.

Quòd ob eam causam tantùmodo venire cum peccatoribus in congressum debemus, vt eos à praua viuendi via ad meliorem frugem reuocemus, idque eo modo, quem nobis Dominus præcepit.

CAP. III.

Matth. 2. ET factum est cum accumberet in domo illius multi etiam publicani, & peccatores discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Et Scribæ & Pharisæi videntes, quod manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Hoc audito Iesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent. Non enim Luc. 15. veni vocare iustos, sed peccatores. Erant autem propinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? &c. Quòd si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem? Si quis autem contristauit, non me contristauit, sed ex parte, vt non onerem omnes vos. Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.

2. Thess. 3.

2. Cor. 2.

Quod illorum debemus hominum congressum defugere, qui post omnem adhibitam à nobis in ipsis curandis diligentiam, nihilominus tamen obstinati in peccato suo perseuerant.

CAP. IIII.

Matth. 18. SI autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

REGVLA LIII.

Quòd nullo modo debet vir Christianus præteritarum iniuriarum memoriam retinere, sed ex animo ijs, qui deliquerint, delicta omnia condonare.

CAP. I.

Matth. 6. SI enim dimiseritis omnibus delicta eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis omnibus delicta sua, nec pater vester dimittet vobis delicta vestra.

REGVLA LIV.

Quòd in ijs, quæ concessa nobis sunt à scriptura, neutiquam inter nos alter de altero secus debemus iudicare.

CAP. I.

Matth. 7. Luc. 6. NOlite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nolite iudicare, & nõ iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Alius enim credit mãducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducat. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim est, qui illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem. Potens enim est Deus statuere illum. Nam alius iudicat diem iuxta diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, in Domino sapit. Et qui non sapit diem, Domino non sapit. Et qui

Rom. 14.

A manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo. *Quibus verbis ea confestim adiungit.* Itaque vnusquisque pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus. *Manifestum est autem quòd in his quæ sunt huiusmodi, hæc dicuntur ab Apostolo, ita vt ex his etiam ea aperta fiant, quæ sunt in Euangelio.* Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.

Ibid.

Coloss. 2.

Quòd nullo modo ea reuocari in dubium debent, quæ concessa sunt à scriptura.

CAP. II.

B BEatus vir qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris: quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta & doctrinas hominum.

Rom. 14.

Coloss. 2.

Quod de rebus incertis non est iudicandum.

CAP. III.

ITaque nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.

1. Cor. 4.

C

Quòd in personarum acceptione iudicium fieri non debet.

CAP. IV.

SI circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

Ioan. 7.

Quòd nullo modo debet aliquis condemnari, nisi prius ipso præsente diligenter causa cognita sit, esto multi sint qui illum accusent.

D

CAP. V.

DIcit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Et cum dies plures ibi morarentur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus, de quo cum essem Hierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem: ad quos respondi, quod non est Romanis consuetudo ob gratiam donare aliquem hominem, vt pereat, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad diluenda crimina, quæ ei obijciuntur.

Ibid.

Actor. 25.

E

REGVLA LV.

Quòd pro certo tenendum est, & confitendum etiam, delationem cuiuscunque boni, atque adeò ipsam etiam eorum, quæ Christi causa patimur incommodorum tolerantiam à Deo nobis proficisci.

CAP. I.

NOn potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Quid autem habes quod non accepisti? Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Et hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, &c.

Ioan. 13. 1. Cor. 4. Ephe. 2. Philip. 1.

F

Quòd Dei beneficia silentio inuolui non debent, sed contrà ipsi pro illis gratiæ agendæ.

CAP. II.

ET rogauit illum vir, à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem illum Iesus, dicens: Redi in

Luc. 8.

Luc. 17. domum tuam,& narra quanta tibi fecit Deus.Et cum ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi,qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor miserere nostri.Quos vt vidit,dixit:Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis,vt vidit,quòd sanatus est,regressus
ἰάθη. est cum magna voce glorificans Deum . Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit , Nonne decem mundati sunt?& nouem vbi sunt?Non est inuentus qui rediret,& daret gloriam Deo,nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge,vade,
1. Cor. 15. quia fides tua te saluum fecit . Gratia autem Dei sum , id
1. Tim. 4. quod sum.Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur.

REGVLA LVI.

Quòd orationibus & vigilijs assiduè incumbendum sit.

CAP. I.

Matth. 7. PEtite,& accipietis:quærite,& inuenietis:pulsate,& aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit,& qui quæ-
Luc. 18. rit inuenit,& pulsanti aperietur, *& cætera.*Dicebat autem & parabolam ad illos, in hoc quod oportet semper orare , &
Luc. 21. non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate,&c. Attendite autem vobis, ne quando grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore , vt digni habeamini fugere ista omnia , quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.
Colos. 4. Orationi instate,vigilantes in ea in gratiarum actione. Sem-
1. Thess. 5. per gaudete,sine intermissione orate.

Quòd de ijs etiam,quæ quotidiana necessitas corporis requirit, gratias prius Deo agere debemus , atque ita demum ea communicare.

CAP. II.

Matth. 14. ET acceptis quinque panibus,& duobus piscibus,aspiciens in cœlum, benedixit , & fregit, & dedit discipulis suis. Discipuli autem turbæ. Et cum hæc dixisset, accipiens panem , gratias egit Deo coram omnibus. Et cum
1. Tim. 4. fregisset,cœpit manducare . Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum , quod cum gratiarum actione percipitur.

Quòd nullo modo inani & prolixa oratione vti debemus in petendis à Deo rebus,quæ sunt corruptioni subiecta.

CAP. III.

Matt. 6. ORantes autem,nolite multum loqui,sicut ethnici.Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis . Scit enim pater vester quid opus sit
Luc. 12. vobis,antequam petatis eum . Et vos nolite quærere quid manducetis,aut quid bibatis.Et nolite in sublime tolli. Hæc
μὴ μετεωρίζεσθε ne soliciti sitis. autem omnia gentes mundi quærunt . Pater autem vester scit quòd ijs indigetis, &c.

Quomodo orare conueniat,& cuiusmodi animi affectione.

CAP. IIII.

Matth. 6. PAter noster qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum.
Ibid. Adueniat regnum tuum.Fiat voluntas tua,&c. Quærite
Marc. 11. primum regnum Dei, & iustitiam eius. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt &
1. Tim. 2. pater vester dimittat vobis peccata vestra. Volo ergo viros orare in omni loco , leuantes puras manus, sine ira & disceptatione.

Quòd Deum alij pro alijs orare vicissim debemus , & pro ijs etiam, qui docendæ veritati præsunt.

CAP. V.

Luc. 22. AIt autem Dominus Simoni, Simon ecce Satanas expetiuit vos,vt excribraret vos sicut triticum, ego au-
Ephe. 6. tem oraui pro te, vt non deficiat fides tua . Orantes omni tempore in spiritu , & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis , & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei,cum fiducia, notum facere mysterium euangelij, pro quo legatione fungor in cate-
2. Thess. 3. na,ita vt in ipso audeam,prout me oportet,loqui.De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat,& clarificetur in omnibus sicut & apud vos.

Quòd pro inimicis etiam orandum est.

CAP. VI.

ORate pro calumniantibus & persequentibus vos, vt
Matth. 5. sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.

Quòd non debet vir velato capite orare,prophetaréve, neque mulier aperto.

CAP. VII.

VOlo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus
1. Cor. 11. est,caput autem mulieris vir,caput vero Christi,Deus. Omnis vir orans vel prophetans velato capite , deturpat caput suum. Vnum est enim ac si decaluetur,&c.

REGVLA LVII.

Quòd nullo modo magnificè sentire de nobis debemus , eaque re cæteros despicere,si quæ sint,quæ rectè facta à nobis sint.

CAP. I.

DIcebat autem & ad quosdam , qui in se confidebant
Luc. 18. tanquam iusti & aspernabantur cæteros , parabolam istam dicens:Duo homines ascendebant in templum vt orarent,vnus Pharisæus & alter publicanus . Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi,quia nō sum sicut cæteri hominum, raptores,iniusti,adulteri , velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato. Decimas do omnium quæ possideo.Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo , quia omnis qui se exaltat humiliabitur:& qui se humiliat,exaltabitur.

REGVLA LVIII.

Quòd nullo modo debemus existimare dona Dei vel pecunia,vel alia quapiam artificij alicuius solertia comparari.

CAP. I.

CVm vidisset autem Simon , quia per impositionem
Actor. 8. manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,dicens:Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus,accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum , Pecunia tua tecum sit in perditionem , quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, non est tibi pars , neque sors in sermone isto . Cor enim tuum non est rectum coram Deo . Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum , si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.In felle enim amaritudinis,& obligatione peccati video te esse.

Quòd pro rata portione fidei , quam quisque habet,vnicuique dona dantur à Deo , ad vtilitatem.

CAP. II.

HAbentes autem donationes secundum gratiam Dei,
Rom. 12. quæ data est nobis , differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei , siue ministerium in ministrando,
& cætera. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad
1. Cor. 12. vtilitatem . Alij quidem per fidem datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides, in eodem spiritu : alij gratia sanitatum , in vno spiritu : alij operatio virtutum : alij prophetia : alij discretio spirituum : alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.

Quòd dona Dei vt gratis accipienda sunt,ita etiam gratis impartienda, neque aut in quæstum,aut in voluptates proprias conferenda.

CAP. III.

INfirmos curate , mortuos suscitate , leprosos mundate,
Matth. 10. dæmones eijcite : gratis accepistis , gratis date . Nolite possidere

alias es χαλκὸν. possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via : neque duas tunicas, neque *Actor. 3.* calceamenta, neque virgam, &c. Petrus autem dixit, Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula . Et ap- *1. Thess. 2.* prehensa manu eius dextera, eleuauit eum, &c. Neque enim fuimus in sermone adulationis (sicut scitis) neque in auaritia (Deus testis est) neque quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab alijs. Cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli : sed facti sumus indulgentes in medio vestri. Tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.

Quòd qui grato animo in donis, quæ à Deo primum acceperit, studiosius seipsum exercuerit , ad laudem Dei, is idoneus efficitur, cui alia dentur præterea, & quod qui talis non fuerit, ei etiam, quod ante habebat, adimitur, & ijs, quæ alioqui ei parata fuerant futura, indignus iudicatur, & insuper supplicio malè multatur.

CAP. IIII.

Matth. 13. ET accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis ? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit. Qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: & impletur in eis prophe- *Matth. 25.* tia Esaiæ, *&c.* Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem: & profectus est statim. Abijt autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque . Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. *Et paulò post.* Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium.

REGVLA LIX.

Quòd res aliena est ab homine Christiano, cupiditate humanæ gloriæ permoueri, patique vt sibi præter modum honos habeatur, quodq; contra debet eos qui se huiusmodi honoribus afficiant, vel nimis de ipso elate sentiant, corrigere.

CAP. I.

Matth. 19. ET ecce vnus accedens ait illi: Magister bone, quid faciam vt habeam vitam æternam ? Qui dixit ei, Quid *Ioan. 5.* me interrogas de bono? Vnus est enim bonus Deus. Gloriam ab hominibus non accipio. *Et post non multis ita interpositis verbis:* Quomodo vos potestis credere , qui gloriam accipitis ab inuicem ? & gloriam , quæ à solo Deo est, non *Luc. 11.* quæritis ? Væ vobis Pharisæi , quia diligitis primas cathe- *2. Thess. 2.* dras in Synagogis, & salutationes in foro. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ (Deus testis est) neq; quærētes ab homi- *Actor. 10.* nibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs. Et factum est, cum introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius: & procidens ad pedes eius, adorauit eum. Petrus autem eleuauit *Act. 12.* eum dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Vox Dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset gloriam Deo, & consumptus à vermibus expirauit.

REGVLA LX.

Quòd cum diuersa sint dona spiritus, neque vnus ad omnia possit idoneus esse, neque idem donum possit esse in omnibus, debet vnusquisque per modestiam eo contentus esse , quod sibi datum sit & pro eo gratias agere, quodq; eo modo seruari à nobis inter nos concordia debet, quo Christi charitas iubet, non secus ac membra in corpore solent: vt qui in donis inferior est, is ex eius comparatione, quem sibi iudicat præstare, minimè animum despondeat: neque item contra, qui superior sit, inferiorem aspernetur: quando qui discordes inter se sunt, ij digni sunt, qui de medio tollantur.

CAP. I.

OMne regnum diuisum contra se desolabitur: & omnis *Matth. 12.* ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Quòd *Gal. 5.* si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem cōsumamini. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, *Ioan. 17.* qui credituri sunt per verbum eorum in me , vt omnes vnum sint. Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint . Multitudinis autem credentium erat cor *Act. 4.* vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Dico autem vobis per gratiam, quæ data est mihi, omnibus *Rom. 12.* qui sunt inter vos, non plus sapere , quàm oportet sapere, sed sapere, ad sobrietatem . Et vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei . Sicut enim in vno corpore multa membra habemus , omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Obsecro autem vos fratres per *1. Cor. 1.* nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti eadem mente, & eadem sententia. Sicut enim corpus vnum *1. Cor. 12.* est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & in Christo. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, &c. Vt *Philip. 2.* idem sapiatis , eandem charitatem habentes , vnanimes, idem sentientes, nihil per contentionem , neque per inanem gloriam , sed humilitate alij alios superiores sibi inuicem arbitrantes : non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & ea quæ aliorum.

REGVLA LXI.

Quòd aspernandi non sunt, qui adiuuant gratiam Domini, propterea quòd nullius precij esse ipsi videantur, abiectiq;, cùm huiusmodi hominum genere Deus vt plurimum solitus sit delectari.

CAP. I.

COnfiteor tibi Pater Domine cœli & terræ , quia abs- *Matth. 11.* condisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et veniens in patriam suam, docebat eos in Synagoga eo- *Matth. 13.* rum, ita vt mirarentur & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes ? Nonne hic est fabri filius ? Nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis . Non est propheta sine honore , nisi in patria sua & in domo sua . Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. Videtis enim vocationem vestram *1. Cor. 1.* fratres , quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ stulta sunt mūdi, elegit Deus vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus , & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret , vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.

REGVLA LXII.

Quòd qui iam crediderunt, & baptizati sunt, ij confestim ad id præparare se debent, vt cum ab alijs, tum ab ipsis etiam suis domesticis tententur, idque quo ad vixerint : quando qui non eo modo se præparauit, is si repentino quid ipsi calamitatis oblatum sit , facilè pulsus loco prosternitur.

CAP. I.

BAptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: & *Matt. 3.* ecce aperti sunt ei cœli . Et vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est filius meus dilectus , in quo mihi bene complacui . Tunc Iesus ductus est in desertum, *Matth. 4.*

Matth. 10. vt tentaretur à diabolo. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab illis hominibus: tradent enim vos in concilijs: & in synagogis suis flagellabunt vos. Et ad præsides, & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. *Quibus illa confestim adiungit:* Ibid. Tradet autem frater fratrem in mortem, & patrem filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, Ioan. 16. non est me dignus. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, in qua, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: & hæc facient vobis, quia Luc. 8. non nouerunt patrē, neque me, &c. Nam qui supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radicem non habent, qui ad tempus credunt, & in 2. Cor. 1. tempore tentationis recedunt. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt desperaremus etiam viuere. Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in 2. Tim. 3. nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Et omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur.

Quòd nequaquam se vltro quis offerre tentationibus debet, antequam id ei suo tempore concedatur, & quod orare vnusquisque debet, vt ne incidat in tentationem.

CAP. II.

Matth. 6. SIc ergo vos orabitis. Pater noster qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum, *quibus ea mox adiungit*: Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera Ioan. 7. nos à malo. Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo, neque enim fratres eius credebāt in eum. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit. Tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego nondum ascendo ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est. Hæc autem cum dixisset illis, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non Luc. 22. manifestè, sed quasi in occulto. Surgite, orate, ne intretis in tentationem.

Quòd debet vnusquisque data idonea occasione, subtrahere se ab insidiantibus sibi aduersarijs: & quod, si diuinitus permissum sit, vt in tentationes incidat, precibus à Deo poscere debet facultatem, per quam illas possit sustinere, & voluntati eius integrè satisfacere.

CAP. III.

Matth. 10. CVm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in
Matth. 12. aliam. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Iesus autem Ioan. 11. sciens, secessit inde. Ab illo ergo die consultabant inter se, vt interficerent eum. Iesus autem iam non in palam Luc. 22. ambulabat inter Iudæos. Et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me, verumtamen non 1. Cor. 10. mea voluntas, sed tua fiat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.

Quòd debet Christianus in singulis quæ sibi offerantur tentationibus, meminisse eorum, quæ in sanctis literis scripta sint, appositè ad illa, quæ tum in manibus habeantur, atque ita se illæsum seruare, & aduersariorum in se conatus irritos facere.

CAP. IV.

TVnc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, &c. Matt. 4.

REGVLA LXIII.

Quòd nullo modo metuere Christianus debet, aut solicitus esse, quandocunque in aliquo periculo constitutus sit, aut opem diuinam desperare, sed confidere potius, tanquam præsente Domino, & rebus ipsius omnibus consulente, & ipsum ad omnia confirmante, ipsoq; à Deo spiritu sancto omnia docente, vel idipsum etiam quod aduersarijs respondeat.

CAP. I.

NOlite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passerculi asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine parte vestro? Vestri autem etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passerculis meliores estis vos. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, & nolite soliciti esse quomodo, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. Et facta est procella magna vēti, & fluctus mittebant in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens. Et excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quod perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. Et ait illis, Quid timidi estis sic? Quomodo non habetis fidem? Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Qui cum audiuissent: intrauerunt diluculo in templum, & docebant. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia. *Quibus verbis illa paulò post adiungit*. Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quod & adhuc eripiet. Matth. 10. Luc. 12. Marc. 4. Act. 5. 2. Cor. 1.

REGVLA LXIV.

Quòd debet Christianus quoduis incommodum pro Domini nomine, & pro mandatis eius sustinere.

CAP. I.

BEati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cœlis? Et conuocantes Apostolos, cæsis denunciauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, qui digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes, & euangelizantes Iesum Christum. Cuius factus sum ego Paulus minister: nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Matth. 5. Luc. 6. Act. 5. Coloss. 1.

REGVLA LXV.

Quòd vel in ipso etiam mortis articulo ea precari debemus à Deo, quæ recta ratio nobis, vt precemur, præscribit.

CAP.

CAP. I.

Matth. 27. ET circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamazabactani? hoc est, Deus meus, Deus
Luc. 23. meus, vt quid dereliquisti me? Et clamans voce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,
Act. 7. & hæc dicens expirauit. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit.

REGVLA LXVI.

Quòd nequaquam deseri debent, qui certant pro pietate.

CAP. I.

Ioan. 16. REspondit ei Iesus, Modo creditis, Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia pater
2. Tim. 1. mecum est. Scis hoc, quod auersati me omnes sunt qui in Asia sunt, ex quibus est Phygellus, & Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cùm Romam venisset, solicite me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. Et quæcun-
2. Tim. 4. que Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti. In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, Non illis imputetur.

Quòd pro ijs, qui in tentationibus sunt constituti, Deus orari debet.

CAP. II.

Luc. 22. SImon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret,
Act. 12. sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

REGVLA LXVII.

Quòd alienum est ab ijs, quorum animus de mortuorum resurrectione expletus sit, eorum causa mœrore affici, qui obdormierunt.

CAP. I.

Luc. 23. SEquebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere
1. Thess. 4. super me. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habẽt. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.

REGVLA LXVIII.

Quòd neutiquam expectandæ sunt nobis post resurrectionem proprietates vitæ huius, sed illud intelligendum, vitam, quam in futuro seculo acturi sumus, angelicam futuram, & affluentia omnium rerum instructam.

CAP. I.

Luc. 20. ET ait illis Iesus, filij huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò qui digni habebuntur seculo illo, &
1. Cor. 15. resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque traduntur ad nuptias: neque enim vltrà mori possunt: æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Sed dicet aliquis quomodo resurgent mortui? quali autem corpore venient? insipiens tu, quod seminas, non viuificatur, nisi moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. *Quibus confestim adiungit:* Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria. Seminatur in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.

Quòd non debent Christiani aduentum Domini, aut localem intelligere, aut carnalem: sed in gloria patris repentino in vniuerso orbe expectare.

CAP. II.

ET tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ec- Marc. 13.
ce illic: ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi, &
pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte: Ecce prædixi vobis omnia. Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem, & stellæ cœli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cœlis sunt, mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem
in nubibus cum virtute multa, & gloria. Hoc enim vobis di- 1. Thess. 4.
cimus in verbo Domini, quòd nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui
dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primum, &c.

REGVLA LXIX.

Quæcunque in sacris literis coniunctim vetita sunt, & quæ si fiant, supplicij denunciationem habent adiunctam.

CAP. I.

DE corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, Matth. 5.
adulteria fornicationes, furta, falsa testimonia, blas-
phemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem. Discedite à Matth. 25.
me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi bibere. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus & non operuistis me. Infirmus, & in
carcere, & non visitastis me. Væ vobis diuitibus, qui habetis Luc. 6.
consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ vobis, cum benedixerint vobis omnes homines. At- Luc. 21.
tendite autem vobis nequando grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ & superueniat in
vos repentina dies illa. Et sicut non probauerunt Deum ha- Rom. 1.
bere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate,
malicia, fornicatione, auaritia, nequitia, & cæteris. Nam: Rom. 13.
non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis 1. Cor. 6.
seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Ne fortè sint inter vos contentiones, æmulationes, animo- 2. Cor. 12.
sitates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt Gal. 5.
fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prædico vobis, sicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes.
Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor & blas- Ephe. 4.
phemia tollatur à vobis cum omni malicia. Fornicatio au- Ephes. 5.
tem & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas,
quæ ad rem non pertinent. Mortificate ergo membra ve- Colos. 3.
stra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, maliciam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem. Iniustis & non 1. Tim. 1.
subditis, impijs, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, parricidis & matricidis: fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus & periuris, & si quid aliud sanę doctrinæ aduersatur, secundum Euangeliũ gloriæ beati Dei,
quod creditum est mihi. In nouissimis temporibus disce- 1. Tim. 4.
dent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam suam, prohibentium

nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, sanæ doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem, abstine à talibus. In nouissimus diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes, auari, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, sceleſti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum magis amatores quam Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. Eramus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, odiosi, odientes inuicem.

1. Tim. 6.
1. Tim. 3.
Tit. 3.

Quæcunque in sanctis literis coniunctim iubentur, quæque si facta sint, benedictionis promissionem habent adiunctam.

CAP. II.

Matth. 5. BEati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrã. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mũdi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & cooperuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Siue qui ministrat, in ministrando: siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione: odientes malum: adhærentes bono; Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationibus instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere, gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, idipsum inuicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse sapientes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos vindicantes chariſſimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, congeres carbones ignis super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Nemini dantes vllam offensionem vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamns nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignominiam, per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem * gaudentes: sicut egẽtes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Quod superest fratres, valete, perfecti estote, consolamini, idipsum sapite, pacem habete. Fructus autẽ spiritus est gaudium, pax, patientia, lõganimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine: cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solicitꝝ seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Estote ergo inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Estote ergo imitatores Dei, sicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera & miserationes, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes: nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, sed humilitate alij alios superiores sibi inuicem arbitrantes: non quæ sua sunt singuli cõsiderantes sed & quæ aliorum. Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate. Quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc facite. Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Induite ergo vos, sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera miserationum, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam ad omnes homines. Charitas fraternitatis maneat, hospitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim nescientes quidam Angelos hospitio receperunt. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: & laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes, honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, subleuate infirmos, patientes estote erga omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est, sectamini in vos inuicem, & in omnes. Semper gaudete: sine intermissione orate: in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnib. vobis. Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere: ab omni specie mala abstinete. Senes vt sobrij sint, pudici, modesti, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, honesta docentes: vt modestiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, vt sobriæ sint, castæ, domus custodes, benignæ, subditæ viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint. Admone illos principatibus & potestatibus subditos esse, magistratibus obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, ostendentes omnem mansuetudinem erga omnes homines.

Rom. 12.
2. Cor. 6.
* χαίρετε.
2. Cor. 13.
Gal. 5.
Ephe. 4.
Ibid.
Epes. 5.
Philip. 2.
Philip. 4.
Coloss. 3.
Heb. 13.
1. The 5.
Tit. 2.
Tit. 3.

REGVLA LXX.

Quòd debent, quibus commissum munus est prædicandi Euangelij, quandocunque aliquos siue diaconos designare, siue presbyteros volunt, id præmissa oratione & obsecratione facere: eosq; tales eligere, quorum superior vita omni crimine vacet, & probata sit.

CAP. I.

TVnc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Petrum & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphei, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudã Iscarioth, qui & fuit proditor. Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem

Matth. 9.
Luc. 6.
Luc. 10.

ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus, & dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo
Act. 1. Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui
Ibid. cognominatus est Iustus, & Matthiam & orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eorum & cecidit sors super
1. Tim. 3. Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. Si B quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, vigilantem, sobrium, modestum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, non turpi lucro deditum. Sed mitem, non litigiosum, non auarum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni reuerentia. Siquis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesię Dei diligentiam habebit? non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt: vt non in opprobrium incidat & laqueum diaboli. Diaconos similiter compositos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura, & hi quidem
Tit. 1. probentur primum, & deinde ministrẽt. Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, & iustum, sanctum, continentem, complectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Quòd nullo modo, qui Ecclesiæ præest, facilis esse ad designationes debet, neque ad eas inconsideranter accedere: cum non vacet periculo, quicquid probatum non sit, quodq; si quem in crimine aliquo esse deprehenderit, eum corripere debet, ne ipse quoque veniat in societatem peccati, & ne ob eam causam cæteri offensionem incurrant, sed potius discant metuere.

CAP. II.

1. Tim. 5. MAnus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Aduersus presbyterum accu-
Ibid. sationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus, E peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

Quòd qui idcirco designatus est, vt Euangelium prædicet, is nullo modo ex sua animi libidine aggredi ad huiusmodi munus debet, sed maturam temporis opportunitatem operiri, cum id videlicet visum Deo opportunum fuerit, ac tum demum prædicationem aggredi, cum ei permissum sit, & apud illos, ad quos missus sit.

CAP. III.

Matt. 10. HOs duodecim misit Iesus, quibus præcepit, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quę perierunt,
Matt. 15. domus Israel. Et ecce mulier Cananæa egressa è finibus illis, clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid, filia F mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum: Dimitte illam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non
Ioan. 8. sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à meipso veni, sed
Acto. 11. ille me misit. Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ob Stephanum, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudęis. Paulus seruus Iesu Christi,
Rom. 1. vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei. Quo-
Rom. 10. modo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? Paulus Apostolus Iesu Christi se- *1. Tim. 1.*
cundum imperium Dei Saluatoris nostri, & Domini Iesu Christi spei nostræ.

Quòd qui ad prædicationem Euangelij vocatus est, is obedire confestim debet, neque vllam rei moram interponere.

CAP. IV.

AIt autem ad alterum: Sequere me. Ille autẽ dixit: Do- *Luc. 9.*
mine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos. Tu autem vade, & annuncia regnum Dei. Cum autem *Galat. 1.*
placuit Deo, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum per me, vt euangelizem illum in gentibus, continuò non contuli cum carne & sanguine, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.

Quòd nullo modo est aliter docendum, quàm quomodo accepimus ab Euangelio.

CAP. V.

AMen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in *Ioan. 10.*
ouium stabulum, sed ascendit aliunde, ille fur est & C latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. *Quibus verbis illa paulò pòst adiungit:* Ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt: sed non audierunt eos oues. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præ- *Galat. 1.*
ter id, quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Si quis *1. Tim. 6.*
aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, &c.

Quòd omnia quæcunque à Domino in Euangelio, & per Apostolos præcepta sunt, docendi sunt ij, qui crediderunt, similiterq; quæcunque etiam his consentanea sunt.

CAP. VI.

D

EVntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in *Matth. 28.*
nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Hæc doce & *1. Tim. 6.*
exhortare. Tu autem loquere, quæ decent sanam doctri- *Tit. 2.*
nam.

Quòd cui commissa est prædicanda doctrina Domini, is si quid reticuerit eorum, quæ ad ineundam Dei gratiam necessaria sunt, reus est sanguinis eorum qui periclitantur, siue quòd ea faciant, quæ vetita sunt, siue quòd ea omittant, quæ necessariò fieri deberent.

CAP. VII.

VÆ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi *Luc. 11.*
E non introistis, & qui introibant prohibuistis. Cùm *Acto. 18.*
venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, coartabatur spiritu Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum. Contradicentibus autem eis & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput ve-
Acto. 20. strum. Mundus ego ex hoc ad gentes vadam. Quapropter contestor vos hodierna die, quòd mundus ego sum à sanguine omnium vestrûm. Non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis.

Quòd in ijs etiam, quæ à scriptura expresse præcepta non sunt, hortandus est vnusquisque ad id, quod melius est.

CAP. VIII.

F

SVnt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt. Et sunt *Matt. 19.*
Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus. Et sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui po-
1. Cor. 7. test capere, capiat. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, quoniam bonũ est homini sic esse. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem, solutus es ab vxore, noli quærere vxorem, &c.

Quòd eorum, quæ quis ipse non præstat, necessitas alijs imponi non debet.

CAP. IX.

Luc. 11. ET vobis legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.

Quòd qui docendi alios munus suscepit, is seipsum exemplar reliquis ad res honestas omnes debet præbere: eaq; ipsum præstare prius, qua alios doceat.

CAP. X.

Matt. 11. VEnite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, &
Ioan. 13. discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister, & Domine, & benefacitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis inuicem.
Act. 20. Omnia ostendi vobis, quòd sic laborantes oportet accipere infirmos ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse di-
1. Cor. 11. xit: Beatius est magis dare, quàm accipere. Imitatores mei
1. Tim. 4. estote, sicut & ego Christi. Nemo iuuentutem tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in fide, &c.

Quòd qui præst alijs docendis, is propterea, quæ ipse rectè fecerit, securo animo esse non debet, sed illud intelligere, proprium ac præcipuum traditæ sibi procurationis munus illud esse, vt meliores efficiat illos, qui ipsi crediti sint.

CAP. XI.

Matt. 5. VOs estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, &
Ioan. 6. conculcetur ab hominibus. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foras, quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in
1. Thess. 2. eum, habeat vitam æternam. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne & vos ante Dominum nostrum Iesum Christum in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Quòd qui docendi alios in Ecclesia prouinciam suscepit, is vicos omnes, & ciuitates curæ ipsius creditas debet inuisere.

CAP. XII.

Matt. 4. ET circuibat Iesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et ipse iter faciebat per ciuitates omnes, & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo.

Quòd ad auscultationem Euangelij aduocari omnes debent, & quòd summa cum libertate prædicanda est doctrina Dominica, & dandum testimonium veritati, licet sint aliqui qui id facere nos prohibeant, & quoquo modo vel ad mortem vsque persequantur.

CAP. XIII.

Matt. 10. QVod dico vobis in tenebris, dicite in lumine & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nuptiæ quidem paratæ sunt,
Matt. 22. sed qui inuitati erant, non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque in-
Ioan. 18. ueneritis, vocate ad nuptias. Ego palàm locutus sum mundo. Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes
Act. 5. Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Nónne præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto? & ecce replestis Hierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus, & Apostoli dixerunt: Obedire oportet magis Deo quàm ho-
Act. 20. minibus. Quia Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quòd vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam precioſam mihi, dummodo consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium Dei. Nam & ipsi sci-
1. Thess. 2. tis fratres introitum nostrum ad vos, quòd non inanis fuit: sed ante passi, & contumelijs affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine.

Quòd orandus est Deus, vt qui ad fidem venerunt, meliores quotidie fiant, & ob eam causam gratiæ illi agendæ.

CAP. XIV.

NOn pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri
Ioan. 17. sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, & vt ipsi in nobis vnum sint. *Et paulo post*: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum. Confiteor tibi Pater Domine cœli &
Luc. 10. terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Iesum
Rom. 1. Christum pro omnibus vobis, quòd fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio sẽper in orationibus meis. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in
Philip. 1. visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra adhuc magis, ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora. Vt sitis synceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ, qui est per Iesum Christum in laudem & gloriam Dei.

Quòd qui Dei beneficio rectè aliquid fecerit, is cæteris Dei gloria celebrior efficiatur.

CAP. XV.

ET reuersi Apostoli nartauerunt illi quæcunque fece-
Luc. 9. runt. Cum autem venissent & congregassent Ecclesiam,
Act. 14. renunciauerunt quanta fecisset Deus cum illis. Vt autem
Ephe. 6. sciatis & vos quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa me sunt.

Quòd non eorum modo, qui præsentes sunt, sed eorum etiam qui absunt, cura geri debet, & quòd omnia facienda, quæcunque rectæ in fide ædificationis ratio postulat.

CAP. XVI.

ET alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Et illas
Ioan. 10. oportet me adducere: & vocem meam audient, & fiet
1. Thess. 3. vnum ouile, & vnus pastor. Propter quod cum non ferremus amplius, placuit nobis remanere Athenis solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei, adiutoremque operis nostri in Euangelium Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra vt nemo moueatur in tribulationibus istis.

Quòd debet qui ad bene merendum de aliquo inuitatur, æquo animo inuitanti se auscultare.

CAP. XVII.

HÆc illo loquente, ecce princeps vnus accessit & ado-
Matt. 9. rabat eum dicens: Filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens
Act. 9. Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Cum autem propè esset Lidda ab Ioppe, discipuli audientes quòd Petrus esset in ea, miserũt duos viros ad eum rogantes: Ne pigriteris venire vsque ad nos. Exurgens autem Petrus, venit cum illis.

Quòd qui veritatis verbum acceperunt, ij per visitationem in eo sunt stabiliendi.

CAP. XVIII.

POst aliquot autem dies dixit Paulus ad Barnabam: Re-
Act. 15. uertentes visitemus fratres nostros per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus
1. Thess. 2. horæ, aspectu, non corde abundantius festinauimus faciem vestram

vestram videre, cum multo desiderio: quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus semel & iterum: sed impediuit nos Satanas. *Et paulo post:* Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis: Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus.

1. Thess. 3.

Quòd proprium est eius, qui Dominum diligit, magna cum charitate aduersus eos, quos doceat omni studio eorum saluti quauis ratione prouidere, & in eo proposito constantissime vel ad mortem vsque perseuerare, cum publice, tum priuatim.

CAP. XIX.

BOnus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Cum ergo prandissent, dixit Simoni Petro Iesus. Simon Iona diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quòd amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Iona diligis me? Ait illi: Domine tu scis quòd amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Iona amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me. Dicit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quòd amo te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. Vna autem sabbatorum cum venissemus ad frangendum panem, Paulus disserebat eis, profecturus postridie, protraxitque sermonem vsque in mediam noctem. *Et paulo post,* Quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, testificans Iudæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Propter quod vigilate, memoria retinētes, quòd per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monere vnumquemque vestrûm. Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem vestrûm grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei, &c.

Ioan. 10.
Ioan. 21.
Act. 20.
Ibid.
Ibid.
1. Thess. 2.

Quòd qui eo munere fungitur, vt alios doceat, is misericors esse at mitis debet, maxime autem erga eos, quorum animæ morbo grauiter sint affectæ.

CAP. XX.

ET videntes pharisæi dicebant discipulis eius: Quare cũ publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Iesus autem audiens, ait: Non est opus valentibus medico. Euntes autem discite, quid est: misericordiam volo, & non sacrificium? non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, & dispersi sicut oues non habentes pastorem.

Matt. 9.
Ibid.

Quòd clementer occurrere debet necessitati corporis subditorum, & ipsorum curam gerere.

CAP. XXI.

MIsereor turbę, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Et venit ad eum leprosus, deprecans eum, & genu flexo dixit: Si vis, potes me mundare. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, & tangẽs eum, ait illi: volo, mundare. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerẽtur in ministerio quotidiano viduæ eorũ. Conuocantes autem duodecim multitudinem, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.

Marc. 1.
Act. 6.

Quòd non debet, qui præest verbo Dei, minorum quorundam causa, quæ maioris cuiusdam laudis causa agere ipse sua sponte velit, ea quæ sunt maiora, negligere.

CAP. XXII.

COnuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. *Quibus verbis paulo postea adiungit:* Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

Ibid.

Quòd nullo modo neque ad ostentationem, neque ad quæstum verbum Domini conferri debet, blanditys in aures audientium influendo, quò nostris vel voluptatibus, vel commodis consulamus. Quodq; contra in docendo tales nos esse conuenit, perinde ac si pro gloria Dei, ipso audiente loqueremur.

CAP. XXIII.

OMnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias vestimentorum suorum. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocati ab hominibus rabbi. Vnus est enim magister vester Christus. Omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram. vnus est enim Pater vester qui in cœlis est. Neque vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. Exhortatio enim nostra neque de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur: non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis apud vos, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab hominibus gloriam neque à vobis, neque ab alijs, cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli.

Matth. 23.
Ioan. 7.
2. Cor. 2.
1. Thess. 2.

Quòd qui alijs in Ecclesia docendis præest, is data sibi potestate nequaquam ad subiectorum contumeliam abuti debet, neque se supra illos efferre, sed potius gradum illum, tanquam materiam quandam exercendæ aduersus ipsos humilitatis tenere.

CAP. XXIV.

QVis putas est fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus seruus ille, quem, cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quòd super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus seruus in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos, manducet autem, & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & in hora, quam ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illuc erit fletus & stridor dentium. Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrũ sum, sicut qui ministrat. A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit presbyteros Ecclesiæ: qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sũ in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus, quę mihi acciderũt ex insidijs Iudęorum. Libenter enim suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit, secundũ ignobilitatẽ dico, quasi & nos infirmi fuerimus in hac parte.

Matt. 24.
Ioan. 13.
Luc. 22.
Act. 20.
2. Cor. 11.

Quòd nequaquam ex æmulatione, inuidiáue, aut contendendi studio, quæ nobis aduersus aliquos sint, prædicandum à nobis est Euangelium Dei.

CAP. XXV.

ECce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ, ponam spiritum meum super eum: iudicium gentibus nunciabit, non contendet, neque clamabit,

Matt. 12.

Philip. 1. clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Quidam quidem propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, scientes quòd in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non syncere: existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

Quòd ad prædicationem Euangelij, humanæ facultates, per quas cæteris præstamus, adhibendæ à nobis non sunt, ea re, ne offuscata Dei gratia minor appareat.

CAP. XXVI.

Marc. 11. COnfiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea
1. Cor. 1. paruulis. Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Chri-
Ibid. 2. sti. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, & ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei.

Quòd non debemus putare posse nos consilijs nostris illud assequi, vt prosperè prædicatio nostra succedat: quod à contra huius rei spes omnis nobis collocanda est in auxilio Dei.

CAP. XXVII.

2. Cor. 3. FIduciam autem habemus talem per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non literæ, sed
Ibid. 4. spiritus. Habentes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas virtutis sit Dei, & non ex nobis.

Quòd non debet, cui traditum est munus Euangelij, aliquid plus possidere, quàm quantum naturalis vsus desiderat.

CAP. XXVIII.

Matt. 10. NOlite possidere aurum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus est enim operarius cibo
Luc. 9. suo. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.
Act. 20. Argentum aut aurum, aut vestem nullius concupiui. Nemo
2. Tim. 2. militans implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat, qui se probauit.

Quòd in suscipienda cura aliqua de rebus vitæ huius nemo iuuari debet, qui nimio plus in his animum suum occupet.

CAP. XXIX.

Luc. 12. DIxit autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo,
2. Tim. 2. quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? Nemo militans implicat se negocijs secularibus, &c.

Quòd qui ineundæ ab auditoribus gratiæ causa negligunt iussa Dei liberè proloqui, atque hoc modo illis se mancipant, quorum studia sibi cupiunt adiungere, ij se alienos faciunt à mancipio Domini.

CAP. XXX.

Ioan. 15. QVomodo vos potestis credere, qui gloriam accipitis abinuicem? & gloriam quæ à solo Deo est, non quæri-
Galat. 1. tis? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nõ essem.

Quòd qui aliorum in Ecclesia docendorum munus suscepit, illud debet spectare, vt omnes ille quidem in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi perfectos producat, vnumquemque tamen seorsum, ordine ac gradu ipsius seruato.

CAP. XXXI.

Matt. 5. ESTote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis
Ioan. 17. perfectus est. Non pro ijs autem rogo tantum, sed & pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Alios autem pastores & doctores ad con- Ephe. 4.
summationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Quòd qui aduersum nos disputant, ij adhibitis patientia ac mansuetudine, leniter edocendi à nobis sunt, neque illorum pœnitentia vnquam desperanda, quoad omnia illa officia præstiterimus, quæ ad illorum correctionem pertineant.

CAP. XXXII.

NEque contendet, neque clamabit, neque audiet quis Matt. 12.
in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat
ad victoriam iudicium. Seruum Domini non oportet liti- 2. Tim. 2.
gare, sed mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt: si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueo.

Quòd ijs, qui propter metum aliquem, periculi alicuius deuitandi causa præsentiam prædicantis Euangelium recusant, cedere ille debet, neque se vltrò peruicaciter nimis obtrudere.

CAP. XXXIII.

ET rogauerunt illum omnis multitudo Gadarenorum, Luc. 8.
vt discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur:
ipse autem ascendens nauim reuersus est.

Quòd ab illis etiam, qui ex rudi improbitate prædicationem Euangelij nolunt admittere, recedere debemus, atque ita recedere; vt ne ea quidem ab illis accipiamus, sine quibus vita consistere non potest.

CAP. XXXIV.

ET quicumque non receperit vos, neque audierit ser- Matt. 10.
mones vestros, exeũtes de domo, vel ciuitate illa, excutite puluerem de pedibus vestris. In quamcunque ciuitatem Luc. 10.
intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius dicite, Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos, verumtamen scitote quòd appropinquabit regnum Dei. Cùm veniissent autem de Macedonia Silas Acto. 18.
& Timotheus, coartabatur spiritu Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum. Mundus ego ex hoc ad gentes vadam.

Quòd hominum illorum congressum debemus defugere, qui post præstita omnia à nobis pro salute ipsorum officia, nihilominus tamen in pristina animi sui obstinatione perseuerant.

CAP. XXXV.

HIerusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & la- Matt. 23.
pidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. Sed quo- Act. 13.
niam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Hæreticum hominem post vnam & alterã Tit. 3.
correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.

Quòd aduersus omnes omni in re retinenda est verborum Domini veritas integra, neque omnino quicquam faciendum maiore animi in hanc quàm in illam partem propensione.

CAP. XXXVI.

TEstor coram Deo & Domino Iesu Christo, & electis 1. Tim. 5.
angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Quòd qui alijs in Ecclesia præpositus est, is ad singula quæ facit, dicitue, diligentem adhibere circumspectionem, & maturum iudicium debet, eo consilio, vt rem faciat gratam Deo, proinde ac si illorum, qui curæ ipsius crediti sint, iudicio, ac testimonio, vel probandus esset, vel improbandus.

CAP.

CAP. XXXVII.

Act. 20. VOs scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim seruiens Domino, cum omni humilitate, & lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt. Argentum aut aurum, aut vestem
Ibid. nullius concupiui. Sed ipsi scitis, quòd ad ea, quæ mihi opus erant, & ijs qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.
1. Thess. 2. Vos testes estis, & Deus quam sancte & iuste, & sine querela, vobis qui credidistis, affuimus sicut scitis.

REGVLA LXXI.

Quæcumque coniunctim præcepta sunt de episcopis, & presbyteris.

CAP. I.

1. Tim. 3. SI quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, vnius
1. Tim. 5. vxoris virum, vigilantem, sobrium, modestum, ornatum, hospitalem, &c. Seniorem ne increpaueris, sed exhortare
2. Tim. 2. vt patrem: iuuenes, vt fratres: anus, vt matres: iuuenculas, vt sorores, in omni castitate. Iuuenilia autem desideria fuge: sectare verò iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum ijs, qui
2. Tim. 3. inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quòd generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse erga omnes, &c. Tu autem assecutus es meam do-
Tit. 1. ctrinam, institutionem, propositum, fidem, lõganimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones. Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine, &c.

De Diaconis.

CAP. II.

Acto. 6. ET elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, Nicanorem, & Timotheum, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum, hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, &
1. Tim. 1. orantes imposuerunt eis manus. Diaconos similiter compositos non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, &c.

REGVLA LXXII.

Quòd debent auditores, qui sacrarum literarum periti sunt, adhibito diligenti iudicio, ea auscultare, quæ à doctoribus dicantur, & ex ijs, ea quæ scripturæ esse consentanea cognouerint, admittere: contrà, quæ aliena, repudiare. Qui autem pertinaciter praua eiuscemodi decreta voluerint defendere, maiorem in modum defugere, auersarió.

CAP. I.

Matt. 18. VÆ autem homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde
Ioan. 10. eum, & proijce abs te. Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. *Et paulo post:* Alienum autem non sequentur,
Gal. 1. sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Sed licet nos, aut angelus de cœlo, euangelizet vobis, præter id
1. Thess. 5. quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Prophetias nolite spernere. Omnia probate: quod bonum est, tenete, ab omni specie mala abstinete.

Quòd qui diuinarum literarum cognitionem non ita magnam habent, ij ex fructibus spiritus verum sanctorum virorum signum ac notam debent agnoscere: & in quibus hæc ineſſe animaduerterint, eos admittere: & contrà, à quibus abesse, illos repudiare.

CAP. II.

Matt. 7. ATtendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à
Philip. 3. fructibus eorum cognoscetis eos. Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

Quòd qui recte verbum veritatis tractant, ij ita suscipi debent, quasi Dominus ipse, pro gloria eius, qui illos misit Iesu Christi Domini nostri.

CAP. III.

QVi recipit vos, me recipit. Qui vos audit, me audit: & Matt. 10.
qui vos spernit, me spernit. Et tentationem meam in Luc. 10.
carne mea non spreuistis, neque respuistis, sed sicut ange- Gal. 4.
lum Dei accepistis me, sicut Christum Iesum.

Quòd qui ijs non auscultat, qui mittuntur à Domino, non in hos modo contumelioſi sunt, sed in eum etiam, à quo illi mittuntur, quodq; grauius aduersum se ipsos iudicium parant, quam qui olim Sodomæ & Gomorræ peccauerunt.

CAPVT IV.

ET quicunque non receperit vos, neque audierit sermo- Matt. 10.
nes vestros, exeuntes de domo vel ciuitate illa, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorræorum in die iudicij, Luc. 10.
quàm illi ciuitati. Qui vos spernit, me spernit. Itaque qui 1. Thess. 4.
spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in vos.

Quòd doctrina præceptorum Dei perinde accipi debet, quasi ea, per quam æternam vitam, & cœleſte regnum nobis comparemus, quodq; in ea studiosè nos exercere debemus, licet laboriosa videatur.

CAP. V.

AMen amen dico vobis, quòd qui verbum meum audit, Ioan. 5.
& credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in
iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. Cumque Act. 14.
euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconicum, & Antiochiam, confirmantes animos discipulorum, exhortantesque, vt permanerent in fide, & quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Quòd castigatio & obiurgatio ita accipi debent, quasi medicamentum quoddam, quo & morbus depellatur, & sanitas confirmetur. Ex quo perspicuum est, quòd qui in assentationis vitio lenes se haberi volunt, neque peccantes castigant, ij maximè illos detrimento afficiunt, nempe qui æternæ illorum vitæ insidiantur.

CAP. VI.

SI autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum Mat. 18.
inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fra-
trem tuum. Congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute 1. Cor. 5.
Domini nostri Iesu tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu.
Quoniam etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet, 2. Cor. 7.
etsi pœnituisset. Videns enim quòd epistola illa, etsi ad horã, vos contristauit. Nunc gaudeo non quòd contristati estis, sed quòd contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide. Tit. 1.

REGVLA LXXIII.

Quòd nullo modo debet vir, qui legitimo matrimonio cum vxore coniunctus sit, ab ea separari: neque vicissim vxor à viro, nisi illorum alter in adulterio deprehensus sit, nisiue causa aliqua interſit, quæ vera aduersus Deum pietati officiat.

CAP. I.

DIctum est autem, Quicumque dimiserit vxorem suam, Matt. 5.
det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quòd
omnis, qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.
Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & Luc. 14.
vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Dico autem vo- Matt. 19.
bis, quòd quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, præ- 2. Cor. 7.
cipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

Quòd

Quòd non licet viro vxore dimissa, aliam ducere: neque item vxori vicissim quæ dimissa sit, viro alij nubere. A

CAP. II.

Matt. 19. DIco autem vobis, quòd quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, adulterat.

Quòd ea charitate viri debent diligere vxores suas, quam Christus aduersus Ecclesiam adhibuit, qui vt ipsam emundaret, voluntariè se ipse morti subiecit.

CAP. III.

Ephe. 5. VIri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Ita viri debent diligere vxores suas, vt sua ipsorum corpora. B

Ibid.

Quòd nihilo minus debent vxores subiectæ esse viris suis, atque Ecclesia subiecta est Christo, & in hoc Dei voluntati obtemperare.

CAPVT IV.

Ibid. MVlieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, & ipse saluator corporis est. Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres viris suis in omnibus. Vt castitatem doceant adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, vt sobriæ sint, castæ, domus custodes, benignæ, subditæ viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. C

Tit. 2.

Quòd nullo modo debent mulieres nimis exquisitæ in ornatu corporis elegantiæ studere, potiusq; curam eas omnem in bona opera conferre, atque hunc verum & germanum Christianorum ornatum esse existimare.

CAP. V.

1. Tim. 2. SImiliter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate, ornare se non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

Quòd in ecclesijs silere mulieres debent, ac domi de rebus ijs serio loqui, per quas gratia initur à Deo.

CAP. VI.

1. Cor. 14. MVlieres vestræ in ecclesijs taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem, mulieri non permitto, neque dominari in virũ, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

1. Tim. 2.

REGVLA LXXIV.

Quòd debet vidua, cui modo integra, ac firma corporis valetudo sit, in assidua sollicitudine ac studio esse, ac illorum meminisse, quæ dicta sunt ab Apostolo, eiusq; testimonij, quod Dorcadi datum est à scriptura.

CAP. I.

Act. 9. IN Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata, dicitur Dorcas: hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat: Et circumsteterunt illam omnes viduæ, flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes: quas faciebat, dum esset cum illis Dorcas. Vidua deligatur non minor sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens. Si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.

Ibid.

1. Tim. 5.

Quòd debet vidua, quæ in operibus bonis, de quibus Apostolus loquitur, bene se gesserit, & in ordinem vere viduarum iam peruenerit, assidue orationibus, & obsecrationibus instare, similiterque ieiunijs etiam, nocte & die.

CAP. II.

Luc. 2. ET erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Asser, & hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua, & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Quæ autem vere vidua est, & desolata, sperat in Deum, & instat obsecrationibus, & orationibus seruiens nocte ac die. Nam quæ in delicijs est, viuens mortua est.

1. Tim. 5.

REGVLA LXXV.

Quòd debent serui omni cum beneuolentia Dominis suis, quibus seruiunt in hac vita, obedire ad Dei gloriam, idque omnibus in rebus, in quibus id, saluis mandatis Dei, fieri possit. B

CAP. I.

Ephe. 6. SErui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate seruientes Domino, & non hominibus, scientes quòd vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Quicumque sunt sub iugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei, & doctrina blasphemetur: qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes, vt doctrinam saluatoris Dei nostri ornent in omnibus. C

1. Tim. 6.

Tit. 2.

Quòd debent Domini, cum meminerint eius, qui est verus Dominus, mutuas ipsi quoque operas reddere seruis suis quantum possint in timore Dei, & clementia aduersus ipsos, idque exemplo Domini.

CAP. II.

Ioan. 13. SCiens Iesus, quòd omnia dedit sibi pater in manus, & quòd à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & D ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. *Et paulò inferius.* Vos vocatis me magister & Domine, & bene facitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quòd & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.

Ephe. 6.

REGVLA LXXVI.

Quòd debent filij parentes suos honorare, & illis omnibus in rebus obedire, quæ modo Dei mandato non sint impedimento. E

CAP. I.

Luc. 2. ET dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Deinde paucis interpositis verbis*: Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.

Eph. 6.

Quòd debent parentes in disciplina & correptione Domini filios suos educare, adhibita lenitate atque clementia: neque quantum in ipsis sit, vllam omnino ipsis causam dare, quamobrem aut irasci debeant, aut dolere. F

CAP. II.

Ibid. ET vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros, sed educate eos in disciplina & correptione Domini. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.

Col. 3.

REGVLA

REGVLA LXXVII.

Quod debent virgines ab omni rerum vitæ huius solicitudine liberæ esse, quo assidue possint agere gratias Deo: neque ab eo vllo modo, seu mente distrahi, seu corpore, spe consequendi regni cœlestis.

CAP. I.

Matt.19. 1.Cor.7. ET sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam: sed vt id, quod honestum est, sequamini, & quod facultatem præbeat Domino sine impedimento seruiendi.

REGVLA LXXVIII.

Quod stipendia in bello merentibus neminem licet neque percutere, neque calumniari.

CAP. I.

Luc.3. INterrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminẽ percutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.

REGVLA LXXIX.

Quod debent qui principes aliorum sunt, vindices esse iustificationum Dei.

CAP. I.

Rom.13. NAm principes non sunt terror bonorum operum, sed malorum. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & laudem habebis ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium pottat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.

Quod maioribus potestatibus subiecti esse debemus in iis rebus, quæ modo non sint impedimento mandatis Dei.

CAPVT II.

Ibid. OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. non est enim potestas nisi à Deo. Quę autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt terror bonorum operum, sed malorum, &c. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Admone illos principatibus, & potestatibus subditos esse, & obedire, ad omne opus bonum paratos esse.

Act.5. Tit.3.

REGVLA LXXX.

Cuiusmodi esse ratio Christianos velit. Tanquam discipulos Christi, qui ad ea se tantummodo confirment, quæ videant in ipso, vel quæ audiant ab ipso.

CAP. I.

Matt.11. Ioan.13. TOllite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, &c. Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim: Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Tanquam oues Christi, qui solam audiant vocem pastoris sui, & ipsum sequantur.

CAPVT II.

Ioan. 10. OVes meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo.

Tanquam palmites Christi, in ipso radicatos, & ipsi fructum ferentes, & omnia, quæ illo digna sunt, & ipsius voluntati consentanea facientes, & habentes.

CAP. III.

Ioan.15. EGo sum vitis, & vos palmites.

Tanquam membra Christi, in omni executione mandatorum Domini, aut donorum Spiritus sancti absolute perfectos, ad dignitatem capitis ipsorum, qui est Christus.

CAP. IV.

1.Cor.6. Ephes.4. NEscitis quod corpora vestra membra sunt Christi? Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

Tanquam sponsam Christi, seruantem castitatem, in eo quod in solis sponsi sui voluntatibus ambulet.

CAP. V.

Ioan.3. 2.Cor.11. QVi habet sponsam, sponsus est. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo,

Tanquam templum Dei, sanctos ac mundos, & iis repletos solum, quæ ad Dei cultum pertineant.

CAP. VI.

Ioan.14. 2.Cor.6. SI quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus.

Tanquam victimam immaculatam, omnibusque suis membris & partibus absolutam, veræ in Deum pietatis integritatem conseruantes.

CAP. VII.

Rom.12. OBsecro itaque vos fratres per miserationes Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Tanquam filios Dei, formatos ad imaginem Dei, secundum mensuram, quæ donata est hominibus.

CAP. VIII.

Ioan.13. Gal.4. FIlioli adhuc modicum vobiscum sum. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

Tanquam lucem in mundo, vt & ipsi videlicet puri sint ab omni vitio, & eos qui ad ipsos accedant, illuminent ad agnitionem veritatis, vt vel tales fiant, quales conuenit, vel declarent quid sint.

CAP. IX.

Matt.5. Phil.2. VOs estis lux mundi. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.

Tanquam sal in terra, vt videlicet qui communionem cum ipsis habuerint, spiritu renouentur ad incorruptionem.

CAP. X.

Matth.5. VOs estis sal terræ.

Cuiusmodi ratio esse in vniuersum eos velit, quibus credita est prædicatio Euangelij. Tanquam Apostolos & ministros Christi, & dispensatores fidei mysteriorum Dei, sola ea, quæ à Domino præcepta sunt integerrime, & re & verbo implentes.

CAP. XI.

Matt.10. Matt.28. 1.Cor.4. ECce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Eunte docete omnes gentes. Sic nos existimet homo tanquam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quod autem superest, quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.

Tanquam præcones regni cœlorum, ad destructionem eius, qui habet imperium mortis in peccato.

CAP. XII.

Matt.10. 2.Tim.4. EVntes autem prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Testificor ego coram Deo, & Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos per aduentum ipsius: prædica verbum Dei.

Tanquam formam, aut regulam pietatis, per eos ad rectitudinem omnem dirigantur illi, qui Dominum sequuntur, & illorum peruersitas detegatur, qui in quauis re illius imperium detrectant.

CAP. XIII.

Phil.3. 1.Tim.4. 2.Tim.2. QVæ quidem retro fiunt, obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, iuxta destinatum persequor ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus regula. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Solicitè autem cura teipsum probatum exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

Tanquam oculum in corpore, vt videlicet habere delectum & bonorum, & malorum sciant, atque vt Christi membra ad singula quibusque accommodata officia dirigant.

CAP. XIV.

Mat.6. LVcerna corporis est oculus. Si ergo oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

Tanquam pastores ouium Christi, qui quandocunque tempus postulet, ne animam quidem ponere pro illis dubitent, vt Euangelium illis impartiant.

CAP. XV.

Ioan.10. Act.20. BOnus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.

Tanquam medicos: qui magna adhibita animi lenitate, scienter secundum doctrinam Domini animarum morbos curent, in acquisitionem eius, quæ est in Christo sanitatis, & perseuerantiæ.

CAP. XVI.

Matt.9. Rom.15. NOn est opus valentibus medico, sed male habentibus. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum portare.

Tanquam parentes, & nutrices filiorum, qui ex magnitudine eius, quæ est in Christo charitatis, parati sint libenti animo communicare illis non solum Euangelium Dei, sed suam etiam ipsorum vitam.

CAP. XVII.

Ioan.13. 1 Cor.4. 1. Thess.2. FIlioli, adhuc modicum vobiscum sum. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quia charissimi nobis facti estis.

Tanquam Dei adiutores, qui solis Deo dignis operibus totos se mancipent pro Ecclesia Dei.

CAP. XVIII.

1.Cor.3. DEi enim sumus cooperarij: Dei agricultura, Dei ædificatio estis.

Tanquam plantatores palmitum Dei, qui in vite, quæ est Christus, nihil alienum, aut infructuosum relinquant, & ea quæ conuenientia sunt, atque fœcunda, meliora efficere studeant, omni diligentia adhibita.

CAP. XIX.

Ioan.15. EGo sum vitis vera, & pater meus agricola est: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgat eum, vt fructus plus afferat. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. 1.Cor.3.

Tanquam ædificatores templi Dei, qui vniuscuiusque animam ita concinnent, vt fundamento Apostolorum & prophetarum apte congruat.

CAP. XX.

Ibid. SEcundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim alius nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ergo iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto. Ephes.2.

CAP. XXI.

Quid proprium Christiani?

Galat.5. *Charitas, quæ per Charitatem operatur.*

Quid proprium fidei?

A Certissima animi expletio de diuinorum verborum veritate, quæ nulla, neque à naturali necessitate inducta ratione, neque ad veræ pietatis simulationem conformata vllo modo possit labefactari.

Quid proprium fidelis?

Vt cum eiusmodi certa animi expletione veram esse illorum vim credat quæ dicta sunt in scriptura, nihilque reiiciat, aut nouum statuere audeat. Etenim si *omne, quod ex fide non est, peccatum est*, vt ait Apostolus, *fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, sine dubio cum quicquid extra diuinam scripturam est, ex fide non sit, id peccatum est. Rom.14. Rom.10.

Quid proprium eius, quæ est in Deum, charitatis?

B Mandata eius seruare, eo animo, vt ille glorificetur.

Quid proprium eius, quæ est in proximum, charitatis?

Vtilitatem propriam non quærere, sed vtilitatem eius, qui diligatur, cum animæ, tum corporis.

Quid proprium Christiani?

Vt per baptismum denuo ex aqua & spiritu generetur.

Quid proprium eius, qui natus est ex aqua?

Vt quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita ipse etiam mortuus sit, & ad omne peccatum immobilis, sicut scriptum est: *Quicunque in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Rom.6.

Quid proprium eius, qui natus est ex spiritu?

C Vt pro data sibi mensura illud fiat, quod est id, ex quo genitus est, sicut scriptum est: *Quod ex carne natum est, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Ioan.3.

Quid proprium eius, qui denuo natus est?

Exuere veterem hominem vnà cum actibus eius, & cupiditatibus, & induere nouum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem illius, qui creauit illum, sicut scriptum est: *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Col. 3. Galat.3.

Quid proprium Christiani?

D Mundari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & perficere sanctitatem in timore Dei, & charitate Christi, & nullam habere neque maculam neque rugam, aut aliud quippiam generis eiusdem. *Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* 2.Cor.7. Ephes.5. 1.Cor.11.

Quid proprium illorum qui manducant panem, & bibunt poculum Dei?

Seruare perpetuam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.

Quid proprium Christiani?

Vt omni in re iustitia illius maior sit iustitia scribarum & Pharisæorum pro mensura doctrinæ dominicæ, quæ est secundum Euangelium.

Quid proprium Christianorum?

E Eiusmodi dilectio inter ipsos, cuiusmodi ea fuit, qua dilexit nos Christus.

Quid proprium Christiani?

Prouidere Dominum in conspectu suo semper.

Quid proprium Christiani?

Quotidie ac singulis horis vigilare, & assidue paratum esse ad eam perfectionem, per quam placeat Deo, illud scientem, venturum esse Dominum hora illa, qua non sperat.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI

BASILII MAGNI

ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ,

DE

INSTITVTIONIBVS MONACHORVM,

SERMO.

HOMO ad imaginem & similitudinem Dei fuerat factus. Imaginis autem dignitatem illam ac decorem peccatum, animo ad vitiosas cupiditates depresso, deformauit. At enim Deus, qui hominem creauit, vera vita est. Itaq; qui Dei similitudinem amisit, is vitæ etiam amisit commercium. Qui autem à Deo disiunctus est, is sine dubio intra beatę vitæ limites esse non potest. Agedum igitur, ad eam, in qua ab initio eramus, & à qua propter peccatum abalienati sumus, redeamus gratiam, nosque rursum ad diuinæ imaginis speciem conformiter exornemus: abiectisque prorsus omnibus vitiosis animi affectionibus sedulo operam demus, vt ortus nostri autori similes efficiamur. Qui enim in seipso, quantum in ipso sit, naturæ diuinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defœdatam prius in animo suo Dei imaginem restituit pristino nitori. Qui verò eo modo, quo diximus, Deo se similem effecerit, is prorsus diuinæ etiam vitæ similitudinem acquisiuit, perpetuo deinceps, in assidua vsque beatitudine mansurus. Si igitur vitiorum vacuitas ea est, per quam amissam Dei imaginem recuperamus, & similitudo, quæ cum Deo nobis est, vitæ nobis æternitatem largitur, haud dubiè cæteris omnibus cæterarum rerum studiis omissis, in hoc vnum toto pectore debemus incumbere, vt videlicet animus noster nullius vnquam vitij opprimatur tyrannide, illudque diligenter curare, vt neutrobi mens nostra euariet, neque propter vllos tentationum impetus se in terram patiatur prosterni, vt hoc modo in diuinæ beatitudinis societatem venire possimus. Porrò ad huiusmodi studium mire conducit, & cooperatur virginitas, si quis eam recta ratione coluerit. Neque enim in hoc tantummodo virginitatis donum consistit, si quis in eo abstinens fuerit, vt progignendis liberis operam non det: sed vt quis id rectè assecutus dici possit, victus ipse omnis, vita quoque, omnisque animi motum cõformatio virginitatem seruent oportet: nullumque esse in eo studium debet, in quo non perpetuo cœlibis integritatem præ se ferat. Siquidem fieri potest, vt quis sermone etiam scortetur, & oculis adulter sit, & auditu polluatur, & cor inquinandum præbeat: immodiceq; edendo potandoq; temperantiæ finibus egrediatur. Qui enim adhibita in his temperantia, se intra virginitatis limites continuerit, vere hic absolutissimum se habere virginitatis donum declarat. Quamobrem si per vitiorum euacuationem ad Dei similitudinem animæ nostræ characterem componere nobis in animo est, & hac ratione sempiternam nobis vitam acquirere, danda omnino nobis sedulo opera est, ne quid quoquo pacto professione nostra indignum faciamus, neve simili, atque Ananias, iudicio efficiamur obnoxij. Licebat enim initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri ac vouere: sed postquàm humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat per professionem Deo consecrauit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de precio autem callidè postea nescio quid interuertit, eiusmodi aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt ne ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit. Quocirca ante religiosæ istius vitæ professionem liberum est vnicuique, quatenus per Dei indulgentiam leges permittunt, communem cum cæteris viuendi morem sequi, sibiq; vxorem adiungere. Vbi verò iam quis sponte sua ipse professus est, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegij iudicium incurrat, cum videlicet corpus, quod semel Deo consecrauit ministerio rursum communis vitæ contaminet. Atq; hoc dico, non vnum tantummodo vitiosæ affectionis genus spectãs, quemadmodum opinantur quidam, qui perfectam habere se virginitatem existimant, si castum modo corpus suum custodierint: sed vt doceam eum, qui Deo seruare se integrum velit, nulla debere praua affectione mũdana inquinari iuxta omnem vitiosæ affectionis modum. Nam iracundia, inuidia, & præteritarum iniuriarum tenax memoria, mendaciũ item, & superbia, & elatio spiritus, & intempestiua locutio, & in oratione facienda lentitudo, & rerum quæ nullæ sunt, cupiditas, mandatorum negligentia, in vestitu nimio plus exquisitus ornatus, orisque ad venustatis speciem compositio, congressionesq; ac colloquia non habita vel decori, vel necessitatis ratione, hæc omnia adeo diligenter ab eo sunt cauenda, qui per virginitatem Deo seipsum consecrauit, vt par sibi propemodum esse periculum intelligat, si in aliquo istorum lapsus sit, atque si in vetitum proprie peccatum incurrat. Si quidem cuncta, quæ cum vitiosa animi affectione fiunt, ea animi quodammodo candorem contaminant, & ad diuinam vitam impedimento sunt. Ad hæc igitur omnia respiciat oportet, qui sæculo nuncium remisit, vt videlicet nullo modo, posteaquam iam diuinum veluti vas factus sit, vitioso se vsu pollui patiatur. Eaque is in primis secum versare in animo debet assidue, cum vltra humanæ naturæ fines processerit, vitæ se cuidam instituto à corpore seiunctæ tradidisse, angelorum conuersationem dum sibi imitandam proponit. Siquidem proprium hoc est angelicæ naturæ, liberam esse à vinculis coniugij, neque ad aliam vllam contemplandam pulchritudinem animo distrahi, sed oculos in Dei os assidue intentos habere. Quamobrem qui in angelicæ iam dignitatis ordinem transiuit, is si humanis se postea prauis affectionibus contaminet, Pardi assimilis efficitur pelli, cuius setæ neque ex toto albæ sunt, neque ex toto nigræ, sed cum sint dissimilium colorum mistione variegatæ & interpunctæ, neque in albis numerantur, neque in nigris. Atque hoc quidem communius eorum præceptum sit, qui vitam sibi continẽtem ac castam delegere. Verum quoniam videntur singula quoque distinctius debere tractari, operæprecium fuerit fortasse, si de his breuia quædam admonita tradidetimus. Igitur qui à communi cum cæteris viuendi more recesserunt, animumque suum ad diuinius quoddam vitæ genus colunt & exercent, ij non suo se permittant arbitrio, neu per solitudinem vitam exigant. Si quidem ad euitãdas prauas hominum suspiciones, huiusmodi vitam non remotis arbitris, neq; in obscuro agi conuenit. Et quemadmodũ lex spiritualis pauciores esse, quam duodecim vetat illos, qui mysticum pascha manducent, item quoq; eorũ qui spirituali vitæ simul operã dant, denarius numerus ampliandus est potius, quàm restringendus. Vnus totius illorum disciplinæ moderator sit, qui & propter vitæ ac morum probitatem, & reliquis in re-

τὸ ἀπαθές.

τῆς θείας ζωῆς.

ὁ βίος καὶ ζωή.

ὑπὸ κανόνα παρθενίας χάριν.

Act. 5.

διὰ ἐπαγγελίας.

Δῶρα.

Ομοίωσις elegans.

Aggressio τῆς παιδεύσεως.

Att. Lutherane vota non esse nouitia aut recens inuenta.

bus moderationem, ipse cæteris antelatus sit: adhibita etiam ad hoc, vt cæteris præponeretur, ætatis maturitate. Siquidem maiorem nescio quomodo venerationem habet in hominum natura, quòd prouectiore † ætate est. Huius autem potestas ea sit, vt parente ipsi ex libera animi inductione, summissioneque, fratrum conuentu, eorum nemini eius voluntati liceat aduersari, in his, quæ ad susceptæ vitæ honestatem & exactiorem quendam cultum facienda ille suadeat. Sed vt Apostolus ait, nullo modo constitutis à Deo potestatibus esse resistendum, quando male illi multentur, qui Dei ordinationi resistant: item hic quoque animum in eo suum expleſſe ac sibi persuasisse fratres reliqui omnes debent non fortuitu, neque casu, sed Dei voluntate huiusmodi potestatem antistiti suo fuisse delatam, vt quæ secundum Deum in virtute progressio est, ab impedimento libera esset, quippe cum & ille quicquid ad vtilitatem, ac fructum animarum pertineret, proponeret, istique vicissim libentes ac morigeri data sibi ab eo consilia capesserent. Quoniam igitur illud è re prorsus est antistitis, vt fratrum conuentum in officio ac potestate sua habeat, necessario talis aliquis huiuscemodi vitæ moderator deligi debet, in cuius vitam quicunque intueantur, omnium virtutum exemplar ante oculos propositum habeant: & qui, vt est apud Apostolum, sobrius, temperans, modestus, & sua sponte ad docendum propensus sit. Ad eum modum huius vitam mihi placet spectari, non vt illud modo inquiratur, vtrum senilem ipsa ætate maturitatem habeat, necne: (siquidem fieri potest, vt canis aliquis, ac rugis oppletus, iuueniles tamen mores obtineat) sed illud cum primis spectandum existimo, num illi ipsa vitæ conuersatio, moréque ex moderatione incanuerint, vt quicquid ab eo dicatur, fiatve, id cunctis fratribus pro lege ac regula sit. Ratio proinde quærendi victus his, qui in eiuscemodi vitæ genere degant, ea maxime conueniens iudicanda est, quæ ab Apostolo præscribitur, nimirum vt manibus laborantes, honeste suum quisque panem manducet. Quid porro quilibet conficere debeat operis, penes vnum aliquem vt ætate grauem, ita & vitæ tetro actæ testimonio commendabilem, arbitrium erit, qui manuaria isthæc opera ad numerum dispertietur, prout viderit in rem esse vsus necessarij vnicuilibet, vt mandatum impleatur eius qui iubet, in sudore & labore nobis victum vt acquiramus, & honestatis decor reprehensione ac nota omni vacuus teneatur, cum nulla eos quotidiani victus necessitas adigat in publicum prodire. Continentiæ autem hic modus optimus, hæc inquam regula erit, Si corpus neque diffluat deliciis, neque macerationem nimia atteratur, illudque in vtranque partem teneatur, vt ne quid nimis, ne videlicet animus, si carnium obesitate grauetur, variis perturbationibus reddatur obnoxius: neque si item contra plane morbosus fuerit effectus, Dei mandata exequi non possit. Quandoquidem par vtrinque animo detrimentum solitum est vsu venire, & cum corpus ex bona habitudine luxurians quodammodo animi imperium detrectat, & ad prauas cupiditates præceps se cum impetu fert in indecoros motus, & cum item languidum, ac dissolutum, & doloribus oppressum, mouere se loco non potest sed sistitur immotè. Neque enim in eiusmodi corporis constitutione libere per ocij temperiem se animus ad rerum altiorum contemplationem potest erigere, sed necessario ipso oppressus doloris sensu, impeditus tenetur fitque deuexior & velut in humum accliuis per corporis afflictionem. Quare cibi vsus eiusmodi esse debet, qui ad solam necessitatē referatur, itemque vinū neque omnino respui debet, si quando valetudinis causa assumendum sit, neque studiosè nimis, si necessitas non sit, exquirendum, ac reliqua omnia similiter eiusmodi sunto, vt necessario ad victum vsui, non autem libidinosis voluptatibus inseruiant eorum qui se ad religionis exercent cultum. Cum autem ad orationem nulla non vitæ pars opportuna habenda sit: quia tamen datis quibusdā interuallis ab illa psalmodię genuque flexionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is est maxime horarum modus tenendus, qui à veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille Dauid ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ*, quem sane Paulus quoque & Silas secuti reperiuntur, cum in carcere positi, circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem Propheta: *Vespere, mane, & meridie.* Quin & Spiritus sanctus circiter horam diei tertiā fuit, sicut ex Actis accepimus, quo tempore cum propter variam illam linguarum efficacē vim, Pharisęi discipulos irriderent, negauit Petrus eos ebrios esse, qui ea loquerentur: siquidē horam illam tertiā fuisse. Porro nona dominicæ passionis memoriā refert, illius quæ vitæ nostræ causa susceptā est. Verum quoniam item hoc est apud eundem Dauid, *septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ:* tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum conficiunt: bipartito diuidenda meridiana oratio est, ita videlicet vt pars vna cibum præcedat, alter subsequatur, quo perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas † dierum conuersiones laudibus celebrandi. Mulieres à monasteriorum ingressu prorsus arcentor. Viri non quiuis temere admittuntor, sed ij tantummodo, quos idoneos, qui ingrediantur antistes iudicarit. Plerumque enim hæc temere facta omnibus ingrediendi potestas intempestiuorum quorundam sermonum, ac narrationum minime conuenientium causa est, ex quibus animus in futiles, miniméq; necessarias postea cogitationes delabitur. Quocirca communis quædam statui lex debet, vt solus antistes ipse consulatur, & respondeat de rebus ijs, ad quas necessario videatur debere responderi: reliqui nugantibus oblocutionibus varijs nihil respondeant, ne ad perpetuandam nugacium verborum seriem illi pertrahantur. Apotheca vero communis omnium sit, neque proprium alicuius quicquam nominetur, non vestimentum, non calceamentum, non denique aliud quippiam eorum, quę ad necessarium corporis vsum spectant. Sed ea potestas antistitis sit, vt ex iis quæ in communi posita fuerint, vt quodque cuique aptum esse ad vsum iudicauerit, ita ab eo illi pro tempore assignetur, idq; iuxta præpositi sententiam. Porro in huiusmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas coiri seorsum aut * amicitias, aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ quæ in hanc magis, quam in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quamobrem æqualiter se diligere inter se omnes debent, idemq; aduersus vniuersum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quod si quis inuentus fuerit, qui maiore quadam animi propensione monachum, fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportebit vt iniurium publicæ charitati. Siquidem in eo quod quis aliquem vnum plus diligit, facilè indicat reliquos se in amore inferiores habere. Iis autem qui in culpa aliqua deprehensi fuerint, ad magnitudinem delicti, pœnæ etiam modus accommodatur, videlicet vt vel in communi cum cæteris psalmorum decantationi interesse prohibeantur, vel ad orationis communionem neutiquam admittantur, itémque à cibi communicatione arceantur. Qua in re qui erit communis disciplinæ moderator, is cum magnitudine culpæ, pœnam etiam commetietur. Porro quæ necessario in communi conuentu tractanda ministeria sunt, ea mutatis * in orbem vicibus circumaguntor, biniique singulis hebdomadis necessarium omne in hoc genere munus explento, vt & humilitatis merces communis sit, neque cuiquam facultas in rebus etiam laudabilibus cæteros superandi amplior detur, & vt æqualiter à laboribus requiescere omnes possint. Nam hæc laboris & requietis repetita identidem vicissitudo lassitudinem laborantes sentire non sinit. Cum autem necessaria aliqua de causa necesse fuerit in publicum prodire, antistitis arbitrium sit, eos ad hoc diligere, quos idoneos, qui prodeant, ipse iudicauerit: itémque contra præcipere, vt domi remaneant, quorum similiter ex re hoc esse censuerit. Plerumque enim in adolescentum corporibus, tametsi summopere continentia colenda macerare se studeant, nescio quomodo naturalis ętati illi coloris quasi decor quidam efflorescit, in quem qui inspexerint, ij libidinum plerumq; stimulis solent permoueri. Quocirca si quis sit, qui quod ad corporis florem attinet, adolescens sit, is huiuscemodi decorem suum occultato, eumq; tamdiu celatum teneto, quo ad species pulchritudinis

γνώμη. — † γεραρώτερον *lege* γερανώτερον *aut* γεραίτερον. — *Rom.* 13. — 1. *Tim.* 3. — γνώμη. — 2. *Thess.* 3. — ἐγκράτειας ὅρος καὶ κανών. — *Psal.* 118. — *Act.* 16. — *Psal.* 54. — *Act.* 2. — *Psal.* 118. — *Meridiana oratio cur bipartito discreta.* — † τῆς ἡμέρας περίοδον διαφορία. — *Hoc meum, hoc tuum à monasterijs proculsito.* — * μερικὰς φιλίας καὶ ἑταιρείας. — *Pro modo delicti sit & pœna modus.* — * εἰς περιόδου. — γνώμη. — τὸ σῶμα.

† εἰς περίπουσαν κατάσασιν. tudinis illa, ad maturum † statum aliquem peruenerit. Iracundiæ autem, aut memoriæ iniuriarum, aut inuidiæ, aut contentionis nullus prorsus sit neque gestus, neque motus, non verbum, non oculorum acris obtutus, non vultus conformatio vlla, non aliud quippiam, ex quo eorum, quibus cum viuimus, irritari animus possit. Quod si fortè alicui euenerit, vt prior ipse ab alio læsus sit, hæc nequaquam idonea haberi peccati excusatio debet, quo ille teneatur. Siquidem malum, vt quouis tempore perpetretur, nihilo tamen minus propterea æquè semper est malum. Iusiurandum de fratrum conuentu prorsus expellitor. Si quis autem vel nutu capitis, vel simplici voce assensus fuerit, id pro iureiurando habeatur, tam ei qui dicit, quàm ei qui audit. Si quis vero simplici alicuius affirmationi fidem non habuerit, is indicio est de sua ipsius mente, se videlicet, dum loquitur, veritatem non semper seruare, eáque re à magistro ordinis in delinquentium referri numerum debet, & salutari imposita mulcta ad sanitatem restitui. Completo iam die, omnique opere cum corporis, tum spiritus etiam absoluto, præclare fiat, si diligenter vnusquisque antequam cubitum eat, cum animo suo conscientiam suam exquirat, ac si quid quis vel cogitauerit, vel etiam locutus fuerit eorum quæ non decent, vel si inter orandum minus attentus, aut in psalmorum decantatione tædio anxius fuerit, aut communis vitæ desiderio se senserit titillatum, admissum à se delictum nullo modo occultum teneto, sed in medium audientibus cunctis enuntiato, vt per communem orationem sanetur morbus illius, qui in eiusmodi malum inciderit.

Γνώμη. Δόγμα memorabile.

Eiusdem de institutione Monachorum, Sermo.

Ἀσκητικὸς βίος. Monachorvm vitæ ratio vnum sibi tantummodo propositum habet, animæ salutem, & quicquid prodesse ad eum finem potest, id vt tanquam Dei mandatum cum timore obseruet. Neque enim ipsa Dei mandata quicquam aliud spectant, nisi vt salutem adipiscatur is, qui ipsis auscultauerit. Conuenit igitur, vt quemadmodum qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant: ita & qui colendæ pietatis causa ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitę, quod est secundum philosophiam, ingrediantur. In hoc autem illud caput est, & in quo præcipue elaborare Christianus debet, vitiosas animi affectiones diuersas ac varias quibus illius anima infici solet, ab se segregare. Deinde oportet, vt qui ad excellens hoc & sublime vitæ genus aspirat, is pecunia sua omni se spoliet. Si quidem earum rerum, quę sunt cum materia coniunctæ, solicitudo, procuratioque magnopere mentem atque animum distrahunt. Quoties igitur plures inuenti fuerint, qui eodem sibi cuncti proposito fine, vitam vnà inter se agere decreuerint, hoc cum primis firme tenere illi debent, vt cunctorum vna omnino mens sit, & voluntas vna & idem prorsus desiderium, & vt iuxta legem quam sancit Apostolus, omnis quæ in vnum conuenerit multitudo, corpus vnum efficiatur ex dissimilibus inter se membris coagmentatum. Hoc autem aliter nullo modo legimus confici posse, nisi apud eos illud probè stabilitum teneatur, vt nihil quicquam suum cuiusquam esse præcisè & peculiariter dicatur, non vestimentum, non vas, non aliud quippiam eorum, quæ ad societatem vitæ conducunt, ea re, vt singula hæc vtilitati communi, non autem priuato sibi vendicantis commodo seruiant. Et quemadmodum vestimentum quod contractius est, amplioris staturæ corpori conuenire non potest, itemque contrà, quod iustæ staturæ habile esset, id exiguo corpori non conuenit: sed quicquid vnicuique aptum est, id vtile est, & commodum: item quoque seruari in reliquis rebus idem debet, vt lectus videlicet, vt stragulæ vestes, vt calidum indumentum, calceamentumque eius sint, quibus valde his opus sit, non autem eius qui illa possideat. Vt enim medicamento non is vtitur, qui sanus est, sed qui saucius, sic iis etiam, quæ leuandi causa corporis inuenta sunt, is vti debet, non qui delicatulus est, sed qui imbecillus. Quoniam autem varia sunt hominum ingenia, neque similiter de rebus vtilibus omnes iudicant, tollendæ causa omnis, quæ oriri posset, perturbationis, si vnusquisque videlicet eum maxime sequi ritum vellet, quem adamasset, illud curandum est, vt qui omnium testimonio omnibus in rebus prudentia & grauitate, vitæque sanctitate, cæteris omnibus præstare iudicatus fuerit, hic deligatur, qui cæteris præsit, quo videlicet virtutis, quæ in ipso sit, fructus promiscuè in cunctos redundet, qui eum sint imitati. Vt enim si plures pictores, omnes, separatim quisque, vnius oris alicuius formam effingant, effictæ illæ omnes imagines similes inter se sint: eodem modo si multiplicia multorum ingenia, animi vnius alicuius constantes mores sibi imitandos proposuerint, præclaræ in cunctis vitæ forma eluceat necesse est. Delata igitur ad vnumquempiam de communi omnium consensu, potestate, priuatę cuiusque separatim omnes facessere voluntates debent, seseque cuncti deinceps, ad magistri sui mentem conformare, & præcepto Apostoli obtemperare, qui excellentioribus potestatibus subiectos esse omnes iubet, qui cum ipsis restiterint, ipsi sibiipsis damnationem inueniant. Porrò vera perfectáque subiectorum aduersus moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex eius consilio non à rebus modo flagitiosis abstineat, sed si, ne ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum perpessio vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid sunt, at si quis propriæ obsequens voluntati spretis consiliis antistitis sui, id facere voluerit, quicquid ipsi collibitum sit, hic plus erit, quod faciet mali, quàm quod boni. *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, & præmium obedientiæ maius debetur, quàm rectè facto cum continentia. Porrò nihilo minus communi æqualique inter se omnes charitate esse animati debent, atque naturaliter homo quisque aduersus sua ipsius membra est, quilibet enim æqualiter sanum totum suum corpus vult, quando læso vno aliquo membro, dolor ex eo in totum corpus redundat. Verum enim sicut in nobisipsis, etsi singularum corporis nostri partium dolor, æque in totum corpus permanat, sunt tamen membra alia alijs nobiliora (neque enim similiter affecti sumus, & cum ex oculo, & cum ex pedis digito laboramus, etiamsi vtrimque iuxta angat dolor,) sic quoque in cuncto conuentu seruari debet, vt videlicet cum æqualiter misericordia ex malis cuiusque moueamur, & similiter charitate aduersus omnes simus propensi, nihilominus tamen ijs, qui vtiliores sint, maiorem, vt æquum est, honorem habeamus. Quoniam autem æquali prorsus inter se vicisim charitate complecti omnes debent, iustitia violatur, quotiescunque in communi conuentu priuatæ aliquæ coitiones reperiuntur, aut sodalitates. Qui enim vnum aliquem magis quàm cæteros dirigit, is, quod non perfectè cæteros diligant, de seipso indicio est. Quocirca similiter ex conuentu reiicienda sunt, & turpis & indecora contentio, atque amor iste singularis. Siquidem ex contentione inimicitiæ, ex amore autem singulari, sodalitateque, suspiciones, inuidiæque oriuntur. Vbique enim æqualitatis defraudatio, inuidiæ, odiique materia ac seminarium existit iis, qui ea defraudantur. Quare factum est vt præceptum etiam à Domino nobis sit, vt bonitatem imitemur illius, qui solem suum oriri facit super iniustos, nihilominus atq; super iustos. Quemadmodum igitur Deus promiscue omnibus lucem impartitur; sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent: quandoquidem vbi deliquium patitur charitas, eo prorsus eius loco odium succedit. *Quod si* vt Ioannes ait, *Deus charitas est*, sine dubio necesse est diabolum odium esse. Vt igitur qui charitatem habet, is Deum habet, sic qui odium habet, is diabolum in seipso nutrit. Quocirca æqualis, similisque ab omnibus tenenda aduersus cunctos charitas est, vnicuique autem separatim pro cuiusque decoro, honos habendus. In his autem, quos hoc modo charitas inter ipsos coniunxerit, ac copularit, ad maioris amoris cumulum conciliandum, nihilo plus momenti afferet naturalis sanguinis necessitudo: neque si aliquis quidem frater alicuius germanus sit, filiusve, aut filia, huic maiorem charitatem quam cæteris consanguinitatis vinculum conciliabit.

Καινὼν cedro dignus. A similli Apostoli sententia. 1. Cor. 13. Simile. Ἀνομοίωσις. ἦθη. Βεβαίωσις ducta à simili. Rom. 13. Veriſſima obedientiæ ἀπόδειξις. Rom. 13. Perfi at in metaphora corporis & charitatis. ἰδιαζούσας φρατρίας καὶ συσκηνίας. Γνώμη. Mat. 5. Βεβαίωσις petita à simili. 1. Ioan. 4. ἐπαγωγὴ ex collatione.

Qui enim in rebus huiusmodi naturam sequitur, is plane declarat seipsum nondum ex toto à naturali defecisse affectu; sed adhuc regi carnis imperio. Sermo futilis, & quæ è familiaribus ac mutuis congressionibus mentis importuna nasci solet distractio, prorsus exterminantor, at si quid ad animarum ædificationem vtile sit, de hoc tantummodo sermo habeatur. Quin in ijs ipsis quoque quæ vtilia sunt, ordinis, modestiæque, & temporis ad loquendū idonei habenda ratio est: & quæ dicenda sunt, ea ab ijs dici debent, quibus permissum sit loqui. Quod si ex inferiorum numero aliquis sit, is tandiu expectato, quoad à superiore ad loquendum fuerit inuitatus. Susurrationes vero, atque in aurem locutiones, & quæ per nutus fieri solent, significationes, hæc omnia à fratrum conuentu longissimè submouentor. Nam & detractionis suspicionem habet susurratio, & quæ nutu fit significatio, ea fratri indicio est malicioſum aliquem dolum in re obscurè latere. Porro ex istiusmodi rebus odia, suspicionésque nascuntur. Quoties vero de re inter se colloquium haberi conueniet, vocis modum ipsis necessitas ipsa definiet, vt scilicet cum eo, qui propinquior sit, pressius agatur, qui autem remotior, is altiore aliquanto voce appelletur. Illud autem vt aliquis in dando alicui consilio, hortationeue de re aliqua adhibenda, maiore, asperioréque vtatur vocis sono, hoc vt res contumelioſa, è conuentu prorsus amouetor. Egredi vero extra monasterium, præterquam vbi statutis temporibus necessitas postulauerit, nemini licitum esto. Verum quoniam non virorum modo conuentus sunt, sed etiam virginum, cætera quidem omnia quæcunque hactenus præcepta tradidimus, æque vtrisque communia sunto. Vnum tamen illud scire conuenit, longe accuratiorem, maioremque in fœminarum vita quàm in virorum, disciplinam requiri, veluti voluntariæ paupertatis virtutem, quietem atque silentium, obedientiam, studium in sorores, cautionem in publicum prodeundi, diligentem quibus cum colloquium sit, animaduersionem, parem inter ipsas mutuo beneuolentiam, & illud, quod nulla seorsim apud eas conuenticula sint. In his enim omnibus in virginum vita accurandis, maiore quodam multo opus est studio. Porro cui communis disciplinæ commissa moderatio fuerit, ea non quæ iucunda sororibus sint, quærito, neque illud studeto, vt illarum cupiditatibus † gratificetur: sed illud agito semper, vt retenta grauitate, seueritateque, se illæ & metuant simul, & reuereantur. Siquidem scire illud debet, eorum omnium, quæ in communi commissa delicta fuerint, rationem se apud Deum reddituram. Similiterque sorores ipsæ totius congregationis neutiquam à magistra sua illa quærunto, quæ suauia, sed quæ vtilia sint, ac fructuoſa, neque de iis quæ sibi imperentur, litigiosè cum ea disputanto. Huiusmodi enim consuetudo meditatio quædam, ac via est ad rebellionem: sed sicut præceptis Domini, reiecta omni disceptatione, autoritatem summam tribuimus, scientes quod omnis scriptura diuinitus inspirata etiam vtilis est: sic sorores quoque iussa antistitis suæ omni cum animi expletione suscipiunto, omniáque quæ sibi data ab illa consilia fuerint, alacri animo exequuntor, non ex tristitia, necessitateve, vt videlicet ipsarum obedientia mercedem promereatur. Neq; vero modo in eo consiliis illius obtemperanto, cum ea doceantur quæ ad maiorem quandam arctioris disciplinæ seueritatem spectent, verum in eo etiam ipsi auscultanto, quandocunq; vel à ieiunio cessare, vel idoneum ad reficiendas amissas vires cibum sumere ipsas iusserit, aut aliud quippiam eorum, quæ ad laborum leuamen pertineant, ita postulante vsu, faciendum adhortetur, cum illud planissime sibi habeant persuasum, legem esse, quicquid ab illa dicatur. Quoties verò ex necessitate aliqua inciderit vt de re aliqua earum, quæ quotidianus vitæ vsus requirit, facienda verba sint, apud virum aliquem, siue apud eum, cuius procuratio illa sit propria, siue apud alium quemuis, cuius ad id quod quęritur, vtilis esse opera possit, sane esse antistes ipsa debet, quæ loquatur, adhibitis secum de sororum numero vna, alterave, quæ & propter spectatam ipsarum superioris vitæ probitatem, & ætatis maturitatem, sine periculo in conspectum & colloquium venire alicuius possint. Si verò sit aliqua, cui ipsi seorsum vtile aliquid inmentem venerit, quod dicat, hæc de eo cum magistra communicato, atque ita quod dicendum fuerit, per illam dicetur.

χανὼν *sertandus*

† χεχωρισμένην, *lege*, κεχαρισμένην.

ἐυχχμεσύνη.

ἀκολυθία ἀμαρθίας.

1. *Tim.* 3.

2. *Cor.* 9.

Eiusdem Proœmium in præceptiones latius disputatas.

POSTQVAM Dei gratia in nomine Domini nostri Iesu Christi in vnum conuenimus, qui vnum & eundem secundum veram pietatem viuendi nobis finem proposuimus, vosque haudquaquàm obscurè præ vobis fertis, eorum, quæ ad salutem vestram pertineant, expetere aliquid † δικαιώματα. discere, mihique viciſſim † iustificationes Dei annunciandi necessitas incumbit: quippe Apostoli verba illa dies noctesque assiduè mecum memoria versanti quando ait: *Per triennium nocte & die non cessaui cum lacrymis monere vnumquenque vestrum*: cum egregiè ad hoc ipsum accommodata huius occasio temporis sit, tum non minus etiam idonea loci ipsius opportunitas est, qui ab omni externo strepitu tumultuque longissimè sit remotus, & vt hoc facere possimus, pacatissimam nobis quietem largiatur. Hæc igitur cum ita sint, agedum inter nos vicissim alij pro alijs oremus, vos quidem, vt nos conseruis nostris dare possimus tritici mensuram in tempore opportuno: nosque item, vt vos susceptò sermone nostro more feracis soli, perfectum, & multis partibus vberiorem iustitiæ fructum afferatis, sicut scriptum est: Obsecro igitur vos per charitatem Domini nostri Iesu Christi, *qui dedit semetipsum pro peccatis nostris*, incipiamus aliquando soliciti esse de animabus nostris, doleamus superioris vitæ vanitatē, de eo, quod ad viuendum nobis reliquum est, temporis spatio attentiore cura cogitemus ad gloriam Dei, & Christi eius, itemque adorandi, sanctique spiritus. Nolimus obsecro perpetuo in hac socordia, dissolutioneque permanere, ne, dum quod præmanibus est, in aliud semper tempus reiicimus & futiliter deterimus atque in perendinum, ac reliquos ordine insequentes dies rectè viuendi initium differimus, inopinantes deinde ab eo qui animas nostras repetit, imparati à bonis operibus inuenti, ab illa nuptialis thalami lætitia excludamur, ac tum demum, cum id prodesse nobis nihil iam poterit, alieno tempore casis & frustraneis lacrymis lamentemur: tuncque malè prætermissum vitæ tempus deploremus, quando nullus amplius querelarum esse poterit fructus. *Nunc tempus acceptabile*, inquit Apostolus, *nunc dies salutis*. Vita hæc pœnitentiæ vita est, illa præmiorum: seculum hoc quæstus est per opera pietatis promerendi, illud rependendæ mercedis: hoc tolerantiæ, illud consolationis recipiendæ. Nunc adiutor conuertentium se à via mala est Deus, tunc factorum omnium humanorum pariter ac dictorum, cogitationumque formidabilis & quem nemo fallit, inquisitor. Nunc in indulgendo illius longanimitatem experimur, tunc in iudicando æquitatem cognoscemus, cum videlicet resurrexerimus, alij ad supplicium æternum, alij contrà ad vitam æternam, & receperit vnusquisque secundum opera ipsius. Quousque tandem præceptis Christi, à quo ad cœleste ipsius regnum vocati sumus, obtemperare cessabimus? Nonne ad nosmetipsos per resipiscentiam redibimus aliquando? nonne à praua nos communis vitæ consuetudine abducemus? & ad perfectionem euangelij conferemus? Nonne ante oculos nobis horribilem cunctisque illustrem & conspicuum futurum illum nouissimi iudicij diem proponemus? quando qui rectè vixerint, ad dexteram Dei collocabuntur, & cœleste regnum adipiscentur: contra, qui male, ad siniſtram retrusos ignis gehennæ, & sempiternæ tenebræ perpetua * caligine inuoluent. *Ibi*, inquit, *erit fletus & stridor dentium*. Enimuero nos quidem cœleste regnum concupiscere nos ingenuè profitemur, de iis autem rebus, per quas illud assequi possumus, soliciti nihil sumus. Cumque nullum pro tenendis Domini mandatis laborem velimus susciperе, vana quadam persuasione pares nos cum illis honores adepturos putamus, qui vsque ad mortem ipsi peccato restiterunt. Quis quæso vnquam qui sementis tempore, domi desederit ociosus, aut etiam dormiens, vbi postea messis aduenit, sinum suum manipulis impleuit?

* καταχρῦ ϕει.

Matt. 25.

Matt. 13.

Galat. 1.

2. *Cor.* 6. ἀιῶν.

πρoιέμενος τὸν παρὸν.

Metaphora elegantes.

impleuit? Quis ex vinea, quam ipse non plantauit, vuas vnquam collegit? illorum enim sunt fructus, quorum & labores, sicut coronæ præmiaque illorum, qui victores euaserint. Quis enim eum, qui ne in certamen quidem cum aduersario descendit, corona vnquam duxit esse insignendum? cùm ad eam promerendam, non victoria modò, sed legitimus etiam in certando conflictus requiratur, vt est apud Apostolum, quod quidem nihil aliud est, quam vt eorum, quæ obseruanda descripta sunt, nihil omnino quicquam prætermittatur, ac singula ita fiant, vt à præscripto nihil discedatur. *Beatus enim, inquit, seruus ille, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit* non simpliciter quiuis facientem, *sed sic facientem.* Et, si rectè quidem obtuleris, non rectè autem diuiseris, peccasti. Nos verò si vel vnicum nos mandatum confeciſſe arbitrati sumus (neque enim confeciſſe nos dixerim: omnia siquidem, si quis rectè illorum finem perpenderit, connexa illa inter se ac cohærentia reperit: atque adeo, vt vno soluto, reliqua etiam omnia vnà cum eo solui necesse sit) non propter ea, quæ facere negleximus, metuimus ne pœnæ dandæ nobis sint: sed pro eo quod rectè fecerimus, præmia videlicet atque honores expectamus. Qui de decem talentis, quæ depositа apud se sint, vnum aut alterum retinuerit, reliqua verò omnia Domino reddiderit, non ea re iustus habeatur, quòd maiorem partem reddiderit, sed improbus ac fraudulentus, quòd minore illa defraudarit, arguetur. Sed quid dico defraudarit? quando cui vnum modo talentum creditum fuerat, & illud ipsum quod acceperat, integrum, ac nulla ex parte imminutum reddiderat, propterea quòd ad illud quod sibi datū erat, nihil acquisiuerat, malè videamus fuisse mulctatum. Simili ratione, qui decennium totum debitum patri honorem habuerit, is si eum postea semel tantum pulsauerit, non vt bene de illo meritus, honore aliquo afficitur, sed vt parricida condemnatur. *Euntes,* inquit Dominus, *docete omnes gentes, docentes eos,* non hæc quidem obseruare, illa autem negligere, sed *omnia obseruare, quæcumque præcepi vobis.* In quam sententiam illa etiam scripta sunt ab Apostolo: *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibentes nosmetipsos, sicut Dei ministros.* Neque enim, si præcepta non omnia ad salutem, quam petimus, necessaria essent, literis omnia fuissent mandata, neque apertè fuisset edictum, vt omnia seruarentur. Quid enim quæso mihi reliqua omnia, quæcumque rectè fecero, sunt profutura, si quòd fratrem meum modo fatuum appellauero, idcirco sempiternis gehennæ cruciatibus addicēdus sum? Quemadmodum, quid prodest alicui data à plerisque libertas, si is vel vni modo seruiat? *Qui enim peccatum facit,* inquit, *seruus est peccati.* Quid vero in hoc esse emolumenti potest, vt quis prauas omnes suas cupiditates compressas teneat, si is idem corpus suum vni tantum addictum perdendum tradat? Sed hic dicet aliquis fortasse: Quid obsecro maxima Christianorum pars, quæ Dei omnia præcepta non seruat, itáne propterea quod quibusdam satisfecerit, nullum ex ea re refert fructum? Ad hæc scitum fuerit, si illud principis Apostolorum recordemur, meminerimusque, quia post tot præclarè sibi acta, & beatitudinis à Christo delatam gloriam vnius dumtaxat errati gratia audiuit? *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Neque nunc illud dico, quod neque id, quamobrem grauem adeo comminationem audiuit, eiusmodi erat, quod ipsius aut negligentiam vllam, aut contemptum Domini indicaret: quin contra potius honoris exhibendi ac reuerentiæ ipsius erga Dominum suum significationem fuisse expressissimam. Sed dicat aliquis haberi in sanctis literis, saluum futurum, quicumque inuocauerit nomen Domini, ac propterea satis esse vnicuique ad salutem adipiscendam, hanc Dominici nominis inuocationem. Verum enim is etiam audiat velim, quæ dicantur ab Apostolo: *Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt?* Quod si non credis, audi quæ Dominus dicat: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Quando sanè is qui Domini voluntatem facit, non item eo modo, quo Deus vult, & charitate, quam aduersus Deum habeat, inductus hoc faciat, studium ei illud nihil prodest: idque ex sententia ipsius Domini nostri Iesu Christi, cuius verba sunt hæc: *Faciunt enim vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Et hac Christi doctrina eruditus Apostolus dixit: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Prorsus autem tripartitam hanc ego summam Deo parendi necessitatem animaduerto. Nam aut metu supplicij à vitiis declinamus, atque ita animum seruilem induimus: Aut mercedis spe ducti, ad vtilitatem nostram præceptorum obseruationem referimus, atque hoc modo mercenariis efficimur similes: Aut certè, honestate ipsa impulsi, charitateque, quam erga ipsum habemus à quo legem accepimus, gaudentes quod digni habiti simus, qui adeò glorioso, ac benigno seruiremus Deo, ipsi paremus, atque hoc modo bonorum filiorum erga parentes suos animum imitamur. Neque igitur, qui aut supplicii metu imperanti aliquid Deo obtemperat, assidueque suspectam negligentiæ pœnam habet, is cum eorum, quæ facere iussus fuerit, partem executus fuerit, partem omittet: quin potius vbicumque dicto audiens non fuerit, imminentis sibi supplicij grauitatem pertimescet (quæ quidem causa est etiam quamobrem & beatus is nominetur, quicumque ex religione ad omnia paueat) in veritate autem stabilis stat, vereque dicere illud potest: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* Siquidem volens animum nunquam inducit, vt eorum quicquam prætermittat, quæ officij necessitas fieri oportere præscribat. Similiterque illud etiam: *Beatus vir qui timet Dominum.* Quid ita? *quia in mandatis eius volet nimis.* Ex quo sanè colligitur non esse eorum, qui timent Deum, aliquid prætermittere quæ præcepta sint, aut negligenter exequi. Sed neque mercenarius animum vnquam inducet, vt eorum sciens aliquid negligat, quæ præcepta sunt. Qui enim fieri poterit, vt susceptі in cultura vineæ laboris mercedem ferat, nisi quæ ex pacto condicta re ipsa præstiterit? quandoquidem si vel vnum modo, de iis, quæ necessaria sint, neglexerit, is inutilem seipsum Domino reddidit. Quis est autem qui damni mercedem, iniuriæ autori persoluat? Tertium erat, opera, quæ ex charitate dabatur. Hic quæro, quis est filius, qui propositа ipsi parentis gratia, cùm in rebus illi maioribus obsequatur, in iis quæ leuioris momenti sint, prudens ipsum velit offendere? ac non multò magis verborum Apostoli illorum meminerit, *Et nolite contristare Spiritum sanctum, in quo obsignati estis?* Qui igitur maiorem præceptorum partem obire neglexerint, hi quo tandem in horum se numero reponi volunt? qui neque Deo, vt parenti obsequantur, neque vt magna pollicenti obediant, neque vt Domino seruiant? *Si enim pater sum,* inquit, *vbi est honor meus? Et si Dominus sum ego, vbi est timor meus? Qui enim Dominum timet, is in mandatis eius volet nimis. Per transgressionem autem legis,* inquit, *Deo contumeliam facis.* Qua ratione igitur qui in voluptate magis, quàm in Dei mandatis vitam agere maluerimus, vitæ beatitudinem, & æquale cum sanctis in cœlesti republica ius, municipiumve, & cum angelis inenarrabilem lætitiam, ante Christi conspectum nobis pollicemur? Prorsus amentium talia secum comminiſci. Quî enim vnà cum Iob profero ego collocari, qui ne leuissimum quidem * incommodum vnquam cum gratulatione susceperim? Qui cum Dauid, qui lenitatem aduersus hostem non adhibuerim? Qui cum Daniele, qui non per continentem abstinentiam, & precationem sedulam Deum exquisiuerim? Qui denique cum sanctis singulis viris, qui illorum vestigia secutus non sim? Quis quæso ludorum Gymnicorum arbiter adeo nullo est iudicio, qui paribus censeat oportere coronis dignari, & qui ex certamine victores euaserint, & qui nullum in certaminibus laborem susciperе voluerint? Qui exercitus ductor vnquam in æquam prædæ partem cum victoribus eos vocauit, qui nuspiam in prælio comparuerint? At enim bonus est Deus, at idem etiam est iustus. Porrò iustitiæ proprium est, vt suum cuique pro merito reddatur, sicut scriptum est: *Bonis benefac Domine: declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Misericors est Deus? at idem etiam est iudex. *Diligit enim,* inquit,

Τινὰ μὴ ex collatione. — 2 Tim. 2. — Luc. 12. — Gen. 4. — Argum. à simili. — Βεβαίωσις per alterū simile. — Matt. 28. — 2. Cor. 6. — Siue commendantes, συνιστῶντες ἑαυτούς. — Perstat in metaphora. — Ioan. 8. — Ioan. 13. — Rom. 18. — Matt. 7. — Beatus homo qui semper est pauidus. — Psal. 15. — Psal. 111. — παραγωγή. — Ephes. 4. — Malach. 1. — Psal. 111. — Rom. 2. — * τὴν τυχοῦσαν θλῖψιν. — Psal. 124. — Psal. 32.

quit, *misericordiam & iudicium Dominus.* Iccirco, *Misericordiam,* inquit, *& iudicium cantabo tibi Domine.* Qui autem illi sint, aduersum quos ille misericordia vtatur, nimirum ex verbis illis didicimus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Animaduertis quanta cum discretione, misericordia Dominus vtatur. Siquidem neque citra iudicij * discretionem clemens est, neque inclementer iudicat. *Misericors enim & iustus est Dominus.* Hæc igitur cum ita sint, nolimus quæso nos Deum ex dimidia tantum parte cognoscere, neque eius erga nos bonitatem ad ignauiæ occasionem arripiamus. Propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, vt ne bonitas contemnatur. *a Qui solem oriri facit, b* is cæcitate etiam multat. *c* Qui imbrem dat, *d* etiam ignem pluit. Illa clementiæ, hæc seueritatis: Aut enim per illa ad amandum alliciamur, vel per hæc ad metum assuescamus, ne nobis quoque dicatur: *e An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quoniam igitur neque salui esse possunt, qui opera, quæ fieri Deus iussit, non fecerint, neque periculo vacat, si quis eorum aliquid præterierit, quæ imperata sint (siquidem graue est hoc arrogantiæ genus, velle nos legislatori iudices assidere, & delatis ab eo legibus pro arbitrio nostro alias ascisere, & approbare, alias repudiare.) Agedum nos qui veram tueri pietatem habemus in animo, quique quietam, & vacuam negotiis vitam, tanquam ad conseruanda Euangelij dogmata adiutricem nobis tanti æstimauimus, communiter susceptа cura, rationem quisque ineamus, ne quid omnino eorum, quæ à Deo iussa sunt, nos effugiat. Etenim, si hominem Dei oportet perfectum esse, sicut scriptum est, & ita esse à nobis allata superius ratio docuit: prorsus necesse est, vt præceptis is omnibus defungendis efficiatur *perfectus in mensuram ætatis plenitudinis Christi,* quando etiam ex diuina lege animal quod aliqua sui parte accisum & imminutum sit, etiam si sit mundum, Deo ad sacrificium acceptum non † ὁ θεῶς ἔχειν. est. Quamobrem quod sibi † abesse quisque arbitratur, hoc communiter in medium omnibus consultandum proponito. Facilius enim id adhibita à multis diligenti perue-stigatione, in lucem eruetur, quicquid cognitionem nostram nunc fallit, quippe cum Deus videlicet, sicut pollicitus est Iesus Christus Dominus noster, largiturus sit nobis, vt à Spiritu sancto admoniti, doctiqué inuenire possimus quod quærimus. Quemadmodum igitur *mihi necessitas incumbit, & væ mihi nisi euangelizauero,* itidem vos quoque in pari mecum estis periculo, si aut in exquirendo segniores, aut ad ea quæ tradita vobis fuerint, conseruanda, & re ipsa conficienda, lento animo fueritis, ac dissoluto. Propterea Dominus dicit: *Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Et item: *Seruus, qui nescierit voluntatem domini sui, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis, qui vero sciuerit & non fecerit, vapulabit multis.* Oremus igitur communiter fratres, vos quidem, vt hoc delatum mihi loquendi munus careat offensione, ego vicissim, vt doctrina mea vobis accidat fructuosa. Tanquam igitur, qui sciamus fore, vt ex aduerso nobis ante Christi tribunal ea statuantur, quæ in diuinis literis memorata sunt: *Arguam enim te,* inquit, *& statuam contra faciem tuam peccata tua:* Ita aduigilemus, & quæ dicuntur sedulo attendamus, studioseque in id incumbamus, vt re ipsa Dei scita conficiamus, quia nescimus qua die, aut qua hora Dominus noster venturus sit.

Psal.100. *Matt.5.* ἐλεήμονες. * κεχρημένας. *Psal.144.* Γνώμη. *a Matth.5.* *b 4.Reg.6.* *c Zach.10.* *d Gen.19.* *e Rom.2.* *Ephes.4.* *Ioan.14.* *1.Cor.9.* *Ioan.12.* *Luc.12.* *Psal.49.*

* Τῶν κατὰ πλάτος ὅρων. Capita regularum earum, * quæ fusius disputatæ appellantur, siue interrogationum per monachos propositarum, vnà cum responsionibus D. Basilii.

1 *De ordine & serie mandatorum Domini.*

2 *De charitate aduersus Deum, & quod naturaliter insita hominibus est ad exequenda Dei mandata & propensio & facultas.*

A 3 *De charitate erga proximos.*

4 *De timore Dei.*

5 *De eo, quomodo quis assequi possit, ne mente ad futiles cogitationes distrahatur.*

6 *Quòd necessaria res est secessio, siue singularis vita & secretior.*

7 *De eo, quòd cum iis debemus viuere, qui vnum & eundem sibi nobiscum vitæ finem propositum habent, idq; eo consilio, vt rem Deo gratam faciamus: & quòd difficilis simul, ac periculosa res est, solitarium viuere.*

8 *De nuncio * rebus vitæ huius remittendo.* * περὶ

9 *Quòd naturali sibi necessitudine coniunctis, ad solitariam vitam accedens aliquis, relinquere pecunias suas non debet.* ἀποταγῆς.

B 10 *Quinam ad vitæ genus illud, quod secundum Deum est, admitti debeant, & qua ætate, & quomodo.*

11 *De seruis.*

12 *Quomodo admittendi sint, qui matrimonio sunt coniuncti.*

13 *Quòd rudibus adhuc vtilis est per silentium in pietate colenda exercitatio.*

14 *De iis qui religiosam vitam professi, dein professionem illam conantur rescindere ac reddere irritam.*

15 *Quomodo pueri assumi debeant, quomodo educandi iidem sint atque instituendi, & de professione virginum.*

C 16 *De continentia.*

17 *Quòd in risu etiam continentia seruari debet.*

18 *Quòd omnia sunt degustanda, quæcumque in mensa nobis apponantur.*

19 *Qui sit modus in continentia seruandus.*

20 *Quomodo, quod ad cibos pertinet, accipi à nobis hospites debeant.*

21 *Quæ à nobis teneri ratio debeat in sessionibus, accumbationibusve, quandocumque ad prandium, cœnamve ventum sit.*

22 *Quod vestimenti genus conueniens sit homini Christiano.*

23 *De zona.*

24 *De modo viuendi, quem communiter tenere inter se fratres debent.*

D 25 *Quòd in magno periculo versatur, quicumque, cùm cæteris præsit, delinquentes non arguit.*

26 *Quòd omnia cordis arcana cum antistite communicari debent.*

27 *Quòd ipse etiam antistes ab iis, qui maioris in conuentu autoritatis sunt, admoneri debet, si aliqua in re offendat aliquando.*

28 *Quomodo cuncti animo affecti esse aduersus contumacem debent, siue immorigerum & inobedientem.*

29 *De iis, qui cum elatione animi, aut murmuratione laborant.*

30 *Cuiusmodi animi affectu fratrum curã gerere antistes debet.*

E 31 *Quòd nullo modo refugere debemus, si quando ministrare nobis antistes velit.*

32 *Quomodo animati esse aduersus illos debemus, qui naturali nobiscum necessitudine coniuncti sint.*

33 *Quæ ratio seruari debeat in colloquiis cum sororibus.*

34 *Qualem esse illum par sit, qui res ad vsum fratrum necessarias dispenset.*

35 *Num in vno & eodem pago plures constitui fratrum conuentus debeant.*

36 *De iis, qui extra reliquorum societatem egressi, in solitudinem seorsum secedunt.*

37 *Nunquid propter orationes, psalmorumve decantationem negligi opera debeant, & quæ tempora apta sint orationi, & primò an laborandum sit.*

F 38 *Cuiusmodi artificia professioni nostræ conueniunt.*

39 *Quæ ratio teneri debeat in operibus diuendendis, quæve item in peregrinando.* ἐν ταῖς συνόδοις.

40 *De negociationibus quæ in celebritatibus dierum solemnium agitari solitæ sunt.*

41 *De imperio & obedientia.*

42 *Quid in opere faciendo spectare debeant illi, quicunque opus faciunt.*

43 *Quales esse illos conueniat, qui aliis præsunt: quomodoq; qui in ipsorum ditione sint, gubernare.*

44 *Quibus permitti debeat, vt domo absint: quomodoq; item iidem, cum se domum receperint, exquirendi.*

45 *Quòd præter antistitem, alium etiam esse quendam oportet, qui illo absente, vel aliis in rebus occupato, fratrum curam possit suscipere.*

46 *Quòd neque nostra, neque fratrum nostrorum peccata celare debemus.*

47 *De iis, qui quæ statuuntur ab antistite ac designantur, nolunt admittere.*

48 *Quòd consilia antistitis curiosè inuestiganda non sunt, sed vnusquisque assignatum sibi munus exequi, quantum possit, debet.*

49 *De controuersiis, quæ oriri solitæ sunt inter fratres.*

50 *Qualis esse antistitis obiurgatio debeat.*

51 *Quomodo corrigi debeat culpa illius, qui peccatum aliquod admiserit.*

52 *Cuiusmodi mente irrogatas sibi aliquis animaduersiones debeat accipere,*

53 *Quomodo artium magistri corrigere pueros debeant.*

54 *Quòd de rebus suis communicare inter se vicissim antistites debent, & conferre.*

55 *Nunquid à veræ pietatis proposito alienum sit vti præceptis medicinæ, annon.*

BASILII MAGNI
ARCHIEPISCOPI
CÆSARIENSIS

Regularum fusius disputatarum liber.

INTERROGATIO PRIMA.

De ordine & serie mandatorum Domini.

QVANDO, vt audimus, potestatem ex te quærendi nobis facis, illud abs te scire expetimus cumprimis, num ordo aliquis, seriesve sit in mandatis Dei, ita videlicet, vt vnum primum sit, alterum secundum, ac reliqua deinceps simili modo: an, quòd inter se cohæreſcant, *A simili.* & quod ad principij rationem attinet, paria omnia inter se sint, ita vt securè possit quiuis auspicari, vnde velit, veluti in circulo aliquo.

RESPONSIO.

VETVS est ista quæstio, & iam olim antè in Euangelio tractata, quando scilicet legis peritus ille accessit ad *Matt. 22.* Dominum, eumq; ita est percontatus: *Magister, quod primum mandatum est in lege? & is illi respondit sic: Diliges Dominum Deum tuum ex te corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua, hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ex quibus verbis sine dubio illud apparet, statuisse Dominum ordinem in mandatis suis, quippe qui primum illud ac maximum esse mandatum pronunciauerit, quod est de charitate aduersus Deum. Secundo autem loco, & simile illi primo: imo quod primi perfectionem in se continet, & quod à primo dependet, nempe, hoc de diligendo proximo. Quocirca cum ex his, quæ modo citauimus, tum ex aliis etiam, quæ in sacris literis feruntur, ordo seriesque in omnibus Domini mandatis animaduerti potest.

INTERROGATIO II.

De charitate aduersus Deum.

AGE igitur, quando ita est, primo de charitate nobis edisſere, quæ est aduersus Deum, nam quod charitas haberi debeat, id iam audiuimus: at quonam pacto eam assequi & legitimè præstare possimus, hoc vero ex te scire desideramus.

RESPONSIO.

A simili docetur, quod diligendus Deus.

SAnè quæ ad Deum charitas est, ea non in doctrinæ præceptis posita est. Neque enim aut luce gaudere, aut vitam diligere, aut eos charos habere, à quibus geniti, educative sumus, à quoquam didicimus. Sic igitur ac multo etiam magis, nulla charitatis in Deum externa est disciplina: sed simul atque constitit animal illud (de homine loquor) insita ei naturalis etiam quædam rationis est vis, quæ in seipsa amandi necessitudinis initia continet. Eam vbi schola diuinorum præceptorum excepit, & diligenter excolere & scienter alere, & Dei munere ad maturitatem vsque perducere consueuit. Quamobrem nos quoque studio vestro veluti ad finem, quem nobis proposuimus, necessario assensi, Deo permittente, vobisque vestris nos orationibus adiuuantibus, dabimus operam, vt intus occultam in vobis diuini amoris scintillam pro data nobis à Spiritu sancto facultate, excitemus. Verum enim illud scire nos conuenit, cum re ipsa hæc * vna tantummodo virtus sit, eiusmodi tamen esse eius vim, vt cætera mandata omnia conficiat atq; comprehendat. *Qui enim diligit me,* inquit Dominus, *mandata mea seruabit.* Et item: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ.* Neque vero omnia quæ huc afferri possent in præsentia nobis animus est subtiliter persequi. Siquidem si hoc facere vellemus, imprudenter omnia, quæcumque de diuinis dici præceptis possent, hanc vnam in partem aggereremus. Sed id tantummodo, * quantum facultas nostra fert, & ad id, quod hoc tẽpore spectamus, facit, vos de ea, quam Deo debemus, charitate commonebimus: si prius illud dixerimus; ad omnia nos, quæ descripta nobis à Deo præcepta sunt consequenda, naturales etiam ab ipso facultates accepisse: idque ea re nimirum, ne aut grauatè illis pareremus, perinde quasi insolens aliquid à nobis exigeretur, neve contrà, causam haberemus, vnde animis efferremur, vt qui pluſquam quantum nobis datum esset, ipsi conferremus. Sanè que facultates hæ eiusmodi sunt, vt si his rectè, & vt par est, vsi fuerimus, egregiè pietatem tenentes, ei, quæ cum virtute coniuncta est, vitæ satisfacere possimus: contraque, si earum deprauata à nobis virtus sit, proni in vitia delabamur, quandoquidem hæc est vitij definitio, prauus & à præceptis Domini abhorrens vsus earum facultatum, quæ boni causa datæ nobis à Deo sunt: quemadmodum contrà virtutis, quæ ex Deo est, earũdem vsus, bona adhibita mente, præceptis Domini conueniens. Quod cum ita sit, sine dubio hoc idem etiam dici à nobis debet de charitate. Cum igitur præceptum nobis sit, vt charitatem in Deum habeamus, in ipso confestim ortus nostri initio, vim quandam nanciscimur, per quam nostrapte sponte ad ipsum diligendum impellimur: ad quam quidem rem confirmandam, nihil est cur argumenta foris petamus, cum per se quisque, atque adeo in seipso facillimè illud possit intelligere. Nam & rerum pulchrarum natura appetentes sumus, neq; hoc impedit, quod inter homines de rerum pulchritudine opiniones sint variæ: & item sponte nostra quicquid necessitudine aliqua, propinquitateque coniunctum nobis

ὁτικόθεν.

* ἐν καλὸν θεμα. *Ioan. 14.* *Matt. 22.*

* ὅσον ζυμμέτρον ἡμιν. *Ad exequẽda Dei præcepta cur prius vires ipse suggesserit.*

κακίας ὄρος.

nobis est diligere, & ijs, quicunque bene de nobis meriti sunt, charitatem omnem præstare consueuimus sine pręuia doctrina. Verum quid est quæso pulchritudine diuina admirabilius? quæ notio Dei maiestate excogitari gratiosior potest? quod eiusmodi desiderium quis secum comminisci queat, cuiusmodi est illud, quod animæ vitiis omnibus perpurgatæ diuinitus ingeneratur? adeo vehemens, adeove intolerandum? quæ vere syncereque dicere illud possit, *Ego amore langueo*. Et, *Vulnerata charitate ego sum*. Inexplicabiles prorsus, nec vlli pro dignitate enarrabiles quæ è fulgurantissimo fonte illo diuinę pulchritudinis intermicant ac prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio dignè repræsentet, nullus percipiat auditus, licet Luciferi prænitidum iubar, licet Lunæ splendorem, licet Solis radiantissimam claritatem dicas, obscura ista sunt, si cum eius fulgore comparentur, & nullius prorsus precij, si horum similitudine gloriam illam velis exprimere: plusque à vera luce distant, si cum ea conferantur, quàm distet profunda nox, & cæcæ noctis tenebrę à clarissima luce meridiana. Tantæ istius pulchritudinis dignitatem nemini licet corporis oculis contemplari. Siquidem animo tantum & cogitatione vtcunque apprehenditur. Ea siquando sanctorum virorum quempiam circunfulsit, intolerabilem illorum in animis defixum desiderij aculeum reliquit, quippe qui, cum vehementer eos vitæ huius tæderet, in voces illas erumpere soliti essent: a *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*! Et, b *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*? Et, c *Dissolui, & esse cum Christo longe melius est*. Et, d *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*. Et, e *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, vehementer enim vitam hanc veluti * tetrum quendam carcerem abhorrebant, vsque adeò difficiles ad cohibendum animis erant ij, quorum mentes Dei amor perstrinxerat. Cum enim inexplebili intuendæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, vt æquata infinito sempiternæ vitæ curriculo, sibi iucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur. Sic igitur, duce natura, sua sponte hominum animi ad rerum pulchrarum expetitionem excitantur. Illud autem proprie verèque pulchrum est atque expetendum & amabile quicquid est bonum, at bonus est Deus: quod autem bonum est, id ab omnibus expetitur: ergo Deum expetunt omnia. Ex quo sanè colligitur, quicquid rectè facimus voluntate nostra: eius faciendi vim, nos natura etiam in nobis insitam habere, eos modo, quorum rectam rationem non penitus vitiositas deprauarit. Quamobrem necessarium à nobis veluti æs alienum charitas erga Deum requiritur, qua carere malum est, malorum omnium longè grauissimum. Etenim alienatio à Deo, auersioque cui modo ea contigerit, malum est, omnibus, quę in gehenna expectantur intolerabilius, veluti oculo priuatio luminis, etiam si dolor non adsit, itemque animanti adeptio vitæ. Quòd si iis etiam, qui geniti sunt, naturalis erga eos, qui ipsos genuere, charitas ineat, quod ex ea animi affectione comprobatur, quam cum brutas animates, tum ipsos etiam homines, ipsa prima ætate aduersum matres habere animaduertimus, ne quæso id committere velimus, nos vt aut rationis inopia pusiones istos, aut immanitate feras bestias antecedere videamur, qui & alieno scilicet ab eo, vnde conditi sumus, animo simus ac voluntate, nulláque aduersus illum charitate propęsi: quem profectò, vt ex eius bonitate non nosceremus, at certè ob id vnum, quòd is est, qui nos procreauit, mirabiliter diligere, & charitate summa cõplecti deberemus, perpetuoque de eius memoria non secus pendere, quàm de parentum suorum teneri infantes soleant. Inter eos autè, ad quos diligendos natura incitamur, sine dubio is præstat, qui bene etiam de nobis meritus est. Atque hæc animi affectio non hominum peculiaris est modo, verum ipsis etiam cum omnibus ferè animantibus cęteris communis est, vt videlicet eos diligant, à quibus beneficium acceperunt. *Cognouit enim*, inquit Esaias, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Nolim autem id dictum esse de nobis, quod sequitur, *Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit*. Nam de cane compluribusque eiusmodi aliis animalibus quid attinet commemorare, quàm insignem beneuolentiam declarent & gratitudinem in eos, à quibus ipsis alimenta præbentur? Quòd si natura nobis tributum est, vt ad complectendos beneuolentia atque amore eos excitemur, qui bene de nobis meriti sunt, neque labor est vllus, quem vt illis pro collatis in nos officijs gratiam referamus, non libenti animo excipiamus, quænam obsecro inueniri orationis facultas potest, quę data nobis à Deo beneficia digne satis queat explicare? quæ quidem numero adeò sunt multa, vt numeri vim omnem effugiant: vi vero ac magnitudine tanta, vt vel vnicum modo ex ijs idoneum sit, propter quod nihil non subeamus, vt illius voluntati obsequamur. Ac nimirum hoc loco missa faciã cętera, quę quamuis, si per se singula considerentur, magnitudine, ac dignitate mirabiliter excellunt, illorum tamen, quæ ampliora sunt, claritate maiore, non secus ac stellę eximio splẽdore radij solis offusę ab ea quam ipsa seorsum essent habitura, lucis suę dignitate desciscunt. Neq; enim vacat omissis ijs, quæ amplitudine præstant, ex ijs, quæ sunt minutiora, Dei erga nos benignitatem vt metiamur. Nulla sit igitur mentio solis exortuum, missę fiant lunę conuersiones, aëris multiplex contemperatio, quatuor temporum vicissitudines, aquæ cum cœlestes, tum etiam terrestres, mare ipsum vna cum vniuersa tellure, terrestria aquatiliaq; animantia, nihil de tot volucrum generibus dicatur, taceantur innumerabiles inter se animalium differentiæ. Quid quod hæc omnia in famulitium obsequiumve hominis ordine decentissimo condita sunt? Illud quidem certè prętermitti, etiam si maximè velimus, non potest (quamquam beneficium est eiusmodi, vt cum à cordato modo ac dicendi facultate prædito viro silentio præteriri non queat, tum multo minus ita verbis explicari, vt illius magnitudinem oratio consequatur) quod videlicet cum ad imaginẽ ac similitudinem suam hominem Deus procreasset, eiq; honorem illum habuisset, vt seipsi noscendum tradidisset ac rationis participem effectum mirabiliter vnum præ cæteris animantibus honestasset, eamque esset facultatem largitus, qua se incredibili rerum, quæ in paradiso essent, pulchritudine intuenda summa cum iucunditate oblectaret, eorumq; omnium, quæ in terris cernerentur, imperium detulisset, postea serpentis fraude delusum, atq; in peccatũ prolapsum, & ex peccato inde in mortem, & in ea deinceps quæ adiuncta sunt morti, neutiquã neglexit, sed legem, qua se tueretur, dedit, Angelos custodię ac defensionis causa adhibuit, prophetas ad vitia reprehendenda, ac magisterium & doctrinam virtutis, misit, malitiæ omnis impetus supplicijs denunciandis repressit, vicissimq; rerum bonarum studia pollicitationibus alacritatemq; vtriusq; instituti excitauit, & exitus sæpenumero in diuersis hominibus ad reliquorum commonefactionem ante declaranit. Cumq; hæc & huiusmodi omnia ab ipso nobis præstita essent, & nos tamen nihilominus obstinati eius imperio obsequi recusaremus, nequaquam eo tamen est aspernatus, nec auersari voluit. Ea enim diuina est bonitas, vt neutiquam nos potuerit destituere: neque illud ardentem eius erga nos charitatem restinxit, quod optime de nobis meritum spretis delatis ab ipso nobis honoribus in contumelia habueramus. Sed contra reuocati sumus à morte, & ad vitam denuo ab ipso Domino nostro Iesu Christo restituti. Qua in re auget miraculi magnitudinem beneficii modus. Siquidem *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens*. Et *Infirmitates nostras tulit, & languores portauit, & pro nobis vulneratus est, vt nos liuore eius sanaremur*. Et *A maledicto nos redemit, factus ipse pro nobis maledictum*, & ignominiosissimam mortem sustinuit, vt nos ad gloriosam denuo vitam reuocaret. Neque vero satis hoc illi fuit, quod ademptam nobis vitam reddidisset, quin & diuinæ naturæ consortium dignitatemque est elargitus, locáque in quibus perpetua frueremur quiete, præparauit, vbi quæ futura est lætitiæ magnitudo, ea cogitatione à nemine potest comprehendi. Porro ipse adeo bonus est, vt neque gratiam sibi pro his vllam referri postulet, ac satis habet, si pro iis, quæ largitus est, à nobis modo diligatur. Quæ omnia quandocunque mecum ipse considero (vt planè quod euenire mihi in animo sentio, apud vos etiam enunciem) terribilis me quidam cum mentis consternatione horror inuadit, metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero,

Collatio elegans.

Gen. 1.

Gen. 3.

Philip. 2.

Esaiæ 53.

Galat. 3.

Cant. 2.

a *Psal. 119.*
b *Psal 41.*
c *Philip. 1.*
d *Psal. 41.*
e *Luc. 2.*
* ἰσχυρὸν, ζῶντα.

Vt æs alienum à nobis erga Deum charitas requiritur.

A simili argum.

Argum. à minor.

Ὁμοίωσις.

Γνώμη.

Esa. 1. Deum à nobis maximopere deberi diligi confirmat exemplis.

uero, à Dei charitate deiectus, Christo dedecori sim. Qui enim assiduè nunc suis nos artificiis circumuenire,& mundialis istius vitæ illecebris inescans omni conatu efficere studet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum,Deique ipsius memoriam ex animis nostris reuellat,is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimeque insectans, contemptionem Domino nostro contumelioseè exprobrabit, contumaciaque ac defectione ab ipso nostra gloriandi materia aduersus illum vtetur,quod videlicet,cùm nos ipse neque crearit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen, spretis, contemptisque Dei præceptis, obsequentes habuerit. Equidem istam ego futuram aduersus Dominum contumeliosam opprobrationem ac dedecus,& insolentem hostis gloriationem grauiora longe esse statuo, quam ea, quæ sunt in gehenna supplicia,materiam videlicet nos aduersario Christi,gloriosius sese aduersus illum efferendi extitisse,qui conciliandæ nobis causa salutis & mortuus sit & resurrexerit, cui etiam vel hac gratia maiorem in modum debitores sumus, sicut scriptum est. Sed hæc hactenus de ea quæ erga Deum est, charitate. Neque enim, vt suprà diximus,idcirco hæc à nobis suscepta est oratio, vt omnia in præsentia, quæ de hac re dici possent, sigillatim subtiliter persequeremur (neque enim res patitur) sed illud vnum spectauimus modo, vt breuem quandam, & summatim capitibus quibusdam comprehensam admonitionem in animis vestris relinqueremus, per quam assiduè ad diligendum possetis Deum excitari.

Interrogatio iii.

De charitate erga proximum.

Quando de charitate, quæ est in Deum,satis iam disputatum est, consequens nunc sit,vt de secundo & vi & ordine mandato disseratur.

Responsio.

ENimuero legem quidem earum, quæ in animis nostris naturaliter veluti semina quædam insita sunt,facultatum cultricem, atque altricem esse,superiore iam disputatione docuimus. Verùm quoniam proximum nostrum iuxta ac nosmetipsos diligere iussi sumus, consideremus, si placet, nunquid facultatem aliquam datam nobis habeamus à Deo, per quam hoc eius præceptum exequi possimus. Quæro igitur, quis est ex omnibus, qui nesciat hominem esse * animal mite, & natura congregabile? non autem soliuagum,neque ferum? Si quidem naturæ nostræ nihil est tam peculiare,quàm mutua inter nos communicatio, mutuaque aliis aliorum operæ indigentia, & in eos qui eiusdem nobiscum sunt generis,charitas. Eo fit vt Dominus eorum,quæ nobis largitus est, seminum, non iniuria etiam fructus à nobis requirat. Sic enim ille ait: *Mandatum nouum * do vobis, vt diligatis inuicem.* Ad cuius mandati conseruationem cum animum ille nostrum vellet excitare, non certissimum ille argumentum, quòd quis ipsius esset discipulus, illud voluit haberi, si prodigia ac stupenda miracula effecisset. Esto horum quoque efficiendorum facultatem per Spiritum sanctum gratuito dedisset: Sed quid dicit? *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et sic vbique præcepta hæc duo semper copulat, vt quod proximo quisque benigne fecerit, id habeat perinde, ac si ipsi factum fuisset. *Esurui enim,* inquit, *& dedistis mihi manducare, &c.* Tum addit: Quatenus autem *fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ex quo sanè intelligi potest,qui primum seruet, eum secundum quoque per illud ipsum posse seruare, vicissimque per secundi obseruationem, reditum apetiri ad primum,vt videlicet & qui Dominum diligat, consequens sit eum proximum etiam diligere. (*Qui enim diligit me,* inquit Dominus,*mandata mea seruabit.* Idem autem, *Hoc mandatum meum est,* inquit, *vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*) similiterque vicissim in quo charitas aduersus proximum sit, eum quoque charitati satisfacere, quæ est aduersus Deum,quippe cum ipse beneficium illud perinde accipiat,ac si in se propriè fuisset collatum. Quare & fidelis ille Domini famulus Moses vsque adeo magnam aduersus fratres suos charitatem præ se tulit,vt de libro Dei,in quo scriptus erat,deleri se petere non dubitarit,si populo non condonatum esset delictum. Itemque Paulus apertè optare ausus est, vt ipse pro fratribus suis cognatis sibi secundum carnem,anathema esset à Christo, nempe qui exemplo Christi suam cum illorum salute cuperet commutare,& illud tamen etiam simul non ignoraret,non posse fieri,vt is alienaretur à Deo,qui ob charitatem eam, quam in illum haberet, seruandi causamaximi omnium mandati, Dei gratiam abiecisset, seque ob eam causam multo plura accepturum,quàm quæ dedisset. Cæterum quod in animis sanctorum charitas erga proximum hucusque progressa sit,ex his,quæ hactenus diximus, satis esse intellectum puto.

Exod. 32.

Rom. 9.

Interrogatio iv.

De timore Dei.

Responsio.

ATque ijs quidem, qui ab initio rudes modo ad pietatis veræ cultum inducuntur, ea, quæ per timorem fit, informatio vtilior est, sicut sapientissimus vir Salomon admonet, cum dicit: *Initium sapientiæ est timor Domini.* Verum vobis, qui ex ea iam, quæ in Christo est, infantia excessistis, neque lacte iam amplius egetis, sed quod ad interiorem hominem attinet, solido doctrinæ cibo ad perfectionem adolescere & prouehi potestis, præceptis sublimioribus opus est, ijsque in quorum expletione vniuersa charitatis Christianæ veritas legitime absoluitur. Qua in re illud videlicet est vobis cauendum, ne largissima in vos Dei beneficiorum copia causa sit, cur grauioribus postea suppliciis plectamini, qui scilicet aduersus tantopere bene de vobis meritum ingrati extiteritis. *Cui* enim *commendauerunt multum, plus repetent ab eo.*

Eccli. 1.

Luc. 12.

Interrogatio v.

De cohibenda mentis ad futiles cogitationes euagatione.

Responsio.

CÆterum illud nosse conuenit, nos cum nullius alterius mandati cuiusquam,tum de charitatis quidem ipsius aduersus Deum ac proximum obseruationem posse præstare, si huc, illucque mentem temerè passi fuerimus aberrare. Neque enim artem * vllam, scientiamve quisquam exactè discere poterit,qui ea relicta identidem modo ad hanc modo ad illam transeat: quin ne vel vnam quidem modo quis consequi potest,qui quę ad illius finem accommoda officia sint, ea perspecta non habeat. Si quidem consentanea fini officia & actiones sint, oportet. neque enim res est vlla earum modo quæ via ac ratione tractantur, quæ si officia adhibueris, quæ ab ea sint aliena, rectè vnquam confici possit. Siquidem natura non fert, vt quod effecturam se fabrilis ferrariæ ars pollicetur, id per figulinæ artis opificium consequamur. Nec item ad coronam decertanti athletæ propositam aliquando pertigeris, qualicumque tandem te addixeris studio tibia canendi, cum ad singulos singularum artium fines obtinendos accommodata peculiaris etiam illarum vnicuique industria quædam requiratur. Quocirca ipsa etiam, quæ ex Euangelio est pietatis cultura, studiumque ineundæ apud Deum gratiæ, in eo tota posita sunt, si quis animum suum ab omnibus prorsus mundi huius solicitudinibus auocarit, seseque funditus ab quauis re, vnde animo mentéue distrahi possit, abduxerit. Quamobrem Apostolus quoque licet matrimonium genere ipso esset concessum, & benedictione habitum dignum, occupationes tamen, quæ ex eo nascuntur, curis his, quæ propter Deum suscipiuntur, opposuit, perinde quasi hęc inter se cohęrere non possent,his verbis:

Probatio per dissimilia.

Qui

* ἄνθρωπος ἥμερον καὶ κοινωνικὸν ζῷον, ἐναντίον μοναστικόν, οὐ καλόν.

* καινὴν ἐντολήν. *Ioan. 13.*

Idem

Matt. 25.

Ioan. 14.

Ioan. 13.

* τέχνην ἀκριβῶσαι.

1 Cor. 7. *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori.* Simili modo etiam Dominus discipulis suis vbi synceram illam, & ab omni distractionis intemperie expurgatam affectionem fuerant adepti, asseuerans dicebat: Ioan. 15. *Vos de hoc mundo non estis.* Idemque è contrario etiam iisdem asseueranter testificabatur, dicens, fieri non posse, vt Dei cognitionem mundus perciperet, aut Ioan. 17. Spiritum sanctum acciperet. Ioan. 14. *Pater* enim, inquit, *iuste, & mundus te non cognouit.* Et: *Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere.* Animaduertimus itaque necesse esse, vt qui modo verè Deum sit secuturus, is à vinculis affectionum vitæ huius solutus sit: id quod non multo negotio assequimur, si & à superioris vitæ nos consuetudine penitus abducimus, eamque obliuioni funditus mandamus, quandoquidem nisi ab ea nos, quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit, coniunctione alienauerimus, & à familiari congressu secularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum commigrauerimus, consentaneum in modum verbis illis Apostoli: Philip. 3. *Nostra autem conuersatio in cœlis est:* nullo modo scopum animi attingemus, Deo videlicet vt placeamus, cum præcisè Dominus dixerit: Luc. 14. *Sic omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hæc autem vbi præstiterimus, omni custodia custodiendum fuerit cor nostrum, neque patiendum, vt Prou. 4. Memorabilia hæc quia salutaria. assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, neve eorum quæ mirabiliter ab eo facta sunt, memoria contaminetur, per futiles & euanidas cogitationes: contraque illud agendum assiduè, vt ex perpetua ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, veluti indelebile aliquod signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga eum Deum acquiri charitas consueuit, quæ simul cum ad conficienda ipsa Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruetur. Quod ita esse Ioan. 14. docet Dominus ipse, qui quidem modo dicit: *Si diligitis me,* Ioan. 15, δυσωπητικὸς περὶ τὴν ἀκριβῆ φυλακὴν τῶν ἐντολῶν ad custodiam mandatorum Dei. *mandata mea seruate,* modo vero: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Et, quod efficacius etiam possit commouere: *sicut ego mandata patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione.* Quibus sanè verbis illud nos docet, debere nos, vt quodcumque faciendum nobis opus instituerimus, eius voluntatem, à quo illud nobis imperatum sit, veluti finem quendam nobis proponere, ad eamq; omne studium nostrum dirigere, quemadmodum alio in loco etiam Ioan 6. Canonem præcedentẽ confirmat τῇ ὁμοιώσει. dicit: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris.* Vt enim artes hæ, quæ sunt ad parandum viaticum necessariæ, vbi fines sibi quosdam suos proposuerint, conuenientia ad eos obtinendos officia etiam postea sua quædam peculiaresque actiones accommodant: sic cum eorum, quæ nos facimus operum omnium, vna sit regula, normaque vna, nempe videlicet, vt Dei iussis ex Dei voluntate pareamus, fieri non potest vt opus nostrum aliter perfectè efficiamus, nisi quamdiu illud in manibus nobis est, assiduè vsque voluntatem eius qui sciuit sanxitque legem mandatorum semper spectemus. Porrò ex hac sedula operis nostri affectione ad voluntatem Dei accommodanda, illud consequetur, quòd ex recordatione illa cum Deo coniungemur. A simili ἐκ τῆς ὁμοιώσεως. Vt enim faber ferrarius, verbi gratia, quandocumque dolabram aliquam siue asciam cudit, si assiduè illius memor sit, vnde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præscriptam sibi ab illo formam & magnitudinem animo versat, & ad voluntatem eius qui condixit opus dirigit quod facit: alioqui si eius memoriam menti sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quippiam omnino, aut longè dissimile efficiet ab eo, quod facere instituerat: sic Christianus quoque, si actiones suas omnes, siue minores, siue maiores ad Dei voluntatem direxerit, is sine controuersia & egregiè opus illud perficit, & simul assiduam illius in animo sibi memoriam conseruat, à quo id iussus est facere: vereque illud dicere poterit: Psal. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* 1. Cor. 10. Itemque Pauli præcepto illi satisfaciet. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quod si quis in eo, dum opus administrat, à perfecta illa præscripti mandati norma desciscat, hunc

A perspicuum est debilem Dei memoriam retinere. Quocirca memores assiduè verborum Domini illorum, *Nunquid non cœlum & terram impleo ego? dicit Dominus, & Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe.* Et, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum:* sic omnia tanquam in oculis illius & agere debemus, & cogitare. Hac enim ratione & perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem (sicut scriptum est) animique elationem, ac superbiam, vias improborum: & charitas conflabitur, cumulatè efficiens illud, quod dictum est à Domino. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, patris,* cum hæc firmissimè vsque in animis nostris hæreat persuasio, & quæ rectè gerantur, ea iudici, ac B remuneratori actionum nostrarum placere, & quæ contra, flagitiosè, ab eodem condemnari. Ex quo quidem illud ego etiam necessario existimo sequi, vt qui ita sit animatus, is ne mandata quidem Domini ad gratiam hominum exequi possit. Neque est enim quisquam, qui vbi verè præstantiorem adesse aliquem sibi persuasit, eo spreto se ad minus præstantem conuertat. Quin contrà potius si aliquando inciderit, vt quæ facit ea clarioris illius opinione ac iudicio approbentur, ab altero autem illo reprehendenda videantur, haud dubiè ille spreta inferioris vituperatione, clarioris illius approbationem antiquiorem habebit. Quod si hoc in hominibus contingit, qui tandem putandum sit animum, qui modo sanus sit ac sobrius, si verè Deum adesse sibi persuaserit, omissis iis, quę placere intelligat Deo conuersum iri ad aucupandam ab hominibus sui existimationem? aut neglectis Dei præceptis, hominum esse consuetudini & ingenio seruiturum? aut de vulgari existimatione pendens vinci se sinet? aut vlla vllius dignitate exterritus de statu dimouebitur? Hoc modo affecta mens erat illius, qui dixit: Psal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua Domine.* Et item: Ibid. *Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non commouebar.*

Ioan. 5. ἐν πληροφορίᾳ διηνεκεῖ. Γνώμη.

Interrogatio VI.

D

Quòd necessaria res sit pietatem colere volenti seorsum viuere. ἐδιάζειν.

Responsio.

ATque etiam ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futiles videlicet ac minimè necessarias cogitationes aberret, illud adiuuat, si quis seorsum à cæteris communem vitam sectantibus viuat, quandoquidem promiscuè * vitam agere cum iis, qui secuti perfectam illam Domini præceptorum obseruationem contemnunt, pernicioſum esse etiam Salomon ipse docet. Sic enim est E apud ipsum: Prou. 22. *Noli amicus esse homini iracundo, neque habitaueris cum viro furioso, ne fortè discas vias eius, & sumas laqueos animæ tuæ.* Et item illud: Esa. 52. *Exite de medio eorum, & separamini,* nimirum eodem pertinet. Quocirca ad illud euitandum, ne oculis, auribusve instigationes ad peccatum admittamus, eique imprudentes assuescamus: neve earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus, impressæ pestilentes, capitalesque in animis nostris formæ, ac veluti notæ quædam insideant: contraque vt animum in * officio suo attentum tenere possimus: Principio, quod ad habitationem attinet, separata ea à cæteris nobis quærenda est. Ita enim & superioris temporis consuetudinem poterimus euincere, in qua alienam à Christi præceptis vitam egerimus. (Non Γνώμη. F mediocri autem hoc eget contentione, vt consuetudinem Consuetudo altera natura. suam aliquis peruincat. Consuetudo enim vetustate firmata, naturæ vim solet nancisci) & contractas ex superioribus peccatis labes, oratione assidua, & perpetua Dei decretorum cõseruatione abstergere poterimus. Eam autem nullo modo licebit euincere, si multa hinc inde habeamus, quibus temerè huc illucque animus noster distrahatur, & vitæ huius negotiis implicetur. Illud autem, *Si quis vult* Luc. 9. *venire post me, abneget semetipsum,* quomodo vnquam consequi poterit is, qui rebus sit istiusmodi distentus? Siquidem oportet, vt nos ipsos primum abnegemus, & crucem Abnegatio suiipsius. sustollamus, ac tum demũ illum sequamur. Nihil est autem aliud

* ζωὴν, alij ψυχὴν.

* τῇ προσοχῇ, alij προσευχῇ legunt.

aliud suijpsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio; quam in vita communi assequi longè est difficillimum, ne dicam ab omni prorsus, vt fieri possit, facultate remotissimum. Atque etiam ad tollendam crucem suam, & Christum sequendum officit commercium, quod cum istiusmodi vita habetur. Siquidem & animi ad mortem pro Christo subeundam alacritas, & membrorum quæ sunt super terram, mortificatio, & illud, quòd quis libenter se cuiuis impendenti periculo offerre prò Christi nomine paratus sit, & nulla de rebus vitæ huius affectione tangatur, hoc nimirum est tollere crucem suam. Porrò ad hanc rem magna nobis obijci impedimenta videmus à vita communi. Et præter cætera, quæ multa sunt, illud etiam, quòd magnum in ea diuinas leges violantium numerum intuens animus, peccata sua agnoscendi, & se per pœnitentiam afflictandi spacium non habet. Quin potius facta sui cum deterioribus de se comparatione, de virtute sibi nescio quomodo abblanditur. Tum deinde varijs tumultibus, occupationibusque, quæ vita solet communis afferre, à Dei † in memoria, cuius haberi ratio maior debet, abstractus, non in eo solùm detrimentum facit, quòd non exultat in Deo, delectaturúe, neque voluptate, aut verborum Domini dulcedine vlla perfunditur, ita vt verè dicere illud queat: *Memor fui Dei, & delectatus sum, & Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo:* Sed in eo etiam assuefit, vt iudicia ipsius penitus contemnat, obliuiscaturque, quo neque maius ei, neque capitalius malum vllum potest accidere.

Col. 3.

Tollere crucem suam.

† φαντασίαν προσκτᾶται.

Psal. 34. Psal. 76.

Interrogatio vii.

De eo, quòd cum ijs debemus viuere, qui vnum & eundem sibi nobiscum vitæ finem propositum habent: idque eo consilio, vt rem Deo gratam faciamus: & quòd difficilis simul ac periculosa res est, solitarium viuere.

POstquam satis iam nobis oratione tua persuasisti rem esse minime tutam, promiscuè esse cum illis, qui præcepta Domini contemnunt: libenter hoc nunc ordine ex te scire vellemus, nunquid, qui se ab istiusmodi hominum genere subduxerit, ipsum seorsum à cæteris solitariam vnũ agere vitam oporteat, an verò cum fratribus, qui eiusdem secum animi sint, & idem cum eo sibi propositum vitæ finem habeant, viuere.

Responsio

EQuidem ad multas ego res vtilius * esse intelligo, si vno & eodem in loco plures viuant vnà: ac primò quidem, quòd nostrum est nemo, in quo vno ad res sibi necessarias ad vitam parandas esse satis præsidij possit, quando in his inquirendis, vicissim alios aliorum videmus opera indigere. Vt enim pes cum virtutem aliam habeat, alia caret, & neque sua vi ipse sine reliquorum membrorum adiumento ad diuturnum tempus incolumis posset permanere, neque aliunde illud, quo caret, nanciscì: ita in vita soliuaga, & inutile nobis est quod superat, & quod abest, habere aliunde non possumus. Hoc autem nimirum, vt alij vicissim aliorum opera egeremus, eo consilio statutum est ab opifice nostro Deo, sicut scriptum est, vt officiorum permutatione, inter nos dando, accipiendoq;, hanc, ad mutuam vicissim coniunctionem, causam haberemus, quanquam est etiam lex Christianæ charitatis, quæ nullo modo patitur, vnumquemque id modo, quod suum sit, spectare. *Charitas* enim, inquit, *non quærit, quæ sua sunt:* At istud vitæ genus, quo seorsim se quisque ab aliorum communione diremit vnum tantummodo sibi propositum habet, nempe procurationem suorum cuiusque commodorum. Hoc autem apertè charitatis legi aduersatur, quam perfectè obseruasse Apostolum videmus, qui non suam ipsius vtilitatem quæreret, sed multorum, vt salui fierent. Ad hæc in huiusmodi vitæ à cæteris secessione, illud etiam erit incommodum quòd neque peccare se facile quis intelliget. quippe qui neminem habeat, à quo & arguatur leniter & clementer corrigatur. Siquidem fieri potest, vt facta criminis accusatio, etiam ab inimico, plerumque in animo alicuius, qui rerum modo æstimator sit æquus nec ingratus, voluntatem excitet petendæ medicinæ. Sine dubio autem, errati medicinam sciens ac prudens is faciet, qui charitatem synceram habuerit. *Qui* enim *diligit*, inquit, *diligenter corripit.* Hunc autem in solitudine reperire non licet, nisi nobiscum prius in vita fuerit communione coniunctus: Quo fit vt in eum illud conueniat. *Væ soli, quoniam cum ceciderit, non habet subleuantem se:* Tum illud etiam accedit, quòd qui plures simul eodem in loco congregati sunt, ij pluribus etiam simul possunt præceptis satisfacere. Quod contra est in eo, qui solus sit: dum enim vnum exequitur, ab alio impeditur. Veluti ægrum visitans, hospitem recipere non potest: neque in opere faciendo studium retinere, qui in partiendis distribuendisque ad vsum vitæ necessarijs rebus occupetur, præsertim quando in ministerijs hisce obeundis fratres diutius necesse sit distineri. Ex quo illud sequitur necessario, vt maximum, & ad salutem omnium maximè expeditum præceptum negligatur, cum videlicet neque esurienti cibus subministretur, neque nudo vestimenta. Quæ cum ita sint, quis est, qui inertem, & infructuosam vitam ei velit anteponere, quæ & fructuosa sit, & præceptis Domini consentanea? Quòd si etiam omnes, qui in vna spe vocationis assumpti vnum corpus sumus, & caput Christum ipsum habemus, singuli autem vicissim alij aliorum membra: profecto nisi in hoc conspirauerimus, vt ad similitudinem cõpagis corporis vnius in Spiritu sancto nexi, aptique inter nos simus, ac non seorsim vnusquisque disiunctũ sibi à reliquorum cõmunione vitæ genus quoddam instituerit, neque communi vtilitati, vt Deo acceptus sit, inseruierit, sed suæ potius animi cuidam libidini obsequi maluerit: qui quæso fieri poterit, vt in istiusmodi auulsione distractioneque, mutuam inter ipsa membrorum cõuenientiam officiaque præstemus? aut qua ratione illud poterimus obtinere, vt capiti nostro, qui est Christus, subiecti simus? Neque enim res patitur in istiusmodi vitæ disiunctione vt congaudeat aliquis ei, qui glorificatur, aut qui patiatur, ei compatiatur: siquidem facit disiunctio, vt vicissim inter se aliorum alij notum statum habere non possint. Adhæc cum nemo vnus idoneus sit, qui dona spiritualia omnia suscipiat, cum secundum rationem fidei, quæ est in vnoquoque, spiritus etiam suppeditatio fiat: illud vsu venit in vitæ consociatione, vt donum, quod in quoque est peculiare, id aliorum quoque commune sociorum fiat. *Alij enim datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij prophetia, alij gratia sanationum*, &c. Quæ singula qui habet, is non sua magis, quàm aliorum causa habet. Quamobrem necesse est in vitæ * societate, quæ in vno aliquo est spiritus efficacia, eam in vniuersos simul peruadere. Igitur qui seorsum à cæteris vitam degit, is vnum aliquod (si ita sors ferat) donum habet: & illud ipsum, eo quòd nihil exerceat, sed in seipso defossum detineat, inutile facit. Quod facere quàm periculosum sit, profectò intelligitis omnes, qui Euangelia legitis. Contra vero, vbicumque multorum societas viget, & quod suum est, eo fruitur quisque, & ex alienis nihilominus, vt ex suis, fructum capit. Plura præterea in se commoda, hoc in communi viuendi institutum habet, quæ enumerare singula haud facile sit. Nam & ad conseruationem eorum quæ data nobis diuinitus bona sunt, solitudine est longè præstabilior, & ad cauendas hostis insidias tutior expergefactio illa, quæ à vigilantibus fit, si modo alicui aliquando incitat, vt somnum illum, qui est in mortem, obdormiscat (quem vt deprecamur, docuit nos Dauid, cum dixit: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem*) & † peccanti, qua resiliat à peccato, facilior est via: nimirum qui cõsentiens aduersum se multorum iudicium magis reuereatur, vt verè in eum illud possit conuenire: *Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus,* & rectè & cum virtute aliquid agenti maior quædam in eo ipso animi fiducia accrescit, cum de eo quod agit, multorum secundum se habeat approbationem atque consensum. *Si enim in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, multò sine controuersia stabilius is, qui bene aliquid & cum virtute agit, ex multorum testimonio confirmabitur. Adde, quòd periculum etiam istiusmodi solitariam vitam comitatur &

** Caue, putes hæc scripta esse à Basilio in suggillationem verissimæ anachoreseos, qualẽ exercuere Samuel, Helias, filij prophetarum, Baptista, Paulus, Antonius. Aosit. In Sarabaitas detorquet hæc, quorum inexplebilem auaritiam schemate cõuelatã anachoreticæ paupertatis, eleganter pingit Ioan. Cassianus c. 7. Col. 18. item 8. c. 1. Cor. 13. 1. Cor. 10.*

Rom. 13. ἀναλογίαν πίστεως.

1. Cor. 12.

** ἐν κοινωνικῷ εἴδει.*

Psal. 12. † ἁμαρτίας ἀναχώρησις. 2. Cor. 2.

assidet præter iam dicta: primum quidem ac maximum, ne qui eam degat, is sibi veluti planè iam perfectionē adepto blandiatur. Cum enim neminem in ea sit habiturus qui iudicare possit de his, quæ ab ipso fiāt, cumulatissimè mandato iam arbitrabitur se satisfeciſſe: ex quo illud sequetur, vt cum animi habitum quem habet ad virtutem, illum assiduè apud se compressum tenuerit, ac velut introclusum, neque quibus rebus destituatur, intelligat, neque progressionem vllam, quam in virtutibus faciat, videat, nempe qui vndique materiam sibi excercendorum mandatorum omnem ademerit. Qua enim re humilitatis suæ documentum dabit, qui neminem habeat, quo seipsum humiliorem declaret? Quod item specimen edet suæ in alios commiserationis, à plurium cōmunione dissectus; cui cum nullo penitus commercium sit? Ad patientiam verò quomodonam tandem se exercebit, cum voluntatibus illius obsistat nemo? Quod si quis dicat, ad componendas animi sui affectiones moresque rectè instituendos, sufficere sibi diuinarum literarum doctrinam, is similiter facit, vt si quis disceret ædificare, neque vnquam tamen ædificaret, & æs cudere, & quæ didicisset, ea in actum numquam educeret. Sine dubio autem in huiusmodi hominem probe Apostoli illud conueniat, si quis dixerit. *Non auditores legis iusti sunt apud Deū, sed factores legis iustificabuntur.* Neque enim (vt videmus) Dominus ipse (quæ incredibilis eius in nos bonitas fuit) simplici modo verborum doctrina contentus fuit, sed vt expresse euidenterq; humilitatis nobis exemplum proderet perfectè charitatis mandatum vt expleret, ipse seipsum linteo præcinxit, & discipulorum suorum pedes lauit. Tu verò, quem ablues? in quem officiosus eris? à quo vltimus numerabere, qui ab aliorum societate disiunctus degas? Bonum verò ac iucundum illud, fratrum videlicet eodem in loco habitatio, quam vnguento de capite summi sacerdotis suauè fraganti & aspiranti Spiritus sanctus assimilat, qui tandem in solitaria vnius habitatione locum habebit vt impleatur? Concludendum est igitur certaminis curriculum, & progressionis ad virtutem facilitatem, & mandatorum Domini executionem assiduam, ac meditationem, fratrum habitationem esse vno & eodem in loco, quę cum propositum sibi finem habeat gloriam Dei ex præcepto Domini nostri Iesu Christi sic dicentis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est:* tum eorum de quibus in Actis mentio est, sanctorum virorum præcipuum insigne illud obtineat. Ita enim de illis scriptum est: *Omnes autem qui credebāt, erant pariter in eodem loco, & habebant omnia communia.* Et item: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

κίνδυνος ἀυταρκείας.

A simili argumen.

Rom 2.

Psal. 132.

Συμπέρασμα totius capitis.

Matt. 5.

Actor. 2.

Actor. 4.

Interrogatio VIII.

De nuntio rebus vitæ huius remittendo.

NVnquid homini omnia relinquenda sint prius, atque ita postea ad eam quæ secundum Deum est vitam accedendum?

Responsio.

CVm Dominus noster Iesus Christus post multa, eaq; multis ex reb⁹ gestis firmissimè à se tradita documēta, ad oēs loquatur, ac dicat: *Si quis venit ad me, abneget semetipsū, & tollat crucem suam, & sequatur me.* & item: *Sic igitur quicūque ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* Nos præceptum hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria alienatio sit: Nam & diabolo in primis renuntiamus, itemque affectionibus carnis, qui abdicauimus occulta dedecoris, consanguinitatibusque ac familiaritatibus, quæ cum hominibus nobis sint: similiterque consuetudini etiam vitæ, quæ perfectioni Euangelij salutis aduersatur. Et, quod his omnibus magis necessariū est, quilibet sibimetipsi renuntiat, qui exuit veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Postremo affectionibus cunctis mundanis, quæ pietatis proposi tum valeant impedire, nuntiū remittit. Ac nimirum, qui ita fecerit, is parentes veros esse illos existimabit, qui in Christo Iesu per Euangelium ipsum genuerint. Fratres verò qui eundem secum spiritum adoptionis acceperint, ad facultates omnes, vt ad alienas (sic vt etiam sunt reuera) animum adhibebit. In summa, denique cui propter Christum mundus totus crucifixus est, & ipse Christo, qui possit particeps esse amplius eorum quæ in mundo sunt: cum Dominus noster Iesus Christus rem ipse ad summum prosus fastigium perducat, nempe odium animæ, & suimet ipsius abnegationem, quando dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam:* tūque subiunxit: *Et sequatur me.* Et rursus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios & fratres, & sorores, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Perfecta igitur renuntiatio in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita quidem sua quicquam affectus sit omnino, esto habeat mortis responsum, ita vt nihil sibi confidat. Porrò eiuscemodi renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti possessionum, inanis gloriæ, consuetudinis vitæ superioris, ad res inutiles affectionis, quomodo sanè vt faceremus exemplo suo admonuerunt nos sancti Domini discipuli, Iacobus quidē & Ioannes, relicto patre suo Zebedæo, ipsoq;, de quo tota illorum victus ratio pendebat, nauigio. Matthæus verò quando è telonio ipso surrexit, & Dominum secutus est, qua in re non lucra modo reliquit, sed pericula etiam contempsit, quæ ipsi, totique ipsius familiæ à ciuitatis magistratibus imminebant, quòd redemptorum à se vectigalium rationes discedens non confectas reliquisset. Paulo verò etiam totus mundus crucifixus erat, ipseque vicissim mundo toti. Adeò qui vehementer Christum sequi desiderat, is de nulla omnino vitæ huius re curare amplius potest: idque eousq;, vt ne parentum quidem ingenti amore moueatur, aut domesticorum, si quidem is aduersetur dominicis mandatis: (Tunc enim & illud locum habet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem,* &c.) non humano terrore vllo de statu dimoueri, vt propterea in his quæ fieri animæ vtilitas suadeat, de animi præsentia quicquam remittat. Quod quidem tum animaduertimus sanctos fuisse illos viros assecutos, quum dicerent: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Non desistione deniq; vlla, qua auersi à pietate homines, ea quæ laudare ipsos magnopere oporteret, prosequi soliti sunt, cōmoueri, eaq; re ipsorum vituperationi succumbere. Quòd si quis † explicatius etiam diligentiusq; soliditatem vimque flagranti illorum desiderio coniunctam velit cognoscere, qui Christum sectantur, enimuero hic repetere animo debet, quæ docendi nos causa de seipso Apostolus loquitur, cum dicit: *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis circumcisus octauo die ex genere Israël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei, secundum iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum stercora. Verūtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri, propter quem omnia detrimentum feci, & & arbitror stercora esse, vt Christum lucrifaciam.* Etenim (vt audacter aliquid: at verè tamē eloquar) si Apostolus ijs, quæ fœdissima in corpore sunt, eiusmodique quæ à nobis quam fieri potest studiosissime procul amandamus, cōcessa ad tempus legis priuilegia similia dicere non dubitauit, veluti quæ impedimento essent, ad cognitionem Christi, illiusque quæ in ipso iustitia est, eiusque, quæ ad mortem ipsius fit conformationis, quidnam de ijs dicere oportebit, quæ sancita ab hominibus sint? Quāquam quod dico, quid aut rationibus à nobis inuentis, aut sanctorum virorum exemplis attinet confirmare? cum ipsa Domini nostri verba in medium liceat afferre, ijsque ipsis religiosum ac Dei timentem animum magnopere commouere, quibus ille palam ac citra controuersiam testificans, sic dicit: *Sic igitur quicumque ex vobis non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et alio in loco, cum post oblatam conditionem illam: *Si vis perfectus esse,* verba illa subiecisset, *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus,* post illud adiecit: *Veni, sequere me.* Atque etiam † similitudinem illam de negotiatore huc quoque manifestè spectare nemo non (modo æquus interpres)

A

Qui veri parentes, fratres. 1. Cor. 4.

Luc. 14.

Ibid.

Ἀπόκριμα θανάτου.

2. Cor. 1.

Marc. 1

Matthæus nō facultates modo, sed & pericula contempsit.

Matt. 9

Galat. 6

Luc. 14

B

C

D

Act. 5

ἀκριβέστερον καὶ ἰσχυρότερον.

Phil. 3

E

F

Περὶ τῶν ἀνθρώποις νενομισμένων.

Col. 3.

Luc. 14 Matt. 19

παραβολὴ ἐμπόρου.

Matt. 13

pres) intelligit. *Simile* enim *est*, inquit, *regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam* Planum est enim pretiosam margaritam cœleste regnum significare hoc in loco. Quod regnū nos assequi possi Dominus negat, nisi omnia simul quæ habemus, diuitias, gloriam, genus, & si quid sit aliud eorum, quibus seriique ambitiosius inhiant, pro eo parando, neglexerimus. Deinde illud etiam fieri non posse, vt illud obtineatur, quod cupitur studiosius, si mens diuersis sit uris
Matt. 6. distracta, idem Dominus asseruit, cum dixit: *Nemo potest duobus*
Ibid. *Dominis seruire.* Itemque: *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Quæ cum ita sint, sine dubio vnum nos deligere ne-
B saurum conuenit, nempe illum cœlestem, in quo mentem
Ibid. habeamus defixam. *Vbi enim est*, inquit, *thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Ex quo intelligitur, quandocunq; vel peculiarem possessiunculam aut certè exuberātem opum copiam, terrenam quidē illam & corruptelæ expositam nobis reseruamus, in his mente nostra veluti in cæno quodā consepulta, necesse sit animo ad rerum diuinarum contemplationem aditum præcludi, eumque ita iacere, vt de cœlestibus c promissis nobis à Deo bonis cogitare non possit. Quæ bona non possumus assequi, nisi ad ea petenda indiuulsa & vehemens nos quædam cupiditas inflammet, ac rapiat, qui susceptos pro ijs adipiscendis labores faciat leues. Et igitur, quemadmodum docuimus, renunciatio nihil aliu
C quàm vinculorum crassę huius ac tēporarię conuersationi absolutio, quæ nos dum emancipat semel ac subducit anxijs & humanam vitā comitantibus negotijs, expromptiores ac magis idoneos reddit ineundæ vitæ ad Dei contemplationem rectà prouehenti. Renunciatio eiusmodi citra vllius impedimenti remoram subsidio est nobis nec me-
Psal. 18. diocri, ad parandam possessionem vsumq; rerum preciosissimarum, nempe *super aurum & lapidem preciosum multum*, vtque breuiore cōpendio circumscribā, renunciatio est cordis ab humano viuendi ritu ad eum transcriptio qui in cœ-
Philip. 3. lis est, adeò vt iure optimo dicere possimus: *Nostra conuersatio in cœlis est*: &, quod omnium maximum est, similitudinis,
2. Cor. quam cum Christo habere debemus, initium, *qui ipse cum dives esset, egenus factus est propter nos*: quam sine controuersia nisi
D prius consequemur, nunquam viuendi ex Euangelio Christi institutum poterimus attingere. Quando enim aut cordis contritio, aut proprij sensus humilis demissio, aut iracundiæ, mœroriśue ac solicitudinum, vtq; concisius absoluam, omnium pestilentium animi perturbationum liberatio in diuitijs, & vitæ huius angoribus, intēperantiq; mentis ad res istiusmodi alias applicatione poterit obtineri? In summa cui ne de ipsis quidē necessarijs ad tuendam vitam præsidijs solicito esse concessum est, veluti victu atq; vestitu, huic quæso quænam ratio permittit, vt prauis diuitiarū causa susceptis solicitudinibus, veluti spinis, quæ iactam ab
E animarum nostrarum agricola sementem ad vberem vsque fruticationem emergere & emicare non sinunt, suffocatus
Luc. 8. teneatur? cum Dominus noster Iesus Christus dixerit: *Hi sunt qui seminati sunt in spinis, qui à solicitudinibus & diuitijs, & voluptatibus vitæ suffocantur, & non referunt fructum.*

Interrogatio ix.

Qui adiungi vult Deo consecratis, & in eorum transire sodalitium, debetne sui iuris facultates cedere & citra delectum permittere ingratis familiaribus ac domesticè sibi notis?

Responsio.

Matth. 19. *Luc. 12.* *λογίζομαι.*
F CVm Dominus noster Iesus Christus dixerit, *Vende quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurū in cœlo, & veni, sequere me.* & item, *Vendite quæ possidetis & date eleemosynam.* Equidē ex hoc * colligo, qui hac mente à suis discedat, hunc huiusceemodi curam de parte patrimonij sua nullo modo oportere negligere, contraq; illud accurare, vt cū eam omnem diligentissimè secum abstulerit, eam veluti rem iam Domino consecratam summa cum religione distribuat, vel ipse per se, si huiusceemodi muneri scienter administrando esse ipse par possit, vel per alios, quos antè maxima adhibita diligentia delegerit, quiq; certissima dederint documēta, posse se illā fideliter ac prudēter distribuere, cū illud persuasum sit, non vacare periculo, siue propinquis suis illā relinquat, siue in ea distribuenda, cuiusuis, nulla adhibita delectione, opera vsus sit. Etenim si qui præfectus est procurā- Βεβαίωσις.
dę regiæ pecunię, esto de reb⁹ ijs, quę partæ iā sunt, nihil in- *à simili petita.*
teruerterit omnino, ad seq; transtulerit: is tamē, si quæ prę-
terea acquiri potuerant negligentia sua non acquisiuerit, sed passus sit deperire, nihilominus tamen vtiq; in crimine est: quàm graue tandē censere debemus iudicium illis imminere, qui in rebus Dei nomini iam consecratis, vindicādis, lente ac negligenter se gesserint? An non in eadē cum illis iudicij causa futuros, de quibus scriptum est, *Maledictus* *Hier. 48.*
homo, qui facit opera Domini negligenter? Illud autē vbiq; nobis tenendum est, vt ne, dū præcepto vni volumus satisfacere, ab altero videamur discedere. Neq; enim conueniens est decoro nostro, si cum iniquis hominibus cōtendere videamur, aut delitigare. Siquidē *seruum Domini non oportet litigare,* *2. Tim. 2.*
sed cōtrà potius aduersus quē iniquius se naturales cognati gerunt, is tenere memoria debet, Dominum dixisse, esse *Mar. 10.*
neminē, *qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros* nō quauis de causa, simpliciter, sed propter ipsum, & Euangelium, qui non centies tantum recipiat in tēpore hoc, & in seculo futuro vitam æternam. *Διαμαρτύρασθαι χρὴ.
* Admonēdi sunt tamen qui tales sunt, seduloq; testificandū, sacrilegij scelere se ipsos obstringere, idq; vt pareamus præcepto Domini, qui dixit *Si peccauerit in te frater tuus, vade,* *Matth. 18.*
& corripe eum, &c. Porrò de his rebus experiri apud iudices
C extrarios, vetat nos idē Dominus, cùm dicit: *Et ei qui vult te-* *Matth. 5.*
cum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et Paulus similiter: sic enim est apud ipsum: *Audet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum, iudicari apud* *1. Cor. 6.*
iniquos, & non apud sanctos? Atque apud hos ipsos etiam in iudicium citabimus, si quando citabimus, maiore habita ratione fraternæ salutis, quàm facultatum, quæ * ex pecunia *περιουσίας.
possint proficisci. Etenim Dominus cum antè dixisset, *Si te* *Matt. 18.*
audiuerit: postea addidit, *Lucratus es*, non pecuniam, sed *fratrē tuum.* Est tamen quum clarius aperiēdæ causa veritatis sępenumero ipsi ab ipso illo, qui nobis infert iniuriā, vocati ad dictam vtriq; parti communiter indictā, ad nos purgandos
D debemus descendere, non lacessentes ipsi, sed lacessiti: idq; ita facere, vt manifestè appareat nos neq; iracundia, neque contentiosa pertinacia vlla adductos eo descendisse, sed ea re solū, vt veritas illustrior reddatur cæteris, atq; conspicua magis. Sic enim & illū etiam inuitum è malis, in quibus eatenus versatus fuerit, eximemus, & nos à præceptis Domini non discedamus, si videlicet tanquā Dei ministri non cōtentionis studio, aut auaritia vlla adducti, constanter pro illustranda veritate propugnabimus: neq; omnino vsquam maius quàm quantum permissum sit, studium in re istiusmodi adhibebimus.

Interrogatio x.

E *Nunquid qui ad religiosam vitam accedent, promiscuè omnes conueniat admitti, an aliqui tantummodo? nunquid item confestim recipi debent, an probandi primum? Si probandi, ecqua tandem illa esse debet probatio?*

Responsio.

CVm benignus hominum amator Deus, idemq; author *Matt. 11.*
salutis nostræ, Dns noster Iesus Christus prædicet, ac dicat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: non fit sine periculo, si quid ad Dominum per nos accedere in animo habent, & suaue ipsius iugū, ac præceptorum onus, quo ad cælum extollimur subire parati sunt, ij à nobis reiiciantur. Verū neque illud tamen permitti debet, vt quiuis illotis pedibus in sanctimoniam Domini mandatorum ingrediatur. Sed quemadmodum Dominus noster Iesus Christus adolescentem illū, qui ad ipsum accesserat, de superiore eius vita percontatus est, cumq; rectè actam fuisse illam comperisset, quod ad perfectionem amplius prēterea desiderabatur, id illū iussit adiūgere, quod vbi fecisset, tum demū sequendi se, ipsi potestatem fecit: Sic quoq; faciendum nobis est, vt videlicet illorū, qui ad nos mansuri nobiscum, accedant, diligenter quæ superior vita fuerit, inquiramus. Et si quidem aliquos inuenerimus, qui aliquos iam in ea progressus ad virtutē fecerint, ijs ad per-

fectionem propius pertinentia præcepta commendemus. A
Quos verò ab eo vitæ genere quòd aut vitiosum sit, aut quod inter bonum malumq; mediũ sit, ad illud quod perfectum in Dei cognitione positum est, animaduerterimus se velle transferre, eos exquiramus, qui ipsorũ mores sint, num consilio instabili, & ad constituendũ quiduis in vtrãlibet partem præcipiti. Siquidem in ijs, qui istiusmodi sunt, magnopere suspecta haberi inconstantia debet, qui præter id, quod nullã ipsi vtilitatem inueniunt, cæteris etiam sunt detrimento, quòd institutum viuendi nostrũ falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infament. Verum enim quando in rerum natura nihil est, quod non diligentia corrigatur, neq; vitium est vllũ adeo graue, quod non Dei timore peruincatur, qui huiusmodi sunt, ij nullo modo à principio statim sunt desperandi, sed ad idoneas duci exercitationes debent: ibiq; & adhibendo temporis spatio, & grauioribus imponendis laboribus periculum faciendũ de illorũ natura, constantiaq;, vt videlicet, si quid ineſſe in ipsis stabilitatis cognouerimus, eos tuto admittamus: sin minus, dũ adhuc extrà sunt, repudiemus, neque ex istiusmodi periclitatione detrimentũ vllum in fratres redundet. Porrò illud etiam animaduerti debet, nunquid præoccupatus aliquis in delictis, abiecta omni verecundia, palàm enuntiet occulta dedecoris, ipseq; seipsum accuset, simulq; num superioris vitæ peccatorũ suorũ socios præ pudore defugiat, eosque ab sese procul submoueat, velut ille, qui dicebat: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem*: seseq; hoc modo ad id, quod sibi reliquum sit vitæ, antè præmuniat, ne in similia de reliquo flagitia delabatur. Cæterùm cõmunis illa est ratio vnumquemq; pertentandi, si illud animaduertatur, nunquid is, de cuius sententia periculũ fiat, paratus sit libenter ad omne humilitatis genus descendere, missa omni verecundia, ita videlicet, vt sordidissima etiã quæq; artificia suscipere non recusẽt, quandocunq; illorum exercitationem vtilẽ esse ratio consuadeat. Vbi verò facta iam omnibus in rebus diligẽs ab ijs exploratio fuerit, qui res istiusmodi callidè sciant peruestigare, isque veluti vas aliquod perappositum & accõmodum Dño, & ad omne opus bonũ paratum, cõpertus fuerit, tum verò ad illorum numerum debet adscribi, qui seipsos Dño consecrarunt. Maximè autẽ ei, qui ab splendido aliquo vitæ genere, ad imitandũ modestissimæ humilitatis Dñi nostri Iesu Christi exemplum festinat, munera quædã præscribi debent de numero eorum, quæ illi sordida existimant, qui in ciuili vita versantur, obseruandumque num in ijs cum omni animi alacritate non erubescentẽ & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat.

Γνώμη.

Gal. 6.

1. Cor. 4.

Psal. 6.

B

C

D

2. Tim. 2.

Interrogatio xi.

De seruis.

Responsio.

1. Tim 6.

Philem. 1.

Matt. 6.

Phil. 1.

Act. 5.

E

F

QVicunque verò *sub iugo sunt serui*, ij si ad fratrum conuentum profugiant, admoniti, ac meliores effecti, remittendi Dominis sunt: & in hoc Paulus imitandus, qui Onesimum, quem per Euangelium ipse genuerat, Philemoni remisit, cum quidem & illi persuasisset iugum seruitutis, si eo quis ex Dei voluntate vteretur, dignum esse quod ad regnum cœleste promoueret, & hunc esset hortatus, vt non minas modo remitteret, quas aduersus illum intenderat, memor eorum, quæ dicta essent à Domino, *Si dimiseritis hominibus delicta eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra*: verùm etiam, vt benigniorem erga ipsum animũ gereret, sic scribens: *Forsitan enim ideo discessit ad horam, vt æternũ illum reciperes, iam non vt seruum, sed vt pro seruo fratrem charissimum.* Verùm enimuerò, si fortè Dominus improbus sit, vt qui flagitiosa quædam imperet, & adhibita vi seruum cogat eius, qui verus est herus, Dñs noster Iesus Christus, præcepta violare, hic contendere magnopere debemus, ne nomen Dei blasphemetur, propter seruũ illum, quod fecerit aliquid, quod non placeat Deo. Porrò huiusmodi contentio in eo conficitur, si aut seruo illi persuasum sit, eum grauissimas quasq; quæ sibi inferantur, acerbitates perferre debere, vt *Deo magis obediat, quàm hominibus*, sicut scriptum est: aut si qui illum receperint, libenti animo tentationes omnes, quæ sibi propter illum inferantur, suscipere parati sint, eo modo, quo placet Deo.

Interrogatio xii.

Quomodo recipi debeant, qui matrimonio iuncti sint?

Responsio.

ATque ij etiam, qui matrimonio coniuncti, ad huiusmodi vitæ genus accedunt percontandi sunt, num consentiente altera parte hoc faciant, ex præcepto Apostoli. *Vir* eim, inquit ille, *sui corporis potestatem non habet.* Et si hoc ita alipsis fieri compertum sit, tum multis adhibitis testibus dmitti debet, qui accedit. Siquidem nihil est, † quod Deiussis potius haberi debeat. Si verò dissidens sit altera par, & assiduè vsq; ex aduerso cum altera contendat, quòd videlicet minus solicita sit, quomodo placeat Deo, hic ea conuenit meminisse, quæ dicta sunt ab Apostolo: *In pace autem vocauit nos Deus.* Et sic parendum præcepto Domini qudixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrẽ, & uxorem, & filios, & fratres*, &c. *non potest esse meus discipulus.* Neque enim est, quòd haberi antiquius debeat, quàm vt Dei iussis pareatur. Cæterùm nos plerosq; nouimus, sæpè qui e intenta oratione, assiduoq; ieiunio, ad finem, quem optant, vitæ cum castitate peruenerunt, quippecum Dominus videlicet eos qui vsquequaque sunt obstinati, sæpenumero etiam per corporalem necessitatem adigat sensim, vt recto alterius partis iudicio consentiant.

1. Cor. 7.

† τῆς πρὸς θεὸν ὑπακοῆς οὐδὲν

κοινὸς οὐδὲν πρεπτιμότερον.

1. Cor. 7. Luc. 14.

Interrogatio xiii.

Quòd ijs qui nouicij primis pietatis rudimentis imbuuntur, vtilis taciturni silentij etiam exercitatio sit.

Responsio.

ATque ijs etiam, qui rudes adhuc ad pietatis cultũram accedunt, vtilis est ea quæ per taciturnitatem exercitatio fit, quandoquidem in eo, quod linguæ moderentur, hoc satis magno erit argumento, cõtinentiam ab ipsis coli: & in assiduo ac perpetuo silentio, de ijs, quos loqui scienter audiuerint, exemplum sument, † quemadmodum & proponi quæstiones debeãt, & item quomodo vnicuiq; oporteat respondere. Est enim & vocis moderatio, & in sermone modus quidam, itemq; occasionis apta maturitas, ac verborum proprietas, quæ propria ac peculiaria sunt pietatis cultorum: quæ quidem nullo modo doctrina is potest percipere, qui non quæ ex superioris vitæ consuetudine impressa habeat, ea antè dedidicerit, quippe cum taciturnitas simul & obliuionem ex desuetudine pariat, & ad ea, quæ recta sunt, discenda, ocium suppeditet. Quamobrem nisi aut peculiaris causa aliqua vel ad salutem animæ, vel ad operis alicuius, quod tum in manibus sit confectionem summè necessaria, aut istiusmodi posita quæstio aliqua vrgeat, tenendum assiduè vsque silentium est, exceptæ videlicet psalmorum modulatione.

† συντόνως καὶ μετεωρίζως. Δόγμα.

Interrogatio xiv.

De ijs, qui cum per professionem Deo seipsos deuouerint, tum professionem illam conantur rescindere.

Responsio.

CÆterum horum vnusquisque, si postea quàm intra reliquorum fratrum societatem adscriptus fuerit, factã iam ab se professionem resciderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuiq; solemni se voto obligarit. *Si verò in Deum quis peccauerit*, inquit, *& quis orabit pro eo?* Etenim qui seipsum Deo semel deuouit, hic si ad aliud deinde vitæ genus trãsiuerit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsũ Deo, cui se cõsecrauerat, veluti subterfuratus sit. Porrò huiuscemodi hominibus rationi quidem consentaneum fuerit vt nullo modo aperiantur fratrum ianuæ, ne si præteuntes quidem ea re modo, vt tecto recipiantur, ad ipsos diuerterint. Perspicua est enim regula Apostoli, qua iubemur subtrahere nos ab omni inordinato, neque vllo modo cum illo commiscẽri, vt confundatur.

1. Reg. 2. Vel huc oculos conuertãt Luthers hyparaspistæ.

2. Thes. 3.

Inter-

INTERROGATIO. XV.

Quænam idonea haberi ætas debeat, in qua permittatur alicui, vt per professionem Deo se dedicet: itemq; quo tempore facta virginitatis professio rata habenda sit?

RESPONSIO.

Matth. 19. CVm Dominus dicat, *Sinite paruulos venire ad me:* & Apo-
2. Tim. 3. stolus eũ laudet, qui ab infantia sacras literas didicis-
Ephes. 6. set: idemq; alio in loco præcipiat educandos esse filios in disciplina & correptione Domini: prorsus ad eos, qui ad nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tẽpus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeo teneræ, atq; ineuntis, vt videlicet qui orbati parentibus sint eos nostrapte spon-
Iob 31. te ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum B
simus. Qui autẽ sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos ad-
ductos multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus
1. Tim. 5. occasionem ijs, qui volunt occasionẽ: sed obtrectatoribus
nostris maledicẽdi causa omnis hac etiam in parte præcisa
sit. Atq; in illis quidẽ recipiendis hæc, quam dixi, teneri à
nobis ratio debet: non ij tamen continuo propterea ad re-
liquũ fratrũ corpus aggregandi, aut cum his simul censendi
sunt: ne videlicet, si illi propositum suũ minus fuerint assẽ-
cuti, eorum postea probra in omnes promiscuè pietatis se-
ctatores redundent. Sed educãdi illi quidem sunt cũ omni
charitate, non secus ac si cõmunes totius fratrum collegij
filij essent, seorsumq; ipsis & locus in quo habitent, & vi-
ctus ratio quam teneant, assignari debet, tã masculis, quàm C
fœmellis à se diuerso domicilio disparatis: vt ne se superio-
res cõpellandi maiorẽ sumant fiduciam præsidentiores fa-
cti, quin potius vt raritate cõgressus reuerentiam aduersum
ipsos retineant, neúe ex multis, quæ ijs, qui adultiori ætate
sunt, imponuntur, quod in exequendis officijs suis non ita
interdum diligentes fuerint (si modo, vt assolet, inciderit
aliquando, mentẽ ipsorum temerè aliud agentẽ aberrasse)
procliuitas quædam maior ad peccandum in animis illo-
rum nascatur, aut sæpenumero etiam sentire de se elatius
incipiant, cũ in quibus ipsi rectè se gerant, in ijs natu gran-
diores labi animaduertant. Neque enim interest, vtrum sa-
γνώμη. pientia quis an ætate puer sit. Itaq; nihil est mirum eadem
plerumq; in vtrisq; animi vitia reperiri. Simulq; ex huius- D
cemodi separatione & habitationis, & victus, illud etiam
prouidebitur, ne quibus in rebus, natu maiores, si eas ge-
rant, decorum propter ætatẽ seruatur, ad eas adolescentuli,
ob assiduũ cum ipsis vsum, indecorè ante tempus assiliant.
Quocirca cùm huius, quem dixi, ordinis, tũ reliquæ etiam
seruandæ disciplinæ, ac sanctimoniæ causa, separata esse lo-
ca illa oportet, in quibus & pueri, & natu grandiores ver-
sentur. Qua ex re illud etiam cõmodum sequetur, quod in
præceptorũ cõmentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo, qui illam solet comitari, reliqui monachi non of-
fendentur. Verũ enim precationes, quæ statis interdiu ho-
ris descriptæ sunt, ac præfinitæ, cõmunes illæ quidẽ & pue-
ris esse, & natu maioribus debent. Siquidem hoc modo & E
parui ex grandiorũ æmulatione ad cõpunctionẽ assuefiũt,
& qui ætate antecedunt, in orationibus à pueris non me-
diocriter adiuuantur. Cæterũ quod ad somnũ, ad vigiliã, ad
cibi sumendi tempus, eiusq; cum modum, tum genus per-
tineat, seorsim pueris præcepta, ac regulæ quædã, adhibita
tamen ea pro ætatis decoro, moderatione, describuntur.
His autẽ, qui tales sint, præficitor is, qui cùm ætate, tum vsu
etiã rerum cæteris antecedat, cuiusq; omnibus testata mo-
rum facilitas sit, quo videlicet cùm paterna lenitate, tum
prudenti etiã sermone errata corrigat adolescentulorum,
appositis ad singula errata remedijs adhibẽdis, eiusmodiq;,
quibus vno & eodẽ tempore & noxa castigetur, & animus F
ad tollendas perturbationes, vitiaq; assuefiat. Veluti iracun-
dia aliquis elatus est aduersus æquæuum fratrem? hunc ille
pro magnitudine delicti sibi cõciliare cogitor, ac ministra-
re. Siquidẽ hæc huiusce modi ad † humilitatẽ exercitatio,
† γυμνάσιον ἀπαθείας. iracundiæ veluti neruos elidit, quando animi elatio illa est,
quæ iracundiã plerumq; in nobis ingenerat. Alieno tẽpore
cibum assumpsit? ad multã diem ieiunus permaneto. Inter
vescendum se immodestè gessisse animaduersus est, & in-
decorè? ieiunus ipse accumbẽtes, ac cibum cum decoro ca-
pientes cæteros spectare cogitor. Hoc enim modo & absti-

A nentia ille castigabitur, & quod in huiusmodi rebus par est,
decorum discet retinere. Verbum emisit ociosum? cõtume-
liã in proximum? mendacium, aut aliud quippiã de ijs, quæ
minus licent? inediaventris ac silentio plectitor. Atq; illud
quoq; considerandum est, vt literarum cõmentatio institu-
to nostro cõueniens sit, vt & magistri sci. vocabulis in sacris
literis vsitatis apud ipsos vtantur, & loco fabularum, histo-
rias ipsis rerum mirabiliter à Deo gestarum denarrent, itẽ-
que sumptis ex prouerbijs sententijs ad virtutem erudiant.
Profuerit illis, si proponentur præmia memoriæ cum rerũ,
tũ etiã verborum. Siquidẽ fiet hac ratione, vt quæ volumus,
ea iucundius, ac facilius sint percepturi, nulla cum molestia,
nullaq; offensione: atq; etiã qui ista ætate sunt, ij rectè edu-
cti, & mente esse attentiores, & cogitatione minus temerè
B aberrare cõsuescent, si à magistris identidẽ interrogentur,
quò dirigãt mentẽ, quid secũ versent cogitationis. Etenim
ætas illa vtpote simplex, maximeq; ab astutijs remota, & ad
mendaciũ fingendũ non satis idonea, animi arcana facilè e-
nũciat. Porrò qui eiusmodi est, is reprehẽsionẽ metuẽs, o-
perã dabit, vt absurdas istiusmodi cogitationes fugiat, sesèq;
subinde, ne in illis frequenter deprehendatur, reuocabit.
Quamobrẽ animus, dum tener est adhuc, & ritu ceræ, quæ
ipsa impressas in se formas quascũq; facillimè recipit, mol-
Collatio elegans. lissimè cedit, cõfestim ab ipso initio, omni rerũ bonarũ im-
bui exercitatione debet, quo videlicet, vbi postea rationis v-
sus accesserit, & habitũ illum rerũ dijudicandarũ ętas maior
attulerit, pietati iã ab ineunte ætate assuetus, nullo impedi-
mento, cursu vtatur faciliore, cũ & ratio quid expediat, ad-
moneat, & ad id assequendũ facilitatẽ præbeat cõsuetudo.
Quo sanè tẽpore admittenda est virginitatis professio, tan-
quam firma iã, & eiusmodi, quæ à proprio cõsilio, iudicioq;
proficiscatur, ratione iam probè adulta. Post quod tẽpus &
præmijs & supplicijs à iusto iudice afficiũtur ij, qui vel bene
vixerint, vel malè, pro meritis videlicet eorũ, quæ gesserint.
Porrò sententiæ eiusmodi testes assumendi ecclesiarũ anti- *Matt. 18.*
stites sunt, quò videlicet per ipsos & sanctificatio corporis,
veluti res sacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorũ
testimoniũ confirmatio sit. *In ore* enim *duorũ vel triũ*, inquit, *2. Cor. 13.*
stabit omne verbũ. Sic enim & studiũ fratrũ maledicta maximè
euitabit, & qui seipsos Deo palã dedicauerint, si professionẽ
postea rescindere conati fuerint, ijs nulla ad impudentiam
causa reliqua fiet. Qui verò vitã cum virginitatis professio-
ne susc ipere nolit, is tanquam qui res Dñi accurare solicitè
non possit, ipsis ijsdẽ adhibitis testibus dimittitor. Verum *Ad virginitatis professionem quàm moderationè uebantur, attende.*
enim qui iã professus fuerit, idq; diligẽti habita quæstione,
animaduersioneq; (at quamplurium ipsi dierum dari spatiũ
debet, quibus secũ seorsum deliberet, nequid astutè repen-
tino per raptũ fieri à nobis videatur) is tum demum sic re-
cipi debet, & ad reliquorũ fratrũ numerum ascribi, cõmu-
nẽ deinceps cũ cęteris & locũ ad habitandũ, & victus ratio-
nem habiturus. Cæterùm, quod penè nos fugerat dicere, id
haudquaquã alienũ sit, si nunc etiã adiungatur, nos videli-
cet, quando sunt quædã artes, quas à paruulo exercere sta-
tim cõueniat, simul ac iã ad eas perdiscendas de puerorum
numero habiles aliqui visi fuerint, neutiquam prohibere,
quo minus continenter interdiu illi apud artis illius magi-
stros sint. Nã noctu necessariò illos ad æquales suos trans-
mouemus, quibuscum necessario etiam vnà capere cibum
debent.

INTERROGATIO XVI.

Nunquid pietatem in vita colere volenti, necessaria continentia sit?

RESPONSIO.

ACquòd necessaria quidẽ sit *a* continentia, perspicuum
est: Primùm quidẽ, quòd ab *b* Apostolo ea inter fru- *a Nullo non loci sumit ἐγκράτειαν continentiã pro abstinẽtia sine temperantia.*
ctus spiritus cõnumerata est, tũ quòd ex hac etiã illud asse-
qui nos affirmat, vt ministeriũ nostrũ reprehẽsione careat,
quando dicit: *c In laboribus, & vigilijs, in ieiunijs, in castitate*, &
itẽ alibi, *In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ie-*
iunijs sæpè, similiterq; alio in loco. *d Omnis autẽ, qui in agone con-*
tendit, ab omnibus se abstinet. Castigatio prẽterea corporis, & in *b Gal. 5.*
seruitutem illa redactio, nulla re tantopere efficitur, quàm *c 2. Cor. 11.*
continentia. Siquidẽ * feruor ille, qui vigere in iuuenibus *d 1. Cor. 9.*
solet, itemq; difficilis ille ad coërcendum libidines impe- ** ὑποπιάσμὸς σώμα-*
tus, cõtinentia veluti quodã fræno cohibetur: *Non enim*, vt *τος.*
ait Salomon, *inutiles sunt stulto deliciæ.* Quid autẽ carne, quæ

molliter accuretur, & iuuentutis æstu temere, huc illucque agitetur, fingi stultius potest? Idcirco Apostolus dicit, *Et carnis curã in desiderio ne feceritis. Et quæ in delicijs est viuens, mortua est.* Adde quòd exẽplum diuitis illius luxu ac delicijs diffluẽtis, necessariam esse nobis † continentiam declarat, ne sc. quod ille audiuit, nos quoq; audiamus: *Recepisti*, videlicet *bona tua in vita tua.* Quàm verò metuenda intẽperantia sit, etiam Apostolus docet, qui interea, quæ illorũ propria sunt, qui desciscunt à Deo, illã enumeret. *In nouissimis enim*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes*, & pluribus enumeratis vitiorũ generibus, postremò adiunxit, *Criminatores, incontinentes.* Atq; Esau etiã vitio, quasi maximũ malorum omniũ, data incontinentia est, qui vno ferculo primogenita sua vendidisset. Incõtinentia etiã illa fuit, propter quam à Dei præceptis homo primùm dicessit. Contra verò sancti viri omnes, quotquot vnquã fuere, cõtinentiæ laude sunt cõmendati. Ad hæc omnis sanctorũ ac beatorum vita, ipsiusq; adeò Dñi nostri Iesu Christi, quãdiu ille cum corpore apud nos fuit, exẽplum, ad hãc vtiliter nos adhortatur. Ac Moses quidẽ per longinquam illã in ieiunio ac precatione assiduitatẽ, legem accepit; & verba Dei audiuit, *tanquã si quis loqueretur*, inquit, *amico suo.* Helias verò tũ demum dignus habitus est visione Dei, cum ipse quoq; ad parẽ continentiæ magnitudinẽ peruenisset. Quid autẽ Daniel? quomodo res admirabiles illas vidit, an non post vicesimũ ieiunij diẽ? Quid tres adolescentuli illi, qua ratione alia ignis impetũ extinxere, nisi cõtinentia? Ioannis præterea totũ vitæ institutũ, hinc sumpsit exordium. Hęc illa etiã fuit, à qua seipsum ostendere Dñs cœpit. Continenti ã autẽ appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat: q uando hoc violenta quædã vitę dissolutio est: sed eã, quam tollendæ contumaciæ corporis causa, pietatis ergo de industria sequimur rerũ voluptatẽ titillantiũ abstinentiã. Atq; vt semel finiam, quarũ rerum voluptates ab ijs, qui ex libidine vitã degũt, expeti solitę sunt, ab his, nobis, qui ad verã pietatis culturã contendimus, est tẽperandum. Proinde nequaquã in vna tantum escarũ fugienda voluptate, continentiæ culturã cõsistere existimandum est, sed eam ad omnẽ etiam rẽ, quæcunq; proposito nobis fini aduersaria sit, & impedimento, pertinere. Ex quo intelligitur, qui hanc perfectè virtutẽ tenuerit, eum nullo modo, cũ ventrẽ in potestatẽ redegerit suam, humanam sibi passurũ gloriã dominari: aut cũ obscœnam voluptatẽ deuicerit, opum cupiditatẽ: aut aliam quamuis degenerem animi affectionem, veluti iram, ægritudinemue, aut quæcunq; imperitis animis dominari consueuerunt, non superaturũ. Ferme enim quod in omnibus præceptis animaduertimus, ea videlicet inter se connexa esse, neq; fieri posse, vt vllo modo vni separatim ab altero satisfiat, hoc præcipuè in continentia cernitur. Nã & demisse de se sentit. verè humilis qui in gloria cõtinentiam adhibet, & Euangelicæ inopiæ mensurã explet, qui in congerendis opibus continentiã seruat: & ab ira trãquillus est, qui animi elationẽ atq; iracundiã in officio continet. Ea deniq; absolutæ continentiæ ratio est vt linguæ, vt oculis limites præscribat, vt aurib⁹ minimè curiosam indulgeat auscultationẽ, & singulis his cancellos ipsorũ officij quasi quosdã circumscribat atq; circundet, extra quos qui egressus sit, is † incontinens ac petulans est. Animaduertis quẽadmodum circum hoc vnum præceptum, reliqua omnia, veluti in choro coniunctim inter se connexa cohæreant.

Rom. 13. *1. Tim.* 5.

† ἀκρασία. *Luc.* 16.

2. Tim. 3.

Gen. 25.

Ab exemplo commendat abstinentiã. Exod. 33. *3. Reg.* 19.

Dan. 3.

Continentia nomine quid intelligat, vide.

† ἀκρατὴς καὶ ἀκόλαστος.

Interrogatio xvii.

Quòd in risu etiam continentiam adhibere conueniat.

Responsio.

ATque illud etiã, quod à plerisq; negligitur, nõ mediocriter caueri ab ijs debet, qui colendæ pietati student, ne in risum videlicet præter modũ effusi sint, quandoquidẽ nõ abesse à se intemperantiã, significat is, qui profuso nimis, petulantiq; risu teneatur, sesq; animi sui motus nequaquã sedatos, eiusq; mollicię, ac veluti laxitatem nequaquã ratione seuera habere cõpressam declarat. Verumenim modicè rictũ diducere, eoq; modo animi sui diffusionẽ leniter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantũ indicetur, quod scriptũ est: *Cor gaudens exhilarat faciẽ.* Illud autem, in immanes cachinnos prorumpere, & corpore, contra animi voluntatẽ, sussultare, nequaquã est eius, qui animo cõposito sit, aut planè probo, & cõpote suij psi⁹. Porrò hoc ita esse, vir sapiẽtissimus Salomon cõfirmat his verbis: *Fatuus in risu exaltat vocẽ suam, vir autẽ sapiens vix tacitè ridebit.* Huiusmodi genus risus etiã Ecclesiastes damnans, tanquã rem animi constantiæ & grauitati maximè contrariã, sic dicit: *Risum reputaui errorẽ.* Et itẽ: *Sicut sonitus spinarũ ardentiũ sub olla, sic risus stulti.* Atq; hoc ipsum etiã ita esse Dominus ostendit, qui susceptis cæteris, quæ necessario corpus sequuntur, affectionibus, ijsq; omnibus, quæcumq; virtutis testificationem habent, veluti lassitudinẽ, & misericordiã aduersus calamitosos, risu, quantũ euangeliorũ historia cognosci potest, vsus nunquã fit, cõtraq; oẽs quotquot ab eo tenerentur, miseros appellauerit. Neq; verò vocabuli nos ambiguitas fallat: quandoquidem familiare est scripturæ sæpenumero lætitiã & festiuitatem illã, quæ ex rebus bonis in animo exoritur, * risum appellare, vt ait Sarra: *Risum fecit mihi Deus.* Et illud item: *Beati qui nũc fletis, quoniã ridebitis.* Et quod est in historia Iob: *Os autẽ verax implebit risu.* Siquidem omnib⁹ his in locis vocabulũ hoc pro hilaritate, quæ ex prorũpente animi gaudio nascitur, vsurpatũ est. Quamobrem qui omnibus animi sui affectionibus moderatur, neq; voluptatis titillatione vlla permouetur, cõtraq; fortiter constanterq; aduersus quãcunq; prauã libidinem animatus est, hic perfectè continens est. Porrò qui est eiusmodi, is sine dubio liber est ab omni peccato. Atq; etiã est cũ interdũ ab rebus ijs cõuenit abstinere, quę alioqui genere ipso concessæ ac necessariæ ad vitæ vsum sunt, quotiescunq; abstinentia illa fratrũ nostrorum salutis causa à nobis suscipitur, quemadmodũ est apud Apostolum: *Si esca scandalizat fratrẽ meum, non comedã carnes in æternum.* Qui etiam cum haberet potestatem viuendi ex euangelio, ea potestate vsus non est, ne ꝙ offendiculũ daret euangelio Christi. Est ergo continentia, peccatorũ sublatio, vitiosarum affectionũ amãdatio, corporis ad naturales etiã vsq, passiones, cupiditatesq; mortificatio, principiũ vitæ spiritualis, sempiternorum bonorum conciliatio, voluptatis aculeum in seipsa abolens. Siquidem voluptas nihil est aliud, quàm esca illa maligni, per quam nos homines ad peccatum valde procliues sumus. Ab ea omnis anima nõ secus atq; ab hamo quodam ad exitium pertrahitur. Quòd si quis adhibita continentia, ab ea se neq; effœminari passus sit neq; inflecti, hic sine cõtrouersia quod uis penitus peccatum effugerit. Si verò cùm à pluribus euaserit, tamen sub vnius adhuc dominatu sit, nequaquã is haberi in cõtinentibus debet; quemadmodũ neq; sanus, qui vno aliquo corporis vitio laborat, neq; cui tantũ vnus dominatur, liber. Ac reliquæ quidẽ virtutes, cum in occulto exerceantur, minus sæpè illustres apud homines existunt. Cõtinentia autem, in quo inest, eũ vel primo ipso aspectu tãtum notũ facit. Vt enim opimus corporis habitus & coloris bonitas, pugilem à cæteris distinguit: sic Christianum à cęteris macilentia corporis pallorq; defloreſcens, qui continentiæ veluti adiunctus est comes, indicio est, eum Christi mãdatorum verè pugilem esse, qui in infirmitate corporis aduersarium suum in lucta prosternat, & quàm potens sit, in pietatis certaminibus declaret, conuenienter verbis illis: *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Quantum enim vel in solo cõtinentis alicuius aspectu lucri est, videre illum videlicet parcè, tenuiterq; res etiã ipsas necessarias attingentem, ægreq; naturæ ministerium perinde ac tributum molestiæ & angoris plenum pendentem, temporisque, quod in hoc ipso consumitur, morã animo iniquo ferentem, celerrimeq; à mensa ad obeunda munera sua resilientem? Si quidem opinor ad animum illius, qui ventris libidinib⁹ seruiat, peruellendum, & ad frugem reuocãdum meliorem, nullam cuiusuis generis orationem posse excogitari, quæ tantundem valeat, quãtum vel solum continentis alicuius aspectum. Atq; hoc est ni fallor, illud, ad gloriã Dei mãducare & bibere, vt in mensa etiã *luceãt bona opera nostra, vt glorificetur pater noster, qui in cœlis est.*

Ecclesiast. 21. *Eccl.* 2. *Eccl.* 7. *Dominus suscipit affectiones quæ virtutis habent testimonium.*

Ομωνυμία. * *Risus in sacris.*

Gen. 21. *Luc.* 6. ἐπαγωγὴ. *Iob* 8. *secundum* LXX.

Continentiæ veritissima finitio.

Voluptas inescatio & illecebra diaboli.

Collatio animæ ad corpus.

Ανομοίωσις

2. Cor. 12.

Ad gloriam Dei mandu care. 1. Cor 10. *Matt.* 5.

Interrogatio xviii.

Quòd nihil non conuenit degustare eorum, quæ in mensa nobis apponantur.

Responsio.

ATque illud etiam necessariò statuendum est, ad hoc, vt macereturcorpus & in officio contineatur, ijs qui in pietatis curriculo decertant, continentiam apprime necessariã esse. *Omnis enim qui in agone contendit, in omnibus abstinens est.*

Prou. 15.

1. Cor. 9.

est. Verumenimvero, ne similes efficiamur inimicorum Dei, qui cauteriatam habent conscientiam suam, ac propterea
1. Tim. 4. abstinent à cibis, *quos Deus creauit ad sumendũ cũ gratiarum actione fidelibus.* singula (si quando tempus inciderit) attingenda nobis sunt, quatenus ijs, qui nos cernunt, ostendamus omnia esse munda mundis, & nihil reijciendũ, ꝙ cum gratiarum
Ibid. actione percipiatur. *Sanctificatur enim per verbũ Dei & orationẽ.* Videndum est tamen, vt ea in re ab instituto cõtinentię nostræ non discedamus, vt videlicet de ijs, quæ viliora sunt, & ad necessitatem solã parata, eatenus sumamus, quoad necessitati factum sit satis, atq; in his ipsis saturitatis etiammalum declinemus, & ab his quæ voluptaria sint, penitus nos abstineamus. Hoc enim modo & voluptariorum hominũ libi-
B dinem excidemus, & eos qui cauteriatam habent conscientiam suam, quantum in nobis erit, curabimus, à nobis q; suspicionem illam, quæ in vtramq; partem posset existere, a-
1. Cor. 10. mouebimus. *Vt quid enim libertas mea*, inquit, *ab alia cõscientia*
Continentia quàm efficax. *iudicatur?* Sane continentia illa est, quæ hominem mortuum esse simul cum Christo, ac membra sua, quæ sunt super terram, mortificasse declarat. Hanc scimus esse temperantiæ matrem, sanitatis cõciliatricem: ab hac egregiè, quicquid, id est, ꝙ Christianarum virtutum fęcunditati officiat, extirpari.
Matt. 13. Siquidem (vt dictum est à Dño) solicitudines vitæ huius, voluptates q;, ac reliquæ cæterarum rerum cupiditates eę sunt, quæ verbum Dei suffocant, & infœcundum efficiunt. Ab hac dæmones profugiunt, cùm ipse nos Dominus docuerit esse eorum genus quoddam, quod in re alia nulla exeat, nisi
C in oratione & ieiunio.

Interrogatio xix.

Qui modus seruari in continentia debeat.

Responsio.

Atque in vitijs quidem animi vnus continentiæ modus est, summa earum rerum, quæ ad pestiferam voluptatem fuerunt, à nobis alienatio. In cibis autem quemadmodum alij alijs necessarij sunt, pro ætate videlicet cuiusque ac studijs, ijq; appositè ad corporis cuiusque habitudinem distincti: item quoque diuersa sunt, vsus illorum, modus, ratioq;. Quo fit vt nequaquam omnes vni & eidem regulæ subijci possint. Verumenim ea præscripta semel à nobis regula, quam ab ijs, qui valetudine integra pietati operam dant, seruari conueniat, ab ea licero
D *volumus ijs, quibus tradita est prouincia cæteros gubernandi, habita nouorum cuiusque temporum ratione, immutare quantum velint. Quæ enim vnumquemque sigillatim attingunt, ea oratio complecti non potest, sed ea tantummodo, quæ in vniuersum à communi quadam doctrina dependent. Nam quemadmodum refici escis ægroti debeant, aut vehementibus alioqui laboribus defatigati, quomodove agi cum illis par sit, qui se ad grauem aliquem laborem, veluti iter, aut aliud quoduis laboriosum munus accingant, antistites ipsi iudicabunt, & ad necessitatem vniuscuiusque rem totam attemperabunt, illudq;, quod est in Actis, imitabuntur, vbi dicitur:* Quòd diuidebantur illa singu-
Act. 2. Παραγωγὴ ab exemplo Apostolorum. lis, prout vnicuique opus erat. *Ex quo sanè intelligimus neutiquam omnibus, neque idem cibi sumendi tempus, neque modum eun-*
E *dem, regulamve eandem posse describi. Verumenim cõmune illud propositum sit, videlicet, vt ne quid cuiquam desit eorum, quæ necessitas cuiusque desideret. Nam illud immodicè ventrem distendere, & immoderatis se epulis onerare, præterquam quod detestabilis, atque execra-*
Luc. 6. *tione digna res est, cum Dominus dixerit,* Væ qui saturi estis nunc: *corpus etiam ipsum ineptum prorsus reddit ad labores, & procliue in somnos, & morbis magis expositum facit ac peruium. Neque verò suauitate metiendus est finis aut spectandus cibi sumendi, sed necessariò tantum vsu ad vitæ conseruationem expeti debet, reiecta voluptatis libidine, quando voluptatibus seruire, nihil est aliud,*
† πρὸς ζώων σύγκρασιν, ἐπιδεῖται τῆς πληρώσεως. *quàm ventrem Deum suum efficere. Quoniam enim corpus nostrum, quod assiduè singulis momentis exinanitur, ac defluit, † ea re subinde*
F *opus habet, vt repleatur (quæ etiam causa est, cur cibi appetitiones naturales sint) sanè recta ratio vsus ciborum, id replendum admonet, quod exinanitum sit, quo videlicet constare animal possit, siue aridum, siue humidũ illud alimentum sit, quod natura desideret. Proinde quod minore negocio à naturalis nos desiderij molestia liberet, illud adhibendum nobis est. Hoc autem ita fieri conuenire, facto illo Dominus declarauit, cum delassatam illam ingentem multitudinem epulo illo accepit, ne de-*
Matth. 15. † λειπτὴν δὲ ἀπέριτιον τροφὴν. *ficerent in via, sicut scriptum est. Etenim cum miraculi vim magnifico excogitando epularum apparatu in solitudine ei liceret exaugere, adeò † simpliciter, adeoq; frugaliter illos accepit, vt (quod quidem est apud*
Ioan. 6. *Ioannem) ad panem, qui ipse etiam erat ordeaceus, fiustum tantummodo piscis adiectum sit. Nam de potione prorsus nulla mentio, quippè*
A *tanquã videlicet aqua sponte sua ex humo scaturiens, omnibus esset in promptu, quæ naturale vniuscuiusq; desiderium assatim posset explere. Extra quam tamen si sit aliquis, cui propter imbecillitatem valetudinis*
1. Tim. 5. *noceat huiuscemodi potio: tunc enim ex consilio Pauli ad Timotheum ea reijci deberet, neque hæc modo, sed illa etiam omnia, in quibus euidens esset nocumentum. Neque enim cohæret hoc, vt cum tuendi corporis*
ἀναχόλυτον *causa escas assumamus, per easdem ipsas ei rursum bellum inferamus, impedimentoq; simus, quominus præcepta Dei exequi possit. Atque hoc*
† ὑπόδειγμα. *idem etiam † exemplo nobis est, vt animum nostrum ea assuefaciamus fugere, quæ ipsi nocent, esto alioqui illa voluptatẽ habeant. Verumenim*
ea omnino nobis præferenda epulæ sunt, vt quæque minore possunt negocio comparari, ne prætextu continentiæ, ex his eas quæ nobiliores sint,
B *ac maioris precij, exquiramus, nempè qui magno partis condimentis epulas nostras apparemus. Sed quod in quaque regione, & haberi facile potest & vile est, & quo passim populus vtitur, eo est nobis vtendum, ijsq; tantummodo importatis, quæ ad vitam summe sint necessaria, veluti oleo, & alijs generis eiusdẽ, & si quid est præterea, quod ad necessariũ ægrotantium solatiũ pertineat. Atque hoc ipsum ita procuretur citra curiositatis notam. Absit itẽ tumultuosa omnis & importuna distractio.*

Interrogatio xx.

Quæ ratio tenenda sit in accipiendis hospitibus.

Responsio.

IAm cũ inanis gloria, & humani fauoris captatio, & quælibet prorsus in quacunq; re ostẽtatio interdicta Christianis hominibus sint (qñ qui ipsa etiã mãdata iccirco exequitur, vt spectetur ab hominib⁹, eaq; re apud illos in gloria sit,
C debitã alioqui studio illi mercedem amittit) tũ verò iis, qui seruandi causa præcepti dominici ad õe sese humilitatis genus abiecerunt, mirabiliter quælibet fugienda inanis glorię significatio est. Sed qm̃ videm⁹ eos, qui in ciuili vitæ genere versantur, humilitatẽ paupertatis fugere, veluti rẽ ignominiosã, ob eamq; causã quotiescunq; aliquis ipsis susciptiẽdus hospes sit, epularum & copiã & magnificentiã studiosius cõsectari: equidẽ metuo ne ad nos quoq; furtim se istiusmodi pestis insinuet néve planè ij esse cõuincamur, quos tãtopere cõmẽdatæ à Christo paupertatis pudeat. Vt igitur, si vasa argẽtea, veláve purpura prætexta, aut mollia stragula, & pellucida amicula foris arcessita cõpararem⁹, ex decoro nostro nõ
D esset: sic indecorũ prorsus fuerit, si noua, & à cõmuni victus nostri rõe longè abhorrentia escarũ genera excogitare velimus. Illud.n. circũcursare nos, vt ea perueſtigemus, quæ nõ ad necessariũ vitæ vsum requiruntur, sed ad explendã miserã libidinẽ, ambitionemq; anxiè solita sunt inueniri: præter quã ꝙ fœdũ ac turpe est, & ab instituto nostro alienũ, exẽplo etiã apprimè docet: qñ videlicet, qui luxu diffluunt ac deliciis, & vitã beatã ventris voluptatibus finiunt, nos quoq; in earundẽ rerum, quib⁹ inhiant ipsi, curis solicitudinibusq; versari animaduertãt. Si.n. res dãnanda ac fugiẽda indulgentior ille est deliciarũ luxus, nullo eas pacto amplecti ac deligere debemus. Siquidẽ de iis quæ iudicata sunt praua, nullo vnquã,
E tẽpore videri nobis debet expediens & cõmodum. Qui luxuriosè viuunt, & optimis vnguentis delibuti incedunt, & vinum percolatũ bibunt, incusantur à scriptura. Et vidua in deliciis viuens, mortua dicitur. Et diues ille propter delicias, Luc. 16.
quas in hac vita fuerat sectatus, deliciis paradisi priuatus est. Quid ergo nobis cũ apparatib⁹ sumptuosis? Accessit ad nos hospes aliquis? si frater est, & idẽ nobiscũ vitæ institutũ habet, is domesticam si:ã mensam agnoscet: quippe cum, quæ domi reliquerit, ea inuẽturus sit apud nos: at defatigatus ex itinere? eaten⁹ cũ eo prolixius liberaliúsve agatur, quatenus ad recreandã eius lassitudinẽ sit satis. Accessit alius à cõmuni vulgariq; viuendi cõsuetudine? hic discat ex factis, quæ ratio
F illi persuadere non potuit, formulã & adumbrationem hinc mutuetur vitæ frugalioris. Insideãt in ei⁹ animo monumẽta, quæ ipsi memoriã excitẽt mensę Christianorum, neq; pudẽdæ propter Christum paupertatis. Quòd si his minimè ille permouebitur, ac potius ridiculo habebit, prorsus iterum nobis molestus nõ erit. Veiùm.n. verò nos, quãdocunq; diuites aliquos animaduertimus ex iis, qui summum bonũ in voluptatibus ponunt, vehemẽter admodũ illorum vicẽ dolemus, deploramusq;, quòd totũ vitæ tẽpus in futilibus, ac nullius precij rebus consumant, nempè qui voluptates suas Deum sibi suũ cõstituerint, nec ipsi sentiunt vt partẽ bonorum suam in hac vita recipiant & per hasce delicias, ad sibi parat ũ ignẽ & illius æstuantissimum ardorẽ hinc emigrent.

Ac si quando nacti occasionem fuerimus, hæc longiore oratione apud illos persequi non dubitemus. Quòd si futurum est vt nos quoque in iisdem, in quibus ipsi criminibus simus, & ea quæ voluptaria sunt, inquiramus & ad ostentationem ea apparemus, equidem metuo, ne quæ destruximus, ea ædificare videamur, illis etiam iisdem rebus, per quas cæteros iudicamus, nempè quorum vita assimilatio sit, quæ videlicet modò in hanc, modò in illam formam pro varia temporum ratione transeamus, nisi fortè vestitus etiam demutandus nobis sit, quotiescumque casus tulerit, vt in superbos, ac fastidio elatos aliquos inciderimus. Quòd si hoc facere minus instituto nostro conueniat, illud certè multò ab honesto alienius, si ob istos de- B
† μονότροπος. licatulos à mensæ nostræ † solito ritu recesserimus. Constans atque vniusmodi est vita germane Christiani, eaque
1. Cor. 10. vnum modo sibi propositum habet, gloriam Dei. *Siue enim manducatis, siue bibitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Verba Pauli sunt, ex cuius ore Christus loquebatur. Contraque eorum, qui à vera pietate sunt alieni, inconstans ac varia nempè
† πολύτροπος. quæ sese modò † in hanc, modo in illam formam per simulationem transmutet, & ad illorum, quibuscum est, libidinem accommodet. Quamobrem tu quoque cum & largiore epularum copia, & exquisita nimis in illis ad voluptatem apparandis solertia in fratre accipiendo, mensæ tuæ solitum ritum immutas, sine controuersia ipsum veluti hominem voluptatibus deditum accusas, & appa- C
ratu illo ei contumeliam infligis, nimirum qui ventris illi libidinem obijcias. An non sæpenumero & genere ipso, & modo apparatus animaduerso, coniecturam consueuimus facere quis, aut cuiusmodi ille sit, qui expectetur? Nequaquam Dominus Marthæ illud laudi tribuit, quod in apparitione rerum multarum occuparetur: sed, *Solicita*
Luc. 10. *es*, inquit, *& turbaris circa plurima.* Porrò paucis est opus, vel vno potius, ac paucis quidem, quod pertinet ad appa-
† ἑνὸς δὲ τοῦ σκοποῦ. ratum: † vno verò, nempè fine ipso, vt videlicet necessitati fiat satis. Ipse autem Dominus, prorsus non nescis,
Ioan. 6. cuiusmodi mensam quinque illis millibus apposuerit, ne-
Genes. 28. que non similiter votum Iacob ad Deum scis: *Si dederis mihi panem*, inquit, *ad vescendum, & vestimentum ad induen-* D
dum: non autem dixit, Si dederis mihi affluentiam opum, aut magnificentiam. Quid vero sapientissimus vir Salo-
Prou. 30. † σύνταξον. mon? *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi*, inquit, *sed* † *tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè repletus, mendax efficiar, & dicam: Quis me videt? aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei.* Sic ille diuitias, saturitatem, egestatem verò summam rerum ad vitam necessariarum inopiam definiuit: nimirum ex eo, quod dicit necessaria, medium quid inter egestatem & abundantiam rerum ad vsum necessariarum declarans. Porrò aliis rebus est opus, pro dissimilitudine videlicet naturæ corporis cuiusque, & proposita rei gerendæ necessitate. Siquidem huic largiore & validiore opus est cibo propter defatigationem laboris, E
illi contra tenuiore, leuioreque & ad corporis ipsius imbecillitatem accommodato. In communi autem hoc statuendum est, vt cibaria, quæ promiscuè omnibus appo-
† ἐυτελεστέρας καὶ ἐυπαρισοτέρας τροφῆς. nantur, eiusmodi sint, quæ † cum vili precio, tum paruo etiam negocio comparentur. Adhibenda tamen in mensa necessario vbique mundicia est atque elegantia, ita tamen,
1. Cor. 7. vt nusquam extra fines nostros egrediamur: atque hoc vnum in acceptione hospitum nostra spectemus modo, vt eorum cuiusque, quos acceperimus, necessitati satisfiat. *Qui enim vtuntur hoc mundo*, inquit, *sint tanquam non abutentes.* Porrò abusus nihil est aliud, quàm sumptus ille, qui vltra necessarium vsum fit. Non sunt nobis pecuniæ? F
Psal. 145. nec sint. Non sunt referta penora, quid tum? Viuimus enim in diē, & in labore positus nobis est victus. Cur igitur à Deo esurientibus datam, peruersè in istorum delicias ac voluptates insumimus? & peccamus vtrinque, qui & illis egestatis angustias intendimus, & his saturitatis incommoda exaugemus.

Interrogatio xxi.

Quæ ratio in sessionibus, & accubationibus teneri debeat, quandocunque ad prandium, cænámve ventum sit.

Responsio.

QVoniam præceptum est Domini (qui vbique nos ad humilitatem assuefacit) vt in prandiis etiam accumbentes nouissimum locum præoccupemus, haud dubiè ne hoc quidem præceptum ab eo negligi debet, qui in eo studeat, vt omnia agat ex mandato. Quamobrem si vulgaris ac communis vitæ sint qui nobiscum accumbant, danda nobis sedulo opera est, vt hac etiam in parte exemplo nostro illi discant se intra modestiæ fines continere, neque prima subsellia appetere. Sin qui in vnum simul conueniunt, eorum omnium vnum est, atque idem vitæ propositum, vt videlicet quouis tempore suæ humilitatis edāt specimen: hic enim vero ex præcepto Domini æquè ad omnes pertinet, nouissimum locum occupare. Verumtamen pugnax nimis ea dere damnanda contentio est: nempè vt quæ modestiæ inimica ordinem tollat, & perturbationem ac tumultum inducat. Quin etiam si in eo peruicaces simus, neque sit qui alteri cedat, peruicaciterque inter nos velimus contendere, simile quiddam eueniet planè, ac si de principe loco pugnaremus. Proinde hic quoque considerandum est, vt cognito diligenter, quid nos facere addecens sit, vbi id facere studuerimus, loci posteà in accubatione assignationem arbitrio permittamus illius, apud quem simus: Sicuti Dominus etiam videtur admonuisse, quando dixit pertinere ad patremfamilias huiusce modi locorum distributionem. Hoc enim modo & inter nos vicis- *Luc. 14.*
sim supportabimus in charitate, honestè omnia, & secun- *Ephes. 4.*
dum ordinem facientes: & illud demonstrabimus, omissa *1. Cor. 14.*
vehementi atque obstinata illa contentione, neutiquam nos ostentationis, aut captandæ causa gloriæ popularis, humilitatem consectari. Quin cedendo potius, parendoq; ad veram humilitatem perueniemus: quando maius superbiæ signum est, nimis præfractè contendere, quàm principem locum in subselliis tenere, quandocunque id facere iussi obtemperemus.

Interrogatio xxii.

Qui vestitus conueniens sit homini Christiano.

Responsio.

PRorsus & humilitatem, & in victu cultuque tenuitatem, & omnibus in rebus frugalitatem ac parsimoniam necessarias esse superius demonstratum est, si multitudinem velimus occupationum præcidere, quibus dum necessitatibus corporis famulatur, variis modis distrahi animus consueuit. Nimirum ad eosdem quoq; fines dirigendum nobis est, quicquid ad vestitū etiam pertinet. Si enim in eo studendum est nobis, vt omnium infimi simus, sine dubio, & quod in hoc genere indumētorum infimum est, Ανομοίωσις
id summopere nobis est amplectendum. Vt enim qui studiosi gloriæ sunt ex amictu etiam vestimentorum, gloriam sibi soliti sunt aucupari, nempè qui ex illorum magnificentia splendoreque spectabiles se, & in admiratione esse cupiant: sic videlicet qui ob vitæ humilitatem in infimum seipsum abiecerit, in his quoque, quod omnium infimum
† περὶ τῆς ἀγάπης. est, consectari debet. Quemadmodum enim in publica † cœna Corinthiis vitio datur, quod magnifico suo epularū apparatu, egentibus inopiam viderentur exprobrare ac pudore aspergere, eodem modo in forensi quoque & conspicuo omnibus vestimentorum vsu, is qui à populari consuetudine elegantior recedit ornatus, ex quadam veluti comparatione, eos dedecorat, qui tenuiores sunt. Cum autem Apostolus dicat: *Non alta sapientes, sed humilibus* † *consentientes*: exquirat seipsum quisque, vtrine magis assimilem esse Christiano homini conueniat, iisne, *qui habitant in aulis regum, & mollibus vestiuntur*, an nuncio & præconi aduentus Domini, *quo in natis mulierum nullus surrexit maior*; de Ioanne loquor filio Zachariæ, *Accommodantes vel conformates.*
† συναπαγόμενοι. *Rom. 12. Matth. 11. Idem 16.*

cuius

cuius vestimentum ex setis camelorum erat. Quin & veteres sancti illi viri circumibant in melotis & pellibus caprinis. Porro ad quem finem vsus is dirigi debeat, docuit nos Apostolus vnico verbo, cum dixit: *Habentes victum, integumentáque, his contenti simus.* Quippe tanquam solo nobis integumento sit opus, neque iam amplius propter varietatem, eamque, quæ ex illa consequitur, exquisitam elegantiam, in damnatum luxuriæ vitium (ne quid dicam grauius) incidamus. Siquidem hæc postea ab inutilibus minimeque necessariis artibus in hominum † vitam sunt importata. Atque etiam perspicuum est, quisnam primus integumentorum vsus fuerit, qui à Domino ipso eo indigentibus est datus. *Fecit enim illis*, inquit, *Deus † tunicas pelliceas*: quandoquidem ad ea in corpore contegenda, quæ aspectu ipso minus fuerant honestatis habitura, satis erat etiam huiusce modi tunicarum vsus. Sed quoniam in vestimentis non hoc quæritur tantummodo, sed illud etiam præterea, vt videlicet per ea frigoris incommoda depellantur, necessariò ad vtramque rem accommodatus esse vestimentorum vsus debet, vt per ea scilicet & corporis deformes partes obtegantur, & quæ ab cœli inclementia afferuntur incommoda propulsentur. Iam quando in his quoque quædam sunt, quæ ad plures, quædam quæ ad pauciores vsus aptantur, consentaneum videtur ea à nobis pluris fieri oportere, quæ ad plures possint vsus accommodari, quo videlicet nihil quicquam contra susceptum à nobis summæ in victu paupertatis institutum fiat. Neque alia ad forensem ostentationem, alia ad domesticum vsum parta habeamus, atque ex his ipsis item ad diurnum quædam, quædam ad nocturnum tempus distributa, sed eiusmodi quoddam nobis vestimenti excogitandum est genus, quo ad omnia vti commodè possimus: vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honestati, & nocturnæ etiam necessitati faciamus satis. Ex quo quidem illud continget, & communem omnium nostrum inter nos in vestitu ornatum esse, & veluti insignem quandam ac peculiarem ex ipso amictu etiam homini Christiano impressam notam. Quæ enim ad vnum & eundem finem spectant, illa vt plurimum inter se conueniunt. Vtilis etiam præterea in hoc peculiaris hæc amictus ratio est, quòd ea, qualis sit vnusquisque, antè indicat, & vitæ, quæ ex Deo est, professionem antè veluti testificatur: quæ res facit, vt ab iis, qui nos viderint, actiones etiam isti professioni consentaneæ requirantur. Neque enim si quid indecorum inhonestumve geritur, id similiter & in obscuris hominibus & in iis qui illustres magna quædam profitentur, animaduerti perinde solet aut propalam eluescit. Nam de vulgo aliquem, aut alioqui obscurum, si in publico is aut pulset aliquem, aut aliunde ipse pulsetur, & obscœnas voces emittat, aut frequens in ganeo versetur, & alia generis eiusdem flagitiosè agat, haud facilè quisquam attenderit, quippe cum id existimet quisque, eius facta illa vniuerso vitæ ipsius instituto respondere. At, qui vitæ genus ab omni parte absolutum profiteatur, hunc, si vel latum vnguem ab officio suo recedere visus sit, omnes confestim obseruant, ipsique probri loco illud obiiciunt, & id quod in Euangelio scriptum est, faciunt: *Conuersi dirumpent vos.* Quò fit, vt imbecilliorib⁹, veluti pædagogi disciplina sit quædam, qua inuiti etiã à rebus flagitiosis prohibentur, hæc quæ in vestitu foris apparet professio. Vt igitur peculiaris quidam in vestitu est ornatus militis, alius Senatoris, itemque aliorum alius, vnde vt plurimum de dignitate illorum cuiusque capitur coniectura: Sic decorum quoque esse, ac consentaneum videtur, hominem Christianum in vestitu etiam præcipuum aliquid à cæteris seruare oportere, per quod traditum ab Apostolo modestum ornatum illum conseruet. Qui quidem modò censens statuit episcopum ornatum esse debere, modò mulieribus, vt in habitu ornato incedant, præcipit, ita tamen scilicet, vt ornatus ille cum vita Christiani hominis congruere intelligatur. Eadem mihi quoque in calceamentis ratio est, vt videlicet, quod quàm minimum præferat curiositatis, minimoq; sumptu parari possit, & ad necessarium modo vitæ vsum sit satis. Hic canon perpetuo tenore seruetur.

Hebr. 11.

1. Tim. 6.

† εἰς ἀπηγορευμένην περιτρεϊάν.

Genes. 3.

† χιτῶνας δερματίνους.

Idem & concolor habitus cum Ascetis.

Γνώμη.

Matth. 7. A simili argumentum.

1. Tim. 3.

Ibid. 2.

Interrogatio XXIII.

De Zona.

Responsio.

IAm zonæ vsum necessarium esse, & qui ætate nobis superiores fuerunt, sancti viri declarant, Ioannes quidem, qui zona pellicea solitus esset præcingere lumbos suos, & ante ipsum etiam Helias, quando de eius veluti peculiari quodam insigni scriptum est illud. *Vir pilosus, & zona pellicea circa renes eius.* Quin Petrus etiam zona ostenditur vsus fuisse, quemadmodum ex verbis angeli ad ipsum apparet, sic dicentis, † *Præcingere, & calcea te caligas tuas.* Similiterq; beatum Paulum, ex Agabi in ipsum vaticinio, zona constat vsum fuisse. *Virum enim*, inquit, *cuius zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem.* Et præter hos etiam videmus à Domino præcipi Iob, se vt præcingat. Perinde enim quasi hoc animi strenui & ad rem gerendam expediti signum sit, sic eum alloquitur: *Accinge*, inquit, *sicut vir, lumbos tuos.* Saneque discipulis etiam Domini familiarem fuisse zonæ vsum, ex eo etiam intelligitur, quòd interdictum ipsis fuerit, ne æs haberent in zonis: alioqui cum necesse sit, vt qui per se ipse aliquod est opus tractaturus, succinctus sit, & ad omnes corporis motiones expeditus, ei necessaria sit zona, qua tunica restringatur, & corpori pressius adhæreat. Quin etiam ea in sinus collecta, complicataque naturalem calorem impendio magis fouebit, tolletque quicquid naturales corporis motus posset impedire: quando etiam Dominus, quo tempore parabat se, vt discipulis ministraret, *sumpto linteo præcinxit se.* De multitudine autem vestimentorum, nihil sanè nunc attinet dicere, cùm hac de re ea in parte, quæ est de rerum omnium possessione abiicienda, superius disputatum à nobis sit. Etenim si qui duas tunicas habet, is ei qui nullam habeat, alteram iubetur impartiri, haud dubiè huic plurium retentio, ipsius causa, interdicta est. Quod si ita est, quibus habere tunicas duas vetitum est, his quid attinet de illarum vsu legem sancire?

Matth. 3.

4. Reg. 1.

Act. 12.

† ὑπόδησαι σα. δάλιά σου.

Act. 21.

Iob 38.

Marc. 6.

Ioan. 13.

† περὶ τῆς ἀκτημοσύνης.

Luc. 3.

Interrogatio XXIV.

His abs te satis abunde nobis explicatis, iam consequens fuerit, vt rationem discamus, quam in vita communi tenere inter nos debeamus.

Responsio.

CVm Apostolus dicat: *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant*: equidem illam ego existimo honestam, & ex ordine esse viuendi in communi fidelium societate rationem, in qua membrorum inter se corporis similitudo conseruatur: vt videlicet alius sit, qui oculi locum obtineat, cui scilicet regendæ totius societatis delata procuratio sit, quique & quæ iam facta sint, aut probet, aut improbet, & quæ facienda antè prouideat, diligenterque consideret. Alius item, qui aurium, ac manus, in iis audiendis, tractandisque, quæ audiri, ac tractari conueniat: qua in re singuli ex ordine, singulorum inter se membrorum similitudinem attingant. Nosse igitur oportet, quia quemadmodũ in corpore, munus suum sine periculo deserere vnumquodque membrum non potest, aut non alio vti ad eam rem, cuius causa ab ipso conditore Deo fabricatum est (quandoquidem si aut manus, aut pes oculum habere ducem recusent, necessariò & illa res sibi pernicioſas cum vniuersi corporis interitu attrectabit, & hic aut impinget, aut in præceps etiam deferetur. Siue contra oculus ita se operuerit, vt nihil aspiciat, necessariò ipse quoque vnà cum reliquis membris, quibus ea vsu veniant, quæ diximus, interibit) sic nihilominus intelligendum est, non esse extra periculum, qui cæteris præsit, si negligenter se gerat, cum futurum sit, vt omnium ipse in iudicio causam sustineat. Similiterq; qui est sub alterius ditione, eum scire cõuenit, se, si contumax fuerit, neutiquam id impunè laturũ. In maiore autem periculo versari, si alios etiam præterea scandalizet.

Quamobrem

1. Cor. 14.

Δόγμα *per simile.*

Perstat eleganter in metaphora.

Ἐπαγωγή.

Quamobrem debet vnusquisque eo in loco, in quo est, studium suum, abiecta prorsus omni cunctatione, alacriter præ se ferre. Siquidem hoc modo obtemperans præcepto Apostoli, qui dicit: *Studio non pigri, animi parati, promptique laudem nanciscentur.* Contraque si lentescens ignauia neglexerit officij sui munia, hoc est miseri appellationem incurret, audietque illud, væ. *Maledictus enim*, inquit, *qui facit opus Domini negligenter.*

Rom. 12.

Hierem. 48.

Interrogatio xxv.

Quam terribile antistiti iudicium imminet, si fratres delinquentes non arguat.

Responsio.

QVamobrem cui communis totius regendæ societatis data prouincia est, is ita esse animo affectus debet, quasi qui intelligat reddendam sibi de vnoquoque rationem: illudque sibi persuadere, si de fratribus aliquis in aliquod peccatum inciderit, quem prius ipse de iudicio Dei non præmonuerit, vel si iam lapsus, in eo perstiterit, ac non rationem ipsam, qua sanari posset, docuerit, fore vt sanguis eius requiratur de manibus ipsius, sicut scriptum est, præsertim si non ex insciti a aliquid tacens præterierit eorum, quæ Deo non placent, sed ex assentatione, quòd se dimittens ad cuiusque vitia accommodet, exactam sibi creditæ Reipublicæ disciplinam dissoluerit. *Qui enim beatos vos dicunt*, inquit, *ipsi vos decipiunt, & viam pedum vestrorum disturbant. Qui autem † turbat vos, ipse iudicium portabit, quicunque ille est.* Quod ne vsu nobis eueniat, in iis, quæ agenda nobis cum fratribus sunt, exemplum Apostoli imitari debemus. *Neque enim aliquando*, inquit, *fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab illis.* Quamobrem qui à vitiis planè istiusmodi est alienus, hic sit fortasse, qui † iter rectum cùm sibi, tum cæteris, qui ipsum sequantur, & fructuosum, & salutare possit commonstrare. Etenim qui neque studiosè humanos honores consectatur, neque pro deuitanda apud delinquentes offensione laborat, ea re, vt iucundus apud illos gratiosusque sit: prorsus hic syncere, veréque, charitate ac præsentia animi adhibitis, Dei verbum tractabit, neque ob rem vllam animum inducet, vt veritatem adulteret: eaque merito in eum conuenient, quæ dicta sunt deinceps, *Sed facti sumus indulgentes in medio vestri. tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras.* Qui verò in auditores non hoc pacto afficitur, is dux cæcus est, & seipsum agit in præceps, & sequentes se etiam inducit. Quantum autem malum sit illud pro recto itinere, erroris cuipiam fratrum ducem esse, hoc ex iis, quæ dicta sunt signa, intelligi potest. Ex hoc porrò significatio fit etiam, neutiquam esse illum charitatis præceptum consecutum, quandoquidem nullus est pater, qui in eo conniueat, si filium in foueam lapsurum prouideat, aut delapsum iam in ea iacere patiatur. Quantò autem illud sit grauius, animam, quæ in profundum malorum deciderit, pati interitu illo diutius iacere, quid hoc vero attinet dicere? Necessariò igitur ei pro totius fratrum societatis animabus vigilandum est, & quæ ad salutem cuiusque conducant, omnia sollicitè accuranda, vt qui de ipsis rationem sit redditurus: & eatenus sollicitè accuranda, vt se pro testando suscepto illorum salutis causa studio, morti exponere non dubitet: Neque id ex eo, quòd omnibus à Domino promiscuè dictum est de charitate, vt videlicet *animam suam ponat quis pro amicis suis*: sed ex eo etiam, quod singulariter dictum est ab eo, cuius verba sunt hæc: *Desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras.*

Ezech. 3.

Esa. 3. Galat. 5.

† ταράσσων.

1. Thess. 2.

† ὁδηγίαν ἁπλανῆ.

1. Thess. 2. ἤπιος.

Ioan. 15.

1. Thess. 2.

Interrogatio xxvi.

Quòd omnia etiam cordis arcana à fratribus cum antistite communicari debent.

Responsio.

DEbet autem vicissim vnusquisque eorum, qui inferiores sunt, siquidem memorabilem vllam facere progressionem studet, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis Domini nostri Iesu Christi est consentanea, peruenire, cum nullum animi sui motum apud seipsum celatū retinere, tum in sermone nihil non † diligenti antè cura consideratum proferre, sed mentis suæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum illud negocium sit, vt adhibitis facilitate ac misericordia, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur, & quod minus probandum congruo remedio sanetur: atque ex huiusmodi mutua exercendi inter nos consuetudine, per modicas accessiones ad perfectionem perueniamus.

ἐν ἕξει.

† ἀσφαλείας προΐεσθαι.

Interrogatio xxvii.

Quòd ipse quoque admoneri antistes debet, per eos qui inter fratres eminent, si quando incidat vt aliqua in re etiam ipse labatur.

Responsio.

VErum enim verò quemadmodum necessario iis, quibus præest, omnibus in rebus recti itineris dux esse antistes debet, item quoque vicissim reliquorum officium est, si qua vnquam minus laudabilis de antistite orta suspicio sit, ipsum admonere. Verumenim ne qua constanti disciplinæ ordini iniuria fiat, huiusmodi admonitio ad eos est deleganda, qui cùm ætate, tum prudentia in societate reliquis præstent. Ita enim fiet, vt siue quid fuerit, quod emendationem desideret, & fratrem ipsum nostrum iuuemus, simulque vna atque eadem opera nos ipsos etiam, qui videlicet ipsum, qui vitæ nostræ veluti norma sit quædam, suáque ipse rectitudine prauitatem nostram arguere debeat, distortum ad rectum reuocemus. Quòd si temere quidam secus de ipso suspicati nō nihil turbelæ audierint, ij cognita veritate eorum, propter quæ in falsam suspicionem illam venerant, certi de eo amplius iam dubitare desistant.

Interrogatio xxviii.

Quo esse omnes animo affecti debent aduersus contumacem, siue inobedientem?

Responsio.

CÆterum qui ita animo affectus sit, vt ad exequenda Domini mādata cunctabundus accedat & lentescens, eius primo simul misericordiam capere reliqui omnes debent, veluti membri grauiter affecti, ipseque priuatis admonitionibus antistes operam dare, vt morbum ab eo illum depellat: † permanentem autem in obstinatione, neque ipsum seipsum emendantem, acrius coram cunctis fratribus redarguere, eique medicinam summa cum lenitate, & verborum exhortatione adhibere. Porrò is, si postquàm admonitus sæpius fuerit, nihilominus tamen inuerecundè in vitio perseuerare, neque subeundis alacriter laboribus, segnitiem suā emendare contendere animaduersus sit, hūc perinde, vt ipsum suimetipsius corruptorem (vt est in prouerbio) non sine multis quidem lacrymis, lamentationibusque, vt membrum tamen penitus vitiatum, inutileque, medicorum more à reliquo corpore præcidere cōuenit. Etenim illi quodcunq; tandem in aliquo membrum insanabili morbo correptum inuenerint, ne vitium latius proserpat, néue ex contage se diffundente contiguas partes corrumpat, illud secando, vrendóve tollere funditus soliti sunt. Hanc autem eorum consuetudinem necessariò nos quoq; in iis debemus imitari, qui præceptis Domini aduersantur,

† ἐμβριθέστερον ἐλέγχειν.

A simili ducta metaphora.

santur, impedimentoque sunt. Ita enim iussit ipse cum
Matth. 5. dixit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs*
te, quando clementia illa, qua quis aduersum istiusmodi
1. Reg. 2. homines vtitur, stultæ illi Heli indulgentiæ facilitati assi-
milis est, qua præter Dei voluntatem erga filios suos ille
Πρὸς ἀδιαφορίαν κακῶν. vsus fuisse animaduertitur. Proinde veritatis proditio, &
communis noxa & ad nullum prorsus bonorum malo-
rumque habendum delectum assuefactio, est hæc in spe-
ciem aduersus istos de industria peccantes homines leni-
tas atque clementia, cum nec iam illud fiat, quod scriptum
1. Cor. 5. est, *Cur non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum,*
Ibidem. *qui hoc opus fecit?* & necessario tamen illud contingat,
1. Tim. 5. quod ascriptum est, *Quod scilicet modicum fermentum totam*
massam corrumpit. Peccantes autem, inquit Apostolus, *coram*
omnibus argue: causamque cur ita iubeat, confestim adiun-
git, *vt & cæteri timorem habeant.* In summa autem, qui ad-
hibitam sibi à fratre medicinam recusat, hic sine contro-
uersia etiam à semetipso dissentit. Eten im si parere alteri
non vult, ac voluntatem ipse vindicat suam, quid est tan-
dem cur cum ipso amplius moretur? Quamobrem vitæ
suæ moderatorem illum appellat? Verumenim, vbi quis
semel se in reliquum fratrum corpus coaptandum tradi-
derit, is si membrum postea ad ministrandum aptum iudi-
catum fuerit, esto quod ipsi impositum sit, vires ipsius vi-
deatur superare, de iudicij periculo prorsus illum esse soli-
tum sinito, qui ea imperet, quibus vires suæ pares esse
non possint: ipse autem parendo, obediendoque, alacri-
tatem pro virili declaret studij sui, vsq; ad mortem memoria
Phil. 2. assiduè Dominum tenens, qui *factus* fuit *obediens vsque ad*
mortem, mortem autem crucis. Illud autem antistitis impe-
Memorabilis Γνώμη. rium detrectare, & verbis aduersum iussa ipsius litigare,
magno indicio est, eum qui id faciat, multis viis laborare,
fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantia morum, atq;
superbia. Neque enim alterius dicto audiens vnquam esse
quisquam recusat, nisi prius ipsum sibi consilij authorem
apud seipsum despexerit: neque qui sibi certa fide persua-
sit, vera esse promissa Dei, deque ipsorum spe nihil dubi-
tat, etiam si laboriosa sint, quæ sibi imperentur, grauatè
Rom. 8. ad illa vnquam accedet, vt qui certo nouerit, *non esse condi-*
gnas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur
Luc. 14. *in nobis*: Neque non, cui illud persuasum est, verum esse,
Quòd *qui se humiliat, exaltabitur*, studio suo imperantis sibi
2. Cor. 4. aliquid, expectationem superabit: quippe qui nihil addu-
bitet, hoc *quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulatio-*
nis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus
operari.

Interrogatio xxix.

De ijs qui cum elatione, murmurationéve opus faciunt.

Responsio.

Cæterum si quis murmurasse, aut plus æquo extulisse
se animaduersus fuerit, huius opus nequaquam cum
illorum commisceri operibus debet, qui humiles sint, spi-
rituque contriti, neque id vllo modo in pietatis veræ cul-
Luc. 16. torum vsus erogari. *Siquidem quod altum est hominibus, id abo-*
minabile est apud Deum: eoque magis, quòd hac de re est præ-
1. Cor. 10. ceptum Apostoli, qui quidem sic dicit: *Neque murmuraueritis,*
sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.
2. Cor. 9. Itemque alio in loco: *Non ex tristitia, aut ex necessitate.* In-
† ὡς θυσία ἐπίμωμος. gratum est igitur istiusmodi hominum opus, veluti † sa-
Leui. 10. crificium immundum, eoque neutiquam fas sit mistum
A similiter confirmatio. aliorum inseri piis operibus. Si enim qui alienum ignem
altari admouerunt, ea re grauem adeo in se Dei iram ex-
2. Cor. 6. perti sunt: qui non obsecro periculosum sit, opus quod
ab animi affectione Deo inuisa proficiscatur, ad exequenda
Esa. 66. mandata ipsius admittere? *Quæ enim*, inquit, *participatio iu-*
σεμίδαλιν, similaginem. *stitiæ cum iniquitate? aut quæ pars fideli cum infideli?* Idcirco
scriptum est in lege, *Qui immolat mihi vitulum, quasi qui in-*
terficiat canem: *Et qui offert semidalim, quasi qui sanguinem suil-*
lum offerat. Ex quo intelligitur, necessariò pigri & contu-
macis hominis opera à fratrum conuentu amandari oportere. Summeque hac in parte aduigilare antistites con-
A uenit, vt neque ipsi decretum violent illius qui dixit: *Am-*
bulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Non habi-* Psal. 110.
tabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Neque id
agant, vt eum, qui mandato peccatum admiscet, & opus
quod facit, siue laboris segnitie, siue elatione propter
maiorem industriam, contaminat, in ea quasi prauitate
confirment, qui ex eo, quod illud admittunt, persentire
illum non sinant, quantis in malis versetur. Oportet ita-
que & antistitem ipsum illud sibi persuasum habere, se nisi,
vt debet, fratris saluti in munere fungendo suo consu-
luerit, grauissimas atque ineuitabiles † pœnas daturum. † ὀργὴν
Siquidem *sanguis illius requiretur de manibus eius*, sicut scri- iram, nempè Dei.
B ptum est. Et vicissim, qui est sub illius imperio, ita se ani- Ezech. 3.
mo comparasse, vt nulla res sit quamlibet difficilis quæ
sibi imperetur, ad quam suscipiendam grauatè accedat,
aut cunctetur, vt cui sit persuasum, mercedem sibi præsto
esse copiosam in cœlis. Proinde quicunque subest alte-
rius imperio, is gloriæ spe oblectare se debet, vt in omni
gaudio & patientia opus Domini fiat.

Interrogatio xxx.

Cuiusmodi cum animi affectione curam reliquorum fratrum
gerere antistites debent.

Responsio.

C

ET antistes ipse neutiquam dignitate illa extolli debet,
ne ipse quoque à beatitudine illa excidat, quæ promis- Matth. 5.
sa est humilibus, vel etiam inflatus incidat in iudicium 1. Tim. 3.
diaboli. Siquidem illud habere sibi persuasum debet, vt
quo præsit pluribus, hoc necesse sit, pluribus vt ministret.
Vt igitur qui sauciis multis ministrat, & saniem de singu- Βεβαίωσις.
lis eorum vulneribus abstergit, & pro natura vniuscuius- A simili.
que mali remedia ei adhibet accommodata, munere illo
neutiquam ad animorum elationem vti consueuit, sed ad
demissionem potius, & solicitudinem, ac maiorem quan-
dam curam: itidem, ac multò etiam magis, is, cui totius
D fratrum societatis sanandæ prouincia est delegata, perinde
vt qui omnium minister sit, & rationem de vnoquoque
illorum redditurus, sic secum agitare animo, & contende-
re anxiè debet. Hoc enim modo, & illud assequetur, quod
propositum est à Domino sic dicente: *Si quis vult esse inter* Marc. 9.
vos primus, erit omnium nouissimus, & omnium minister.

Interrogatio xxxi.

Quòd nequaquam recusare inferiores debent, quo minus interdum
sibi ab antistite ministretur.

E

Responsio.

ATque officia etiam ad corpus pertinentia, quæ ab iis
adhibeantur, qui principes in ordine existimantur,
admittere cæteri debent, qui inferiores sunt. Nam & su-
periorem humilitatis ratio admonet, vt minister: & infe-
riorem, si ministrari sibi patiatur, nequaquam facere cõtra
officium, declarat. Hoc enim ita fieri conuenire Domini Ioan. 13.
exemplo, ac discipulorum eius docemur: ac Domini qui-
dem, qui discipulorum suorum pedes lauare ipse dedigna-
tus non sit: discipulorum verò, qui nequaquam contra hoc
ausi sint repugnare. Quin qui initio propter eximiam Ὑπόδειγ-
quandam, ac pietatis plenam erga Dominum suum reue- μα.
F rentiam hoc recusauerat Petrus, confestim vbi certior fa-
ctus est de periculo, quod iis immineret, qui obedientiam
abiecissent, mutata sententia, obedientiam auidissime est
amplexus. Quamobrem non est cur metuere debeat is, qui
subiectus est, ne ab humilitate discedat, si quando contin-
gat, vt ipsi ministret, qui maior sit ipso, quando docendi
causa sæpe, & exẽpli in animis cernentium altius infigendi,
potius, quàm quod necessitas id vlla desideret, huiuscemo-
di officia ab eo solita sunt adhiberi. Obediendo igitur, imi- Γνώμη.
tandoque humilitatem suam probet vnusquisque: non au-
tem altercando, per humilitatis simulationem superbiæ
arrogantiæve munere fungatur. Contradictio enim indicio
est,

est, velle qui repugnat, eum sui iuris esse, neque alteri parere. Itaque superbiæ potius ac contumaciæ signum est, quàm humilitatis, & perfectæ omnibus in rebus obedientiæ. Quapropter necessariò parendum est illi qui dixit: *Supportantes inuicem in charitate.* Ephes. 4.

Interrogatio xxxii.

Quomodo nos animatos esse conueniat aduersus propinquos nostros, & cognatos?

Responsio.

ATque illud etiam † cauendum est, ne qui intra reliquorum semel recepti fratrum ordinem fuerint, iis ab antistite permittatur, vt mente distracti huc illucque cogitatione temere rapiantur, simulationéve propinquorum visendorum suorum à reliquis fratribus discedant, ac vitam in obscuro sine vllis testibus agant, aut certè vt curam suscipiant cognatorum secundum carnem, prætextu quouis illis patrocinandi. Siquidem verba hæc, meum & tuum, in vniuersum à fratribus vsurpari ratio vetat. *Erat enim*, inquit, *multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Sanè si cui naturales aut fratres sunt, aut parentes & eorũ vita ex Deo est, iis à cunctis pariter, tanquam communibus parentibus consuli debet. *Quicumque enim*, inquit Dominus, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, hic frater meus, & soror & mater est.* Porrò huiusmodi curam peculiariter arbitramur ad antistitem pertinere. Si verò in communi ij, vulgari viuendi consuetudine sunt implicati, sine dubio nulla nobis est cum illis societas, quorum studium omne huc ab initio spectauit, vt honestati maxime seruiremus, & sine vlla distractione Deo assiduè cohæreremus. Præter id enim q̃ visitatione nostra, vtilitatis ipsis nihil afferimus, incõmodum etiam illud accedit, quòd vitam nostram sexcentis curis ac perturbationibus exponimus, eaque re ipsi ad peccandum nobis multiuariam occasionem accersimus. Quin etiã ne si ipsi quidem, qui mandata Dei cõtemnũt, & pietatis officium pro nihilo ducunt, aliquando ad visendos apud nos propinquos olim accesserint suos, ij recipi intro videntur oportere, veluti qui Dominum non diligant, qui dixit: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Quæ autem participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ pars fideli cum infideli?* Et quod in eo summe est elaborandum, vt iis, qui se adhuc in veræ pietatis spatiis exercent, omnes ab omni parte ad peccandum causæ circuncidantur: in quibus illa est maxima recordatio vitæ superioris, nequando id illis vsu veniat, quod dictum est, Quòd cordibus suis conuersi sunt Ægyptum, quæ res per frequentem cum naturalibus propinquis consuetudinem ac familiarem congressum solet accidere. In vniuersum autem nemini est permittendum, neq; propinquo, neque alieno, sermonem cum fratribus de re vlla instituere, nisi de illis id planissimè nobis sit persuasum prius, quibus de rebus collocuturi illi inter se sint, eas ad ædificationem & tranquillam animarum sedationem conducere. Quòd si omnino ad eos, qui se aliquando intro semel ingesserint, necessariò adhibendus sit sermo, huiusmodi ad eos delegari munus debet, quibus creditum est donum loquendi, tanquam iis qui scienter ea possint & loqui & audire, quæ ad fidei ædificationem pertineant, cum manifestè Apostolus doceat neutiquam adesse omnibus rectè loquendi facultatem: sed raros esse quibus datum sit huiuscemodi donum. Sic enim ait: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ*, & alio in loco: *Vt potens sit exhortari in sana doctrina, & eos, qui contradicunt arguere.*

† ἀπομέλεωρίζεσθαι.

Ἀγάμους.

Act. 4.

Matth. 3.

2. Cor. 6.

ἐν γυμνασίᾳ κατορθωμάτων.

1. Cor. 12.

Tit. 1.

Interrogatio xxxiii.

Quæ ratio tenenda sit in congressionibus cum sororibus faciendis?

Responsio.

OMnino qui semel iam matrimonium abnegauit, hunc sine dubio solicitudines illas quoque multò magis par est, abnegaturum fuisse quibus eum angi solere Apostolus ait, qui in matrimonio est, qua ratione videlicet placeat vxori, omnemque prorsus ab sese curam illam ablegaturum, quæcumque ineundæ causa ab vxore gratiæ suscipi solet, nimirum quod sententiam formidet illius, qui dixit: *Dissipauit Deus ossa eorum, qui hominibus placent.* Ita, ne cum mare quidem, alliciendæ sibi causa voluntatis illius, congredi animum inducet, sed propter studium illud, quod ex mandato Dei vnusquisque proximo debet, si necessitas postulabit, cum eo in colloquium veniet. Neque vero omnibus tamen nullo delectu quicumque velint, libera hæc fieri colloquij potestas debet, neque ad eam rem quoduis tempus, aut locus quiuis aptus existimari: sed si quidem, vt Apostolus præcipit, sine offensione futuri sumus cum apud Iudæos, tum apud Græcos, tum apud Ecclesiam Dei, omniaque decenter, ac secundum ordinem facturi, & ad proximi animæ vtilitatem omnia relaturi, necessario personæ, temporis, vtilitatisque, ac loci seruato decoro, haberi delectus debet, quibus simul omnibus & omnis, quæ secus oriri posset praua de nobis suspicionis vmbra depellatur, & † documentum certissimum morum, sanctitatis, pudicitiæque in iis vbique appareat, qui idonei fuerint iudicati, qui mutuo se conuenirent, & de rebus placentibus Deo, tam ad necessarium corporum vsum, quàm ad animarum etiam culturam pertinentium inter se communicarent. Porro hi ab vtraque parte neque pauciores esse debent, quàm duo. Siquidem & qui vnus est, facilè is causam ad suspicionem dat, ne quid dicam grauius, & ad ea quæ dicuntur, confirmanda, minus habet autoritatis, manifestè asserentibus sacris literis, *In ore duorum, vel trium stare omne verbum*, neque plures item quàm tres, ne susceptæ exequendi causa mandati Domini industriæ sedulitas retardetur. Cæterum si necessitas postulauerit, vt de iis, qui in societate sint, aliqui alij aut dicant aliquid, aut audiant, quod ad illorum quempiam nominatim pertineat, hi nullo modo ipsi inter se in colloquium veniunto: sed qui ætate prouectiores fuerint delecti, ij apud eas, quæ similiter delectæ ætate grandiores sint, quæ ab illis tractanda acceperint, tractando, & his internunciis quicquid necessariò transigendum sit, transigitor. Huiusmodi autem disciplinæ seueritas, non in fœminis modo ad mares, aut vicissim maribus ad fœminas, sed inter eos etiam, qui eiusdem sint sexus, conseruator. Porrò hi præter reliquam in rebus omnibus religiosam circumspectionem, vitæque sanctitatem, in percontando etiam ac respondendo prudentiam adhibento, & in iis quæ vltro citroque perferri oporteat, fideles, intelligentesque sunto, vt videlicet, qui se ipsorum fidei committunt, & voti compotes efficiantur, & quibus de rebus inter se communicauerint, de iis, quin syncerè perlatæ tractataque sint omnino nihil addubitent. Atqueetiam in muneribus iis, quæ corporis necessarios vsus attingunt, deligi certi debent, qui iis præficiantur: & hi similiter cum delectu, qui scilicet & ætate cæteris præstent, & cum in gestibus, tum etiam in moribus grauitatem conseruent, ne conscientiam alicuius ad suspicionem prauam percutiant. *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia?* 1. Cor. 10.

† σεμνότητος καὶ σωφροσύνης ἀπόδειξις.

Interrogatio xxxiv.

Cuiusmodi esse debent ij, qui res in conuentu vsibus fratrum necessarias dispensant?

Responsio.

ATque etiam iis, qui intus res ad fratrum vsum necessarias distribuunt, prorsus in singulis ordinibus aliqui erunt, qui illos possint imitari, de quibus est in Actis, *Solitos eos fuisse singulis distribuere, prout vniuique opus erat:* Diligenterque illud † circumspiciant, vt faciles se ad omnes & clementes præbeant, neque suspicionem alicui aliquam commoueant maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationisue animi propensioris, quemadmodum Apostolus præcipit, sic dicens: *Nihil faciens in alteram partem declinando*, aut contra simultatis, contentionisque (quod vitium

Act. 4.

† πρόνοιαν εὐσπλαγχνίᾳ καὶ μακροθυμίᾳ.

1. Tim. 5.

vitium tanquam ab hominibus Christianis alienum, idem Apostolus reijcit, cum dicit: *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei*) vt ob eam causam, & ijs, quibus infensiores sint, necessarias res subtrahant, & illis, in quos animi inclinatione propendeant, amplius quam quantum sit opus, largiantur: quorum alterum fraterni est odii, alterum amoris vitiosi, quod est vitium maximè infame. Quibus ex rebus illud nobis vsu venit, vt mutua, & concors conspiratio, quæ ex charitate nasci consueuit, ea distrahatur, & in eius locum suspiciones prauæ, æmulationesque atque obtrectationes clam arrepunt, & ad labores in operibus administrandis subeundos lentescentis animi cunctatio. Quamobrem cum ob ea quæ dicta sunt, tum ob alia etiam eiusmodi multa, quæ illa comitantur, ab hac praua animi propensione, ac fauore studioque contentionis, necesse sit, se vt liberrimos atque expurgatos reddant, qui res intus ad fratrum vsus necessarias distribuunt. Sanèque cum ij, tum reliqui omnes, qui aliud quoduis vtile, ac necessarium fratribus munus administrant, eiusmodi animum adhibere, & studium debent, proinde quasi non hominibus, sed Domino ipsi ministrent, qui pro incredibili sua bonitate delata ijs qui seipsi consecrarunt, honorem ac studium, proinde habet, quasi ea ipse accepisset, & pro his cœlestis se regni hæreditatem daturum promittit. *Venite enim*, inquit, *benedicti Patris mei, hæredes estote parati vobis regni à constitutione mundi, quia quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Similiterque ex contrario, imminens ijs qui negligentes fuerint, periculum intelligere, ac memoria verba illa tenere: *Maledictus omnis, qui facit opus Domini negligenter*, neque enim à regno excluduntur modo, sed horroris etiam, ac terroris plenissimam Domini aduersus istiusmodi homines latam sententiam illam expectant: *Discedite à me maledicti in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis eius*. Quod si qui curam & administrationem adhibent, ij studij sui fructum adeo magnum adipiscuntur, & contra, negligentiæ horribile adeo iudicium expectant, quanta tandem animi contentione eniti debent ij, qui huiusce modi munus suscipiunt, vt dignos se præbeant, qui fratres Domini appellentur? Id quod voce eiusdem Domini doctrice astruitur dicentis: *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, hic frater meus, & soror, & mater est*: quando quicumque non totius vitæ suæ actiones ita instituit, vt eas ad Domini voluntatem referat, vt videlicet, & cum integra sit valetudine, tenendæ causa charitatis, studiosè se in laboribus, & faciendis operibus exerceat, & cum aduersa laboret, summam tolerantiam, & cum gaudio patientiam adhibeat, hic primo in eo periculo, eoque maximo versatur, quod alienatus est à Domino, & dum voluntati eius non obtemperat, seipsum auulserit à fratrum suorum consortio. Deinde in illo etiam, quod ea indigne audet communicare, quæ parata idoneis sunt. Quocirca necessario in hoc quoque illorum meminisse nos conuenit, quæ dicta sunt ab Apostolo his verbis: *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, & operam vt detis ne, qui vocati in locum fratrum Domini sumus, eiuscemodi Dei donum in contumelia habeamus: neve magnam adeo dignitatem dum omnimodam eius voluntatem cunctamur explere, prodamus. Sed potius eidem Apostolo pareamus dicenti: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis*.

Fauor quo quis in alterutram euariat partem, propendet & inclinat, vitandus Antistiti.

Mat. 25.

Hier. 48.

Arg. à contrarijs.

Matth. 12.

2. Cor. 6.

Eph. 4.

Interrogatio. xxxv.

Nunquid in vno & eodem pago plures constitui fratrum conuentus conueniat?

Responsio.

* ὑποδείγμα μελῶν. SAnè huiuscemodi quæstionem, * membrorum similitudo, quam ad res pleraſque commodè vsurpamus, dilucidè nobis explanat. Quoniam igitur superius declaratum est, corpori, quod ad omnia membrorum officia ex decoro, ac ratione habile futurum sit & articulatim compactum, opus esse oculis, & lingua, & cæteris, quæcumque necessaria, ac præcipua in corpore sunt, membris: arduamque rem esse, inuentuque difficillimam, animum nanciſci, qui pluribus præditus esse oculis possit (etenim absoluta seuerę disciplinæ ratio moderatorem conuentus & prouidum, & nec parum eloquentem requirit, & prætereà vigilantem ac mitem, & eiusmodi, qui perfecto corde Dei iustificationes exquirat) qui quæso fieri potest, vt plures tales in vno atque eodem pago reperiantur? Quod si omnino fors ferat aliquando, vt duo, trésve reperti sint tales (quod quidem neque factu facile est, neque factum vnquam cognouimus) sanè longè esse videtur præstabilius si hi gubernandi inter se prouinciam ac solicitudinem communiter partiantur, viciſſimque alter alterius laborem subleuet: videlicet vt peregrè profecto altero, aut occupatione aliqua distento, aut alio quolibet casu impedito, quemadmodum vsu venire solitum est plerumque, vt antistes absit à reliquis fratribus, præsto sit alter, qui eius desiderium sentiri non sinat. Hoc si non est, ad conuentum alium se conferat, cui opus sit moderatore. Atque etiam magnopere ad id, quod nobis proposuimus, prodesse exemplum potest earum rerum, quas vulgo quotidie cernimus fieri. Vt igitur artium earum, quæ in communi vita versantur, periti, ijs soliti sunt obtrectare, æmulatione quadam mutua qui eiusdem secum sunt artificij, quod res videlicet ipsa naturaliter sensim eorum in animis mutuam inter ipsos parere solita sit: item plerumque idem ferè in huiusmodi vita solet accidere. Initio enim contentionem à rebus honestis auspicantes, cum inter se certatim alij alios studeant superare, aut hospitibus recipiendis, aut numero eorum augendo, qui se aggregant exercēdæ pietati, aut muneribus huiusmodi honestis quibusdam fungendis, dum progressus maiores faciunt, postremo in simultates contentiosas delabuntur. Quæ res cum aduenientibus peregre fratribus magnam & ancipitem curam afferat, & difficultatem (nempe quibus cum ex labore itineris fessis capienda requies esset), animus necessario sit distrahendus, dubitantibus ad vtros potius diuertant, quando & hos illis anteponere odiosum est, & tamen vt simul satis vtrisque fiat, res ipsa non patitur, eoque magis, si fortè necessario ipsis iter vrgere festinantius conueniat) tum iis etiam, qui tenendæ causa eiusdem cum ipsis vitæ, initio ad ipsos se conferunt, haud mediocrem afferunt animi anxietatem: quandoquidem necessario coguntur addubitare, vtrorum magis disciplinę vitam committant suam, cum id omnino animaduertant fore, vt si se ad hos certa destinatione applicuerint, alios improbasse videantur. Ipso igitur mox initio eos lædi necesse est, quod elatius de seipsis sentiant, quippe qui non se penitus tanquam prorsus rudes, aliorum disciplinæ instituendos, ac veluti formandos tradunt, sed iam tum ordinum iudices, & ceu æstimatores esse assuefiunt. Quocirca cum illud intelligatur, in huiusmodi separata aliorum ab aliis habitatione, certum prorsus & confessum nullum bonum inesse, contraque incommoda manifesta contineri tam multa: sine dubio statuendum est, inutilem esse penitus hanc inter se aliorum ab aliis contubernalium disparationem. Quod si fortè aliqui aliquando in ea reperti fuerint, antequam, ne essent, prouideri potuerit, adhibenda est quam primum correctio, & maximè, postquam quæ inde incommoda nascantur, re ipsa experti didicerint. Nam illud, in susceptа semel sententia præfractè velle permanere, manifestæ est peruicaciæ. *Siquis autem videtur contentiosus esse*, inquit Apostolus, *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei*. Quam enim causam afferent, quominus in vnius corporis compagem agglutinari possint? an eam fortasse, quod necessariarum ad vsum rerum inopia laboraturi minus sint, si disiunctim quilibet vixerint, quàm si coniunctim? Atqui eæ longè ipsis, si vna inter se viuant, parabiliores sunt, quibus & lucerna vna, & focus vnus, & si quæ sunt huiusmodi, singula quæque cunctis simul satisfaciant: quando, si qua alia in re, summè in hoc ipso debemus adniti, vt facilitati maximè consulamus, omnique ratione contendamus, vt necessarias ad vitam copias quam maximè in angustum deducamus. Atque ad hoc illud etiam accedit, quod qui res fratrum vsibus necessarias

Arg. à simili.

Contentiones ex æmulatione alienæ virtutis.

Concludit vnius debere fratrum collegia.

Γνώμη. 1. Cor. 11. Eadem quæ prius ad interrog. 7. replicat.

rias externe quæsitas important, ijs disiunctis ordinibus, pluribus est opus, coniunctis vero dimidio paucioribus. Quàm autem difficile sit, virum aliquem nanciscì, qui Christi nomen non aliquo pacto dedecoret, & cum foris sit, cum iis, qui communis vitę consuetudinem tenent, ita congredi sciat, vt cum sua ipsius professione congressio illa aliqua ex parte non discrepet, id me tacente, etiam per vos intelligitis. Ad hæc, qui in huiusmodi distractione permanent, ij quì fieri poterit, vt doctrina cæteros ædificent, qui in cœnobio versantur, illis, si quando vsus fuerit, vel ad concordiam conciliandis, vel ad reliqua conseruanda præcepta cohortandis? qui quod nolint in vnam inter se ipsi societatem concurrere, prauas in se suspiciones commoueant? Quin & videmus, quæ ad Philippenses Apostolus scribat. Sic enim ait: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed humilitate alij alios superiores se inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed & quæ aliorum.* Verumenim quod maius afferri humilitatis exemplum potest, quam si conuentuum antistites vicissim alij aliorum imperio subiiciantur? Si enim spiritualibus donis ambo æquè sunt ornati, præclarius fit, si ambo pariter in certamen descendant, vter alterum humilitate vincat, quod à nobis fieri oportere Dominus exemplo illo nos docuit, qui Apostolos miserit * binos. Prorsusque ex ipsis alter lætabundus vltro se alteri subiiciet, cum meminerit dictum esse à Domino, exaltatum iri, quicumque seipsum humiliauerit. Sin hic plura habuerit, ille pauciora, præstabilius est, vt qui imbecillior sit is à valentiore assumatur. Deinde nisi ita fiat, qui non manifestè contra præceptum Apostoli fit? quo iubemur vt non res nostras singuli consideremus, sed & quæ aliorum. Neque enim hoc in eiusmodi distractione existimo posse legitimè perfici: quippe videlicet cum ordines singuli, seorsum quisque suorum sibi curam vendicet, aliorum vero minimè ad se putent pertinere. Quæ res manifestè (vt dixi) præcepto Apostoli aduersatur. Neque vero (cum de sanctis illis viris, de quibus est mentio frequens in Actis, testimonia illa proferuntur, quod videlicet *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & quod omnes credentes erant simul in eodem loco, & habebant omnia communia*) est quamobrem dubitare quisquam debeat, vllam in tota illa multitudine disiunctionem fuisse, aut ex ipsis quemlibet seorsum, more suo, solitum degere, quin potius id existimare debet, sub vna & eadem cura vniuersos fuisse solitos gubernari, atque hæc in pleno numero quinque millium. In quibus fortasse non pauca erant, quæ mutuæ eorum inter se coniunctioni hominum ritu ac iudicio viderentur obsistere. Cæterum cum qui nunc in singulis vicis reperiuntur, adeo inferiores illis numero sint: quæ permittit ratio, hos vicissim alios ab aliis esse disiunctos? Vtinam autem fieri posset, vt non modo, qui in eodem vico, eodemque in loco sunt congregati, huiusmodi, quem dico, statum tenerent, sed plures etiam, qui diuersis in locis constituti sunt, fratrum conuentus, ab vna tantum cura, eorum, qui * inoffensè, sapienterque rebus omnium possent consulere, in vnitate spiritus & vinculo pacis regerentur.

*ἀνὰ δύο δύο.

Phil.2.

Luc.10. Luc.18.

Non in veros Anachoretas, sed in Sabaraitas hæc detorquet. Lege C. sianum. Act.4.

Eph4. *ἀπροσκλήτως καὶ σοφῶς.

Interrogatio xxxvi.

De iis qui à reliquorum fratrum societate se separant ac secedunt.

Responsio.

VErum enimuero, inter quos certis conditionibus & ex professo semel conuenit, vt vnà inter se vno & eodem in loco vitam agerent, iis nequaquam licitum sit nullo discrimine & inconsulto à communi reliquorum fratrum corpore auellere se: quando illud quòd quis in suscepta semel sententia non permaneat, duabus de causis contingit, vel ex detrimento videlicet, quod ex necessitudine contubernii nascitur, vel ex mentis instabilitate illius, qui sententiam mutet. Qui igitur fugiendi causa detrimenti, quod illi ex contubernio nascatur, se ab reliquis fratribus segregat, is nullo modo discessionis suæ causam tenere apud seipsum occultam debet, sed eo modo, quo docuit Dominus, illam detegere, quando dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*, & cætera. Ita enim si secuta ea, quam quærebat, emendatio fuerit, & fratres lucrabitur, & societatem illorum non aspernabitur. Sin contra, in vitio eos perseuerare, neque correctioni locum dare animaduerterit, hæc ijs nota facere debet ad quos iudicium huiuscemodi pertineat. Quod vbi fecerit, tum demum, adhibitis multorum testimonijs discedat. Neque enim iam à fratribus se segregabit, sed ab alienis: cum Dominus eum, qui in peruersitate sua perseueret, ethnico assimilet ac publicano: *Sit* enim *tibi*, qui eiusmodi est, inquit, *sicut ethnicus & publicanus.* Qui vero ad relinquendam cæterorum fratrum societatem à propria animi sui leuitate impellitur, is suam ipsius curare imbecillitatem debet. Alioqui si medicinam noluerit admittere, ipse exclusus à nemine admittatur. Cæterum si tenendi causa mandati dominici, alius alio distrahatur, talis distractio neutiquam pro segregatione habenda est, sed † assignati potius vnicuiq; muneris administratio existimanda. Aliam præterea causam, propter quam quis se à reliquorum fratrum consortio segreget, ratio nullam admittit. Primùm quidem quod nomini Domini nostri Iesu Christi, à quo congregati sumus, infligitur contumelia: deinde quod vicissim alterius aduersus alterum conscientia pura esse non potest, quod scilicet mutuo inter se, alter alterum suspectum habeat. Hoc autem manifestè repugnat præcepto Domini qui dixit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vadens, prius reconciliare fratri tuo, & tunc reuersus offer munus tuum.*

Matt.18.

Ibid.

†ἀλλ' οἰκονομίαν πληρουσιν.

Matth.5.

Interrogatio xxxvii.

Nunquid per simulationem orationum, psalmodiæve negligi opera debeant: & quæ sint ad orationem apposita tempora, & primo an oporteat laborare.

Responsio.

CVm Dominus noster Iesus Christus dicat, *dignus est*, non * simpliciter, neq; sine vlla exceptione, quilibet, sed *operarius cibo suo*: cumque Apostoli præceptum sit, qui fatigari & laborare nos iubet proprijs manibus quod bonum est, vt sit nobis, vnde egentibus tribuamus: sanè, quin studiosius sit laborandum re ipsa liquet. neque enim causa ad inertiam, aut laboris fugam spectante, vita secundum pietatem instituta existimari debet, sed materia potius subeundi certaminis, & maioris laboris, & in rebus difficilibus tolerantię: vt nobis quoq; vere liceat dicere, *In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti.* Cum non ad corporis castigationem modo, vtilis nobis huiusmodi vitæ ratio sit, sed ad charitatem etiam erga proximum: si videlicet de fratribus nostris, ijs, qui valetudine aduersa laborent, necessaria per nos Deus vitæ subsidia subministret, conuenienter exemplo illi, quod propositum nobis in Actis est ab Apostolo. Sic enim ille ait. *Omnia ostendi vobis, quod sic laborantes oportet suscipere infirmos.* Et alio in loco: *Vt habeatis vnde tribuere positis necessitatem patienti*, quo scilicet digni habeamur illud audire: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab constitutione mundi. Esurijt enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere.* Verum enim quantum ex otio mali sit, quid attinet memorare, cum Apostolus apertè præcipiat, vt qui non laborat, is nec manducet etiam? Sic igitur vnicuique ad vitæ sustentationem necessarius est cibus quotidianus, item nihilominus vnicuique in opere faciendo necessaria industria est. Neque enim temere laudis loco positum fuit illud à Salomone, *Panem ociosa non comedit.* Itemq; ab Apostolo de seipso dictum est illud, *Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes.* Atqui tamen licebat ei, cum Euangelium prædicaret, de Euangelio viuere, si voluisset. Quin Dominus etiam ipse pigritiam cum malitia coniunxit, cum dixit:

Matt.10. *οὐχ ἁπλῶς οὐδ' ὡς ἔτυχεν.

Eph.4.

Γνώμη multis paradoxa.

2.Cor.11.

Act.20. Ephe.4.

Matt.25.

Collatio. 2.Thess.3.

Prou.31. 2.Thess.3.

Matt.25.

πονηρὲ, ἀχρηρέ.

dixit: *Serue male & piger*. Idem præterea vir, sapientiæ gloria excellens Salomon non solum ex iis, quæ à me memorata sunt modo, virum gnauum laudat, sed ignauum etiam castigat, illa ex tenuissimarum bestiolarum comparatione, cum dixit: *Vade ad formicam ô piger*. Proinde metuere debemus, ne aliquando nobis hoc in die iudicii obiiciatur: quum qui ad excipiendos labores idoneas nobis vires suppeditauerit, is parem quoque illis à nobis in laborando industriam reposcet. *Quoniam cui commendauerunt multum, plus petent ab eo*. Verumenim quia sunt nonnulli, qui orationum prætextu, psalmodiæve, necessarios in exercendis artificiis labores defugiunt: illud est intelligendum, certis quidem aliis quibusdam in rebus esse certam vnicuique temporis tempestiuitatem, vt est apud Ecclesiasten, qui omni negocio suum esse tempus dicit: Orationi vero, & psalmorum modulationi, sicut in alijs etiam plerisque nullum non esse tempus idoneum, ita videlicet, vt vel in eo ipso, dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam (quandocumque id fieri potest, aut expedit potius, & ad fidei ædificationem conducit) munere hoc fungi possimus: Sin id minus, corde certe in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus Deum collaudemus, sicut scriptum est, atque ita orationi satisfaciamus: interim dum laboramus, gratias agentes Deo, qui ad opera facienda manuum vires nobis suppeditauerit: itemque ad percipiendam artium singularum cognitionem, ingenium largitus sit: materiamque donauerit, ex qua instrumenta conficerentur, tum eam etiam, quæ artibus iis esset subiecta, quam in manibus habeamus operãtes: simulque etiam ipsum orantes, vt opera manuum nostrarum dirigantur ad eum finem, vt ipsi placeamus. Hoc modo etiam mentem à futilibus cogitationibus cohibemus, quandocumque in singulis, quæ administramus, operibus, conficiendi felicitatem à Deo postulamus, & ei gratias agimus, qui ad ea administranda vires nobis tribuerit, & à proposito ineundæ gratiæ illius non aberramus, sicut ante dictum est. Etenim nisi hæc ita se habeant, qui fieri potest, vt inter se illa concordent, quæ dicta sunt ab Apostolo? & illud videlicet, *Sine intermissione orantes*, & illud, *nocte & die laborantes*. Neque vero tamen, quanquam hanc assidue, atque adeo omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, & lex ipsa præcepit, & nos eam vitæ nostræ necessariam esse, cum natura, tum ratione docuimus, propterea illæ statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas obseruari in conuentibus solenne est & quotidianum. Siquidem ea re à nobis necessario huiusmodi tempora delecta sunt, quod in eorum singulis peculiaris quædam Dei in nos beneficiorum est commemoratio. Ac matutinum quidem, vt primi animi ac mentis nostræ motus consecrentur Deo, neque vllius rei curæ antè aditum ad nos demus, quam nos in cogitatione de Deo oblectauerimus: sicut scriptum est, *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Neque corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quàm illud fecerimus, quod dictum est, *Orabo ad te Domine: mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi*. Tertia vero hora, vt in ea ad orationem surgatur, fratresque omnes in vnum congregentur, licet diuersis in locis, alij in aliis operibus sint occupati: idque ea re, vt admoniti doni spiritus, quod circiter hanc ipsam horam Apostolis datum fuit, vno eodemque animo cuncti illum venerentur, ab eoque petant, vt & ipsi digni sint, qui sanctificationem suscipiant: simulque vt salutaris sibi doctrinæ, & recti iteneris dux esse, & autor velit, illum imitantes, qui dixit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Et alio in loco, *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, atque ita denuo ad intermissa opera redeatur. Quod si fors aliquos vel propter operum, vel propter locorum naturam eo tempore abesse longius contigerit, quam vt vna cum reliquis præsto esse possint, ij vbicumque fuerint, ea necessario ibi exequi debent, quæ communiter statuta sunt nihil hæsitantes omnino. *Quia vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, inquit Dominus, *ibi in medio eorum sum*. Porro sexta hora, sanctorum exemplo, necessariam esse orationem iudicauimus, apud quos est: *Vespere & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. In qua quidem, vt liberemur *ab incursu & dæmonio meridiano*, nonagesimus etiam psalmus recitetur. De nona vero, quod ea ad orationem nobis necessaria sit, id Apostoli ipsi declarauerunt in Actis, in quibus est, *quod Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*. Completo vero iam die, pro iis omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciterve nobis euenerint, gratiarum actio succedat: eorumque, quæ vel per consensum aut secus contra animi sententiam prætermissa † sint, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusve aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterum euitanda, valde vtilis est præteritorum consideratio. Iccirco Dauid dicit, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*. Tum autem primis se iam noctis intendentibus tenebris, sequetur petitio, vt quies, quam sumus capturi, inoffensa & ab omni perturbatione ac vitio libera sit: qua hora etiam necessario nonagesimus recitari psalmus debet. De tempore autem dimidiæ noctis, quod id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est à Paulo & Sila in actis. Scriptum est enim sic, *Circiter autem mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum*. Atque hoc quidem etiam concentor psalmorum confirmat, sic dicens, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ*. Post interuertendum diluculum est, & ad orationem surgendum, cauendumque ne dies nos in lectulo dormientes opprimat: & ille imitandus, qui dixit, *Præuenerunt oculi mei diluculum, vt meditarer eloquia tua*. Porro ex his omnibus, quæ diximus, statis temporibus, nullum ab iis prætermitti debet, quorum vitæ propositum est, vt quæ acturi sunt, omnia ad laudem Dei, & Christi eius referant, atque vtilis etiam, meo quidem iudicio, hæc in orationibus, & psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuersitas est, atque varietas, ob eam causam, quod in perpetua similitudine & æqualitate rerum animo nescio quo modo torpedo quædam plerumque oboritur, atque tædium, eaque re aliud agens, ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateque cum psalmodiæ, tum singularum horarum rationis & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur.

Prou. 6.

Luc. 12.

Eccl. 8.

Col. 3.

τὸ ἀμελεύστον ἀπὸ Θεοῦ πεντεκόστον.

Col. 1.

2. Thess. 3.

Matutina hora curinstituta.

Psal. 76. Prima.

Psalm 5. Tertia.

Psal. 50.

Psal. 142.

Matt. 18.

Sexta.

Psal. 54.

Psal. 90.

Nona.

Actor. 3.

Vespera.

† ἐξαγόρευσις

ἐξομολόγησις.

Γνώμη.

Psalm 4.

Completorium

Psalm. 90.

Hora media noctis

Act. 16.

Psal. 118.

Ibid.

Γνώμη

Interrogatio xxxviii.

Hactenus sermone tuo nos docuisti, & orationem nullo pacto omittendam & in operibus laborem necessarium esse: reliquum est iam, vt doceamur, cuiusmodi artificia professioni nostræ conueniant.

Responsio.

OMnino etsi artes quasdam præcisè statuere, in quibus nos versari conueniat, haud facile est; quod aliæ alijs magis sunt opportunæ: quemadmodum videlicet cum locorum, tum negociationum, quæ in singulis regionibus tractantur, & natura & commoditas desiderat: in vniuersum tamen harum describi & consignari delectus quidam potest. Ac nimirum eæ videntur esse, quæcumque vitæ nostræ & quietem, & tranquillitatem conseruent, quarum scilicet neque materia magno labore quæratur, neque opera magna solicitudine diuendantur, similiterq; illæ omnes, per quas neque virorum, neque mulierum indecoros congressus nobis conciliant, & noxios. Siquidem omnibus in rebus illud peculiariter debemus spectare, vt simplicitatem ac frugalitatem teneamus: & illud summopere fugiamus, ne inseruiamus stultis ac planè noxiis hominum cupiditatibus, iis efficiendis, quæ in studio apud ipsos esse animaduerterimns. Quocirca & in telis texendis, in ea modo opera, nostra à nobis industria conferetur, quæ in quotidiano communique vitæ vsu apud omnes sint iis penitus reiectis, quę à libidinosis mulierculis inuenta sunt, ad captandos, ac laqueis irretiendos miseros adolescentulos. Similis quoq; in consuendorum calceamentorum artificio tenenda à nobis ratio erit, vt videlicet earum rerum in illa

λιτότητα καὶ εὐτέλειαν.

non erubuit, sed terræ ac luti quod ipse finxerat, & hominis forma figurauerat, minister esse non recusauit: *Ego enim in medio vestrum sum*, inquit, *sicut qui ministrat*, quid est tandem, quo erga æquales nostros præstando, illius imitationem assecutos nos existimare possimus? Hoc igitur est quod primum & eousque magnum in antistite requiritur. Tum clementem esse ipsum oportet, eiusmodique qui per rerum inexperientiam in officio delinquentes leniter sufferat, non tamen qui obticescat ad peccata, sed immorigeros ac detrectantes imperium clementer toleret, & ipsis cum quanta maxima possit lenitate, moderationéq; medicinam adhibeat. Idoneum præterea, qui accommodata eorum morbis remedia comminiscatur & excogitet, non atrociter obiurgantem, sed in mansuetudine monentem, clementerq; corripientem, sicut scriptum est. Eundemq; in rebus præsentibus administrandis peruigilem & attentum, in futuris prospiciendis sagacem, talemq; qui & certare cum valentibus possit, & infirmorum imbecillitates portare, cuius cum dicta, tum facta omnia ad illorum, quorum disciplinę præsit, perfectionem pertineant: non qui sibi ipse prælationem assumat, sed qui à cæteris, qui autoritate in conuentibus præstent, delectus sit, & satis magnum in superiore vita documentum dederit probitatis morum suorum. *Nam & hi*, inquit, *probentur primum & deinde ministrent, vt nullum crimen habentes.* Quod similiter quoque in hoc seruari debet, quem diximus: quo videlicet sic creatus, fratribus ipse ordinem disciplinæ præscribat, quem sequantur, operaque dispartiatur in vnum quemlibet prout viderit expedire.

Luc. 12. 2. Tim. 2. Rom. 15. 1. Tim. 3.

Interrogatio xliv.

Quibus permitti debeat, vt domo peregre proficiscantur: quomodoque item ij, cum se domum receperint, interrogandi sint?

Responsio.

Peregrinandi quidem potestatem ei permittito, qui in peregrinatione sine animæ suæ detrimento, & cum vtilitate eorum, quibus cum cougrediatur, possit versari: quando, nisi idoneus aliquis affuerit, longè est præstabilius summam rerum omnium necessariarum penuriam perpeti, atque egestatem, etiam si propterea subeunda mors sit, quam subleuandæ necessitatis corporis causa, perspicuum & omnibus confessum animę detrimentum negligere. *Bonum eum enim*, inquit Apostolus, *mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet*, & hoc in ijs, quæ liberè vnicuique licet omittere, quanto igitur impensius in ijs, de quibus præcisè extat mandatum? Quanquam huic ipsi etiam incommodo medetur lex charitatis. Si enim inciderit aliquando, vt in conuentu aliquo desit, qui tuto commodeve foras possit amandari, necessitati huiusmodi satisfacient ij, qui loco proximi erunt, quum & communia itinera faciant, & absentes à domo, vicissim alij ab aliis nunquam separentur, vt tam qui animi, quam qui corporis etiam viribus imbecilles sunt, ij hoc modo cum valentioribus coniuncti, incolumes ac vegetiores conseruentur. Quod quidem multo ante prouidere debet, is cui procuratio necessariorum concredita est, ne in ipso postea necessitatis articulo, rebus iam in summas angustias adductis, remedium ipsi ex tempore quærendum sit. Cæterum, vbi qui emissus fuerit, domum iam se ex peregrinatione receperit, eum diligenter percontator, quid absens interim egerit, in quorum hominum congressus inciderit, cum illis quos sermones contulerit, in cuiusmodive secum ipse cogitationibus sit versatus, num assidue die noctuque in Dei timore permanserit, an à recta semita interdum aberrarit, & à communi decreto aliquid innouarit, idque terrore perculsus externarum calamitatum, an propria socordia lapsus. Et quod rectè ab ipso factum audierit, approbatione confirmato: Quod autem contrà, vitiosè, leni cura prudentique admonitione corrigito. Ita enim & attentiores esse assuescent, qui itineribus se dabunt, si de reddenda ratione soliciti sint: & nos, quamdiu adiuncti illi à nobis permanea nt, neutiquam videbimur illorum vitæ curam negligere. Porrò huiusmodi etiam, de qua loquimur, consuetudinem ex Actorum historia accepimus solitam fuisse à veteribus sanctis viris vsurpari. Siquidem ex ea docemur, quemadmodum & Petrus, cum se Hierosolymam recepisset, ijs qui tunc in ea ciuitate erant, rationem reddiderit eius societatis, quæ sibi cum gentibus fuisset. Similiterq;, quemadmodum Paulus & Barnabas reuersi ex peregrinatione, congregatæ ab ipsis Ecclesiæ renunciauerint omnia, quæcumque Deus fecisset cum illis. Et alio in loco, *quemadmodum siluit omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quæcunque fecisset per illos Deus.* Illud tamen hoc loco intelligendum est, nundinationes, & quæstus illos omnes, qui caupones attingunt, fratrum conuentus longissimè fugere debere.

Act. 11. Ibidem 13. Act. 15.

Interrogatio xlv.

Quod præter antistitem alius etiam esse aliquis debet, qui illo absente aut alioqui occupatione aliqua distento, fratrum ipse curam possit suscipere.

Responsio.

Verumenim quoniam incidit sæpenumero, vt vel ob valetudinis imbecillitatem vel peregrinandi necessitatem, vel aliam quamuis ob causam abesse à reliquorum fratrum conuentu necessario antistes cogatur, alius etiam esse præter ipsum debet, qui cum ipsius, tum cæterorum etiam fratrum diligenti animaduersione circunspectioneq; adhibitis, ad hoc delectus sit, vt absente illo curam in se conuentus recipiat: vt & qui remanserint vnius consilio gubernentur, neq; absente magistro, ad formam quandā * popularis reipublicæ status, familia traducatur: atque eo modo regula, & traditæ disciplinæ seueritas imminuatur. Sed quæ de communi omnium sententia adscita à cuncto collegio instituta fuerint ad Dei gloriam conseruentur: atque vt sit, qui accedentibus ad nos hospitibus, prudenter sciat respondere: quo videlicet & qui aliquid audire à nobis desiderant, pro propositi argumenti dignitate ædificentur, & commune fratrum collegium neutiquam dedecoretur. Nam hoc quod passim omnes sine vllo discrimine ad dicēdum assiliant, præterquam quod tumultus causa est, etiam signum est perturbatæ disciplinæ, cum Apostolus ne ijs quidem, quibus delatum fuerat donum recte docendi Dei verbum, pluribus simul loqui licere voluerit. Sic enim est apud ipsum: *Quod si alicui reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Qui idem etiam aperte perturbatæ huiusmodi disciplinę absurditatem demonstrans sic dicit: *Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes loquantur linguis, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent quod insanitis?* Atque etiam si inciderit aliquando, vt qui alicunde accesserit, aliquem de re aliqua quam ignoret interrogauerit, isque qui vice alterius interrogatus sit, haberet, quod commode responderet, conseruandæ tamen disciplinæ causa, tenere silentium debet, & is hospitem doceat, sed submissa voce, cuius officium est respondere, eaque in re exemplum Apostolorum Domini imitari conuenit, à quibus, dum cum Domino essent, solitus erat mos iste vsurpari, idque vt pro ordinis atque honestatis decoro, indulto nobis sermone vtamur. Etenim, si vbi de corporum curatione agitur, in remedio ægris adhibendo, non temere quemuis medicamento, ferramentove vti videmus: sed illos tantummodo, qui medendi artem teneant, quam & à peritis ante didicerint, ac doctrice multiplici experientia, & assidua ipsi postea secum commeditatione expoliuerint, & longinqua exercitatione, longinquoque vsu confirmauerint: quæ ratio permittit, vt ad curationem eam, quæ sermone adhibetur, nulla habita delectione, temerè quiuis, qui velit, assiliat: qua in re, rei vel minimæ prætermissio, maximum afferre detrimentum solet. Apud quos enim ne panis quidem distributio quibusuis temerè permittitur, sed munus huiusmodi administrandi panis vnius cuiusdam est, ad quem illud de communi aliorum sententia delatum est, qui non multo maiore cum delectu ac cautione hoc in danda petentibus esca

κατὰ περίστασιν.

* μὴ δημοκρατικόν τι σχῆμα.

Γνώμη.

Confirmat argumento à maiori. 1. Cor. 14.

Ibid.

Confirmat à simili.

Alterum simile nec inelegans ex collatione panis & verbi.

esca spirituali obseruari conueniat? videlicet vt munus hoc peculiare sit alicuius, qui melius id ipse præstare possit, quàm cęteri? Ex quo intelligitur animi esse valde sibi præsidentis, cum quis de aliquo iudicio interrogatus, intrepidè sic, temereq; audeat respondere, neque digitum ad illum intendat, cui huiusmodi dispensandi sermonis munus delegatum sit. Qui quidem ea re, quod *fidelis esset dispensator, & prudens*, idcirco delectus est, vt spiritualem cibum tempore distribueret, *sermonesq; suos in iudicio disponeret*, sicut scriptum est. Quod si etiam incidat, vt ad quem pertinet respondere, hunc aliquid effugiat aliquando, illudque alteri occurrat, non propterea tamen, cui illud occurrerit, is confestim prosilire, ac palàm arguere illum debet, sed seorsum arbitris semotis, quod sibi occurrerit, de eo ipsum admonere, quando ni hoc ita fiat, qui inferiores sunt, ij elatiores fieri aduersum superiores solent. Quapropter esto commodè aliquis responderit, tamen si responsio ad illum non pertinebat, pœnis is tenetur obnoxius violatæ disciplinæ.

Luc. 12.

Psal. 111

Γνώμη memorabilis.

In desertorem disciplinæ, vt animaduertendum.

A

B

Interrogatio xlvi.

Quod neque fratrum, neque sua obtegere quis delicta debet.

Responsio.

QVicquid est autem, in quo peccetur, id referri ad antistitem debet, siue ab eo ipso, qui peccatum admisit, siue ab iis, qui illius conscij sint, si illud ipsi curare non possint, & mederi eo modo quo præceptum est à Domino, quando vitium dissimulatum morbus est in animo obliteſcens, & supputris, qui etiam propterea incurabilis efficitur. Quemadmodum igitur nullo modo bene meritum illum de nobis diceremus, qui quæ pestifera essent, ea in corpore nobis includeret, sed eum potius, qui cum dolorifico cruciatu, & cruoris etiam missione per lancinationem ea in apertum extraheret, quo videlicet, aut quod noxium esset, per vomitum repelleret atque extunderet à corpore, aut in vniuersum, per morbi cognitionem, eius quoque curandi ratio facilius cognosceretur: ita nimirum peccatum occultare, nihil est aliud, quàm ægrum sua sponte ad mortem ruentem impellere, & procliuiorem reddere. *Stimulus enim peccati mors est*, inquit. Porrò occulta beneuolentia præstabilior est ea, quæ palàm libereque fit obiurgatio. Nemo sit ergo, qui aut peccato alterius latebras quærat, ne pro amore, quem fratri debet, exitium illi conciliet. Neque suo. Qui non medetur sibiipsi, frater est sua opera dissipantis.

Argumentũ à minori ad maius.

1 Cor. 15.

C

Interrogatio xlvii.

De his qui nolunt admittere, quæ per antistitem præscripta sunt ac designata.

Responsio.

VErum is qui nolit admittere quæ Antistes perficiunda iusserit, debet ei apertè quidem, sed semotis arbitris, cur dicto audiens esse ac moriger nolit, respondere, allata si quam habet, ratione, sacris literis consentanea: alioqui quod imperatum sit, silentio exequitor. Quòd si hoc facere pudore retractus non ausit, aliis quibusdam ad eam rem sequestribus vtitor, quo videlicet, si aliena fortè à sacrosanctis literis illa antistitis iussio sit, ipse cum seipsum, tum reliquos fratres à noxa eximat. Sin contrà, planum factum sit, eam rectè fuisse ac ratione factam, à vana seipsum ac periculosa secum disceptatione liberet. *Qui enim secum disceptat*, inquit, *si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide*, & vt ne simpliciores exemplo suo ad abiiciendam obedientiam instiget, ac veluti procliuiores efficiat. *Expedit enim*, inquit Dominus, *vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & proiiciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis his.* Quod si qui diutius in contumacia hæserint aduersus antistitem clàm queruli, nec in apertum voluerint sui mœroris causam prodere: hi perinde ac disceptationis inter fratres exortæ autores, aut qui certissimam auctoritatem collisserint, & labefactarint eius quæ maiorum debetur præceptis, obedientiæ ac velut rebellionis & inobedientiæ magistri, prorsus à reliqua fratrum familia exiguntor. *Eiice enim è concilio pestilentem*, inquit, *& exibit cum eo iurgium.*

Rom. 14.

Matt. 18.

Prou. 22.

D

E

F

Interrogatio xlviii.

Quòd nullo modo curiosè consilia moderaminaue antistitis exquiri debent, sed debet vnusquisque muneri suo vacare.

Responsio.

CÆterum ne quis facilè in huiuscemodi vitium secus de antistite suspicandi, aut diiudicandi cum detrimento cùm suo, tum reliquorum etiam fratrum incurrat, illud in vniuersum obseruari in conuentu debet, vt nullo modo quis curiosè antistitis consilia perueſtiget, aut in eius facta anxiè inquirat, iis dumtaxat exceptis qui cùm dignitatis gradu, tum consilij prudentia antistiti ipsi proximi sint, quos quidem ille necessariò sibi, quandocumque de re aliqua erit deliberaturus, in consilium ac maturam considerationem adhibebit, nimirum præcepto illi obtemperans, *Omnia fac cum consilio.* Quam enim illi animas nostras gubernandas commisimus, tanquam Deo de iis rationem reddituro, prorsus absurdissimè facimus, si huic fidem in rebus contemptissimis abrogamus, & cum ipsi falsis aduersus fratrem nostrum suspicionibus impleamur, tum reliquos exemplo nostro, vt idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eueniat, *vnusquisque maneat in ea vocatione, in qua vocatus est:* & cum animum suum totum in rerum ad se pertinentium cura occupauerit, minimè in aliorum consiliis inquirendis sit curiosus, sed sacrosanctos Domini discipulos imitetur. Quorum, esto illud quod in Euangelio est, de Samaritana, suspicionem ipsis posset commouere, *Nemo tamen dixit*, inquit, *quid quæris, aut quid loqueris cum ea.*

Καιρὸν animo imprimendus.

Ecc. 32.

1 Cor. 7.

Vt vitanda curiositas.

Ab exemplo discipulorũ Domini.

Ioan. 4.

Interrogatio xlix.

De controuersiis, quæ nonnunquam solent inter fratres existere.

Responsio.

DE controuersiis autem, quæ inter fratres interdum oriuntur, illud statuendum est, Quotiescumque aliqui inter se de re aliqua collidunt dissidentes & corrixantes, eos nequaquam inter se pugnaciter nimis contendere debere, sed controuersiæ decisionem superioribus se reseruare. Verum enim ne qua disciplinæ ordo violetur, si omnes passim nullo temporis, locive ad agendum idonei delectu habito, quærant, neve futilibus & inanibus quæstiunculis, aut nugacitati detur locus, certum quendam esse oportet, eumque de communi reliquorum omnium sententia, idoneum iudicatum, qui quidem de quibus inter fratres controuersia sit, ea aut communiter in medium omnibus disceptanda proponat, aut seorsum de iis cum magistro conuentus communicet. Ita enim quæ in quæstione posita erunt, melius, certiusque disputabuntur. Si enim nulla est res, cuius tractatio non scientiam, & vsum desideret, ea certè multo magis in rebus his requiruntur, quæ sunt huiusmodi. Et si instrumentorum eorum, quæ ad artium ministrationem necessaria sunt, tractationem, nemo esset, qui imperitis committeret, sine dubio multo magis sermonis tractatio concedi debet in dicendo potioribus: qui quidem ipsi cum loci, tum temporis, tum modi, quibus poni quæstiones debeant, commodè habere delectum sciant: quique citra contentionem cum prudenter quærendo, tum intelligenter auscultando, rerum, quæ sint in quæstione versatæ, explicationes ad communem possint omnium ædificationem seruare.

A minori ad maius.

Interrogatio l.

Quæ ratio teneri ab antistite debeat in obiurgationibus adhibendis.

Responsio.

VErum enimuero illud cauere magnopere antistes debet, ne ad castigandum verbis aliquem ex iis qui deliquerint, affectu quouis vitioso percitus accedat: quando cum indignatione & ira, castigatione aduersus aliquem vti, hoc haudquaquam est à peccato illum liberare, sed delictis seipsum obstringere, quamobrem Apostolus dixit, 2 Tim. 2. *In mansuetudine corripientem eos, qui resistunt.* Neque, si in contemptum veniat alicui, ob id præbere se vehementem debet, aut æquo seueriorem: vbi verò alium contemni viderit erga eum qui deliquit, declaret se benignum, ac indulgentem. Quinimo multo grauius ei ferendæ aliorum iniuriæ sunt, quàm suæ. Hoc enim si fecerit, & suspicionem à se illam hominis seipsum immodicè amantis submouebit & planissimè se non peccantem odisse, sed peccatum auersari declarabit, cum ita videlicet diuerso modo se gerat in rebus & suis alterius. Cæterum si quandocumque indignatur, non hanc, quam dixi, sed huic contrariam rationem adhibuerit, is prorsus indicabit, se neque propter Deum, neque propter periculum eius, qui peccauerit, sed propter gloriæ cupiditatem, aut imperitandi studium, indignationem illam suscepisse. Oportet enim illum & pro Dei gloria, cui violando ipsius mandato infligitur contumelia, iustam iram ac zelum præ se ferentem, & peculiarem fraternæ charitati misericordiam retinentem, pro fratris sui in Ezech. 18. peccato periclitantis salute tuenda (quia *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*) in quocumque, quod committatur peccato, tanquam aduersus peccatum animo incitari, & in eo acriter vindicando, animi sui iustum ardorem præ se ferre.

Interrogatio li.

Quomodo corrigi debeat delictum eius, qui peccauit.

Responsio.

IN adhibendis verò curationibus iis, qui vitioso animi affectu aliquo laborent, consuetudinem imitari medicorum debet, vt videlicet ægris non irascatur, sed contra morbum ipsum pugnet: in eoque impugnando, duriore victus ratione, si ita res postulat, animi vitia sanet: veluti inanem gloriam, abiectioribus exercitiis imponendis: futilem & otiosam loquacitatem, silentio: immodicum somnum peruigilio & excubiis orationum: segnitiem corporis, laboribus imponendis grauioribus: edacitatem indecoram ieiunio: murmurationem, à reliquis segregatione: vt videlicet neque ex fratribus quisquam vnà cum ipso esse in opere velit, neque opus, quod ipse elaborauerit, vnà cum reliquis reliquorum misceatur, sicut suprà dictum est, nisi si quando suscepta alacriter ac citra pudorem vllum pœnitentia, morbo eo liberatum esse illum appareat. Tum enim opus, quod murmurans elaborauerit, admitti poterit: verùm ne sic quidem, id in vsus fratrum vllos erogetur, sed ad alium aliquem vsum dispensetur. Hæc autem cur ita fieri debeant, satis superius intellectum puto.

Interrogatio lii.

Quo animo quis accipere impositas sibi multas debet, siue irrogatas iuxta præscriptum Canonis pœnas.

Responsio.

QVemadmodum autem diximus vacuum affectibus antistitem ad curationes ægris admouendas accedere oportere, item quoque vicissim eorum, quibus medicina fit, partes existimari debent, antistitis in se animaduersiones, non ad odium accipere, neque impotentem dominationem existimare, curationem eam, quam misericordia quis adductus, consulendi causa animæ ipsorum saluti, ipsis adhibeat. Esset enim à decoro abhorrens, si cum qui aduersa corporis valetudine laborant, iis vsque adeò magnam medicis suis fidem habeant, vt esto ipsos secent, esto vrant, esto amarissimis dandis * medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter benemeritos de se illos numerent: nos non itidem quoque aduersus animarum nostrarum medicos, quandocumque duriore imponenda nobis re aliqua, salutem nobis efficiunt, fuerimus animati: Cum Apostolus dicat: *Et quis est, qui me lætificat, nisi qui contristatur ex me?* Et item: *Ecce enim hoc ipsum quòd contristati estis, quàm magnam in vobis solicitudinem operatum est.* Proinde rei spectari exitus debet, & is bene de nobis metus iudicari, qui nobis contristationem illam afferat, quæ est secundum Deum.

* ὀνομοιώσις ἀνιώσιν.

2. Cor. 2. 2. Cor. 7.

Interrogatio liii.

Quomodo artium magistri peccantes pueros corrigere debeant.

Responsio.

ATque illud etiam seruandum est, vt qui artes docent, ij, si qua in re, quæ ad artem eam pertineat, quam tradunt, labi illos animaduerterint, quos in disciplinam acceperint, seorsum eos verbis castigent, & errata corrigant. Quæcumque autem ab eis peccata committantur, eiusmodi, quæ animi morum peruersitatem indicent, veluti siquis contumax sit, verbis contrà contendat, in elaborandis operibus negligenter se gerat, garrulus sit, & otiosiloquus, aut vanus, aut aliud denique aliquid agat eorum, quæ pietatis cultoribus vetita sunt: hæc in quibus animaduersa sint, ij ad communis disciplinæ moderatorem duci debent, & coram eo accusari, vt ipse sit videlicet, qui statuat, quatenus, quaue ratione vnumquodque peccatum curari conueniat. Si enim obiurgatio est animæ curatio, prorsus obiurgare non est cuiuslibet, sicut neque curationem admouere, nisi si quis sit, cui munus hoc antistes ipse adhibita prius diligenti circumspectione delegarit.

ἐπὶ τὸν ἔφορον. Γνώμην.

Interrogatio liv.

Quòd præpositi comentuum vicissim de his quæ se concernunt, conferre inter se debent.

Responsio.

OPeræprecium est autem, si statis interdum quibusdam temporibus, certisque locis consessus celebretur, eorum, qui fratrum conuentibus præsunt, in quibus videlicet, cum de rebus iis, quæ sibi præter rationem acciderint, tum, de difficilibus etiam ad tractandum naturis, aut moribus, & quo modo in singulis moderandis se gesserint, vicissim inter se communicent, & conferant. Quò videlicet, si aliquid aliquando minus rectè ab aliquo factum fuerit, id adhibita locupiete multorum sententia, maiore cum autoritate quod in medium adductum est, quale sit, iudicetur. Contraque si quid rectè gestum, multorum similiter testimonio comprobetur.

ἐσφαλμένας.

Interrogatio. lv.

Nunquid ex veræ pietatis proposito sit, vti medicina?

Responsio.

QVemadmodum vniuscuiuslibet artis suffragium in hoc nobis à Deo est indultum, vt nostræ occurramus infirmitati: ceu sunt, * agricultura quòd quæ sua sponte è terra gignuntur, ad subleuandas victus necessitates satis non erant: texendi ars, quòd indumentis necessario

* γεωργία ὑφαντικὴ.

vita

vita hominum indigebat, cum ad honestatem tenendam, tum ad cœli incommoda depellenda: similiterq; ędificandi disciplina, quod sine ea haud facilè stare vita hominum potuisset: item eadem quoq; in medicina ratio est. Cum enim corpus nostrum morbidum noxijs varijs expositum, partim extrinsecus aduenientibus, partim intrinsecus agnatis morborum generibus, obnoxium sit, eaque modo largiore cibi copia, modo subductione nimia affligatur: medicinæ nobis ars à totius vitę nostrę moderatore Deo concessa est, à qua nimirum cum demendis ijs, quæ superarent, tum quę deessent, addendis, rationem disceremus, quemadmodum nos animæ quoque curationem adhibere oporteret. Vt enim si in paradiso deliciarum essemus, nihil agreste nobis, neque labore opus esset, neque solertia, sic si vacuam penitus morbis vitam ageremus, ad similitudinem temporis illius, quando ab initio statim creati, nondum de Dei gratia decideramus, sine dubio nihil nobis opus esset, cur valetudinis tuendę causa prędisidium vllum à medicina peteremus. Verum quemadmodum posteaquam in locum hunc, veluti in exilium quoddam detrusi sumus, veráque illa audiuimus, *In sudore vultus tui vescēris pane tuo*: diuturna deinde periclitatione assiduáque in excolenda terra industria, erumnáque agriculturæ artem effecimus, cum Deus ad leniendā vtcumque ea, quæ ab execratione illa inuecta nobis incommoda fuerant, agricolandi intelligentiam, perceptionemq; nobis sit elargitus: Sic vbi iussi sumus, vt in terram de qua sumpti eramus denuo reuerti & dolorificę carni, morti propter peccatum addictę, ac propterea huiusce modi morbis subiectæ aptati sumus, datum nobis medicinę remedium est, quo (adhibita tamen ea, quam adhiberi par est, moderatione) aduersum ægros vteremur. Neque enim fortuito ortę de terra herbæ sunt ad singula morborum genera accommodatæ, sed nimirum eæ supremi opificis voluntate editæ sunt, eo consilio, vt ijs nos ad vtilitatem nostram vti possemus. Quocirca ea quidem, quę in radicibus, floribusve, aut folijs, aut fructibus, aut succis naturalis vis inest, aut quodcumque etiam ex metallis, marive aliquid ad corporis nostri vsum appositum habere inuenta sit, ea omnia earum rerum inuentioni similia indicari debent, quibus in cibo potioneque vti consueuimus. At in quibus exquirendis curiosa quadam, & anxia nimis solertia, curaq; est opus, quæque magnas nobis molestias quasdam conciliant, ac quasi vitam nostram in corporis curatione implicatam tenent, ea à Christianis hominibus funditus repudianda sunt: dandaque nobis studiosè opera est, vt huiusmodi arte (si quando rès postulet) ita vtamur, vt nullo modo omnem ei aut prosperæ, aut aduersæ valetudinis causam assignemus, sed vt ad gloriam Dei, & formulam quandam, qua nos in animorum nostrorum curatione vti oporteat, ita salutaria ab ea corpori nostro subsidia petamus. Ac si quando medicinæ nos remedia defecerint, neutiquam leuandi mali spem omnem in hac arte collocatam habeamus: sed illud intelligamus, aut *quòd non patietur nos tentari Deus supra id, quod possumus*: aut quod sicut olim, dum inter nos versaretur Dominus, modo lutum faciens, illud alicui illinebat, illitoque vt se in Siloem ablueret, præcipiebat, modo ad sanandum, voluntate sola contentus erat, dicens: *Volo: mundare*. Quosdam etiam præterea, vt in acerbitatibus certarent, dimisit: nimirum qui periclitatione illa spectatiores ipsos vellet efficere: Ita nunc etiam pari ratione agere nobiscum velit, tum ex occulto ratione quadam oculis nostris minimè aperta, salutari nobis imponenda medicina, quotiescumque ita facere ex animarum nostrarum vtilitate esse ipse iudicauerit: tum id etiam agendo interdum, vt ad depellendos à nobis morbos eos, quibus laboremus, * crassioribus remediis quibusdam vtamur, idque ea re nimirum, quòd curationis longinquitate memoriam eius, quod acceperimus, beneficij, altius in animis nostris impressam velit, vel (vt antè dixi) ea re, vt formulam nobis tradat, quam in curandis nostris animi vitijs imitemur: Vt enim in corporibus necessariò & demi illa debent, quę superuacanea sunt, & quę absunt, apponi: sic idem quoque nobis in animis nostris seruandum est, vt quæ aliena sunt scilicet, amandemus, & quæ idonea, ascisçamus. Siquidem fecit Deus hominem rectum, & ad bona opera, creauit nos, vt in illis ambularemus. Et quemadmodum in iisdem corporibus secari, vri, & potiones amarissimas sumere, incolumitatis ipsorum causa non recusamus: sic in animis quoque, secantia, cum obiurgamur, verba, amaræque pro ipsorum salute increpationum medicinæ accipiendæ sunt. quod quidem iis, qui emendati non erant, Propheta obiectat, cum dicit, *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi?* Quare igitur non est restituta sanitas filiæ populi mei? Quin illud etiam, quòd quis in * inueteratis morbis, non nisi ex longinquo tempore, variisque, & iis dolorem facientibus medicamentis sanitatem expectat, indicio est, vitia similiter, quæ in animis nostris inueterauerint, assidua oratione, & diuturna patientia & acerrima animi contentione, quæ ad sanitatem adipiscendam ratio sufficere nobis ostenderit, à nobis curari oportere. Non igitur quoniam medicina peruersè quidam vtuntur, idcirco fugienda nobis omnis, quæ ab ea nascitur, vtilitas est. Neque enim eo quòd qui voluptates intemperanter consectantur, coquinaria facultate, panificiove, aut texendi arte ad luxum abutuntur, cum vltra præscriptos necessitatis limites progrediantur, continuò huiusmodi à nobis repudiari artes debent: contraque potius, ex recta illarum tractatione, quod ab ipsis in illis fit, detegendum vitium est. Sic igitur in medicina etiam, haudquaquam rectè fieri ratio docet, si propterea, quòd sint qui illa vtantur vitiosè, eius datum nobis diuinitus munus in crimen vocetur. Etenim cum illud, incolumitatis suæ spem omnem habere positam in manibus medicorum, planè iumentorum simile sit (quod quidem vsu venire miseris nonnullis animaduertimus, qui etiam non verentur apertè liberatores suos illos appellare) tum hoc, omnes penitus, quæ ab ea proficiscuntur, vtilitates fugere, hominum est valde in sua sententia peruicacium. Sed quemadmodum Ezechias massam ficorum illam, neutiquam præcipuam sanitatis suæ causam fuisse arbitratus est, neque salutem corporis sui, quam recuperauerat, illi acceptam rulit, sed ad Dei gloriam, etiam quòd ficos creasset, gratiarum actionem adiecit: sic nos quoque, quandocumque ab eo, qui benignè, sapienterque vitam nostram moderatur Deus, vapulamus, primū illud petamus, vt causam nobis indicet, cur ita plectamur: tum illud postulemus, vt ab iis, quibus premimur, acerbitatibus liberemur, & animi ab ipso in tolerando fortitudinem comprecemur, vt vnà cum tentatione exitum etiam præbeat, & sustinere possimus. Restitutæ vero nobis sanitatis munus, siue per vinum oleo permistum veluti ille curatus fuit, qui in latrones inciderat, siue per ficos, vt legimus de Ezechia, gratiarum actione prosequi debemus: neque omnino referre quicquam existimemus, siue non cernentibus nobis, siue cernentibus corporeæ rei alicuius opera curationem nobis Deus adhibeat, quando hæ sæpenumero faciunt, vt Dei in nos beneficium clarius agnoscamus. Atque etiam fit plerumque cum idcirco in aduersam valetudinem incidimus, vt hoc pacto admoniti, vitia nostra emendemus, loco pœnæ cuiusdam, huiusce modi curationis acerbitatem cogamur perferre. Quocirca neque sectiones, neque vstiones, neque cruciatus, quæ acerba, asperaque medicamenta afferre secum solita sunt, neque inedias, neque arctissimas in victus obseruatione regulas, neque denique declinationem à rebus, quæ obsunt, repudianda esse nobis recta ratio demonstrat, saluo tamen (iterum enim dico) proposito animæ vtilitatis, quippe cui in medicina corpori admouenda, formula quædam proponitur, quam in sui ipsius curatione ipsum conueniat imitari. Porrò haud mediocre periculum est, ne ab recto animus aberrans, vanas quasdam opiniones concipiat, quippe quasi ægrotatio, omnis petitis à medicina remediis curanda sit. Neque enim semper morbi omnes à natura, aut vitiosa victus ratione, aliisve quibusdam sitis in corpore nostro causis, ad quæ vtilem interdum medicorum artem videmus, ortum ducunt: quandoquidem morbi sæpenumero veluti quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus. *Quem enim*, inquit, *Dominus diligit, castigat*: & ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. *Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, a Domino corripimur,*

ἰκοδομική. — Collatio. — Gen. 3. — 1 Cor. 10. — Ab exemplo argu. — Ioan. 9. — Luc. 5. — Sap. 2. — Hippo. de flatib. — Hier. 8. — * ἀνέβη ἴασις. — 4. Reg. 2. — 1 Cor. 10. — Luc. 10. — Perstat in metaphora. — Ὑλιάκαις χρῆσαι καθαίρουσις. — Ὑγιάμη. — Μεταφορὰ à medicina corporis ducta. — Morbi, flagella peccatorum. — Prou. 3. — 1. Cor. 11.

mur, vt non cum mundo damnemur. Quamobrem qui eiusmodi sunt, hi omissis medicorum auxiliis, inuectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocumque se peccasse animaduerterint: atque illum imitari, qui dixit: *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei:* necnon vitæ suæ praua studia emẽdare, & dignos pœnitentiæ fructus edere, & verborum Domini illorum meminisse, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quin est, quando hoc diabolo ita deposcente permittitur à Domino, cum aliquem tanquam fortissimum aduersarium (quæ est eius benignitas) ipse cum illo in certamen committat, ac magnificam illius iactãtiam summa seruorum suorum * tolerantia retundat (quod quidem in Iob factum fuisse animaduertimus) aut mollioribus etiam in ferẽdis doloribus, laboribusq; exempla proferuntur eorum, qui vsque ad mortem continenter tolerare cruciatus possunt: veluti Lazarus, de quo, cum tot vndique vlceribus vrgeretur, nusquam tamen scriptum est, eum quicquam vnquam à diuite illo petiuisse, significationemve vllam fecisse, quòd iniquo animo eum, in quo erat, rerum suarum statum ferret: quæ quidem causa fuit, quamobrem postea quietem in sinu Abrahæ inuenerit, veluti qui mala recepisset in vita sua. Quamquam aliam præterea in sanctis viris morborũ causam euenire solitam reperimus, velut in Apostolo. Ne enim hominis natura egressus posset putari, aut naturaliter aliquid præ cæteris eximium habere quispiam ipsum existimaret (quemadmodum Lycaones, qui ad eum cum coronis & lauris accesserunt) quo facilius intelligi posset hominis illum natura præditũ esse, in assidua vsq; erat ægrotatione. Quocirca quid est, quod huiusmodi hominibus emolumenti afferre possit medicina? aut quod non ijs potius contra ab ea periculum procreari? qui quidem relicta recta ratione, curam suam in corporis curationem tantum contulerint. Qui vero ex vitiosa, quam tenebant in victu, ratione, morbum sibi ipsis contraxerunt, hi corporis curatione vti debent, perinde vti exemplo, & * adumbratione quadam, quam in curando animo sequantur, quẽadmodum dictum est supra, quando quæ ex medicinę ratione, à rebus quę obsunt, declinatio fit, ea quoq; nobis vtilis est, item delectus rerum vtilium, ac præceptorum conseruatio. Atque ipsa etiam aduersæ corporis valetudinis in secundam mutatio, quędam nobis esse veluti confirmatio debet, ne de animę sanitate penitus desperemus, quasi vero ea ex peccatis ad pristinam integritatem per pœnitentiam se recipiendi facultatem omnem amiserit. Neq; igitur fugienda penitus ars ista est, neq; rursum omnis in ea salutis nostrę præsidia collocanda: sed quemadmodum, licet agriculturę vsum acceperimus, frugum prouentum tamen postulamus à Deo: & quãuis gubernatori clauum committamus, Deum etiam, vt nos ex alto incolumes conseruet, oramus: sic nihilominus cum medicum adhibemus, idque ratio fieri concedit, neutiquam à spe illius erga nos bonitatis debemus discedere. Mihi vero etiam ad colendam continentiam, haud mediocre momentum ars hæc, de qua loquimur, viderur afferre. Liquidò animaduerto ab ea & delicias amputari, & crapulam damnari, epularum præterea varietatem, & exquisitam nimis condimentorum prauè excogitatam solertiam, tanquam inutilem improbari. In summa denique indigentiam ab ea sanitatis matrem appellari. Proinde siue aliquando præceptis medicinæ vtimur, siue repudiamus ob aliquam causam earum, quas antè memorauimus: propositum tamen illud teneri vsque constantissimè debet, vt Deus in primis propitius habeatur, & animæ vtilitati consulatur, & præcepto Apostoli satisfiat illi. *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

Micl. 7.

Ioan. 5.

* μαχροθυμία B. Iob.

Lazari itẽ.

Luc. 16.

Act. 14.

* τύπῳ καὶ ὑπογραμμῷ χρηστέον.

Βεβαίωσις à simili.

1. Cor. 10.

Capita regularum quæ concisius disputantur.

1 *Numquid alicui licere, aut conducere existimandum sit, vt sponte sua ipse faciat, dicatve quæ honesta esse iudicet, sine testimonio diuinarum scripturarum.*

2 *Cuiusmodi conditiones esse debeant eorum, quibus mutuò se ij debent obligare, quibus decretum est vnà inter se vitam agere secundum Deum.*

A 3 *Quomodo auerti à peccato debeat is, qui peccet: quomodoq; si obstinatè in proposito persistat, animati esse aduersus eum debemus.*

4 *Numquid si quis pro leuissimis quibusque peccatis fratres presse nimis vrgeat, ac pro iis pœnitentiam eos agere debere dicat, hic immitis dicendus sit: & vtrum is charitatem hoc modo dissoluat,*

5 *Quæ cuique pro quoque peccato agenda pœnitentia sit.*

6 *Cuiusmodi is habendus sit, qui cùm pœnitere se dicat, re ipsa tamen solitam peccandi consuetudinem non intermittit.*

7 *Quodnam aduersum eos Dei iudicium sit, qui peccantes defendunt.*

8 *Quomodo recipi debeat is, quem verè pœniteat.*

B 9 *Quomodo aduersum eum animati esse debemus, qui pertinaciter sine vlla pœnitentia in peccato perseuerat.*

10 *Quantis cum lacrymis, quantoq; cum timore recedere debeat à peccatis anima ea, quæ miserè in multis ante peccatis volutata sit.*

11 *Qua ratione quis odium concipere possit aduersus peccata.*

12 *Quomodonam certum sibi persuadere anima possit, quòd Deus delictorum sibi gratiam fecerit.*

13 *Numquid qui post susceptum baptismum peccauerit, is salutem suam debeat desperare, si multis postea implicatus peccatis inuentus sit.*

14 *Ex cuiusmodi fructibus probari possit vera alicuius pœnitentia.*

C

15 *Quam vim habeat illud, Quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei?*

16 *Quamobrem anima peccatrix nullo interdum adhibito studio, tanquam si dolor ei aliquis incidisset, compungitur: interdum autem adeo languidus est, vt cum maximè conetur, compungi non possit.*

17 *Si cui cogitatio aliqua de edendo inciderit, deinde semetipsum condemnarit, numquid hic in crimine illo sit, tanquam qui contra præceptum solicitus fuerit.*

18 *Numquid ei, qui in collegio peccatum aliquando aliquod commiserit, si diu postea rectè viuere perseuerauerit, procuratio aliqua demandari debeat: & si debeat, cuiusmodi eam esse conueniat.*

D

19 *Si quis in suspicionem venerit de aliquo peccato, neque id apertè tamen committat, numquid is obseruari debeat, vt de quo suspicio est, manifesto deprehendatur.*

20 *Numquid debeat is, qui in peccatis diu volutatus fuerit, societatem solum cum prauè sentientibus in fide defugere, vel etiam prauè viuentium consuetudinem declinare.*

21 *Quæ causa sit, quamobrem huc & illuc animus futiliter distrahatur, & variis secum disceptationibus fluctuet: & quæ sit vitij huius emendandi ratio.*

22 *Vnde per somnum nocturna in nobis à decoro & honestate abhorrentia visa excitentur.*

E 23 *Ad cuiusmodi vsque verba, ocioſus esse sermo iudicari possit.*

24 *Quid est maledictum, siue conuitium.*

25 *Quid est detractio.*

26 *Qui detrahit fratri, aut detrahenti alij aures accommodat, & non obsistit, qua is pœna dignus est.*

27 *Quomodo aduersus eum animati esse debemus, qui præposito detrahat.*

28 *De eo, qui minus modesta voce, & verbis petulantioribus respondet.*

29 *Qua ratione quis assequi possit, ne irascatur.*

30 *Quomodo à se vitium praua cupiditatis amputare quis possit,*

F 31 *An videre prorsus permissum non sit.*

32 *Dormitatio intempestiua, & immodica vnde nascatur: & quomodo ab ea possimus liberari.*

33 *Quo argumento cognoscitur quis laudem ab hominibus affectare.*

34 *Qua ratione captandæ hominum laudis vitium quis possit effugere.*

35 *Quomodo superbus esse aliquis cognoscitur: itemque quomodo curetur?*

36 *Nunquid honos quærendus sit?*

37 *Qui in exequendis Dei mandatis iners est, quomodo is strenuus effici potest.*

38 *Quomo-*

38 Quomodo cum fratre eo agendum sit, qui facere aliquid iussus, primùm parere recusauerit, deinde ipse obedientiæ vltro se subiecerit.

39 Quomodo cum eo agendum, qui murmurans obedierit.

40 Quomodo quis, qui aliqua in re fratrem offenderit, corrigi debeat.

41 Quomodo cum eo agi oporteat, qui ei, quem offenderit, recusset satisfacere.

42 Quæ ratio tenenda sit, quandocumque is, qui offenderit, satisfacere paratus sit: is autem qui offensus sit, redire cum eo in gratiam nolit.

43 Quomodo debeat quis animatus esse aduersus eum, à quo à somno ad orationem expergefiat.

44 Qua pœna dignus est, qui cùm à somno ad orationem expergefactus sit, id aut ægrè se ferre ostendat, aut etiam irascatur.

45 De iis, qui scire negligunt multiplicem Dei voluntatem, ne grauius plectantur, tanquam qui scierint, & non fecerint.

46 Numquid qui alium patitur peccare, cum possit prohibere, ipse peccati illius particeps sit.

47 Numquid dissimulatione vtendum sit aduersus eos qui peccant.

48 Auaritiæ quis sit finis.

49 Quid sit perperam agere.

50 Si quis in conuentu maiori sumptu confectis vestibus depositis, id quod minoris precij sit, verbi gratia, vel pallium, vel calceamentum velit, idq; ob eam causam, quòd ex ipso se condecorari putet, nunquid is peccet, aut cuiusmodi vitio laboret.

51 Quam significationem habeat verbum, Raca.

52 Quis sit inanis gloriæ cupidus, quisve item humani fauoris captor.

53 Quodnam sit inquinamentum carnis, & quod item inquinamentum spiritus: & quæ ratione ab iis mundi esse possimus: quæve item sit sanctificatio, & quomodo eius compotes esse possimus.

περὶ τῆς φιλαυτίας. 54 Quid sit seipsum amare, & quibus indiciis quisque talem se esse possit cognoscere.

55 Quid interfit inter amaritudinem, furorem, siue iracundiam iram, & irritationem.

56 Quid interfit inter eum, quem altum sapere dicimus, & gloriosum, siue arrogantem & superbum, & fastidio elatum, & inflatum.

57 Si cui vitium aliquod insit, quod emendari non possit, & cuius quò sæpius reprehenditur, eo sæpius læditur, numquid profuerit condonare illi ac sinere.

58 Numquid is tantummodo censuram iudicij subire debeat, qui de industria mentitus sit: an is etiam, qui imprudens præter veritatem absolutè aliquid locutus fuerit.

ἀκολύτως. 59 Numquid cui tantum in animo fuerit aliquid facere, neque postea fecerit, hic mendax iudicandus sit.

60 De eo qui temere facere aliquid decreuit ex iis quæ Deo non placent.

61 Quomodo cum eo agi par sit, qui neque opus facere possit, neque psalmos discere velit.

62 Si quis fecerit, perinde atque is, qui talentum occultauerat: num iudicio condemnandus venit.

63 Quid est, quod cum quis fecerit, simili iudicio condemnatur, atque illi, qui aduersus nouissimos murmurauerant.

64 Scandalizare quid sit, & quomodo malum hoc fugere poterimus.

65 Quomodo quis veritatem in iustitia detinet.

66 Quid est contentio, quidve item æmulatio.

67 Quid est immunditia, quidve item obscœna & petulca lasciuia.

68 Quid proprium iracundi furoris, quidve item cum ratione susceptæ indignationis.

69 De iis, qui cum neque parcius edant, quàm cæteri, neque corpore sint inualido, impares tamen se obeundis conuentus muneribus causentur.

70 Quomodo cum eo agendum sit, qui vestitu, calceamentisve abutatur.

71 Cum aliqui sint, qui in cibis suauitatem magis, quàm copiam consectentur: alij autem contrà suauitati copiam saturitatis causa anteponant: quomodo vtrique persuadendi sint.

72 De iis, qui in conuentu immodestè ad mensam se gerunt, seseq; voracius ingurgitant.

73 De iis, qui non ex desiderio fraternæ emendationis eos redarguunt, qui peccant, sed ex libidine seipsos vlciscendi.

74 De iis, qui se à cæterorum fratrum societate separant, & soliuagum vitæ genus sectantur.

75 Numquid omnis peccati, quod vel cogitatione vel verbis, vel opere committatur, causa in Satanam conferri debeat.

76 Numquid propter vtilitatem aliquam, quæ ex mendacio postea consecutura sit, liceat mentiri.

77 Quid sit dolus, quid item morum peruersitas.

78 Adinuentores malorum qui sint.

79 Quomodo si quis identidem semetipsum reprehendat, quòd durius se gerat aduersus fratrem, is huiuscemodi vitium possit emendare. συνεχῶς.

80 Quænam sit causa, vt mentem nostram cogitationes bonæ, & Deo placentes velut nos deserant.

81 Numquid pari modo obiurgandi sint & religionis cultores, & cæteri quilibet de vulgo, quandocumque peccent.

82 Numquid si aliquando contingat, vt quæ ætate prouectior est, idem cum ea quæ natu minor sit, peccatum commiserit, eadem cum ea pœna plecti debeat.

83 Si quis multa rectè faciens, in vno tantum offendat, quomodo cum eo agendum sit.

84 De iis qui moribus præditi sunt tumultuosis ac turbulentis.

85 An in fratrum societate proprium aliquid habere liceat alicui.

86 Quid aduersus hunc obseruandum sit, qui dicat se neque à fratrum societate quicquam velle, neque de suo quicquam ipsum dare, sed contentum se esse rebus suis.

87 Numquid vnicuique liceat vetustate iam detritum vestimentum pro arbitrio suo dare cui velit ex præcepto.

88 Quid est solicitudo huius vitæ.

89 Quoniam scriptum est in sacrosanctis literis, Precium animæ hominis propriæ diuitiæ: quid faciendum sit iis, qui diuitias non habent. πρόχειρον.

90 An liceat nocturnum vestimentum habere, siue cilicium, siue alterius cuiusuis generis.

91 Quid faciendum sit ei fratri, à quo cum proprium nihil habeat, pallium aliquis petierit, maximeq; si is, qui petierit, nudus sit.

92 Cum Dominus iubeat, vt bona nostra vendamus, qua mente præceptum hoc exequi debeamus.

93 Qui semel se rebus suis omnibus spoliauerit, iamq; proprium se nihil habere professus fuerit, qua mente eum rebus ad viuendum necessariis vti oporteat, veluti vestitu, ac victu,

94 De iis, qui relictis, quæ dependere soliti erant, tributis, se ad fratrum societatem aggregarint.

95 An expedire iudicandum sit, vt qui modo nouitij ingressi sint, confestim ediscant quæ de sacrosanctis literis discenda sunt.

96 An debeat omnibus liberum esse literas discere, si velit, vel lectionibus vacare.

97 Numquid is debeat admitti, qui petit, vt ad modicum tempus intra fratrum collegium recipiatur, eo consilio, quòd fratrum si consuetudinem profuturam sperare se dicat.

98 Quem animum habere antistes conuentus debet in iis quæ imperat, ordinatve.

99 Qua animi affectione ad obiurgandum debeat accedere, qui obiurgaturus sit quempiam.

100 Quæ ratio tenenda sit in dimittendis iis, qui forinsecus mendicantes accedunt.

101 De eo, cui credita dispensatio est, & de mendicantibus.

102 De iis qui se à societate aliorum abducunt, quacumque de causa.

103 Quoniam nonnunquam consueuit euenire, vt quibus in rebus etiam qui natu gandiores sunt, labantur, an ij reprehendi debeant.

104 Quæ ratio tenenda sit in officiis fratribus delegandis.

105 An confestim vbi quis receptus intra fratrum societatem fuerit, eum discere artes conueniat.

106 Cuiusmodi pœnæ illæ esse debeant, quibus in societate fratrum vti oporteat.

107 De iis qui dicunt cupere se in fratrum societate viuere.

108 Nunquid debeat antistes semota sororum præside cum aliqua de rebus ad fidei ædificationem pertinentibus loqui.

109 Nunquid conuenire putandum sit, vt antistes sermonem sæpe cum antistita conferat.

110 Numquid quando soror presbytero peccata sua confitetur, aliquam etiam natu maiorem sororem adesse conueniat.

111 Si inscia antistita, antistes aliquid faciendum sororibus imperauerit, an propterea antistita iustè possit indignari.

112 Numquid si quis ad genus vitæ, quod est secundum Deum, accesserit, debeat, qui fratribus præest, huiuscemodi hominem sine cæterorum fratrum sententia admittere.

113 An possit, cui animarum cura delegata sit, illud seruare, Nisi conuersi fueritis, & facti fueritis sicut paruuli.

114 Numquid cuiuis, & quoduis imperanti obedire conueniat.

115 Quomodo mutuam inter se fratres obedientiam debeant præstare.

116 Quatenus obedientia progredi debeat.

117 Qui variis officiis, quæ in dies singulos sibi pro proposito mandato, demandantur, minimè acquiescit, ac artem quampiam discere studet, quo is morbo laborare putandus sit: & nunquid ferri debeat, qui huiusmodi sit.

118 Qui strenuus est in mandato, & opus facit, non quod ipsi præcipitur, sed quod ei collibitum sit, quam hic mercedem habet.

119 An liceat vnicuique delatum sibi munus recusare, & aliud ab eo diuersum quærere.

120 An exeundum sit aliquo, nisi petita prius ab antistite exeundi venia.

χαρὶς ὑπεμάτεως. 121 An grauiora munera liceat recusare.

122 Qui hac pœna dignus iudicatus sit, vt benedictionem non accipiat: is si, nisi accepta prius benedictione, cibum se neget sumpturum, nunquid ferendus sit.

123 Numquid eum ferri conueniat, qui cum (quod commodè non potest) facere non permittatur, ægrè id patiatur.

124 Numquid si casu quis cum hæreticis, gentilibusve inuentus sit, is cibum vnà cum illis capere debeat, aut eos salutare.

125 Cui munus aliquod creditum sit, numquid is munus illud debeat retinere, si quid præter præscriptum ipse sua sponte fecerit, nulla eius rei venia prius petita.

126 Quomodo quis assequi possit, vt in edendo voluptatem sibi imperare non sinat.

127 An verum sit, quod à quibusdam dicitur, non posse vllo modo impetrari quin homo aliquando irascatur.

128 Numquid ei permittendum sit, vt suo more agat, qui vltrà quàm vires eius patiantur, colere continentiam velit, atque ob eam causam impediatur, quominus præcipuè proposito mandato possit satisfacere.

129 De iis, qui ob ieiuniorum assiduitatem nimiam, communibus cum cæteris cibis vesci non possunt.

130 Quæ seruanda in ieiunio ratio sit, quotiescumque ieiunandum sit.

131 Qui communibus, quibus cæteri fratres cibis vtuntur, ipse non vescatur, sed diuersos quosdam exquirat, vtrum is rectè facere iudicandus sit.

132 Quid de eo sentiendum sit, qui aliquo cibi genere lædi se dicat, ac ægrè ferat, nisi aliud detur.

133 Quid si idem etiam cibi causa murmurauerit.

134 Quid si etiam iratus ea sumere recusauerit, quæ natura desiderat.

135 An debeat qui ægrotus est, ipse quærere, vt aliquid sibi vltra solitam consuetudinem detur.

136 An necesse sit, vt ad horam prandij cuncti conueniant: quomodove agendum cum eo, qui non tempori, sed iam pransis aliis superuenerit.

137 An is rectè facere existimandus sit, qui ad aliquod tempus, prout ipsi libitum fuerit, secum ipse statuat, ab hoc vel ab illo, vel cibo, vel potione abstinere.

138 An in communi societate debeat aliquis plus quàm cæteri communiter faciant, ieiunare.

139 Cum ex vehementi ieiunio remissiores effici ad laborandum fratres soleant, vtrum potius faciendum sit, opusne negligendum propter ieiunium, an contra ieiunium, vt vires suppetant ad laborandum.

140 Qui in lædentibus se cibis continentiam abiecerit, iisq; sese auidius ingurgitarit, ac propterea in aliquem morbum inciderit, numquid ei curationem vllam adhiberi conueniat.

141 Numquid conuenire putandum sit, vt extranei homines in officinis reperiantur.

142 An debeant opifices, opus aliquod ab aliquo faciendum redimere, sine sententia antistitis.

A 143 Qui in operibus faciendis sunt occupati, quam ij adhibere diligentiam debeant in commissis sibi instrumentis accurandis.

144 Qualis habendus sit, qui vel ex negligentia interire aliquid siuerit, vel ex contemptione eo perperam abusus fuerit.

145 Qualis is iudicandus sit, qui instrumenti alicuius vsum ipse à se, non petita ab antistite venia arroget, aut illud etiam sumere audeat,

146 Quomodo cum eo agendum sit, à quo cum vrgente necessitate postulatum ab antistite sit, vt instrumentum sibi aliquod velit commodare, id facere nolle se dicat.

147 Qui propterea quòd in rebus aut penu aut coquinæ, aut alio aliquo necessario obeundo munere sit occupatus, si tam præsto esse non possit vt adsit, cum decantari psalmi incipiunt, aut oratio fieri, numquid is ob eam causam vtilitatis animæ detrimentum aliquod facere existimandus sit.

148 Cuiusmodi potestas sit in dispensando illius, cui de penu dispensando cura commissa sit.

149 Quam pœnam commereatur, cui dispensandi officium traditum sit, si quid ex animi maiore in aliquem propensione, simultateve fecerit.

150 Qua multa dignus sit, si res fratri ad victum necessarias ex negligentia subtraxerit, vel non dederit.

151 An liceat ei, qui ministrat, voce vti in loquendo altiore.

152 De iis, qui vltrà quàm ferre ipsorum vires possunt, in ministeriis defatigantur.

C 153 Quomodo cui lanæ creditæ sint, ille eas habere debeat.

154 Si aliquando contingat, vt paucis fratribus, qui pluribus sororibus ministrent, necessitas aliqua incidat, vt mutuo alteri ab alteris distrahantur, quòd vnicuique seorsum ad diuersa munera eundum sit, numquid huiuscemodi factum periculo vacet.

155 Quomodo gerere se fratres debeant erga eos qui aduersa valetudine laborant in hospitali.

156 Numquid oporteat, qui semel dispensandi penoris officio præpositus sit, aut huiusmodi alij muneri cuipiam præfectus, illud eum perpetuo retinere, an dispensandi reliquis etiam vicissim locum concedere.

D 157 Cuiusmodi animi affectione Deo seruire debeat vnusquisque.

158 Quo animo irrogatam sibi multam accipere quisque debeat.

159 Quodnam de eo faciendum iudicium sit, qui ei succenseat, à quo obiurgetur.

160 Cuiusmodi animi affectione danda nobis opera in ministrando fratribus sit.

161 Quàm magna cum animi submissione impensum sibi quisque à fratre minicterium debeat accipere.

162 Cuiusmodi, & quanta esse mutua inter fratres charitas debeat.

163 Quomodo quis charitatem in proximum consequi possit.

164 Quidnam sibi velit illud, Nolite iudicare, & non iudicabimini.

165 Quo signo agnoscere quis poterit, studione Dei aduersus peccantem commoueatur, an etiam succenseat, per vitiosam & illaudabilem iram. ζήλῳ θεοῦ.

E 166 Cuiusmodi animi affectione ei auscultandum sit, qui ad exequendum Dei mandatum nos adhortetur, denique & vrgeat.

167 Qualis debeat esse anima, quod digna habita sit, quæ omnino totam se in Dei muneribus occuparet.

168 Cuiusmodi animi affectione accipiendum vestimentum, vel calceamentum sit, cuiuscumque modi illud fuerit.

169 Si qui minor natu frater fuerit, maiorem natu se docere aliquid iussus fuerit, quomodo is se aduersum illum gerere debeat.

170 An æqualiter nos gerere debemus aduersus eos, quorum in officiis maior, & quorum minor vigeat industria.

171 Quomodo cum eo agi par sit, qui cum inferior sit, molestè ferat superiorem se sibi anteponi.

F 172 Quali ac quanto cum metu, ac fide cuiusmodive cum affectione sumendum sit corpus Domini.

173 An tempore psalmodiæ vllum omnino locutioni de re aliqua locum dari conueniat.

174 Qua ratione quis assequi possit, vt ex animo, studioseq; mandata Domini exequatur.

175 Quomodo aliquis cognoscatur, quòd fratrem consentaneum in modum Dei præcepto diligat.

176 Quinam sint hostes, quos diligere iussi sumus.

177 Quomodo debeant, qui fortes sunt, ipsi imbecillorum infirmitates portare.

178 *Quis sensus est illorum verborum,* Alter alterius onera portate.

179 *Qui fieri possit, vt sine charitate adeo magnam quis fidem habeat, vt ea montes transferat, aut pauperibus bona sua omnia distribuat, aut corpus suum tradat, ita vt ardeat.*

180 *Cuiusmodi cum animi affectione, attentionéve ea audienda sint, quæ nobis interim dum ad mensam accumbimus, leguntur.*

181 *Si duæ vicinæ inter se fratrum societates fuerint, & altera egestate prematur, altera sit ad cõmunicandum restrictior, quomodo aduersus tenaces affecti esse debeant, qui egestate laborant.*

182 *Ex cuiusmodi fructibus probari debeat aliquis, quod misericordia motus ad redarguendum fratrem accedat.*

183 *Si aliquando contingat, vt inter aliquos de re aliqua in fratrum societate dissensio exorta sit, nunquid (quod attinet ad charitatem) vacare periculo iudicandum sit, vt huiuscemodi hominum opinionibus, quæcunque arridere nobis magis visæ fuerint, fauere nos ostendamus.*

συμπεριφέρεσθαι. 184 *Qua ratione aliquis, quoties aliquem vel hortatur, vel arguit, studere possit non solum quomodo scienter loquatur, sed etiam quomodo debitam cum Deo, tum iis etiam, quibuscum sermonem habet, animi affectionem conseruet.*

185 *Quonammodo, si quis in aliquo, quem habeat sermone, assentientes sibi auditores, animaduertens, lætetur, agnoscere possit, vtrumne lætitia illa ex proba ipsi animi sui affectione, an ex improba quapiam motione oboriatur.*

186 *Cuiusmodi illi amici sint, pro quibus animam ponere iussi sumus.*

187 *Nunquid oporteat ab iis quenque aliquid accipere, qui naturali sibi propinquitate aliqua coniuncti sint.*

188 *Quomodo quibuscum contuberniũ nobis aliquando vel cognationis necessitudo intercedebat, aspiciendi à nobis sint, si quando ad nos accesserint.*

189 *Quidnam agendum sit, si ijdem nos hortentur, vt domum ad eos adeamus.*

190 *An naturali nobis necessitudine coniunctorum vicem dolere nos oporteat, ex desiderio salutis illorum.*

191 *Quis sit, qui in Euangelio dicitur mitis.*

192 *Quæ sit animi tristitia secundum Deum, quæve item mundi.*

193 *Quid sit gaudium in Christo.*

194 *Cuiusmodi suscipiendus à nobis luctus sit, vt beatitudinem illam, de qua est in Euangelio, consequi possimus.*

195 *Quomodo quis omnia facit ad gloriam Dei.*

196 *Quomodo edit quis, bibitve ad gloriam Dei.*

197 *Quomodo illud accipiendum sit,* Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

198 *Quid sit humilitas, quáve ratione virtutis huius esse compotes possimus, eamq; obire legitimis officijs.*

199 *Quomodo quis assequi possit, vt mandata Domini libenti animo exequatur, & pro ijs, periculis se alacriter obijciat.*

200 *Quomodo qui in religione diutius laboribus & vsu peritiores redditi nouitios possint iuuare.*

201 *Quomodo quis mentem suam possit cohibere, vt ne inter orandum distrahatur.*

202 *An possit impetrari, vt nulla in re mens prorsus distrahatur.*

203 *Nunquid rectè factorum, iuxta Domini præceptum, æqualis mensura in omnibus sit: an alius aliquando maiorem, alius minorem habeat.*

204 *Quomodo quis idoneus efficiatur, vt particeps sit Spiritus sancti.*

205 *Qui sint pauperes spiritu.*

206 *Cum præceptum Domini sit, vt ne soliciti simus quid edamus, aut quid bibamus, aut quibus induamur: præceptum hoc quàm late patere putandum sit, quomodove ei possit satisfieri.*

ἀσκεῖν. 207 *Qua mente laborare conueniat.*

208 *An rectè fieri putandum sit, si quis assidue vsque in vniuersum silentium velit seruare.*

209 *Quomodo id assequi possimus, vt Dei iudicia pertimescamus.*

210 *Quis sit habitus ornatus, qui traditus est ab Apostolo.*

211 *Quis modus esse debeat charitatis eius, quæ est in Deum.*

212 *Quomodo charitatem quis, quæ in Deum est possit adipisci.*

χρηστότης καὶ ἀγαθωσύνη. 213 *Quæ sint indicia charitatis erga Deum.*

214 *Vt à se dissideant benignitas siue suauitas atque bonitas,*

215 *Quis sit pacificus is, qui beatus à Domino dicitur.*

216 *Qua in re conuerti nos oporteat, & effici vt paruulos.*

217 *Quomodonam accipere quis possit regnum Dei, vt paruulus.*

218 *Cuiusmodi intelligentiam petere debeamus à Deo.*

219 *Quomodo si beneficio affecti fuerimus ab aliquo, & debitam Domino gratiarum actionem poterimus puram & integram persoluere, & simul etiam, quæ bene de nobis merito homini debeatur, eo modo, quo par sit, perfectè dependere.*

220 *An passim vnicuique qui velit, permitti debeat, vt cum sororibus in colloquium veniat.*

221 *Cum Dominus doceat orandum nobis esse, vt ne intremus in tentationem, nunquid orandum sit, vt ne in dolores corporis incidamus.*

222 *Quis sit aduersarius cuiusque nostrum, quomodove beneuoli illi esse possimus.*

223 *Qui ratione aliqua motus ex ijs, quæ placeant Deo, & ieiunare animum induxerit, quidnam is agere debeat, cum, quomodo vellet, foris hominibus non appareat.*

224 *Nunquid hoc etiam tempore alij sint, qui hora diei prima opus facere inceperint, alij item qui vndecima, & quinam sint hi.*

225 *Cum Dominus dixerit,* Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio illorum: *quænam ineunda nobis ratio sit, vt hoc nos promereri possimus.*

226 *Cum Apostolus dicat:* Maledicimur, & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus: *quomodo benedicere debeat, cui maledicitur: & quid obsecrare, qui blasphematur.*

227 *Nunquid debeat vnusquisque de ijs, quæ sentit ipse aliorum etiam consilium exquirere, an vero, quod certissime sibi Deo id gratum futurum persuaserit, neutiquam necesse ipsi sit, vt cum altero communicet.*

228 *Nunquid omni in re eorum, qui scandalizantur, voluntas explenda sit: an vero sint quædam, in quibus simulatione agendum non sit, esto aliqui scandalizentur.*

229 *Nunquid flagitiose facta abiecta verecundia apud omnes debeant enunciari, an apud quosdam tantummodo, & hos cuiusmodi.*

230 *Quid sit obsequium, & quid rationale obsequium.*

231 *Si quis aliquem frater, vel etiam sacerdos nonnunquam, iniquo aut infenso animo persequatur, an tradita de inimicis præcepta aduersus eum liceat conseruare.*

232 *Si quis iniuria affectus ab aliquo, tenendæ animi sui lenitatis causa, patientiaq;, ea de re cum nemine loquatur, atque hoc faciens existimet se reddere iudicium Deo, nunquid hic facere existimandus sit secundum Deum.*

233 *Vtrum si ex omnibus benefactis vnum aliquod alicui tantum defuerit, is propterea salutem non adipiscatur,*

234 *Quomodo quis annunciet mortem Domini.*

235 *An expediat multa ex scripturis addiscere.*

236 *Quicumque digni habiti sunt, qui quatuor Euangelia intelligerent, quomodo ij gratiam hanc debeant accipere.*

237 *Cuiusmodi animus ille sit, qui ad Dei voluntatem dirigitur.*

238 *Nunquid fieri possit, vt sine vlla intermissione quis psallat, legatve, vt serio de rebus ad Deum pertinentibus disserat, neque vllum omnino ab his cessandi spatium concedatur, cum aliquibus nonnunquam necessitas accidat, vt sordidioribus corporis necessitatibus cogantur satisfacere.*

239 *Quis sit thesaurus bonus, quisve item malus.*

240 *Quamobrem lata porta dicta sit, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem.*

241 *Quomodo † angusta sit porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam: quomodove quis per ipsam ingrediatur.* † στενὴ καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδός.

242 *Quid sit illud, quod dicitur ab Apostolo,* Amore fraternitatis inuicem vos diligentes,

243 *Quid sibi velit Apostolus, cum dicit:* Irascimini & nolite peccare. Sol non occidat super iram vestram, *cum idem alio in loco dixerit,* Omnis amaritudo, & furor, & ira tollatur à vobis.

244 *Quid est,* Dare locum iræ.

245 *Quomodo accipiendum sit illud:* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

246 *Quæ significatio sit eius dicti Apostolici:* Charitas † nihil præter decorum agit vel perperam. † ἀσχημονεῖ.

247 *Quænam sit gloriatio in Domino, quæve item ea, quæ intercidit gloriatio.*

248 *Quænam ratio sit, cur cum Dominus det sapientiam, & à facie ipsius egrediatur scientia, & intelligentia: & cum per spiritum alij quidem detur sermo sapientiæ, alij autem sermo*

scientiæ, Dominus exprobret discipulis, quòd adhuc sine intelligentia sint: & Apostolus quosdam accuset, tanquam quòd careant intelligentia.

† θσιον καὶ δικαιον.

249 *Quid sit † pium, quid item sit iustum.*

250 *Quomodo quis sanctum canibus det, aut quomodo proiiciat margaritas ante porcos: quomodove ad propositum quadret, quod deinceps sequitur,* Nequando conculcent eas pedibus suis & conuersi disrumpant vos.

251 *Quamobrem Dominus modo discipulis suis prohibeat, ne sacculum aut peram secum gestent in via, modo autem ita dicat:* Sed qui nunc habet sacculum, similiter tollat & peram: & qui non habet, vendat vestimentum suum, & emat gladium.

† ἄρτος ἐπιούσιος.

252 *Quid sit † panis quotidianus, quem docuit nos Dominus, vt precaremur quotidie.*

253 *Quidnam sit, quod per talentum significetur: quomodove illud posimus multiplicare.*

254 *Quænam mensa illa sit, in quam oportebat te dicente Domino, mittere argentum.*

255 *Quonam abire iussus sit is, cui dictum est:* Tolle quod tuum est, & vade.

256 *Quænam sit merces, quam hi similiter accipiunt atque primi.*

257 *Quinam sunt palea, quæ comburitur igne inextinguibili.*

258 *Quisnam sit, qui damnatur ab Apostolo, quod volens in humilitate & religione, & quæ sequuntur.*

259 *Quisnam sit seruens spiritu.*

260 *Cum Apostolus dicat, modo,* Nolite effici insipientes: *modò,* Nolite prudentes esse apud vosmetipsos: *nunquid fieri possit, vt qui insipiens non sit, is prudens esse apud seipsum possit.*

261 *Quamobrem ipsi etiam sancti viri multa quæ petierunt, ea à Domino non impetrarunt.*

† διαφορὰ πλουτείας καὶ πενιας.

262 *Quid † intersit inter mendicitatem, & paupertatem: & quomodo verus est Dauid cum dicit:* Ego autem mendicus sum & pauper.

263 *Quidnam sit, quod docere Dominus velit per ea exempla, quibus ea statim adiungit,* Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus suis, quæ habet, non potest meus esse discipulus.

264 *Quænam vis verbi huius sit, quod dicitur, Syncerum.*

265 *Nunquid ad solos tantum sacerdotes dictum illud sit,* Si offers munus tuum ad altare, *& reliqua.*

266 *Quidnam intelligendum sit per sal, quod nos habere Dominus iusit.*

267 *Cum alius paucis, alius multis vapulaturus sit, quid ita nonnulli dicunt, nullum pœnarum finem futurum iis, qui puniendi sint.*

268 *Quonam sensu dicantur quidam filij inobedientiæ, & filij iræ.*

269 *Cum scriptum sit in sanctis literis,* Facientes voluntates carnis, & cogitationum, *vtrumne à voluntatibus carnis diuersæ sint voluntates cogitationum, & cuiusmodi sint hæ.*

270 *Quidnam velit Apostolus dicens:* Aporiamur, sed non destituimur.

271 *Nunquid quisquam omnium peccatorum, quæ commiserit, purgationem per eleemosynam possit redimere.*

272 *Cum Domini præceptum sit, vt ne soliciti simus de die crastino, quomodo hoc rectè intelligi possit.*

273 *Quid sit, quod cum quis fecerit, blasphemat in Spiritum sanctum.*

274 *Quomodo quis stultus efficitur in hoc seculo.*

275 *An sancti viri propositum aliquod disturbare Satanas possit.*

276 *Quid est quod dictum est ab Apostolo,* Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

277 *Quidnam sit cubiculum, in quod orantem intrare Dominus iubet.*

278 *Quomodo spiritus alicuius orat, eius autem mens sine fructu est.*

279 *Quid illud velit, cum dixit:* Psallite sapienter.

280 *Quis est, qui mundo est corde.*

281 *Nunquid quæ soror psallere nolit, ei vis, vt psallat, asserenda sit.*

282 *Quinam sint ij, quibus dicentibus:* Manducauimus coram te, & bibimus: *respondetur,* Nescio vos.

A

283 *Nunquid qui voluntatem alicuius faciat, is socius illius sit.*

284 *Nunquid fratrum societas, quæ propter inualetudinem ad summam rerum omnium inopiam reciderit, possit sine vlla peccati dubitatione res sibi ad sustentationem vitæ necessarias accipere: & si possit, à quibus possit.*

285 *Vtrumne si societas fratrum, quid cum altera societate contrahat, iustum rei quæ permutetur precium solicitè quærere debeat.*

286 *Nunquid qui in societate cæterorum fratrum viuit, eum, si in aliquem corporis morbum inciderit, in hospitale adduci conueniat.*

B

Hæc tantummodo quæ hactenus descripta sunt, in eo exemplari reperiebantur, quod ex Ponto allatum fuerat: reliqua autem deinceps xxvii. capita vnà cum animaduersionibus seu statutis pœnis addita sunt de codice Cæsarienſi:

287 *Qui sint fructus digni pœnitentiæ.*

288 *Qui animum induxit, vt peccata sua confiteatur, nunquid is omnibus temere ea, & quibuslibet debeat confiteri, an quibusdã.*

289 *Quem commissi peccati alicuius pœnituerit, & in illud idem denuo reciderit, quid is facere debeat.*

290 *Quomodonam quis assiduè vsque in opere Domini possit*

C

† *perfectior effici.* † περισσεύε.

291 *Quid significetur per arundinem confractam, & per † linum fumigans: & quomodo quis alterum non confirmget, alterum autem non extinguet.* † τυφόμενον λίνον.

292 *Nunquid rectum sit, vt in fratrum conuentu secularium puerorum magistri sint.*

293 *Quomodo cum iis agendum sit, qui grauiora peccata reijciunt: leuiora autem si committant, nihil putant referre.*

294 *Quæ causa sit, quamobrem quis perpetuam de Deo memoriam ex animo sibi finat elabi.*

295 *Ex cuiusmodi signis aliquis deprehendatur, quòd aliud agat, vitio distractæ mentis.*

296 *Quomodonam certum scire aliquis possit, peccata sibi sua*

D

fuisse condonata.

297 *Quomodo facienda à peccatis conuersio sit.*

298 *Nunquid ratio concedat, vt quæ recta sunt, ea faciamus, quòd ita nobis ea placeat fieri.*

299 *Quomodo persuaderi aliquid possit, vt à gloriæ studio recedat.*

300 *Quis modus conuersionis, quum de re agitur oculorum nostrorum aspectum fugiente.*

301 *Quid si quis dicat, se à conscientia non condemnari.*

302 *Nunquid extraneis quoque iudigentibus impertiendum sit de ijs, quæ ex communi penu distribui inter fratres debeant.*

303 *Nunquid iis omnibus obedire conueniat, quæ ab omnibus in conuentu dicantur.*

304 *Nunquid pro iis, qui in fratrum conuentum à necessariis suis traditi sint, cum dare ij aliquid velint, id accipi oporteat.*

E

305 *Nunquid ab extraneis aliquid conueniat accipi, siue amicitiæ ergo, siue propinquitatis, quæ antè interceſſerit.*

306 *Cuiusmodinam ratione mentem quis possit cohibere, ne instabilis ad varias & inanes cogitationes aberret.*

307 *Nunqued vicissim singulis diebus modo hic, modò ille primus decantare psalmos, & orationem facere debeat.*

308 *Vtrum remuneratione aliqua aduersum eum vtendum sit, qui communitati fratrum aliquid ipse donauerit: & nunquid æqualis rei datæ ea esse remuneratio debeat.*

309 *Nunquid cui contigerit, vt ea euenerint, quæ & consuetudo, & natura fert, is accedere ad sanctorum communionem debeat audere.*

F

310 *Nunquid in † communi domo dominicam cœnam conueniat celebrari.* † προσκεμένων.

311 *Nunquid aliquorum rogata alicui ad visendos aliquos extra monasterium exeundum sit.*

312 *Nunquid laici, qui nos inuisant, ad orationem adhortandi sint.*

313 *Nunquid visitati ab aliquibus, opus nos conueniat intermittere.*

DIVI BASILII
IN REGVLAS BREVIORES
EXORDIVM.

BEnignus Deus, qui docet hominem scientiam: *iis quidem, quibus creditum est donum docendi, præcipit per Apostolum, vt maneant in doctrina: eos autem, qui ædificatione indigent quæ ex fonte cœlestis hauritur doctrinæ, per Moysem hortatur, dicens:* Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. *Quocirca necesse est, vt nos, quibus creditum est munus docendi, parati animo & exprompti simus tempore ad conciliandas Deo animas & instituendas: vt alia videlicet partim publicè cunctæ Ecclesiæ contestemur, alia priuatim vnicuique eorum, qui ad nos accesserint, arbitratu suo seorsim exquirendi à nobis potestatem faciamus, ea videlicet quæ pertinent ad sanitatem fidei & veritatem eius viuendi ritus, qui est ex Euangelio Domini nostri Iesu Christi: ex quibus vtrisque homo Dei verè vsquequaque * perfectus efficitur. Similiter item vos quoque nihil debetis prætermittere, vnde non fructum aliquem capiatis, aut vbi non industriam vestram exerceatis: sed præterea, quæ communiter cum cæteris discitis, etiam seorsim de rebus ad vtilitatem vestram spectantibus interrogare, atque omne vitæ ocium ad hoc vnum dirigere, vt vtilitati vestræ consulatis. Si ergo in hoc congregauit nos Deus, & ab externis perturbationibus, multa perfruimur tranquillitate, nolimus quæso nos ad aliud vllum opus conuertere, neque somno rursum tradamus corpora nostra, sed in attenta meditatione & exquisitione rerum necessariarum eam, quæ reliqua est, noctis partem traducamus, illud facientes, quod dictum est à beato Dauid;* In lege Domini meditabitur die ac nocte. Psal. 93. Deuter. 33. * βεβαίως τελειούται. Psalm. 1.

SANCTI PATRIS NOSTRI
BASILII MAGNI
ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ
EIVS QVÆ EST IN CAPPADOCIA,
*REGVLÆ * PER COMPENDIVM & interrogationem.*

* ὅροι κατὰ ἐπιτομὴν καὶ ἐρώτησιν.

INTERROGATIO I.

An liceat, aut conducat alicui sponte sua ipsum facere, diceréve, quæ recta existimet, sine testimonio diuinarum scripturarum?

RESPONSIO.

A

QVm Dominus noster Iesus Christus dicat de Spiritu sancto: *Non enim loquetur à seipso, sed quæcunque audiet, loquetur,* de seipso autem: *Non potest filius à se facere quicquam.* & item: *Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio quòd mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.* Quis esse tanta vesania percitus potest, vt aliquid audeat à seipso vel cogitatione tenus concipere? cùm ductore sancto, & bono spiritu indigeat, vt dirigatur in viam veritatis, cogitatione, verbo & opere, & cæcus sit, & in tenebris degat, sine sole iustitiæ Domino nostro Iesu Christo, cuius mandatis tanquam radiis quibusdam homines illuminantur. *Præceptum enim Domini,* inquit, *lucidum, illuminãs oculos.* Sed quoniam eorum, quæ apud nos in vsu sunt, vel rerum, vel verborum, alia distinctè tradita sunt in diuina scriptura, alia prætermissa, de iis quidem quæ scripta sunt, in vniuersum nulli potestas permissa est, eorum aliquid, vel quæ vetita sunt, facere, vel quæ iussa, prætermittere: cum Dominus semel præceperit, ac dixerit: *Et obseruabis verbum, quod mando tibi hodie, nec addes quicquam, nec minues ab eo.* Formidabilis enim quædam iudicij expectatio, & ignis indignatio aut æmulatio deuorantis, eos manet, qui eiusmodi aliquid audent. De iis verò, quæ prætermissa sunt, habemus regulam traditã nobis ab Apostolo Paulo, cum dicit: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Et item: *Nemo quod suum est, quærat: sed quod alterius, vnusquisque.* Quocirca prorsus necesse est, in omnibus aut Deo subijci, aut aliis propter mandatũ ipsius. Scriptum est enim, *subiecti inuicem in timore Christi.* Et Dominus ipse ait: *Quicunque voluerit in vobis magnus esse, sit omnium infimus, & omniũ seruus,* abalienatus videlicet à propriis voluntatibus, exemplo ipsius Domini dicentis: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me patris.* Ioan. 6. Ioan. 5. Ioan. 12. Ioan. 2. Esa. 42. Psalm. 18. Exod. 34. Deut. 12. 1. Cor. 6. 1. Cor. 10. Ibidem. Ephes. 5. Matth. 20. Ioan. 6.

INTERROGATIO II.

Cuiusmodi poscere à se mutuò professionis formulam debent, quibus in animo est communiter vitam secundum Deum inter se degere?

B

RESPONSIO.

EAm, quæ omnibus ad se accedentibus proposita à Domino est, cum dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hoc autem quam habeat vim, dictum est in ea, quæ propriè de hoc est, interrogatione. Luc. 9.

INTERROGATIO III.

Peccantem quomodo conuertemus? aut si durus in proposito permaneat, quomodo cum eo agere debemus?

RESPONSIO.

QVemadmodum iussi sumus à Domino, cũ dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe ipsum inter te & ipsum solum.* Matth. 18.

solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem non te audierit, adhibe tecum etiam vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. 2. Cor. 13.

Si fortasse hoc modo contingat, vt dici de eo illud possit, Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus, & quemadmodum traditum est ab Apostolo, cum ait: *Argue, increpa, obsecra in omni patientia, & doctrina*, & item: *Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commiscamini cum illo, vt confundatur vel suppudescat.* 2. Tim. 4. 2. Thess. 3.

Interrogatio iiii.

Si quis pro leuissimis etiam peccatis fratres acriter nimis vrgeat, ac dicat de iis pœnitentiam eos agere debere, nunquid is inclemens habendus est, & euersor charitatis?

Responsio.

CVm assueranter Dominus affirmauerit, quòd *iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant*: cumque idem etiam pronunciauerit, *quòd omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*, nihil omnino tanquam minutum contemni debet. *Qui enim rem contemnit*, inquit, *contemnetur ab ea.* Quanquam quis est, qui peccatum vllum (cuiuscumque modi illud sit) leue audeat appellare? cum asseruerit Apostolus: *Quòd per transgressionem legis Deum inhonoras.* Si autem stimulus mortis non hoc est, aut illud, sed indefinitè quodcumque peccatum: inclemens ille habendus est, qui obticet, non autem qui arguit: quemadmodum qui in corpore alicuius, qui à venenata aliqua bestia morsus esset, residere venenum sineret, cum posset extrahere, iure immitis diceretur, non autem qui extraheret. Quin qui eiusmodi est, is charitatem etiam euertit. Siquidem scriptum est: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: Qui autem diligit, instanter erudit.* Matth. 5. Ibid. 12. Prou. 13. Rom. 2. 1. Cor. 15. Arg. à simili. Prou. 13.

Interrogatio v.

Quomodo debet aliquis pœnitentiam agere de singulis peccatis, & cuiusmodi fructus ostendere dignos pœnitentia?

Responsio.

NImirum si similem illius animum induerit, qui dixit: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*, & ea præstiterit, quæ scripta sunt in sexto psalmo, & aliis pleriſque, & si ea fecerit, quæ pro alio, qui peccauerat, facta ab iis fuisse Apostolus testatur, qui secundum Deum contristati fuerant: *Ecce enim*, inquit, *hoc ipsum secundum Deum contristatos esse vos, quantam in vobis operatum est sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negocio.* Et si, vt Zachæus, commissa peccata contrarijs rectè factis multis compensent. Psalm. 118. Psalm. 6. 2. Cor. 7. Luc. 19.

Interrogatio vi.

Qui verbo fatetur se pœnitere, in peccato tamen perseueret adhuc, cuiusmodi hic existimari debet?

Responsio.

DE hoc, qui huiusmodi sit, scriptum illud existimo, *Si rogauerit te inimicus tuus grandi voce, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.* Et alio in loco: *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum & eo † odibilis fit, sic homo propria malicia reuersus ad peccatum suum.* Prou. 26. Ibidem. † μισητὸς γένηται.

Interrogatio vii.

Quod est eorum iudicium, qui peccantes defendunt?

Responsio.

GRauius illo opinor, de quo dictum est: *Expedit ei vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.* Siquidem non iam obiurgationem ad correctionem, sed defensionem ad confirmationem peccati accipit ille qui peccauit: & alios ad similia flagitia excitat. Ex quo fit vt nisi fructus pœnitentia dignos ediderit, qui alium defendit, in eum conueniat illud, quòd à Domino dictum est: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, & non totum corpus mittatur in gehennam.* Luc. 17. Matth. 5.

Interrogatio viii.

Quomodo suscipi debet, quem verè pœniteat?

Responsio.

QVemadmodum Dominus docuit, cum dixit: *Quòd conuocat amicos & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Luc. 15.

Interrogatio ix.

Aduersus eum, qui obstinatè pergat peccare, quomodo erimus animati?

Responsio.

EO nempe, quo Dominus iussit, cum dixit: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, & vt Apostolus docuit, cum scripto reliquit: *Vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam accepistis à nobis.* Matth. 18: 2. Thess. 3.

Interrogatio x.

Anima, quæ in multis peccatis miserè volutata fuerit, quo timore, & quibus lacrymis recedere debet à peccatis: & qua spe, quaue affectione accedere ad Deum?

Responsio.

PRimum quidem ea malè antè actam vitam suam odisse debet, eiusque memoriam abhorrere ac detestari. Scriptum est enim: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*, deinde etiam timoris quidem magistram sibi asciscere comminationem æterni iudicij, supplicijsque: lacrymarum autem locum pœnitentiæ opportunum eo modo, quo docuit Dauid in sexto psalmo, firmissimè credens purgationem peccatorum suorum factam esse per sanguinem Christi in magnitudine misericordiæ, & multitudine miserationum Dei, & vt ille qui dixit: *Quod si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erũt.* Tunc enim nacta facultatem ac potestatem placendi Deo, illud dicit: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* & illud: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, & dirupisti saccum meum, & circundedisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea.* Atque ita ad Deum accedens canit ac dicit: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.* Psalm. 118. Esa. 1. Psalm. 29. Ibidem. περιέζωσας. Psalm. 29.

Interrogatio xi.

Qua ratione quis assequi possit, vt aduersus peccata odium concipiat?

Responsio.

VBique tristis & acerbus rei cuiusque euentus odium aduersus eos conciliat, qui eius autores fuerunt. Si cui igitur persuasum sit, quot & quàm grandium malorum causa peccata sint, † sponte sua ipse, & ex animo aduersus ea odium concipit, eiusmodique, quale is indicauit, qui dixit: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* † ἀυτομάτως καὶ σφοδρῶς. Psalm. 118.

Interrogatio xii.

Quomodo certò persuasus esse aliquis potest, Deum sibi peccata remisisse?

Peccatorum condonatio quibus argumentis internoscitur.

Responsio.

NEmpe si affectionem animi in se esse animaduerterit similem illius, qui dixit: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Deus enim pro remissione peccatorum nostrorum demisso vnigenito filio suo, quantum in ipso est, ea ante iam omnibus condonauit. Quoniam autem misericordiam Psal. 118. Psalm. 110.

ricordiam & iudicium sanctus vir canit, & testatur, Deum misericordem esse & iustum, necesse est, vt quæ & à Prophetis, & ab Apostolis, suis locis, de pœnitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitiæ Dei, & misericordia eius consummetur ad condonationem peccatorum.

INTERROGATIO XIII.

Nunquid qui post baptismum peccauerit, desperare salutem suam debeat in maxima multitudine peccatorum: vel vsque ad cuiusmodi mensuram peccatorum sperandum sit in bonitate Dei per pœnitentiam?

RESPONSIO.

Nunquam desperandum & quatenus sperandum.

SI fieri potest, vt multitudo miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordiæ mensura vlla comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeatur sanè, si libet, desperatio. Si autem hæc & magnitudine possunt & numero definiri (Misericordia autem Dei, & miserationes neque magnitudine vlla possunt, neque numero circunscribi) sine dubio non est cur desperatio adhibenda sit: sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda, quorum condonatio proposita est in sanguine Christi, sicut scriptum est. Quòd autem nequaquam desperandum sit, hoc variè multis in locis docemur: maximè autem ex ea parabola Domini nostri *Luc. 16.* Iesu Christi de filio, qui acceptam à patre substantiam flagitiosè totam prodegerat. Cuius pœnitentia qualis, quantæque lætitiæ causa fuerit, testimonio sunt ipsa verba Do- *Esa. 1.* mini. Quin & per Esaiam dicit Deus: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, quasi lana alba erunt.* Quod quidem verum tantummodo debemus intelligere, si modus pœnitentiæ ex animi affectione peccatum detestante, memorabilis consequatur, sicut scriptum est in veteri ac nouo Testamento: & fructus condignus, quemadmodum dictum est in ea, quæ de hoc est, interrogatione.

INTERROGATIO XIV.

Ex cuiusmodi fructibus iudicari debet veram pœnitentiam esse eorum, quos pœnitet?

RESPONSIO.

MOdus pœnitentium, & affectio animi recedentium à peccato, & studium dignorum fructuum pœnitentiæ, dicta sunt † suis locis.

† *Habes de τῷ ὁς ᾧ. ἀ. ἠθικῶν.*

INTERROGATIO XV.

Matth. 18. *Quid est illud*, Quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei? *& cuiusmodi ea peccata sunt, quæ in mea potestate est dimittere?*

RESPONSIO.

POtestas dimittendi non absolute data est: sed si dicto audiens fuerit, qui pœnitens sit, & consenserit cum eo, qui animam ipsius curat. De iis enim qui eiusmodi sunt, *Ibidem.* scriptum est: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quancumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Iliud autem de cuiusmodi peccatis hoc intelligi debeat, ne quæri quidem arbitror oportere: cum Testamentum nouum nihil hac de re nobis distinctè tradiderit: sed prorsus cuiuscumque peccati condonationem iis, quos verè, & vt par est, pœnituerit, polliceatur: & maximè Dominus ex propria persona pollicitus sit de omni re.

INTERROGATIO XVI.

Quid est quòd nonnunquam animus, etiam nullo à se adhibito studio, sua sponte ferè, tanquam si ei dolor aliquis incidisset, compungitur: interdum autem adeo † languidus est, vt cum maxime conetur, compungi non possit?

† ἄπονός ἐστι ψυχή.

RESPONSIO.

ENim vero talis compunctio est donum Dei, vel ad extimulandum mentis nostræ desiderium, vt videlicet animus gustata dulcedine huiusmodi doloris, eum perpetuo studeat retinere: vel ad id manifestè demonstrandum, posse animum adhibito diligentiore studio, assiduè in compunctione esse, ad eripiendam excusationem negligentiæ iis, qui illam amiserint. Illud autem conari, & non posse, simul & negligentiam nostram, qua alio tempore vsi sumus, manifestè arguit (neque enim fieri potest, vt homo cum ad aliquid aggressus sit, repente illud sine commen- Γνώμη. tatione, & maiore quadam, & assidua exercitatione obtineat) simul etiam indicio est animum esse in dominatu aliorum vitiorum, ab iisque nequaquam permitti, vt ad ea, quæ vellet, liber sit: quod his verbis vidisse se Apostolus declarauit: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccatum.* *Rom. 7.* *Non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio.* Et item, *Nunc autem non iam ego operor illud, sed quod habitat in me pecca-* *Ibidem.* *tum,* quippe cum Deus hoc etiam nobis ad vtilitatem nostram euenire permiserit, quo videlicet, si fieri posset, per ea quæ animus inuitus patiatur, in cognitionem veniat *2. Tim. 2.* eius, in cuius potestate sit: & vbi ad seipsum redierit, cognoueritque quibus in rebus præter voluntatem suam seruiat peccato, resipiscat ex laqueo diaboli, paratam inueniens misericordiam Dei ad eos adiuuandos, qui verè pœnitentes sunt.

INTERROGATIO XVII.

Si cui in animum memoria de assumendo cibo inciderit, deinde ipse seipsum reprehenderit, vtrum hic propterea in crimine *Matth. 6.* *illo erit, quòd solicitus fuerit?*

RESPONSIO.

SIne dubio, si memoria ista naturale edendi desiderium præuerterit, apertè arguit animum aliud agere per euagationem, & cum in res vitæ huius nimio plus esse propensum, tum etiam in iis, quæ Deo grata sunt negligentem. Veruntamen præsto etiam sic est misericordia Dei. Cuicunque enim hoc acciderit, hic, si seipsum tacitus reprehendat, ratione pœnitentiæ liberatus est à crimine: & si offensionem in reliquum cauebit, memoria tenens Domini verba illa: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi* *Ioan. 5.* *aliquid contingat.* Si verò ita cogente natura & fame stimulante, sensus memoriam mouet, & ratio tamen superat, & memoriam illam euincit industria, & in rebus melioribus occupatio, non memoria damnanda est, sed victoria laudanda.

INTERROGATIO XVIII.

Nunquid qui in fratrum conuentu aliquid aliquando deliquerit, huic si diu postea in recto instituto perseuerauerit, procuratio committi aliqua debeat: & si committenda est, cuiusmodi esse ea debet?

RESPONSIO.

MEmoria tenentes Apostolum dicere: *Sine offensione* *1. Cor. 10.* *estote Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant:* magnam adhibere debemus curam, ne quod offendiculum demus euangelio Christi, néve scandalum *Ibid. 9.* simus infirmis: sed ita tamen, vt è cõtrario, non ædificemus aliquos ad improbitatem. Quamobrem necessariò in his, qui huiusmodi sunt, illud prouideri, & considerari diligenter debet, quod ad ædificationem fidei faciat, & professionem omnis, quæ sit in Christo, virtutis.

INTERROGATIO XIX.

Si quis suspectus sit de aliquo peccato, quod tamen palàm omnino non committat, nunquid is debeat obseruari, vt manifesto in eo deprehensus teneatur?

RESPONSIO.

OMnes quæ ab iniquo & maleuolo animo proficiscuntur suspiciones, culpantur ab Apostolo. Cæte-

rum diligentiam in omnibus obseruandis adhibere in charitate Christi,& studio curandi eum, qui suspectus sit, hoc eius est,qui ei præfectus officio est,vt cunctos gubernet,vt illud efficiatur,quod dictum est ab Apostolo: *Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Coloss. 1.

INTERROGATIO XX.

Debétne is qui in peccatis aliquot deprehensus est occalluisse, eorum qui secus in fide sentiunt societatem fugere,aut etiam praue viuentium consuetudinem declinare? 2.Thess.3.

RESPONSIO.

CVm Apostolus dixerit: *Vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis*: in vniuersum illud tenendum est, communionem omnem omnis vetitæ rei, cogitatione, verbo & opere omnibus calamitosam esse & periculosam. Qui autem in peccatis diu permanserint, ij maiore etiam egent animaduersione. primum quòd animus cui peccato assuetus est, ad illud plerumque solet esse proclinior. † Deinde quòd quemadmodum in iis, qui corporibus ægrotant,diligentia quadam accuratiore,atque obseruatione maiore est opus,atque ita, vt ea sæpè etiam repudientur quæ sanis vtilia sunt:sic in iis qui animo ægrotant, obseruatione opus est & cura multo attentiore. Porro ex communitate cum peccantibus quàm magnum detrimentum sequi solitum sit, apertissimè ostendit Apostolus, qui in simili argumento dixit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Quòd si in iis,quæ ad mores spectant, labuntur, detrimentum est adeò magnum,quid de iis dicendum est, qui prauè sentiunt de Deo? quos opinionis peruersitas facit, vt nec in cæteris etiam sanitatem possint obtinere: quippe qui per ipsam *traditi sint* semel *passionibus ignominiæ*: quemadmodum multis ex locis diuinarum literarum ostenditur,sed maximè ex his, quæ de quibusdam scripta sunt in epistola ad Romanos his verbis:*Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia,tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt,repletos omni iniquitate, malicia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione,dolo,malignitate, susurrones, detractores, Deum odio habentes, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores nouorum malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione,absque fœdere, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, quod qui talia agunt, digni sunt morte,non solum ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.* Ibidem. Dogma Catholicum. † Ὁμοίωσις. Μετάφορὰ. 1.Cor.15. Rom. 1. Ibidem.

INTERROGATIO XXI.

Quæ causa est cur animus temere euagetur, & variis cogitationibus repleatur: & eas quomodo emendabimus?

RESPONSIO.

SAnè inanis quæ solet esse mentis agitatio, ea nascitur ex inertia ipsius,quandoque scilicet in rebus necessariis minimè se occupat.Iners autem ex eo efficitur mens,seque iusto plus dedit otiosæ securitati quòd Deum adesse non credit,qui scrutetur corda & renes. Si enim hoc crederet, prorsus illud faceret,quod dictum est: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi,ne commouear.* Qui verò hoc,& quæ huic similia sunt, facit, hic neque audebit vnquam, neque otij tantùm supererit cogitandi, ne eorum quidem quicquam, quæ etsi suaptè natura bona sunt,ad fidei tamen ædificationem non pertinent, nedum eorum,quæ vetita sunt,& Deo non placent. Ἀπόκρισις memorabilis. Psalm. 7.

INTERROGATIO XXII.

Vndenam turpes nocturnæ visiones nascuntur? εἰκονομουμένων.

RESPONSIO.

NAscuntur illæ quidem ex prauis, & abhorrentibus quæ interdiu existunt,animi motionibus. Si verò occupatus in iudiciis Dei animus intaminatus ab illis permanserit, & in assidua rerum honestarum & Deo placentium meditatione versatus sit, consimilia etiam sine dubio habebit † insomnia. † ἀλλοκότων ἐνυπνιάτων.

INTERROGATIO XXIII.

Ex cuiusmodi verbis ociosus sermo iudicatur?

RESPONSIO.

IN vniuersum, omne verbum quod ad propositum in Domino vsum non facit, ociosum est:& adeo magnum est huiusmodi verbi periculum,vt licet genere ipso de numero bonorum sit,quod dicatur,tamen, nisi ad ædificationem fidei dirigatur, nequaquam propterea quòd bonum sit,liber sit à periculo,qui illud locutus sit: quippe qui videlicet ex eo quod ad ædificationem illud non accommodauerit, contristasse noscitur Spiritum sanctum Dei. Hoc enim apertè docuit Apostolus,cum dixit:*Omnis sermo † malus ex ore vestro non procedat,sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et subiecit illud: *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.* Quàm autem pernicioſa res sit cõtristasse spiritum sanctum, de hoc verò quid opus est vt dicatur? Matth.12. Ephes. 4. † σαπρὸς λόγος. Ephes. 4.

INTERROGATIO XXIV.

Quid est maledictum siue conuitium?

RESPONSIO.

OMne verbum,quod eo animo profertur,vt ex eo contumelia seu ignominia alter afficiatur, maledictum est,licet verbum ipsum per se non videatur contumeliosum. Atque hoc manifestum est ex Euangelio, in iis, quæ de Iudæis loquens ait, his verbis: *Maledixerunt ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis.* Ioan. 9.

INTERROGATIO XXV.

Quid est detractio?

RESPONSIO.

DVo ego esse existimo tempora, in quibus liceat secus aliquid de aliquo dicere:videlicet, & quando necesse habet aliquis consultare vna etiam cum aliis, qui ad hoc idonei iudicati sint, quo pacto corrigendus sit, qui peccatum commisit:Et item quando necessitas poscit vt periculo consulatur aliquorum, qui sæpenumerò ex ignorantia commisceri possent cum malo tanquam cum bono: cum Apostoli præceptum sit, *Vt ne quis se cum his commisceat*, qui istiusmodi sunt,nequando capiat laqueos animę suæ,quod quidem videmus eundem Apostolum fecisse, ex his, quæ ipse ad Timotheum scribit, his verbis, *Alexander ærarius multa mala mihi ostẽdit,quem & tu deuita. Valde enim restitit verbis nostris.* Extra autem huiusmodi necessitatem,qui aliquid secus de aliquo loquitur, illius insimulandi, vel vituperandi causa detractor est,esto verum sit quod loquatur. 2.Thess. 3. 2. Tim.4.

INTERROGATIO XXVI.

Qui detrahit fratri, vel detrahentem auscultat, & tolerat, qua hic † animaduersione dignus est? † ἐξαρθῆς.

RESPONSIO.

EXterminandi à reliquorum societate ambo. *Detrahentem enim secreto proximo suo,hunc persequebar.* Et alibi dictum est:*Detrahentem nolito libenter audire, ne sustollaris.* Psalm.100.

INTERROGATIO XXVII.

Si verò antistiti etiam detraxerit,quo pacto cum illo nos geremus?

RESPONSIO.

MAnifestum est hoc quoque iudicium ex ira Dei aduersum Mariam,quando detraxit Moysi: cuius pectatum,ne ipso quidem Moyse deprecante, † inultum dimisit Deus. Num. 12. † οὐ δὲ ἀνεκδίκητον.

INTER-

INTERROGATIO XXVIII.

Si quis temeraria ac præsidenti voce & verbis contumaciæ alicui responderit, & ea de re admonitus dicat, Nihil habeo mali in corde: nunquid huic credendum est quod dicit?

RESPONSIO.

Arg. à simili. ANimi vitia non omnia manifesta omnibus sunt, ne ipsi quidem illi, in quo insunt vt & in corpore. Vt igitur in corporibus, qui harum rerum periti sunt, signa habent quædam occultorum, & illius ipsius, in quibus illi insunt, sensum fallentium morborum: sic similiter in animo etiam, esto qui peccat, is morbum suum ipse non agnoscat, *Matth. 12.* credere tamen Domino debet, qui & ipsi & cæteris similibus affirmauit, malum hominem de malo thesauro suo, corde videlicet, proferre mala. Etenim qui malus est, is bonum aliquod dictum, factúmve sæpenumero, etiam si conetur simulare, proferre non potest. Bonus autem vt malum aliquod simulet, hoc verò prorsus fieri non potest. *Rom. 12.* *Prouidentes enim bona*, inquit, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

INTERROGATIO XXIX.

Quomodo poterit aliquis non irasci?

RESPONSIO.

NEmpè si illud existimet, Deum quæ agat omnia animaduertere, eumque assiduè ob oculos habeat, & tanquam in speculo contempletur. Quis est enim alterius potestati subiectus, qui in oculis principis sui aliquid ausurus sit vnquam eorum, quę ipsi non placent? Et præterea si non illud expectauerit, dum alij pareant sibi: sed potius ita se comparauerit, vt in aliorum ipse officio sit, omnesq; seipso superiores existimet. Si enim vtilitatis suæ causa obedientiam requirit, intelligere debet, verba Domini illud præcipere, vt quilibet ipse ministret alteri. Si verò violatum Dei præceptum vindicat, sciat non esse opus iracundia, sed misericordia, & lenitate: & imitandum esse illum, *2. Cor. 11.* qui dixit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

INTERROGATIO XXX.

Quomodo amputabimus vitium prauæ concupiscentiæ? *Coloss. 3.*

RESPONSIO.

ASsiduo & flagranti desiderio explendi Dei voluntatem, talique, quale se habere indicauit, qui dixit: *Psalm. 18.* *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum, & dulciora super mel & fauum.* Semper enim desiderium rerum meliorum, quotiescunque in ipsius potestate est facultateque iis potiri quæ desiderantur, & contemnuntur, necessariò facit, vt ea contemnantur, despicianturque quæ inferiora sunt, quemadmodum sancti viri omnes declararunt: quanto autem magis ea, quæ suo genere contemnenda sunt, & plena dedecore?

INTERROGATIO XXXI.

An in vniuersum videre non liceat?

RESPONSIO.

Luc. 6. CVm Dominus eos damnet, qui in hac vita rident: admodum perspicuum est, nullum omnino locum dari fideli, in quo ridere debeat, & maximè in tam magno numero eorum, *Rom. 2.* qui per transgressionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti se dant: quorum vicem mœrere, ac gemere conuenit.

INTERROGATIO XXXII.

Quæ causa est intempestiuæ, & immodicæ dormitationis: & qua ratione ipsam poterimus à nobis depellere:

RESPONSIO.

SAnè istiusmodi dormitatio nascitur, quotiescunque animum nostrum in cõtemplatione rerum diuinarum A sinimus veluti lentescere, ac Dei iudicia contemnimus: ipsam autem depellimus, quotiescunque veram, atque eiusmodi, vt par est, de Dei maiestate notitiam cogitationemque concipimus, & desiderium illius perficiundæ voluntatis, velut ille, qui dixit: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* *Psalm. 131*

INTERROGATIO XXXIII.

Quomodo conuinci aliquis possit, quòd placere hominibus studeat?

B RESPONSIO.

NImirum quando apud laudantes studium præ se fert, apud vituperantes verò lentior efficitur. Si enim verè habet in animo placere Domino, idem vsque erit vbique: & illud efficiet, quod dictum est: *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores, & veraces.* *2. Cor. 6.*

INTERROGATIO XXXIV.

Quomodo poterit quis captandæ humanæ laudis vitium declinare neque iam suspicere, aut miraculi loco admittere eas laudes, quæ ab hominibus sunt?

C RESPONSIO.

SI sibi certò persuaserit, vbique Deum adesse: & si assiduè vsque, ac solicitè placere studeat Deo: & si ardenter eas, de quibus Dominus locutus est, beatitudines concupiscat. Siquidem est nemo qui cum in oculis Domini sit, cum illius dedecore, conseruo suo malit gratiosus esse quam illi, ac perinde ad propriam condemnationem vagus mente distrahatur.

D INTERROGATIO XXXV.

Quibus signis † superbus esse aliquis cognoscitur, quomodòve sanatur? † μετεωρίζεται.

RESPONSIO.

COgnoscitur ille quidem ex eo, si ea quærat, vnde cæteris superior sit. Sanatur autem, si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit: *Dominus superbis resistit.* Illud tamen *Iac. 4.* intelligendum est, vt quis superbiæ iudicium extimuerit, non posse tamen ab eo morbo sanari, nisi se à studiis omnibus excellentiæ reliquorum auocauerit: quemadmo- E dum idioma quoduis aut cuiusuis generis artem nemo Ομοίωσις. possit dediscere, qui non se prorsus remouerit, non modo à faciendis, aut loquendis rebus illis, quæ sint ex arte illa, & lingua, sed ab audiendis etiam qui loquantur, & qui faciant aspiciendis. Quod quidem etiam in quouis alio vitio obseruari debet.

INTERROGATIO XXXVI.

An quæri honos debeat?

RESPONSIO.

F REddere quidem cui honorem, iussi sumus: quærere *Rom. 13.* autem honorem, vetiti: cum Dominus dixerit: *Quo- Ioan. 5.* *modo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Ex quibus verbis intelligitur, quòd gloriam ab hominibus quærere manifestissimum est argumentum infidelitatis, & animi alieni à cultu Γνώμη. Dei: cum Apostolus dixerit: *Si adhuc hominibus placerem,* *Galat. 1.* *Christi seruus non essem.* Quod si qui delatam sibi ab hominibus gloriam acceperunt, sic condemnati sunt: sine controuersia qui vltro non delatam ipsi inquirunt, grauissimo, suprà quàm dici possit, iudicio plectentur.

INTERROGATIO XXXVII.

Qui piger est ad mandatum, quomodo is ita poterit excitari, vt gnauus sit?

RESPONSIO.

NEmpe si ei persuasum sit, vbique Dominum Deum adesse, & omnia cernere, & comminationem illam veram esse, quæ facta est aduersus pigrum: & similiter contrà, spem magnæ futuræ mercedis ab illo, qui per Paulum pollicitus est, accepturum vnumquemque propriam mercedem secundum laborem suum, & quæcunque in hanc sententiam scripta sunt, ad studium vniuscuiusque, siue patientiam excitandam ad gloriam Dei.

Matth. 25. *1. Cor. 3.*

INTERROGATIO XXXVIII.

Si fratri aliquid imperatum sit, & is primò contumaciter responderit, deinde sponte sua ipse ad exequendum imperatum abierit, quid cum eo faciendum est?

RESPONSIO.

IN eo quidem, quod contumaciter responderit, tanquam contumax, & exemplo suo alios ad contumaciam instigans, intelligatur obnoxius esse iudicio illi, *Homo omnis peruersus suscitat lites, Dominus autem angelum crudelem immittit contra eum.* Tibi proinde persuadeto quòd quidquid siue contumaciæ adhibet, siue obedientiæ, non aduersus hominem adhibet, sed aduersus ipsum Dominum, qui dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*: compunctusque, satisfacito primùm: deinde si potestas facta sit, quicquid necessarium fuerit, perficito.

Pron. 16. *Ibidem 17.* *Αντιλόγιας.* *Luc. 10.*

INTERROGATIO XXXIX.

Si autem dicto audiens fuerit aliquis, murmurauerit tamen?

RESPONSIO.

CVm Apostolus dixerit: *Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus*: abalienatus est etiam qui murmurat, à coniunctione fratrum, est similiter opus eius ab vsu illorum. Planeque qui huiusmodi est hunc & diffidentiæ, & circa spem ambiguitatis morbo apparet laborare.

Philip. 2.

INTERROGATIO XL.

Quid si frater fratrem contristauit, quomodo is corrigi debet?

RESPONSIO.

SI quidem eo modo contristauit, quemadmodum Apostolus, cum dixit: *Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis*: non correctione indiget, qui contristauit: sed qui contristatus est, is proprietates eius quæ ex Deo est tristitiæ debet præ se ferre. Si vero in his contristauit, quæ indifferentia sunt, meminerit is qui contristauit, dixisse Apostolum: *Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas*: & agnito huiusmodi peccato, impleat quod dictum est à Domino: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc accedens offer munus tuum.*

2. Cor. 7. *Rom. 14.* *Matth. 5.*

INTERROGATIO XLI.

Quid si satisfacere nolit, qui contristauerit?

RESPONSIO.

EA aduersus ipsum exequi debemus, quæ à Domino de eo dicta sunt, qui peccauerit, & pœnitentiam non egerit, his verbis: *Si autem etiam ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Matth. 18.

INTERROGATIO XLII.

Quid si parato ad satisfactionem eo qui contristauerit, redire in gratiam nolit qui contristatus sit?

RESPONSIO.

MAnifestum est Domini iudicium aduersus hunc in parabola illa serui aduersus conseruum suum, qui rogatus cum animum nollet inducere vt patientiam adhiberet, *Videntes*, inquit, *conserui eius, narrauerunt Domino suo. Iratus autem Dominus, pristinam gratiam in eum suam reuocauit, & tradidit illum tortoribus, quoadusque redderet quod debebat.*

Matth. 18.

INTERROGATIO XLIII.

Quomodo quis debet auscultare ei qui se ad orationem expergefaciat?

RESPONSIO.

SI quis perspectum habet detrimentum quod ex somno nascitur, videlicet quod neque se ipsum tum viuere aliquis sentit, contráque vigiliæ emolumentum intelligit, maximeque excellentem supra modum quam adipiscitur quis gloriam, quandocunque ad Deum, vt ipsum oret adducitur: is veluti qui se magnis, & votum omne superantibus beneficiis afficiat, illi auscultabit, qui se expergefaciat, siue ad orationem, siue ad aliud quoduis mandatum.

INTERROGATIO XLIV.

Si vero tristari visus fuerit, qui expergefactus sit, vel etiam irasci, qua hic re dignus est?

RESPONSIO.

PRimo quidem segregatione ad aliquod tempus, in odiaque si forte ea re compunctus possit intelligere, quam magnis, qualibusque semetipsum bonis, non animaduertens priuet: atque hoc modo ad seipsum reuersus, simili in gratia lætetur atque ille qui dixit: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Si verò non sentiens permaneat, prorsus is à reliquo corpore veluti putrefactum ac penitus vitiatum membrum præciditor. scriptum est enim: *Expedit tibi, vt vnum pereat membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*

Psalm. 76. *Ομοίωσις.* *Matth. 5.*

INTERROGATIO XLV.

Si quis eo audito quod Dominus dixit: Quòd seruus qui cognouerit voluntatem Domini sui, & non fecerit, neque se præparauerit ad voluntatem illius, vapulabit multis: qui autem non cognouerit, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis, *multiplicem Dei voluntatem cognoscere neglexerit, nunquid propterea hic per eam ignorantiam nonnihil decerpet consolationis?*

Luc. 12.

RESPONSIO.

QVi huiusmodi est, de eo verò negari non potest, quia ignorantiam fucatè prætexat, ac simulet, ac propterea peccati iudicium euitare non potest. *Si enim non venissem,* inquit Dominus, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Nunc autem excusationem non habent de peccato suo: cum sanctæ literæ omnibus vbique Dei voluntatem prædicare non cessent. Quare non tanquam vnus de numero eorum qui ignorantes fuerunt leuiore supplicio multatur, qui eiusmodi est: sed seuerius iudicatur, vt vnus de numero illorum, de quibus scriptum est: *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Cæterum cui docendi munus commissum est, is si annunciare neglexerit, perinde vt homicida iudicatur, sicut scriptum est.

Ioan. 15. *Psal. 57.* *Ezech. 33.*

INTERROGATIO XLVI.

Qui ad committendum peccatum cum altero consentit, nunquid hic peccati reus sit?

RESPONSIO.

IVdicium hoc perspicuum est ex verbis Domini ad Pilatum, quando dixit: *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.*

Ab exemplo arg. Ioan. 19.

habet. Ex hoc enim manifestè intelligitur Pilatum quoque consentientem ijs qui illum tradiderant, peccatum habuisse, licet non ita graue. Perspicuum etiam Adam hoc facit, qui cum Eua consenserit, & Eua ipsa consenserit serpenti. Neuter enim istorum tanquam innocens impunitus dimissus est. Quin ipsa quoque Dei aduersus ipsos indignatio, si quis diligenter obseruet, hoc indicat. Cum enim Adam loco excusationis illud prætendisset, *Mulier*, † *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: respondit Deus, *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in operibus tuis*, &c.

Gen. 3. † μετ' ἐμοῦ.

Interrogatio xlvii.

Nunquid aduersus peccantes dissimulatione vti conueniat?

Responsio.

Sanè quòd hoc fieri non debeat, perspicuum est ex præceptis Domini, qui in veteri quidem Testamento dixerit, *Correptione corripies fratrem tuum, & non sumes propter illum peccatum.* In euangelio autem, *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem etiam ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Porrò peccati istius iudicium quam graue sit, intelligi potest primo quidem ex sententia Domini, qui in vniuersum loquens, dixit: *Qui non obedit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, tum ex historijs etiam quæ feruntur tam in veteri quam in nouo testamento. Animaduerte enim quando Achan furatus est regulam illam auream, & † indumentum illud, quomodo in cunctum populum sæuierit ira Domini: quodque maius est, qui etiam delicti authorem & delictum ipsum ignoraret, vsque dum is ipse quem dixi manifesto deprehensus est, & horribile illud vnà cum suis omnibus exitium subiuit. Heli verò quamuis nequaquam dissimulanter scelus tulisset filiorum suorum, illorum inquam filiorum pestilentiæ, contraque sæpè illos ab eo deterrere fuisset conatus, dixissetque. *Non filij, non est bona fama quam audio de vobis*: ac longiore oratione & magnitudine sceleris, & necessitatem ineuitabilis iudicij demonstrasset: quia tamen de illis non meritas pœnas sumpserat, neque eo modo quo æquum erat, aduersum ipsos indignatus fuerat, vsque eò Dei iracundiam irritauit, vt & populus vna cum filijs ipsius internecione absumptus sit, & arca ipsa capta in hostium potestatem deuenerit, & sub hæc omnia, ipse mirabili exitu vitam terminauerit. Quòd si aduersus eos qui sceleris authori conscij non fuerant, & eos qui adhibita contestatione peccantes à peccato auertere conati fuerant, Dei vehemens adeo ira exarsit, quid de ijs dicendum est, qui & conscij sunt, & conuenientes dissimulant? qui quidem nisi ea præstiterint, quæ in epistola ad Corinthios ab Apostolo scripta sunt, his verbis, *Quare non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit?* & quæ deinceps ipsos fecisse idem Apostolus testatur, cum ait, *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristatos esse vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam?* hi inquam nisi hæc omnia præstiterint, prorsus periculum est, ne nunc etiam omnes simile exitium incurrant, vel eò grauius etiam, quo grauius peccat is, qui Dominum spernit, quam qui legem Moysi irritam fecerit, & qui idem audet cum eo, qui ob eandem causam antè damnatus sit. *Septuplum enim vltio data est de Cain: de Lamech verò septuagies septies*, qui simili in peccato lapsus fuerat.

Leuit. 19. iuxta LXX. Matt. 18.

Ioan. 3. Argum. ab exemplo. Iosue 7. † ψιλὸν, aliàs χολήν.

1. Reg. 2.

Confirmat authoritate.

1. Cor. 5.

2. Cor. 7.

Heb. 10.

Genes. 4.

Interrogatio xlviii.

Immoderata habendi cupiditas quatenus iudicari debet?

Responsio.

Quando quis vltra præscriptos à lege fines prodierit, nimirum is tunc in hoc vitio esse iudicandus est. Est autem hoc in veteri quidem Testamento, quandocunque quis de seipso magis, quàm de proximo solicitus est. Scriptum est enim, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* In euangelio vero, quandocunque quis præter id, quod singulorum dierum necessitas desiderat, sui causa vlterius aliquid inquirit: velut is, cui dictum fuit, *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Quibus magis in vniuersum adiungit, *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dues.*

Leuit. 19.

Luc. 12. κατὰ ὁλικώτερον.

Interrogatio xlix.

Quid est περπερεύεσθαι, hoc est impotenter gloriari & se ostentare?

1. Cor. 13. Latinus interpres vertit, perperam agere.

Responsio.

Omne, quod præter necessitatem est & ad humanę gloriæ aucupium assumitur, id perperia, id est, * ostentatio appellatur.

* περπέρεια.

Interrogatio l.

Si quis in vestitu, quæ maioris sint sumptus reijciat, ipse autem id quod vile sit, veluti vestimentum, calceamentumve, velit se decere, in vitione est is? & si est, cuiusmodi illud est?

Responsio.

Qui iccirco vult quod se deceat, vt hominibus placeat, hunc perspicuum est, vitio illo laborare, quod placere hominibus studet, & propterea mentem habere auersam à Deo, & in ipsis etiam ijs, quæ vilis precij sunt, perperię, hoc est, ostentationis vitio indulgere.

Interrogatio li.

Quid est Raca?

רק vacui cerebri, sine intellectu, vel scurra.

Responsio.

Vernaculum verbum contumeliæ lenioris, quod aduersus † leuiusculos vsurpatur.

Matt. 5. † ὀλιγοστέρους.

Interrogatio lii.

Cum Apostolus dicat aliàs quidem, Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: *aliàs autem*, Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; *quis est inanis gloriæ cupidus? & quis hominibus placens?*

Galat. 6 Ephes. 6.

Responsio.

Equidem inanis gloriæ † cupidum existimo esse illum, qui simplicis tantummodo gloriæ mundanæ causa, quæ vel à spectantibus, vel ab audientibus ipsi nascitur, aliquid facit, dicitúe. Hominibus placentem autem, quicunque ad voluntatem alicuius hominis, vt ipsi placeat, aliquid facit, licet culpabile sit quod fiat.

† κενόδοξος τις.

Interrogatio liii.

Quid est inquinamentum carnis, & quid inquinamentum spiritus: & quomodo ab ijs mundi erimus? Item, quid est sanctificatio, quomodove ipsam assequi poterimus?

2. Cor. 7.

Responsio.

Inquinamentum † carnis, fortasse illud sit, si quis se commisceat cum ijs, qui res à lege vetitas ipsi faciunt: spiritus verò inquinamentum, si quis aduersum hos, qui res huiusmodi vel sentiunt, vel faciunt, perinde ac si † nihil referret, ita se gerunt. Mundus autem efficitur aliquis, quando obtemperat Apostolo, qui præcepit: *Cum huiusmodi homine ne cibum quidem vnà esse simul sumendum*, & quæcunque sunt in hãc sententiam: vel quando in se eam, de qua loquitur Dauid, affectionem illam animi senserit, *Defectio tenuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam*: & dolorem talem præ se tulerit,

† μολισμὸς.

† διαφωρεῖν.

1. Cor. 5:

Psal. 118.

2.Cor.7. tulerit, qualem præ se tulerint Corinthij, quando obiurgati sunt, quòd aduersus illum qui peccauerat, lente se gesserant, quippe qui in omnibus exhibuerint se incontaminatos esse negocio. Sanctificatio autem est, Deo ex toto continenter dedicatum adhærere, ijs solicite exquirendis, & in studio habendis, quæ ipsi grata sint. Siquidem etiam in his quæ dona Deoofferuntur, ea repudiantur vt minimè grata, quæ curta aut mutila sunt: aut quod semel Deo dedicatum donum est, id deinceps in communem vsum humanum retrahere, nefarium est ac sceleratum. A

Interrogatio LIV.

1.Tim.3. † φιλαυτία. *Quid est amor suiipsius, & quomodo seipsum talem cognoscit, qui † suiipsius amans est?* B

Responsio.

Ioan. 12. † καταχρηστικῶς pleraque in sacris dicuntur φίλαυτος. MVlta impropriè dicuntur, veluti illud, *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mũdo, in vitam æternam custodit eam.* † Amans igitur suiipsius est qui seipsum amat, priuato & immodico amore. Talem autem se esse quis cognoscit, si quæ facit, ea commodi sui causa facit, licet quod fiat ex mandato sit. Nam illud, quietis suæ causa aliquid omittere eorum, quæ ad vtilitatem fratris pertineant, siue animi illa quies sit, siue corporis, iam hoc quibusuis etiam alijs perspicuum est vitium esse amoris suijpsius, cuius finis perditio. C

Interrogatio LV.

Non seruauit proprietatem verborum apud nos Latinus interpres. *Quæ differentia est inter amaritudinem, furorem, iram, & excandescentiam?*

Responsio.

† ὀργὴ θυμός excandescentia, indignatio, παροξυσμος exacerbatio, irritatio. † πικρία. Psal. 4. Psal. 57. Act. 12. FVroris † quidem & iræ differentia fortasse in animi affectione, & motu consistit: cùm qui irascatur, in sola animi † affectione perturbationem habeat: quemadmodum apertè docet is, qui dixit, *Irascimini, & nolite peccare.* Qui autem furit, maius nescio quid etiam præ se ferat. *Furor enim ipsis*, inquit, *secundum similitudinem serpentis.* Et, *Herodes erat furenter pugnans aduersus Tyrios & Sidonios.* Porrò vehementior ille, qui ex furore existit motus, † excandescentia nominatur. Amaritudo autem confirmationem perturbationis acriorem quandam significat. D

Interrogatio LVI.

Luc. 14. Luc. 18. Rom. 9. 2. Tim. 3. 1.Tim.3 τετυφωμένος. † ὑψηλόφρων qui & περυσιαμένος inflatus. Rom. 12. † ἀλαζὼν, arrogans, elatus. Luc. 18. 1.Cor. 4. Philip. 3. † ὑπερήφανος superbus. 1.Tim. 3. † τετυφωμένος tumidus, fastuosus & pro superbo. 1.Tim 6. *Cum affirmatè Dominus dixerit*, Qui se exaltat, humiliabitur: *& item Apostolus præcipiat*, ne altum sapiamus: *& alio in loco dicat*, Elati, superbi, in superbiam elati: *& item*, Charitas non inflatur: *quis est altum sapiens, & quis elatus, & quis superbus, & quis in † superbiam elatus, & quis inflatus?* E

Responsio.

SAnè mea quidem sententia, is altum sapiens dicendus sit, qui ipse † seipsum extollit, qui propter rectè facta sua magnificè de seipso sentit, seseque effert, more illius Pharisæi, & non cum humilibus consentit. Idem etiam ritè dici possit inflatus, quòd Corinthijs quibusdam crimini datum est. † Elatus autem, qui non ambulat in sancitis institutis, neque illud exequitur, quod est apud Apostolum, *vt in eadem regula ambulemus, & idem sentiamus*: potiusque propriam suam quandam iustitiæ, ac pietatis viam cõminiscitur. † Superbus autem, qui in his quæ habet, magnificè se iactat, & suprà, quàm est, studet apparere. In superbiam autem elatus, vel fortasse idem est cum superbo, vel omnino non longè ab hoc distat: conuenienter illi, quod dictum est ab Apostolo, *In superbiam elatus est, nihil sciens.* F

Interrogatio LVII.

Si quis vitium aliquod habeat, quod emendari non possit, & de eo frequentius reprehensus, lædatur, an id ei condonari magis expediat?

Responsio.

Matt. 18. HOc etiam alibi dictum est, peccantes adhibita lenitate corrigi oportere eo modo, qui à Domino subindicatus est. Quòd si ad id, vt resipiscat, plurium reprehensio & obiurgatio satis non fuerit, quemadmodum Corinthio illi: qui eiusmodi est, is haberi velut ethnicus debet. Porrò qui à Domino condemnatus sit, eum pati in societate cum alijs manere, id nullo modo cuiquam tutum est: cum Dominus dixerit, expedire vt quis oculo vno, vel manu vna, vel pede vno amisso intret in regnum, quàm ex eo, quòd alicui horum membrorum pepercerit, totus mittatur in gehennam ignis, *vbi est fletus & stridor dentium*: & Apostolus testificetur, *modicum fermentum totam massam corrumpere.* *Matth.5.* *1.Cor. 5.* *Gala.5.*

Interrogatio LVIII.

Vtrumne is vt mendax iudicatur tantummodo, qui de industria mentitus sit: an etiam qui ex ignorantia quiduis præter veritatem locutus sit?

Responsio.

SAnè iudicium Domini in ijs etiam, qui ex ignorantia peccant, perspicuum est, ex illis verbis, *Qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Vbique autem condignè acta pœnitentia firmam spem habet remissionis. *Luc. 12.*

Interrogatio LIX.

Si quis cogitauerit tantummodo aliquid facere, nec fecerit, an & hic tanquam mendax iudicetur?

Responsio.

SI ex mandato est, quod facere cogitauit, non vt mendax solùm, sed vt contumax etiam condemnatur. *Scrutans enim corda, & renes Deus.* *Psal.7.*

Interrogatio LX.

Si quis ante facturum se aliquid constituerit eorum, quæ Deo non placent, vtrum huic potius faciendum est, reuocandumne quod malè constituit, an metu mendacij committendum peccatum?

Responsio.

CVm Apostolus dicat de seipso, *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis*, & Dominus ipse de se † confiteatur, ac dicat, *Non possum ego à me facere quicquam.* & item, *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor* & alio in loco, *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatẽ eius qui misit me patris*, culpam suam agnoscere debet, qui huiusmodi est, primum quidem, quòd sua sponte ipse constituere aliquid ausus fuerit, cuiuscunque omnino generis illud sit (neque enim ipsa etiam, quæ suo genere bona sunt, ex proprio arbitrio geri conuenit) deinde etiam ac multo magis, quòd rem Dei voluntati contrariam statuere non sit veritus. Quòd autem rescindendum sit quicquid præter præceptum Domini antè statutum sit, apertè hoc demonstratur in Apostolo Petro, qui antè ipse statuerat, ac dixerat, *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Vbi verò affirmatè audiuit Dominum dixisse, *Nisi lauero te, non habebis partem mecum*: confestim sententiam mutauit, ac dixit, *Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput.* *2.Cor. 3.* *Ioan.5.* *Ioan. 14.* *Ioan. 6.* † μετανοῆσαι. *Ioan. 13.*

Interrogatio LXI.

Si quis neq; laborare, neq; psalmos discere velit, quid de eo fieri debet?

Responsio.

CVm Dominus in parabola de infœcunda illa ficu dixerit, *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* adhibenda quidem omnino aduersus eum omnis diligẽtia est. Verùm si auscultare nolit, quod de eo præceptum est, qui obstinatè in peccato permanet, etiam in hoc obseruari conuenit. Qui enim à rebus bonis ociosus est, is vnà cum diabolo & angelis eius iudicatur. *Luc. 13.* *In agro dominico ficus sterilis succidenda ab radice.*

Interrogatio LXII.

Quid est, quod cum fecerit quis simile atque is, qui talentum occultauerat, iudicio condemnatur?

Responsio.

QVi cuiusuis generis beneficium Dei, apud se compressum tenuerit, vt eo ipso potiatur, neque id ad alio-

rum

rum etiam vtilitatem contulerit: is, vt talentum occultans, condemnatur?

INTERROGATIO LXIII.

Matt. 10. *Quid est, quod cum fecerit quis, condemnatur vt ij, qui murmurauerunt aduersus nouissimos?*

RESPONSIO.

VNusquisque ob proprium suum peccatum damnatur: ita & qui murmurauerint, ob murmurationem. Verum sæpè alij alia de causa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quòd vnde ventrem suo more distendant, non habent (vt qui gulæ præter modum dediti sunt, & ventrem faciunt Deum suum) illi vero, quod in pari honore habeantur cum his, qui nouissimi sunt: in quo apertè indicio sunt ipsi de inuidia sua: quod vitium cum homicidio solet multis in locis scriptura coniungere. Alij præterea alia de causa.

INTERROGATIO LXIV.

Luc. 17. *Cum Dominus noster Iesus Christus dicat,* vtilius est ei, vt imponatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis: *quid est scandalizare? aut quomodo id euitare poterimus, ne adeo horribile iudicium veniat in nos?*

RESPONSIO.

Ab exemplo confirmatio. Gen. 3. SAnè scandalizat quidem aliquis, quandocunque dictis, factisue legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit: vt serpens Euam, & Eua Adam. Vel quãdocunque prohibet exequi voluntatem Dei: vt Petrus Dominum, quãdo dixit, *Matt. 16.* *Absit à te Domine, non erit tibi hoc,* cui tum dictum est, *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum, quæ vetita sunt: conuenienter illi quod scriptum est ab Apostolo his verbis, *1. Cor. 8.* *Si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Quibus illico adiungit, *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Oritur autem scandalum pluribus ex causis. Vel enim ab eo qui scandalizat, scandalum nascitur: vel ab eo, qui scandalizatur, causa proficiscitur, cur scandalizetur, atque in his item, non vno atque eodem modo. Aliquando enim ex malicia, aliquando autem ex inscitia vel huius, vel illius. Est præterea, quando in ijs, quæ rectè vel dicuntur, vel fiunt eorum, qui scandalizantur, malicia magis declaratur. Aut enim mandatum Dei aliquo faciente, aut his, quæ in libera potestate posita sunt, liberè vtente, scandalizatur qui scandalizatur. Quotiescunque igitur in ijs quæ ex mandato vel fiunt, vel dicuntur homines offensionem incurrunt, & in his scandalizantur (vt in euangelio quidam in his, quæ à Domino ex voluntate patris fiebant, & dicebantur) enimuero tunc ea in memoriam nobis sunt reuocanda, quæ de huiusmodi hominibus idem Dominus respõderit, quando illũ adeuntes discipuli, sic allocuti sunt, *Matt. 15.* *Scis quòd Pharisæi, audito verbo hoc, scãdalizati sunt?* Sic enim illis respondit: *Omnis plantatio, quã non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos. Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatũ præstet, ambo in foueam cadent.* Saneq; multa huiusmodi cum in euangelijs, tum apud Apostolũ reperire quis facilè possit. Vbi verò in his, quæ posita in potestate nostra sunt, impingit aliquis, scandalizaturúe, enimuero tunc veniendũ est in memoriam eorum Domini ad Petrum verborum, quando dixit, *Matt. 17.* *Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te,* & item eorum quæ Apostolus ad Corinthios scribit, his verbis: *1. Cor. 8.* *Rom. 14.* *Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* & alio in loco, *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Quàm autem metuendum sit in his quæ videntur posita esse in potestate nostra, pati vt frater scandalizetur, docet præceptum Domini, quo in vniuersum modus omnis interdicitur scandalizandi, quando dicit: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui est in cœlis.* Quod ipsum testatur etiam Apostolus, aliàs quidem cum dicit, *Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum,* aliàs autem, cum grauius etiamnum ab huiusce modi peccato deterrens, sic dicit: *Si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirmus, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est?* quibus adiungit: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.* Quapropter *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et alio in loco cum dixisset, *An ego solus & Barnabas non habemus potestatem non operandi?* deinceps illud adiungit: *Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quòd offendiculum demus Euangelio Christi.* Cæterum cum rem adeo formidabilem esse demonstratum sit, in ijs quæ in potestate nostra posita sunt, fratrem scandalizare: quid de ijs dicendũ erit, qui rebus vetitis faciendis loquendisue scandalizent, & maximè quando vel scientia quadam maiore præditus videatur qui scandalizat vel in sacro aliquo gradu censeatur, qui cùm cæteris tanquam regula exẽplarue esse propositus debeat, si vel minimum quid neglexerit eorum quæ scripta sunt, videlicet vt aut eorum quæ interdicta sint fecerit, aut eorum quæ iussa, omiserit, aut denique huiusmodi aliquid dissimulanter præterierit, vel in hoc vno tantum iudicium commerituse st illud, quòd sanguis peccantis exquiretur de manibus eius?

Matt. 18. *Rom. 14.* *1. Cor. 8.* *Ibid.* *1. Cor. 9.* *Gradus sublimitas addit epitasin scandalo.*

INTERROGATIO LXV.

Quomodo veritatem in iustitia aliquis detinet?

RESPONSIO.

QVotiescumque datis sibi à Deo bonis ad proprias voluntates † abutitur, quod vitium in se fuisse negauit Apostolus, cum dixit: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei.* Et item, *neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neq; in occasione auaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.*

† καπηλεύοντες. *2. Cor. 2.* *1. Thess. 2.*

INTERROGATIO LXVI.

Quid est æmulatio, & quid concertatio?

RESPONSIO.

SAnè æmulatio ea est, quandocunque quis, ne altero inferior videatur, facere aliquid studet. † Concertatio autem est, quando quis ex ijs quæ ostentationis aut inanis gloriæ causa facit, etiam vt similiter faciant prouocat atque irritat. Siquidẽ Apostolus aliàs quidẽ mentione facta æmulationis, cõfestim post inanem gloriam adiungit, his verbis: *Nihil per æmulationem neque per inanem gloriam,* aliàs autẽ mentione facta prius inanis gloriæ, vnà cum hac etiam æmulationem prohibet alio nomine, sic dicens: *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes.*

2. Cor. 12. *Gal. 5.* † ἔρις, contentio, *Iis, æmulatio* ἐρίθεια ζῆλος. *Philip. 2.* *Gal. 5.*

INTERROGATIO LXVII.

Quid est immundicia, & quid ἀσέλγεια, id est lasciuia?

RESPONSIO.

IMmundicia quid sit, lex ipsa ostendit, quando vocabulum hoc vsurpauit in his rebus quæ ex naturali necessitate præter voluntatem nostram nobis eueniunt. Aselgia autem quæ sit, videtur mihi Salomon exprimere, qui suauem illam & doloris expertem appellauerit: ita vt ἀσέλγεια animi affectio sit non habens vel non ferens dolorem athleticum: quemadmodum & † incontinentia siue intemperantia ea est, quæ molestas libidines in officio continere non potest.

Marc. 7. *Gal. 5.* ἀκαθαρσία ἀσέλγεια, *lasciuiens & obscæna consuetudo stupri.* ἀκρασία.

INTER-

Interrogatio LXVIII.

Quid proprium furoris, & quid proprium indignationis ex ratione susceptæ, quomodove plerumque exorsi ab indignatione, in furorem imprudentes delabimur?

Responsio.

† θυμῷ ἴδιον. * ἀγανακτήσεως ἐυλόγου ἴδιον.

FVroris siue excandescentiæ † proprium est, animi impetus cum meditatione vlciscendi illius qui irritauerit. * Susceptæ autem ex ratione indignationis proprium est, velle corrigere eum qui deliquerit: quæ res ab animi affectione nascitur, cui displicet quod factum est. Illud autem, quòd sumpto initio à re bona animus in malam postea delabatur nihil est mirum: quando pleraque istiusmodi facilè possunt reperiri. Quocirca memoria tenenda sunt, quæ dicit diuina scriptura: *Iuxta iter scandala posuerunt mihi.* Et item: *Si autem & certet aliquis, non coronatur, nisi legitimè certauerit*, cauendaque vbique est nimietas, importunitas, perturbatioque. Siquidem hæc plerumq; causa sunt, quamobrem vnumquodque etiam eorum quæ recta iudicata sunt, secus multo eueniat.

Psal. 139. *2. Tim. 2.*

Interrogatio LIX.

Qui non minus comedat quam cæteri, neque corpore sit viribus enervato, neque vllum latentis morbi indicium præ se ferat, impotentiam tamen ad opus faciendum excuset, quomodo cum hoc agi debet?

Responsio.

PRætextus omnis cessantis ab opere, excusatio est & prætextus peccati. Siquidem studium quemadmodum & patientia, perpetuo adhiberi vsque ad mortem debent. Quòd autem pigritia maliciæ coniuncta, pigro damnationis causa sit, hoc planum est ex verbis Domini, qui dixit, *Serue male & piger.*

Matt. 25.

Interrogatio LXX.

Cum eo qui vestimentis calceamentisve abuti animaduertatur, quomodo agendum? Cum enim reprehenditur, reprehendentis se aridit atem & murmurationem suspectam habet. Si autem post alteram tertiamve admonitionem in proposito permaneat, quid huic facere conueniat?

Responsio.

SAnè abusum damnat Apostolus, cum dicit, *tanquam vtentes hoc mundo, non tanquam abutentes.* Vsus enim modum, ipsa ineuitabilis rerum ad vsum pertinentium necessitas definit. Qui autem vltra necessitatem progreditur, is aut intemperantis habendi cupiditatis, aut voluptatis libidinis, aut inanis gloriæ morbum habet. Qui autem permanet in peccato, is iudicium incurrit illius qui pœnitentiam non agit.

Aliter vertit Latinus interpres. *1. Cor. 7.*

Interrogatio LXXI.

Sunt quidam qui in cibis suauitatem magis consectantur, quàm copiam, sunt item qui saturitatis causa vbertatem malunt, quàm suauitatem. qui igitur vtrisque satisfiet?

Responsio.

VTrique sine dubio laborant: hi nimio voluptatis studio, illi immodica auiditate. Verum enim neque voluptarius, neque qui in quacunq; re nimio plus auidus est, noxiam à se repellunt condemnationis, quamobrem hi leniter curandi sunt. quòd si à morbo non conualescant, perspicuum est iudicium contra eos, qui obstinati in peccato perseuerant.

Interrogatio LXXII.

Si quis inter cœnandum immodestius se gerat, ciboq; se ac potione auidius ingurgitet, nunquid hic castigari debet?

Responsio.

QVi huiusmodi est, is non seruat præceptum Apostoli, qui dixit, *Siue manducatis, siue bibitis, vel quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Et item, *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* Et indiget correctione, nisi si qua grauioris operis aut festinationis necessitas vrgeat. Sed & tunc quoque vitanda sedulo offensio est.

1. Cor. 10. *1. Cor. 14.*

Interrogatio LXXIII.

Qui non desiderio correctionis fraternæ, sed libidine seipsum vlciscendi peccantem castigat, quomodo is corrigi debet, si sæpius clementer admonitus in eodem perseueret?

Responsio.

QVi huiusmodi est, is in eorum numero, qui seipsos valde amant, & dominandi cupidi sunt haberi debet, eiq; correctionis modus cum pietate conueniens declarari. Si verò obstinate in vitio perseueret, perspicuum est iudicium contra eos, qui pœnitentiam non agunt.

Interrogatio LXXIV.

Qui se è fratrum collegio subducunt, & vitam † seorsum ipsi soli agere in animo habent, aut vnà cum paucis eiusdem secum in pietate propositi, doceri ex sacra scriptura libenter vellemus, nunquid hos excommunicari conueniat?

† μονηρεστάτιον.

Responsio.

CVm sæpè Dominus dixerit, *Filius à seipso nihil facit.* &: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatẽ eius, qui misit me patris,* & Apostolus item testificetur, carnem concupiscere aduersus spiritum, & spiritum contrà, aduersus carnem, hæc quæ sibi inuicem aduersari, vt non quæcunq; velimus, illa faciamus: sine dubio quicquid ex propria voluntate concupiscitur, id alienum est à pietatis cultoribus. Vberius autem de ijs, qui huiusmodi sunt, in disputationibus his respondimus, quę fusius sunt disputatę.

Ioan. 5. *Ioan. 6.* *Galat. 5.* *Nimirum in responsione ad 7. interrogationem.*

Interrogatio LXXV.

Nunquid omnis peccati, siue illud in mente, siue in dicto, siue in facto committatur, causa rectè conferri in Satanam possit?

Responsio.

INvniuersum opinor Satanam non posse ipsum per se causam esse alicui vt peccet: sed cum modo insitis vnicuique à natura motionibus, modo etiam interdictis cupiditatibus velut adiutricibus, vtatur, per hæc ipsa eos, qui negligentiores sunt, ad propria vitia conatur abducere. Vtitur autem ille quidem adiutricibus secum naturalibus motionibus, sicut in Domino facere tentauit, quando esurientem illum animaduertens, dixit, *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Interdictis autem cupiditatibus, vt in Iuda, quem quòd auaritiæ morbo esse obnoxium intellexerat, huius ipsius cupiditatis opera vsus, auarum hominem ad sceleratissimæ proditionis lapsum, nummis triginta argenteis extimulauit. Quòd autem etiam mala ex nobis ipsis nascantur, manifestè Dominus ostendit: *De corde enim*, inquit, *exeunt cogitationes malæ*, &c. Hoc autem vsu venit ijs, qui ex † incuria naturalia rerum bonarum semina inculta dereliquerunt: conuenienter dicto illi Prouerbiorum, *Tanquam seges vir stultus, & velut vinea vir † indigens prudentia. Si dimiseris eum, squalebit, & herbis luxuriabit tota, & fiet derelicta.* Porrò quæ ex huiusmodi incuria in squallorem abijt, & derelicta est anima, consequens est necessariò, vt spinas ac tribulos progeneret, & ei illud eueniat, quod dictum est, *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem spinas.* De qua quidem anima illud prædictum est, *Et plantaui vineam Sorech*: quòd si interpretari velis, electam significat. Consimile autem huic, quod hic dicitur, inuenias apud Hieremiam dicentem ex persona Dei, *Plantaui te † vineam frugiferam totam veram, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis † aliena?*

Matt. 4. *Matth. 15.* † κατηχόντησιν. † γεώργιον. *Isai. 5.* *Ibid. vineæ.* שרק *Hierem. 2.* † ἄμπελος. † ἀλλοτρία.

INTER-

INTERROGATIO LXXVI.

οἰκονομίᾳ ψεύδεν. *Nunquid vtilitatis alicuius causa consultò mentiendum sit?*

RESPONSIO.

HOc sententia Domini non permittit, à quo sic præcisè dictum est, *Mendacium ex diabolo esse*, neque mendacij vlla omnino distinctio adhibita. Quin hoc idem Apostolus quoque testificatur his verbis, *Si autem & certet aliquis, non coronatur, nisi legitimè certauerit.*

Ioan. 8.

2. Tim. 2.

INTERROGATIO LXXVII.

† δόλος καὶ κακοήθεια. *Quid est † dolus, & quid est malignitas?*

RESPONSIO.

MAlignitas quidem (vt ego arbitror) ipsa est primum & latens in moribus vitium. Dolus vero, ea quæ ad insidiandum adhibetur exquisita solertia: quotiescunque videlicet quis per simulationem alicuius boni, eo alicui perinde vti esca quadam obiecto, quæ ad insidias pertinent, exequitur.

INTERROGATIO LXXVIII.

Qui sunt adinuentores malorum?

RESPONSIO.

† ἐφεύρεται. QVi præter ea, quæ vsitata, & nota vulgo sunt mala, alia quædam etiam excogitant ipsi, atque † inueniunt.

INTERROGATIO LXXIX.

Si quis frequenter seipsum reprehenderit, quòd duriter se aduersus fratrem gerat, quomodo hic emendabitur.

RESPONSIO.

PRorsus (vt quidem ego coniector) res hæc originem habet, vel ab animo de seipso elatè sentiente, vel ab animi offensione: quæ quidem offensio sumitur, cum eorũ qui rectè agere deberent, vitia animaduertimus. Quod enim præter spem boni alicuius contrarium euenit, atque acerbum, id vehementius quodãmodo animum ferit. Maiore autem hic quadam diligentia est opus: vt si quidem primum fuerit superbiæ vitium emendemus: sin secundũ, antequàm ad indignationem veniatur, leniter exhortando, admonendoque, facilitatem animi nostram declaremus. Quòd si omnino curationis ratio ista nihil proficere visa fuerit, idq; propter subiecti morbi peruersitatem, tum demum etiam vehementia indignationis, adhibita misericordia, ad vtilitatem & correctionem eius, qui peccauit, cum ratione in loco vti poterimus.

INTERROGATIO LXXX.

Vnde fit illud, quòd cogitationes bonæ, & curæ Deo placentes mentem veluti deficiunt: & qua ratione vitare poterimus, ne hoc nobis eueniat?

RESPONSIO.

Psal. 118. CVm Dauid dixerit, *Dormitauit anima mea præ tedio*: sanè perspicuum est huiusmodi vitium ex dormitatione animi nasci atq; hebetudine. Siquidem animum vigilantem, & qui apud seipsum sit, sibi vni attentus cura Deo grata, & cogitatio bona non solet deficere: Contraque potius qui eiusmodi est, illis deesse seipsum videt. Nam si corporis oculus neque ad contemplationem etiam paucarum quarumdam rerum, quæ conditę à Deo sunt esse par potest: neque si quid semel contemplatus sit, contemplatione tamen illa satiatus discedit, sed illud idem assiduè contemplari non cessat: quanto magis animi oculus, si vigilans fuerit, & apud seipsum, vniuersa non poterit mirabilia iudicia Dei cõtemplari? *Iudicia enim tua*, inquit, *abyssus multa.* Et alio in loco *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Et multa huiusmodi. Si verò animum deficit cogitatio bona, perspicuum est ipsum vnà cum cogitatione etiam illuminationem deficere: non quòd deficiat, quod illuminat: sed quòd dormitet, quod illuminari debet.

Psal. 35. Psal. 138.

INTERROGATIO LXXXI.

An æquè obiurgandi sint & religiosi viri, & quilibet de vulgo, quandocunque in eodem vtrique peccato reperiantur?

RESPONSIO.

SI inspexerimus in animi affectionem eius, qui peccat, & modum peccati, sine dubio intelligeremus etiam modũ obiurgationis. Vt enim idem peccatum esse videatur, & cuiuslibet de vulgo, & religiosi viri: inter eos tamen dissimilitudo est non mediocris. Qui enim religiosus est, is cum de ineunda gratia Dei solicitus sit, in eaque re elaboret, non de industria, sed casu aliquo, & præter animi sui sententiam labitur, caditque. Qui verò de vulgo est, & in vtramuis partem nihil pensi habet, is cum nullam neque sui, neque Dei rationem habeat, neque quicquam omnino referre existimet, peccétne, an rectè agat, grauissimis ac pernicioſissimis duobus malis laborat: videlicet, quòd aut Deum contemnit, aut tollit penitus. Siquidem hæc sunt duo, à quibus peccandi initia animus sumit: quẽadmodum testantur diuinę literæ, in quibus est modo: *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.* modo: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Igitur aut contemptor factus est, atque ea re peccat, aut ipsum Deum esse inficiatur, atque ob eam causam in studijs suis corrumpitur, licet verbo confiteri videatur. *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant.* Quæ cum ita se habeant, etiam rationem obiurgationis in his, qui huiusmodi sunt, dissimilem esse arbitror oportere. Si quidem vir religiosus veluti locali (vt ita dicam) indiget subleuatione, & in ipsa re, in qua lapsus est, castigari debet. At ille alter, cum totum simul animi rectũ penitus vitiatum habeat, & malis ijs, quibus reliqua omnia subijciuntur, laboret, vel vt contemptor (vt dixi) vel vt à fide alienus eousque & lugeri, & admoneri, & obiurgari debet, quoad ei persuaderi possit, aut Deum esse iudicem iustum, & ita in metum inducatur: aut omnino esse Deum, atque hoc modo † percellatur. Atq; illud etiam scire conuenit, peccata religiosorum virorum plerumque etiam euenire ex consilio Dei ad ipsorum vtilitatem, cum videlicet γῆ. Deus eos labi interdum permittat, ad sanandam aliquam animi illorum elationem, quæ præcesserit, cuiusmodi est quod Petro dictum est, & in ipso etiam contigit.

Discrimen religiosi & secularis peccantium.

Psal. 35. Psal. 52.

Tit. 1.

Psal. 7. †καταλλάττει

Matth. 26.

INTERROGATIO LXXXII.

Quoniam scriptum est, Anus vt matres: *si contigerit, vt anus idem peccatum incurrerit cum adolescentula, nunquid ea eidem animaduersioni obnoxia esse debet?*

1. Tim. 5.

RESPONSIO.

PRorsus Apostolus quidem anus vt matres honorari oportere: non vt quæ culpabile aliquid facerent, docuit. Verumenim si contigerit aliquando vt anus in idem cum adolescentula peccatum incurrerit, animaduertenda sunt primum naturalia (vt ita dicam) ætatis vitia, atque ita conueniens vtrique ætati curationis definiendus est modus. Veluti naturale est ferè senectuti pigritia: at non hoc item etiam iuuentuti: quemadmodum mentis ad futiles cogitationes distractio, & turbulentia, & sui immodica fiducia, & quæcunq; huius generis iuuentuti, non autem etiam senectuti adiuncta sunt, & à naturali calore, qui in iuuentute est, videntur adiuuari. Quocirca idem peccatum, pigritia (verbi gratia) grauius in adolescentula plecti debet: cum illi ad minuendum crimen ætas ea nihil patrocinetur. Similiter quoque idem peccatum, mentis videlicet ad futiles cogitationes distractio, perfidentia ac turbulenta intemperies animi seueriore animaduersione in natu iam grandiore vindicanda sunt. Siquidem ea etiam ab ipsa natura adiuuatur ad lenitatem, quietemque. Ad hæc peccati etiam

modus, & eius qui peccauit animi affectio considerari in vtraque persona debent, atque hoc modo conueniens ipsis curationis ratio accommodata animaduersione adhiberi.

A

Interrogatio lxxxiii.

Si quis multa rectè agens, in vno tantum offenderit, quo pacto nos aduersus illum geremus?

Responsio.

Nisi lauero te, non habebis partem mecũ. *Ioan. 13.*

QVemadmodum Dominus aduersus Petrum.

Interrogatio lxxxiv.

B

Si quis mores habens turbulentos ac feroces, propterea correptus dicat, Deum alios bonos finxisse, alios nequam, nunquid is rectè dicat?

Responsio.

Is error est Manichæi

HÆc opinio iampridem veluti hæretica explosa est: nam & blasphema est & in Deum impia, & hominis ad peccatum procliuem reddit animam. Proinde qui hoc sentit, aut resipiscat, aut tollatur de medio, ne illud vsũ veniat, *Modicum fermentum totam massam † corrumpit.*

1. Cor. 5. Gal. 5.

† ὅλην.

Interrogatio lxxxv.

C

Nunquid priuatim aliquid haberi conueniat in societate fratrum?

Responsio.

Actor. 4.

HOc contrarium est testimonijs his, quæ habentur in actis, de ijs qui crediderant: in quibus scriptum est, *Neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* Quare qui dicit suum aliquid esse, is seipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei & charitate Domini: qui quidem & verbo & re docuit ponendam esse animam pro amicis, nedum res externas.

Interrogatio lxxxvi.

D

Si verò dicat aliquis se neque sumere quicquam de communi fratrum, neque sua in commune conferre, sed se suis rebus esse contentum, quomodo nos aduersus hunc geremus?

Responsio.

† διδασκαλίας. *Ioan. 13. 1. Cor. 5. Ibid.*

HIc nisi pareat † doctrinę Domini illi, *Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos*: pareamus nos Apostolo, qui dixit, *Auferte malum ex vobis ipsis*, ne illud eueniat, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Interrogatio lxxxvii.

E

Nunquid liceat vnicuique vetus vestimentum suum, calceamentumve dare cui velit, conuenienter mandato?

Responsio.

DAre aut accipere, etiam secundum mandatum non est cuiuslibet, sed eius, cui de communi sententia adhibita circunspectione delatum est munus dispensandi. Proinde hic erit, qui siue vetus, siue nouum habita ratione temporis cuiusque & dabit ipse, & accipiet.

Interrogatio lxxxviii.

F

Luc. 21.

Quid est cura huius vitæ secularis?

Responsio.

† μέριμνα βιωτικὴ.

QVælibet cura, esto eorum nihil habere videatur, quæ interdicta sunt, tamen nisi ad pietatem conducat, † vitæ huius cura est.

Interrogatio lxxxix.

Prou. 13. ἴδιος πλοῦτος.

Quoniam scriptum est, Redemptio animæ viri, † diuitiæ suæ: *hoc autem vt faceremus nobis non contigit, quid faciemus?*

Responsio.

QVamlibet ipsi voluerimus etiam si non contingat esse nos compotes, ac meminerimus responsi Domini ad Petrum, cum de huiusmodi re admodum solicitus dixisset, *Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te.* Quid ergo erit nobis? Respondet autem ei sic, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum & † Euangelium, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Siverò ex incuria hoc prætermisimus, nunc studium adhibeamus. Quod si iam neque tempus suppetit, neque facultas, consoletur nos Apostolus qui dicit, *Non quæro vestra, sed vos.*

Matt. 19. † διὰ τὸ εὐαγγέλιον. *2. Cor. 12.*

Interrogatio xc.

Nunquid liceat nocturnum vestimentum habere, siue cilicium, siue alterius generis aliquod?

Responsio.

SAnè cilicij vsus habet oportunitates suas: neque enim ad necessitates corporis comparatus est, sed ad macerationem animi, & afflictationem. Cum autem duorum mancipium prohibitum sit, vsus an possit assumi, remota ea quam dixi causa, vnusquisque ipse seipsum consulito.

Interrogatio xci.

Si à fratre qui nihil habet, quod ipsius proprium sit, petat aliquis idipsum quo indutus est, quid ille facere debeat, maximè si nudus sit qui petierit?

Responsio.

SIue nudus, siue improbus, & siue necessitate impulsus, siue ex immoderata habendi libidine, semel dictum est, quòd dare, accipireue nõ est cuiuslibet, sed eius, cui de cõmuni sententia delata est istiusmodi administratio: teneriq; illud debet, *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

1. Cor. 3.

Interrogatio xcii.

Luc. 12.

Cum Dominus iubeat vendi quæ possideantur, qua mente hoc fieri conuenit? nunquid tanquam ea, quæ possideamus, lædant suaptè natura? an ob distractionem, quæ ex illis ad animum peruenire solita sit?

Responsio.

Omnis creatura Dei bona est: 2. Tim. 4.

ADhoc primò illud dici potest, quòd eorum vnumquodque quæ possidentur, si ipsum per se, ac sua vi esset malum, neque à Deo etiam prorsus fuisset creatum: *Omnis enim*, inquit, *creatura Dei, bona*, & nihil reijciendum, tum illud etiam, quòd mandatum Domini non docuit abijcienda esse tanquam mala, fugiendaue ea, quæ possidemus, sed distribuenda. Et damnatur aliquis, non quòd habuerit omnino, sed q̃ peruersè de ipsis senserit, vel quod non rectè vsus fuerit. Siquidem recta sanaque de illis animi affectio, & ex mandato distributio, ad res multas nobis, easque maximè necessarias prodest: videlicet modo ad emendationem peccatorum nostrorum: quopropter scriptum est, *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, modo autem ad hæreditatem regni cœlestis, & acquisitionem thesauri non deficientis: sicut dictũ est alio in loco, *Nolite timere pusillus grex, quia placuit patri vestro cœlesti dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.*

Luc. 11. *Luc. 12.*

Interrogatio xciii.

Qui semel omnium rerum possessione se spoliauerit, professusq; fuerit nihil se quod iuris ipsius proprium sit, habere, qua mente hic vti debet rebus ad viuendum necessarijs, veluti vestitu, victuq;?

Responsio.

EA nimirum, vt meminerit, secundum quod scriptum est, *Deum esse qui dat escam omni carni.* Veruntamen ei maiorem

Psal. 35.

iorem in modum adhibita animaduersione curandum est, vt tanquam Dei operarius dignus sit cibo suo: qui quidem cibus ipse etiã non sit positus in ipsius potestate, sed ab eo, cui de communi omnium consensu eius subministrandi datum negocium sit, subministretur, ratione habita temporis modique, sicut scriptum est, *Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Actor. 4.

Interrogatio xciv.

Si quis relicta tributorum pensione se ad fratrum conuentum contulerit, & propinqui illius ad ea persoluenda grauius vrgeantur, nunquid non istud scrupulum afferat, detrimentumve, aut illi, aut ijs qui illum receperint?

Responsio.

DOminus noster Iesus Christus ijs, qui ipsum percontabantur, *licerétne censum Cæsari dare, an non, respondens ait, Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem, & inscriptionem? Cumq; illi, Cæsaris, dixissent: Reddite ergo, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Cũ igitur ex hoc pateat declarasse Dominum, eos subiectos esse imperatis Cæsaris, apud quos inueniantur quæ sunt Cæsaris, sine dubio is etiam, de quo agimus nunc, si aliquid quod ad Cæsarem pertineret secum ferens, se ad fratrum collegium aggregarit, pendere tributa debet. Si verò ita discessit, vt propinquis omnia reliquerit, nihil est cur quicquam dubitet, aut ipse, aut ij qui ipsum receperunt. Luc. 20.

Interrogatio xcv.

Nunquid expediat ijs, qui nouitij accedunt, ea quæ de sacris scripturis sunt, confestim edisce re?

Responsio.

ET hæc ipsa quæstio ex ijs, quæ superius iam dicta sunt, explicatur. Quæ ad vsum namq; pertinentia sunt, ea vt vnusquisque ex diuinis literis † ediscat, & rectum est, & necessarium, cum ad maiorem animi expletionem in pietate, tum etiam vt ne humanis constitutionibus assuefiat. † κατευθυνέσα.

Interrogatio xcvi.

Nunquid vnicuique permitti debeat, vt arbitratu suo literas discat, vel legendis libris operam det?

Responsio.

CVm Apostolus dicat, *vt non quæcunq; vultis, illa faciatis*: in vnaquaque re quicquid ex voluntate propria optabile est, id si alicuius arbitrio permittatur, calamitosum est. contraque quicquid antistites rectum statuerint, in eo manere vnusquisque debet, etiamsi contra voluntatem ipsius sit. Porro qui hoc non facit, is manifestè docet animum habere se alienum à fide: cum Dominus dixerit, *Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Manifestè enim indicat opinari se, diutius se in vita mansurum. Galat. 5. Luc. 12.

Interrogatio xcvii.

Si quis dicat, velle se apud nos, vt aliquantulum proficiat, ad modicum tempus commorari, nunquid hic admitti debeat?

Responsio.

CVm Dominus dixerit, *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras*, & Apostolus ita scriptum reliquerit, *Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo: quibus neque ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud vos*, prorsus ei liberè patere introitum consentaneum sit, tum propter incertitudinem euentus: siquidem sæpenumero degustato fructu per modicum illud temporis spatium, fieri poterit vt hoc vitæ genere delectatus prorsus animum inducat in ea remanere, id quod frequenter vidimus accidisse: tum ad declarationem etiam castigatioris nostræ disciplinæ apud eum, qui longe aliter fortasse de nobis suspicabatur. Porrò seueritas disciplinæ necessario accuratius etiam in ipso obseruari debet, vt & veritas illustretur, & † suspicio negligentiæ omnis tollatur. Sic enim & nos Deo placebimus, & ille aut iuuabitur, aut improbus conuincetur. Ioan. 9. Galat. 2. † ὑποψία ἀδιαφορίας.

Interrogatio xcviii.

Cuiusmodi animum habere antistes debet in ijs quæ imperat, constituitve obeunda discipulis?

Responsio.

QVod quidem ad Deum attinet, *tanquam minister sit Christi, & dispensator mysteriorum Dei*, metuens ne quid præter voluntatem Dei, quæ ex confesso certa in sacrosanctis scripturis sit, dicat statuatúe, existatque aut falsus testis Dei, aut sacrilegus, ex eo quòd aliquid alienum à doctrina Domini inducat, aut contrà eorum, quæ grata sunt Deo, prætermittat. Quod verò ad fratres pertinet tanquam si nutrix sit, quæ foueat filios suos, cupidus tradendi vnicuique ad gratiam Dei, & communem omnium vtilitatem non solùm Euangelium Dei, sed etiam animam suam, ex mandato Domini & Dei nostri Iesu Christi, qui ipse sic dicit, *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* 1. Cor. 4. 2. Thess. 2. Ioan. 13. Ioan. 15.

Interrogatio xcix.

Cuiusmodi animi affectione increpare debet, qui alterum increpat?

Responsio.

QVod quidem ad Deum attinet, ea, quam habebat Dauid, cum dixit, *Vidi prænaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Quod verò ad eos, qui increpantur, eiusmodi quali vteretur pater, & medicus cum misericordia ac lenitate, si filium suum curaret, & maximè si adesset dolor, & sine cruciatu adhiberi curatio non posset. Psal. 118. Ομοίωσις.

Interrogatio c.

Eos qui aliunde ad nos accedunt, ac mendicantes aliquid petunt, quomodo dimittemus? & nunquid arbitratu suo quisque panem, aut aliud quidvis illis debet tribuere, an verò vnicuipiam munus hoc conueniat delegari?

Responsio.

CVm Dominus affirmatè dixerit, *non esse bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, & tamen illud etiã approbarit, *Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorũ suorum*: cui dispensandi munus assignatum est, is illud diligẽti adhibita animaduersione exequi debet. Qui verò præter illius sententiam aliquid facit, is tãquam euersor disciplinæ acriter obiurgari: idque eousque, quoad tueri locum suum discat: cum Apostolus dixerit, *vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc maneat.* Matt. 15. 1. Cor. 7.

Interrogatio ci.

Cui delatum dispensandi munus sit eorum, quæ dedicata Domino sunt, nunquid is necesse habeat illud seruare, Omni petenti te tribue: & Volentem mutuari à te, ne auerseris? Luc. 6. Matth. 5.

Responsio.

ILlud, *Omni petenti te tribue*: & *Volentem mutuari à te, ne auerseris*: locum obtinet veluti tentationis, quemadmodum contextus series eorum quæ coniuncta sunt, declarat: & præceptum hoc datum est propter improbos: quod quidem non vi præcepti, sed intercedente casu quopiam seruari debet. Præceptum enim Domini ex sua vi seruandum illud est, *Vende quæ habes, & da pauperibus.* Et item, *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Quòd si quod alijs attributum est, id ad alios transferre tutum non est, nec liberum periculi, cum Dominus dicat, *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* &, *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare catulis*: num quis hoc non cẽseat per se vt facillimum, ita & iustissimum? Præceptum siue mandatum pro consilio vel ordinatione. Luc. 18. Matt. 19. Luc. 12. Matth. 19. Ibid.

INTERROGATIO CII.

Nunquid qui è fratrum conuentu egrediatur quacumque de causa, leni admonitione retinendus sit: & si retinendus, aduersus quos hoc seruari conueniat?

RESPONSIO.

CVm Dominus dixerit, *Eum, qui venit ad me, non eijciam foras.* itemque, *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus,* & alio in loco, *quis ex vobis habens centum oues, si errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem, & vadit, & quærit eam, quæ errauit, donec inueniat?* omni ratione curari debet, qui infirmus est, dandaq; est studiosè opera, vt † deartuatum (vt ità dicam) membrum in locum suum restituatur. Quòd si in vitio (cuiuscumque tandem generis illud sit) perseueret, dimittendus est, tanquam alienus. Scriptum est enim, *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt.*

Ioan. 6. *Matt. 9.* *Matt. 18.* *Luc. 15.* † ἐξηρθρωμένον μέλος. *Matt. 15.*

INTERROGATIO CIII.

Quòd quidem senioribus parendum sit, vel vsque ad mortem, hoc iam didicimus. Verùm quoniam incidit aliquando, vt ipse etiam senior aliqua in re labatur, hoc abs te scire vellemus, nunquid is increpari debeat, & quomodo, & à quibus, & si hoc ille non ferat, quid fieri conueniat?

RESPONSIO.

DE his enucleatè dictum est in latiore responsione.

INTERROGATIO CIV.

Quomodo commiti procurationes fratribus debent, ex vniúsne antistitis arbitrio, an adhibitis etiam reliquorum fratrum sententijs: itemq; in sororibus similiter?

RESPONSIO.

SI vnusquis ita institutus est, vt quid de quaque re sentiat, id cum reliquis etiam communicet, quanto magis quæ huiusmodi sunt, ea adhibito eorum, qui ad hoc apti sint, iudicio, fieri debent? Etenim quæ diuina est procuratio, ea ex Deo ijs committi debet, qui manifestè docuerint posse se ex Domini voluntate assignatum sibi munus administrare. Atque in vniuersum necessario omni in re memoria tenere Antistes debet quid dicant diuinę literę. *Sine consilio nihil fac.*

Eccli. 32.

INTERROGATIO CV.

Nunquid debeant, qui ad fratrum familiam se aggregant, illico, vbi recepti sint, artes doceri?

RESPONSIO.

ANtistites iudicabunt.

INTERROGATIO CVI.

Cuiusmodi in fratrum familia vtendum est animaduersionibus ad reuocandos in rectam viam, qui peccant?

RESPONSIO.

PRo iudicio suo antistites tempus modumq; considerabunt, ratione habita cum ætatis & corporis, tum animi habitus, & dissimilitudinis peccati.

INTERROGATIO CVII.

Si quis cupere se dicat viuere inter fratres, propter officium tamen aduersus naturales propinquos suos, aut etiam propter pensionem tributorum sæpenumero impediatur, quominus penitus se in huiusmodi vitam det, nunquid ei concedi debeat vt ad fratres ingrediatur?

RESPONSIO.

PRorsus rei bonæ cupiditas sine periculo impediri non potest: at neque tamen contrà, ei qui iam ingressus sit, sine periculo tempus ad ea curanda, quæ externa sunt, & ab ea, quæ secundum Deum est, vita, aliena dari potest. Si verò ingressus quis seipsum rebus interioribus det, neq; eorum quicquam quæ externa sunt, secum afferat, hic meliorem de se spem ostendit.

INTERROGATIO CVIII.

Nunquid debeat antistes seorsum ipse ab antistita, sermonem conferre cum aliqua sorore de rebus ad ædificationem fidei pertinentibus?

RESPONSIO.

IN his non seruatur præceptum Apostoli, qui dixit, *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* *1. Cor. 4.*

INTERROGATIO CIX.

Nunquid conueniens sit, vt antistes vnà cum antistita sæpius in colloquium veniat, maximeq; si ex fratribus aliqui ex hoc ipso offendantur?

RESPONSIO.

CVm Apostolus dixerit, *Vt quid libertas mea iudicatur ab alia conscientia?* rectum est, ipsum imitari, qui de seipso sic dicit, *Sed non vsi sumus hac potestate, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi,* & quoad fieri potest, danda opera est, vt colloquia quàm rarissima fiant, & quàm breuissima. *1. Cor. 10.* *1. Cor. 9.*

INTERROGATIO CX.

Nunquid conueniat, dum soror seniori confitetur, etiam antistitam ipsam adesse?

RESPONSIO.

HOnestius cautiusque per antistitam seniori confessio fiet, qui multa experientia edoctus possit & pœnitentiæ & correctionis modum suggerere.

INTERROGATIO CXI.

Si à sororibus aliquid insciente antistita, fieri senior præceperit, recténe facit illa si indignetur?

RESPONSIO.

ET admodum.

INTERROGATIO CXII.

Si quis conferat se ad eam, quæ ex Deo est, vitam, nunquid rectum sit, vt qui huiusmodi est, hunc antistes sine sententia fratrum admittat, an verò hoc cum illis quoque prius communicari conueniat?

RESPONSIO.

DOminus in eo qui pœnitentiam agit, conuocandos esse amicos, ac vicinos docet. Quare necessarium est multo magis, vt qui accedit, is conscijs cæteris fratribus admittatur: idque ea re, vt commune inter ipsos gaudium sit, communisque vicissim aliorum pro alij oratio.

INTERROGATIO CXIII.

Nunquid possit, cui delata curandarum animarum prouincia sit, seruare illud, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli: *quando cum multis dissimilibusq; illi personis res est?* *Matth. 18.*

RESPONSIO.

CVm vir sapientissimus Salomon dixerit, *Omnia tempus habent:* intelligendum est, quod humilitatis quoque & potestatis exercendæ, & reprehensionis, & exhortationis, & reticentiæ, & libertatis, & benignitatis, & seueritatis, & (vt vno verbo dicam) omniũ rerum suum est tẽpus: vt videlicet nunc adhibenda humilitas sit, & in ea paruuli imitandi, maximeque quando mutui honores, mutuaq; officia, & quę ad corpus pertinent, ministeria, obsequiaque tribui oportet, vt Dominus docuit: nunc vtendum potestate, quam dedit Dominus ad ædificationem, non autem ad destructionem, quando videlicet libertatem tempus requirit: similiterque quando exhortatione est opus, adhibenda lenitas: contraque vbi seueritate, iusta indignatio, atque in reliquis rebus singulis eodem modo. *Eccl. 3.* *2. Cor. 10.*

INTERROGATIO CXIV.

Cum Dominus præcipiat, ac dicat, Si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo: *& item Apostolus nos doceat,* Vt subiecti simus inuicem in timore Christi: *nunquid cuiuis pareamus, & quibuslibet imperanti obediendum sit?* *Matt. 5.* *Ephes. 5.*

RESPONSIO.

OMnino diuersitas eorum qui imperant, & eorum quibus imperatur, obedientiæ officere nihil debet. Neq; enim

Exod. 18. enim Moses Iothor, qui rectum sibi consilium dederat, non auscultauit. Cum autem eorum, quæ imperantur, dissimilitudo exigua non sit (etenim ex his quidem partim repugnant mandato Domini, aut aliqua ex parte illud vitiant, aut multis modis, admiscendis his, quæ interdicta sunt cõtaminant: partim verò cum mandato conueniunt: alia autem, licet apertè cum eo non conueniant, adiuuant tamen, ac veluti adminicula quædam mandati sunt) necessario ea nos in memoriam debemus redigere, quæ dicta 1. Thess. 5. sunt ab Apostolo, *Prophetias nolite spernere. Omnia autem probantes, quod bonum est tenete.* 1. Cor. 10. *Ab omni specie mala abstinete.* Et itẽ, *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ex his autem hoc intelligitur, quòd si quid nobis imperatum sit, quod idem sit cum mandato Domini, adiuuetúe, illud tanquam voluntas Dei, studiosius, diligentiusque à nobis suscipi debet, idque seruari conuenit, quod Ephe. 4. dictum est, *Supportantes inuicem in charitate Christi.* Quoties verò aliquid, quod mandato Domini aut repugnet, aut aliqua ex parte vitiet, contaminetúe, facere ab aliquo iussi fuerimus, tunc commodè illud vsurpabimus, *Oportet obedire Deo* Actor. 5. Ioan. 10. *magis quam hominibus:* memoria tenentes dictum esse à Domino, *Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum,* itemque Apostolum, vt nos securos faceret, ausum esse etiam angelos ipsos perstringere, cum Gal. 1. ea dixit. *Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Ex quibus illud docemur, quòd licet necessitudine maxima aliquis nos attingat, & gloria præter modum excellens sit, qui vetet, quod à Domino imperatum est, aut contrà quod ille vetuerit faciendum suadeat, is ab omnibus, qui Dominum diligunt, fugiendus est, atque execrationi habendus.

Interrogatio CXV.

Quomodo alij alijs obedientiam inter nos præstabimus?

Responsio.

TAnquam serui aduersum Dominos: conuenienter illi præcepto Domini, *Qui vult in vobis esse magnus, sit omnium* Mar. 10. *vltimus, seruus omnium.* Quibus verbis adiungit, quod nos efficacius etiam possit permouere, *Sicut filius hominis non venit* Galat. 5. *vt ministraretur ei, sed vt ministraret.* Et consentaneum in modũ etiam dicto illi Apostoli, *Per charitatem spiritus seruite inuicem.*

Interrogatio CXVI.

Quatenus obedientia teneri debet, vt Deo grati esse possimus?

Responsio.

HOc Apostolus docuit proposita nobis obediẽtia Domini, Philip. 2. *Qui factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis:* cum ante dixisset, *hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.*

Interrogatio CXVII.

Qui iis, quæ quotidie proposito mandato consentanea imperantur, contentus non est, neque artem doceri aliquam studet, cuiusmodi morbo laborat, & nunquid hic tolerandus est?

Responsio.

QVi huiusmodi est, is & contumax, & sibimetipsi placẽs, & infidelis est. Siquidem iudicium Domini non extimuit, qui dixit, Matth. 24. *Estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Qui enim in singulos dies & singulas horas Dominum expectat, is solicito animo est, ne quẽuis in quo est, diem ociosum prætereat, neque amplius de re vlla curat. Si verò iussus sit artem discere, positum habeat in obedientia fructum gratificandi Deo, non autem in procrastinatione iudicium.

Interrogatio CXVIII.

Qui studiosus est in exequendo mandato, & opus facit non quod iubetur, sed quod ipse vult, qualem mercedem habet?

Responsio.

QValem qui placet sibijpsi. Cum autem Apostolus dicat, Rom. 15. *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem:* & maiorem in modum ex ijs, quæ subijcit, nos exẽplo Christi ad hoc adhortetur, cum dicit, *Etenim Christus non sibi placuit:* animaduertere debet quo in periculo sit, qui sibi ipsi placet. Porrò hic idem etiam obedientiæ contemptor conuincitur.

Interrogatio CXIX.

Nunquid liceat vnicuique assignatum sibi opus recusare, & aliud ab illo diuersum exquirere?

Responsio.

CVm obedientia, sicut ante dictum est, vsque ad mortem seruari debeat, qui quod sibi assignatum est, recusat, & aliud ab eo diuersum exquirit, primum omnino hic obedientiam violat, & apertè declarat nequaquam seipsum abnegasse, tum etiam aliorum complurium malorum, cum sibi, tum alijs etiam autor existit. Nam & reliquis iamam ad contumaciam contradictionemúe patefacit, ipseque ad eam seipsum assuefacit. Et quoniam non potest statuere vnusquisque quid sit quod è re sua sit, sæpenumero opus illud deligit, quod † sibi obsit. Ad hæc prauas in animis fratrum aduersum se suspiciones mouet, veluti qui aut opus illud, quod quærit, aut eos, quibuscum necessariò illud administrandum sit, nimio plus amet. Quocirca in vniuersum obedientiam abijcere, multorum ac magnorum malorum radix est. Verum enim si causam habere se aliquam putat, quamobrem opus recuset, hanc magistris indicato, eamque illis disceptandam relinquito.

† ἀνθιλογίας.

Interrogatio CXX.

Nunquid aliquo discedendum sit, non petita prius ab antistite venia?

Responsio.

CVm Dominus dicat, Ioan. 7. *Neque enim à meipso veni, sed ille me misit:* qui non magis nostrum vnusquisque hoc ad arbitrium suum reuocare non debet? Nam qui hoc ad arbitrium suum reuocat, hic apertè declarat, vitio elationis animi se laborare, & obnoxium esse iudicio Domini, qui dixit, *Quod hominibus altum est, abominatio est coram Deo.* Luc. 16. Atque in vniuersum hoc quòd quis esse sui iuris velit, culpabile est.

Interrogatio CXXI.

An liceat grauiora opera recusare?

Responsio.

QVi sincerè & ex animo Deum diligit, neque omnino de remuneratione Domini quicquam dubitat, is si quid fecit, nequaquam in eo acquiescit, enititurque, vt assidue vsque aliud addat, semperque progredi vlterius studet. Et licet supra vires visus sit aliquid fecisse, non propterea tamen securus est, veluti qui plenè officio suo satisfecerit, cõtraque potius in assiduo angore est, veluti qui longe absit ab eo, quod factum oporteret, audiens videlicet præceptum Domini illud, *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite,* Luc. 17. *Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Cum autem Apostolus ille, *cui mundus crucifixus erat, & ipse mundo,* nequaquam dicere veritus sit, *Ego me non arbitror cõprehendisse: vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora,* Phil. 3. *extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Qui cum legitime posset *euangelium* 1. Cor. 9. *annuncians, de euangelio viuere, In labore, & fatigatione,* inquit, *nocte & die operantes, non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandos nos.* quis est adeo vecors, aut tam alienus à fide, vt in ijs, quæ fecerit, vnquam acquiescat, aut aliquid veluti grauius recusset, aut laboriosum?

A

Interrogatio cxxii.

Si quis loco animaduersionis à benedictione exclusus, neget se nisi accepta benedictione cibum sumpturum, nunquid hic tolerandus sit?

Responsio.

OMnino, si erratum animaduersione tam graui dignum visum fuerit, vt inedia etiam debuerit vindicari, iudicabit is, qui animaduerterit. Si verò sola benedictione indignus aliquis iudicatus est, & cum edendi potestas facta sit, edere tamen recusat, is tanquam cõtumax in hoc & peruicax iudicari debet: simulque seipsum agnoscere, intelligereque, se dum hoc facit, nequaquam seipsum curare, sed B peccatum peccato cumulare.

Interrogatio cxxiii.

Si quis ægrè ferat non permitti sibi, vt ea faciat, ad quæ aptus non est, nunquid hic tolerandus sit?

Responsio.

DE hac re dictum est plerisque in locis, quòd in vniuersum vti propria voluntate, arbitrioue, alienum est à recta ratione. Similiterque, quòd maioris partis iudicio non stare, est contumaciæ, & peruicaciæ periculum incurrere. C

Interrogatio cxxiv.

Nunquid rectè facere is existimandus sit, qui in fortuito alicubi cum hæreticis, gentilibusve congressu inuentus, vnà cum ipsis cibum sumat, salutet ve?

Responsio.

OMnino communi hac salutatione, quominus arbitratu nostro aduersus quemuis vellemus, vteremur, non
Matt. 5. prohibuit Dominus: neque enim dixisset, *Si salutaueritis amicos vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt?*
De cibo verò vnà capiendo, habemus præceptum Apostoli, in quibus hoc fugere conueniat. Sic enim dicit: *Scripsi*
1. Cor. 5. *vobis in Epistola, ne commisceamini fornicarijs: non vtique fornicarijs huius mundi aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.* D

Interrogatio cxxv.

Cui munus aliquod creditum est, & aliquid facit præter suprave id quod iussus est, non petita venia, nunquid hunc retinere munus illud conueniat?

E

Responsio.

OMnino hoc, quod quis sibi ipse aliquid sumat in vniuersum displicet Deo: neque ex decoro, neque ex re est eorum, qui student seruare vinculum pacis: tamen si in proteruia ille permaneat, vtilitati eius consulitur, si ab eo munus illud auferatur. neque enim seruat præceptum eius,
1. Cor. 7. *Rom. 12.* qui dixit, *Vnusquisque in quo vocatus est fratres, in hoc maneat*, & quod ad commouendum etiam magis valeat, *Non plus sapere, quàm oportet sapere. sed sapere ad sobrietatem. Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* F

Interrogatio cxxvi.

Quomodo assequi aliquis possit, ne à ciborum libidine vincatur?

Responsio.

NEmpe si apud se statuerit rationem se vtilitatis ducem ac magistram semper habere oportere in ijs, quæ assumantur, siue suauia siue insuauia.

Interrogatio cxxvii.

Dicunt quidam fieri non posse, quin homo irascatur.

Responsio.

ESto fieri posse, vt miles præsente rege irascatur, non tamen eo etiam id rationi consentaneum est, quod dicitur. Etenim si hominis præsentia eousque valet, vt qui in æquali naturæ conditione constitutus sit, propter dignitatis tamen excellentiam, turbatum alicuius animi motum possit comprimere, qui non tandem hoc facilius futurum existimandum est, si alicui persuasum sit, Deum cogitationes suas omnes inspicere? Siquidem longè melius qui *scrutatur corda & renes Deus*, motiones animi peruidet, quam homo ea, quæ oculis subiecta sunt. Παράδειγμα. *Psal. 7.*

Interrogatio cxxviii.

Qui vltrà quàm vires ipsius patiantur, colere continentiam velit, eaq; re impediatur, quominus propositum mandatum exequi possit, nunquid hoc facere huic permittendum sit?

Responsio.

INterrogatio ista haudquaquam ritè mihi videtur posita. Neque enim in abstinentia ciborum ratione carentium *Col. 2.* posita continentia est, ex qua consequitur illa, quæ ab Apostolo accusatur, immoderata corporis afflictatio: sed in eo, si quis voluntates suas omnes penitus ab se segreget. Quàm autem periculosa res sit potiorem habere voluntatem suam mandato Domini, perspicuum est ex ijs, quæ dicta sunt ab Apostolo, his verbis, *Facientes voluntates carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ.* *Eph. 2.*

Interrogatio cxxix.

Qui ea re quòd multum ieiunat, communibus vnà cum reliquis cibis vesci non potest, vtrum hic exoptare potius debet, ieiunarene vnà cum fratribus, & cibum eundem capere vnà cum ipsis, an eo quòd immoderatè ieiunet, necesse habere cibis vesci dissimilibus?

Responsio.

IEiunij idoneum tempus non voluntas est vniuscuiusque sed vsus eorum, quæ pertinent ad cultum Dei: quemadmodum ex actis Apostolorum, & Dauide intelligimus. Quamobrem si quis rationem huiusmodi sequatur in ieiunando, sine dubio hic à Deo etiam ieiunandi facultatem consequitur. *Fidelis est enim qui repromisit.* *Heb. 10.*

Interrogatio cxxx.

Quomodo ieiunandum est, quandocumque ieiunandum sit: propter eorum aliquid quæ ad pietatis cultum requiruntur, tanquam necessarióne, an adhibita etiam animi promptitudine?

Responsio.

CVm Dominus dicat, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam:* *Matt. 4.* quicquid adiumento est ad pietatis culturam, id nisi libenter, ac studiosè fiat, periculosum est. Proinde vt quis ieiunet, & hoc non libenti animo faciat, id extra periculum non est. Cæterum quando tempus incidat eiusmodi, vt ieiunandum sit, ieiunare necessarium est: quippe cum Apo-
1. Cor. 11. stolus inter cætera ipsius rectè facta, hoc etiam docendi nos causa commemorarit, *In ieiunijs sæpe.*

Interrogatio cxxxi.

Qui non ex eodem, vnde reliqui fratres, cibo participat, sed cibum ipse diuersum exquirit, nunquid hic rectè faciat?

Responsio.

IN vniuersum hoc quod quis cibum exquirat, præter mandatum est: cum Dominus dixerit, *nolite † quærere quid edatis, aut quid bibatis, & nolite soliciti esse.* Et quod ad perter-
Luc. 12. † μετεωρίζεσθαι. *Matth. 6.*

rendum

rendum magis valet statim addiderit: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Est autem eius, penes quem distribuendi munus
Act. 4. est, illud exequi diligenter. *Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.*

INTERROGATIO CXXXII.

Qui aliquo cibi genere lædi se dicat, & ægrè ferat, nisi aliud detur, quid de hoc dici debet?

RESPONSIO.

APparet hunc non plenè habere illam spem Lazari, neque perspectam habere charitatem illius, cui omnium, atque ipsius etiam cura commissa est. In vniuersum autem de eo, quod obsit, profitve non est cur sibiipsi quisque debeat iudicium arrogare, cum hoc ad iudicandum eius arbitrio relinquendum sit, cui datum negocium sit, vt singulorum necessitates animaduertat. qui quidem sit eiusmodi, vt præcipuè animi illorum vtilitatem inquirat: tum autem secundo loco ea quæ ad vsum corporis pertineant, subministret ex Dei voluntate.

INTERROGATIO CXXXIII.

Si verò etiam ob cibum murmurauerit?

RESPONSIO.

Num. 11. PRorsus qui hoc facit, is eorum, qui in deserto murmu-
1. Cor. 10. rauerunt, iudicio obnoxius est. Scriptum est enim apud Apostolum. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

INTERROGATIO CXXXIV.

Si quis iratus, eorum quæ ad vsum necessaria sint sumere aliquid recusarit?

RESPONSIO.

QVi eiusmodi est, is dignus est, qui ne cum poscat quidem, impetret, quousque vitium illud, vel vitia potius in eo sanata esse antistes iudicarit.

INTERROGATIO CXXXV.

An rectè faciat, qui vehementer laborans, aliquid ipse præter consuetudinem exquirat?

RESPONSIO.

OMnino is si laborem propterea suscipit, vt præmium consequatur à Deo, hinc eius leuamentum quærere non debet, sed operam dare, vt ad accipiendam Domini mercedem idoneum se comparet: cum illud intelligat, se vt ex laboribus præmium, sic ex angustiis etiam solatium à Dei benignitate inuenturum. Verumenim cuius ea prouincia est, vt illud imitetur: *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat:* necessariò is singulos habere cognitos debet qui laborant, eorumque, vt par est, necessitatibus prouidere.
Act. 4.

INTERROGATIO CXXXVI.

Nunquid necessario hora prandij adesse omnes simul debeant: & qui abfuerit, & peracto iam prandio superuenerit, quomodo nos aduersus ipsum geremus?

RESPONSIO.

OMnino hic si eo abfuerit, quòd necessitate loci, operisve aliter facere non potuerit, veluti qui seruet præceptum eius, qui dixit: *Vnusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc maneat:* disciplinæ magister ipse & cognoscet, & ignoscet. Si verò cùm vnà cum cæteris posset adesse, negligenter egit, agnita hic negligentiæ suæ culpa, vsque ad præfinitam horam insequentis diei ieiunus maneto.
1. Cor. 7.

INTERROGATIO CXXXVII.

Nunquid rectum sit hoc, quòd aliquis cum animo suo statuat se per aliquod certum tempus, ab hac vel illa esca, potionéve abstinere?

RESPONSIO.

CVm Dominus dixerit: *Non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me:* in quacunque re voluntatis suæ arbitrio stare periculosum est: quod intelligens Dauid dicebat: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustificationis tuæ.*
Ioan. 6. *Psal. 118.*

INTERROGATIO CXXXVIII.

Nunquid in fratrum familia permitti alicui debeat, vt plusquam cæteri ieiunet, vigilétve ex proprio ipsius voluntatis arbitrio?

RESPONSIO.

CVm Dominus dixerit: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris:* quicquid quisque ex propriæ voluntatis arbitrio facit, id cum facientis proprium sit, alienum est à cultu pietatis: metuendumque est, ne de eo, quod videtur facere, ipsi dicatur à Domino: *Ad te conuersio eius, & tu dominaberis ei.* Quanquam etiam in collatione cum cæteris, hoc quòd quis in rebus etiam bonis velit excellere, contentionis vitium est, quod ex appetitione nascitur inanis gloriæ: quod vitium fugiendum esse Apostolus docens ait: *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant.* Quocirca omissis propriis voluntatibus; eoque, vt videri velimus aliquid excellentius facere quam reliqui, parere debemus Apostolo admonēti ac dicenti: *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sibi enim ipsi placere, & inani gloria, & contentionis studio delectari, res sunt prorsus alienæ ab iis, qui bonum certamen legitime certant. Quocirca idem Apostolus ait, nunc quidem: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Nunc verò, *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinē non habemus, neque Ecclesiæ Dei.* & alio in loco, *Debemus nos non nobismetipsis placere.* quibus illud ad commouendum efficacius etiam adiungit: *Etenim Christus non sibi placuit.* Si verò sit, qui necessariò acriore sibi vel ieiunio, vel vigilia, vel alia quauis re opus esse arbitretur, rationē is, quare id sic existimet, iis aperito, quibus credita est communis disciplinæ procuratio, & quod illi statuerint, id obseruato. Siquidem fieri poterit plerunque, vt necessitati ipsius alia ratione melius consulatur.
Ioan. 6. *2. Tim. 3.* *2. Tim. 2.* *Galat. 5.* *Rom. 15.*

INTERROGATIO CXXXIX.

Ex intentione ieiunij, remissiores ad laborandum efficimur: quid igitur est faciendum, potiusne impediendum opus ob ieiunium, an illud negligendum propter opus? ἀτονώτερον.

RESPONSIO.

OMnino & ieiunium, & cibus ex ratione pietati accommodata assumi debent, vt videlicet quotiescunque mandato Dei per ieiunium satisfaciendum sit, ieiunemus: quotiescunque item mandatum Dei cibum desideret, quo corpus confirmetur, edamus, non vt helluones, sed vt operarij Dei. Seruandum est enim quod dictum est ab Apostolo: *Siue manducatis, siue bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*
1. Cor. 10.

INTERROGATIO CXL.

Si quis propterea quòd in cibis qui obsunt, incontinens sit, ijsque sese intemperanter ingurgitet, in morbum aliquem inciderit, nunquid eius curam conueniat gerere?

RESPONSIO.

OMnino de incontinentia, quin manifestum in se vitium habeat, negari non potest: necessarioque danda studiosè opera est, vt morbus iste in primis curetur. Sæpenumero enim pro bonitate sua ostendere volens Deus quàm graue malum sit continentiam non colere, permisit ἀκρασίαν.

vt animus in iis etiam, quæ corpus lædunt, incontinentiæ vitio vte retur: eo consilio videlicet, vt si fieri posset, ex morbo corporis, quem ex incontinentia contractum sustinet, detrimentum suum intelligeret, & ita ad continentiam in omnibus rebus seruandam induceretur. Porrò in iis, qui in morbum aliquem ex incontinentia incurrerint, corporis curam aliquam gerere, id & rationi, & bonitati conueniens est: non temere tamen, sed summa adhibita circunspectione, curaque, ne aliquo modo, dum corpus curamus, animi medicinam negligamus. Quamobrem, si quis quempiam, qui huiusmodi sit, animaduerterit, medicinam corporis ita accipere, vt ex ea in cognitionem veniat, animum quoque in propriis vitiis medicina indigere, sine dubio ei adhibere curationem corporis debet. Si verò in admittenda corporis medicina, animum illenegligere deprehensus sit, præstabilius est, qui istiusmodi sit, hunc in doloribus iis, in quos ex sua incontinentia incurrerit, sinere permanere: ea re, vt si fieri possit, ad seipsum redeat aliquando, & de sempiterno supplicio incipiat cogitare, atque hoc modo animi incolumitatem studeat recuperare. *Dum enim iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11.

Interrogatio cxli.

Nunquid conuenire putandum sit, vt qui extrarij sunt, in officinis inueniantur, aut etiam de fratribus aliqui, relicto loco suo.

Responsio.

EO excepto, cuius munus sit laborantes inuisere, aut opera facienda distribuere, quicunque inuentus fuerit hoc facere, hic quasi rectissimum ordinem harmoniámve membrorum colluxauerit, prohibetor. cæteris alioqui concesso cellæ egressu, atque in loco aliquo assidens, qui ad errata istiusmodi castiganda idoneus iudicatus sit, attentiore cura, & impensiore labore, quàm sit consuetudo, pensum reddito, quoad illud seruare didicerit, quod dictum est ab Apostolo: *Vnusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat.* 1. Cor. 7.

Interrogatio cxlii.

Nunquid conueniat opifices opus aliquod alicunde faciendum suscipere, sine sententia eius, qui huiusmodi officio præpositus sit?

Responsio.

IVdicio furis, aut cum fure currentis obnoxius esto vterque, & qui dat, & qui suscipit. Psalm. 49.

Interrogatio cxliii.

Quomodo qui opus faciunt, curam gerere debent instrumentorum, quæ sibi credita sint?

Responsio.

PRimum, vt eorum quæ dedicata & consecrata sint Deo: deinde vt eorum, sine quibus debitum suum sine cunctatione atque impigrum studium nauare non possit.

Interrogatio cxliiii.

Quid si ex incuria aliquis amiserit, aut ex contemptu abusus fuerit?

Responsio.

PRorsus qui abusus sit, is tanquam sacrilegus: qui verò amiserit, tanquam sacrilegij autor iudicator: cum omnia Domino sint dedicata, & Deo consecrata.

Interrogatio cxlv.

Quid si non petita venia aliquo vsus fuerit, sumpseritve?

Responsio.

VT præsidens & contumax iudicator. Hæc enim eius, cui datum regendi negocium est, eaque distribuit, propria sunt.

Interrogatio cxlvi.

Quid si etiam vrgente necessitate antistes ab ipso petierit, & ille denegauerit?

Responsio.

QVi seipsum & membra sua, vt aliorum vtilitati inseruirent, tradidit in charitate Christi, qui fieri poterit, vt is de instrumentis litiget cum antistite, ad quem etiam pertinet cura instrumentorum?

Interrogatio cxlvii.

Qui in obeundo munere cellarii, coquinæve, aut istiusmodi alio aliquo occupatus sit, nisi præsto affuerit statuto tempore modulandorum psalmorum orationisve, nunquid is in animo iacturam aliquam faciat?

Responsio.

VNusquisque in munere suo regulam propriam conseruat, tanquam membrum in corpore: & sine dubio ipse iacturam facit, quandocunque facere neglexerit, quod sibi assignatum sit, & vt omnium insidiator publicus, maiorem in modum periclitatur. Quare iuxta mentem Apostoli exequi debet, quæ scripta sunt: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Deo.* Si verò etiam corpore vnà cum reliquis præsto esse non potuit, nihil dubitet, si faciat, quod dictum est: *Vnusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat.* Verum enim cauendum est periculum, ne aliquo modo, cum quis in tempore instituto possit satisfacere, ac cæteris exemplo esse, ad reliquorum offensionem, muneris occupationem excuset, & hoc modo iudicium negligentium incurrat. Collatio. Ephes. 5. 1. Cor. 7. Hierem. 48.

Interrogatio cxlviii.

Cuiusmodi potestatis modum habet in rebus dispensandis is, cui datum est negocium cellarii?

Responsio.

QVod quidem ad eum pertinet, qui illud dedit, quicquid is adhibita deliberatione designauerit memoria tenes Dominum ipsum de seipso dixisse: *Non possum ego à meipso facere quicquam.* Quod verò ad eos attinet, quorum curam suscepit, necessitatem vniuscuiusque respiciat. Scriptum est enim: *Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Porrò hæc eadem ratio ab omnibus tenetor, quibus dantur negocia huiusmodi curanda. Ioan. 5. Act. 4.

Interrogatio cxlix.

Cui iudicio obnoxius est, qui dispensat, si hoc munere † ad gratiam, aut simultatem fungatur? †κατὰ προσωπολημψίαν ἢ φιλονεικίαν.

Responsio

CVm Apostolus præcipiat, modo, nihil faciendum esse ex animi inclinatione in alterutram partem: modo autem affirmans dicat: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesiæ Dei:* qui talis est, is vt alienus habeatur ab Ecclesia Dei, quousque se emendauerit. Animaduertendum † est autem diligentius, ad quam quisque rem aptus sit, atque ita vnumquodque munus committendum: ne videlicet & qui alicui committunt, quod ei non conuenit, damnentur tanquam mali dispensatores, cum animarum, tum etiam mandatorum Domini: & quibus committitur, nequaquam ex hac re peccati excusationem videantur inuenire. 1. Tim. 5. 1. Cor. 11. † γνωρίζεσθαι.

Interrogatio cl.

Quid si ex negligentia res necessarias fratri non tribuerit?

Responsio.

PErspicuum est hoc iudicium ex verbis Domini, cum dixit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo* Matth. 25.

diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.
Hier. 4. *Sitiui, & non dedistis mihi potum, &c.* Et quoniam *Maledictus omnis qui facit opus Domini negligenter.*

INTERROGATIO CLI.

An liceat ei qui ministrat, loqui voce altiore?

RESPONSIO.

Sustirrium. PRorsus vocis modum, audientium necessitas ipsa definit. Quocirca ea si summissior sit, tanquam segnior propè ad susurrum accedit, ac propterea damnanda est. Si verò etiam sit altior, quàm res desideret, cum is qui audit, etiam summissius loquentem posset audire, tum clamor existit, qui damnatus est ab Apostolo. Hoc excepto, nisi vbi lentitudo audientis tanta sit, vt necessario cogamur vti clamore, quo hunc ex somno veluti excitemus: Nam hoc Dominus etiam fecisse memoratur, vt est apud Euangelistam: *Iesus enim clamauit*, inquit, *& dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.*

Clamor: Ephes. 4.

Ioan. 12.

INTERROGATIO CLII.

Si quis in fungendo delato sibi ex vice sua munere exercendæ coquinæ, supra vires fatigetur, vt ex ea re per aliquot dies à solito opere impediatur, nunquid huic huiusmodi munus imponi conueniat?

RESPONSIO.

ANtè dictum est, oportere, vt cui munerum dispertiendorum commissa distributio sit, is habita ratione habilitatis & virium cuiusque, ea distribuat, ne ei dicatur: *Qui fingit laborem in præceptum.* Veruntamen repugnare non debet, cui assignatum est: cum obedientiam perpetuò retinere vsque ad mortem conueniat.

Iõan. 12.

INTERROGATIO CLIII.

Cui lanæ creditæ sunt, quomodo eas debet habere, quomodoq; se aduersus laborantes sorores gerere?

RESPONSIO.

SAnè illa lanas quidem ita habebit, vt creditum sibi depositum Dei. Vnicuique autem sorori reiecta simultate, gratiaque personæ, suum pensum assignabit, atque distribuet.

Psalm. 93.

INTERROGATIO CLIIII.

Si aliquando tempus inciderit, vt qui pauci sint fratres, & pluribus sororibus inseruiant, ij in necessitatem deuenerint, vt mutuo inter se alij ab aliis disiungendi sint, ad pleraque diuersa opera obeunda, nunquid periculo vacet huiusmodi factum?

RESPONSIO.

SI quæ suscipitur cura, ea testimonium habet à mandato Domini, & secũdum Deum exercetur, sine dubio vnusquisque qui opus facit, in opere suo assequitur gratiam Dei. ipsorum autem coniunctio inter se, in eo est, si omnes vnanimes sint, atque concordes, & compleant id quod dictum est ab Apostolo: *Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum.*

Coloss. 2.

INTERROGATIO CLV.

Quoniam qui ægrotis in hospitali ministramus, iis cum ea animi affectione iubemur ministrare, veluti si fratribus Domini ministraremus: si talis non fuerit, cui ministratur, quomodo nos aduersus illum gerere debemus?

RESPONSIO.

Matth. 12. CVm Dominus dixerit: *Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est:* quicunque talis non est, sed peccans est, in eum sententia illa videtur conuenire. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quocirca primum leniter corripi, admoneriq; ab antistite debet. Quòd si hac ratione nihil proficiatur, perspicuum

Ioan. 8.

A est aduersus ipsum iudicium eiusdem Domini sic inferẽtis: *Seruus autem non manet in domo*: itemque Apostoli, qui præcepto cauit: *Auferte malum ex vobis ipsis.* Hoc enim modo & qui ministrant liberi erunt ab hæsitatione, & reliquorum fratrum periculo erit consultum.

Ioan. 8. 1. Cor. 5.

INTERROGATIO CLVI.

Cui credita est procuratio vel cellarij, vel alterius cuiuspiam istiusmodi muneris, nunquid hic perpetuo habere procurationem illam debeat, an etiam intermittere, & aliis illam vicißim tradere?

RESPONSIO.

B PRorsus, si iste & disciplinæ modum, & regulæ rectitudinem conseruat, mutationem fieri superuacaneum est, vel difficillimum potius. Necessariò autem habere aliquem veluti assectatorem debet, qui paulatim ad eam ipse procurationem esse idoneus insuescat: ne videlicet quotiescunq; necessitas successorem desiderauerit, si hic præstò non sit, necessario cogamur perturbari, & huiuscemodi muneri minus idoneum aliquem præficere, atque ita necessario ex huius imperitia illud sequatur, vt & disciplinæ corrumpatur seueritas, & ex ratione institutus ordo dissoluatur.

INTERROGATIO CLVII.

C *Cuiusmodi animi affectione seruire Deo aliquis debet, & in vniuersum affectio hæc quid est?*

RESPONSIO.

BOnam animi affectionem ego esse existimo cupiditatem vehementem placendi Deo, eamque insatiabilem, & stabilem, & constantem. Comparatur autem hæc ex solerti & continenti contemplatione magnitudinis gloriæ Dei, & grata repetitione, & recordatione assidua datorum nobis beneficiorum à Deo: Ex quibus in anima illud ingeneratur, *diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo, & ex tota fortitudine tua, & ex tota mente tua*, sicut faciebat ille, qui dixit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Cũ huiuscemodi igitur animi affectione seruiendum est Deo, illudq; efficiendum, quod dictum est ab Apostolo. *Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? &c.*

D Matth. 22. Psal. 14. Rom. 8.

INTERROGATIO CLVIII.

Qua mente irrogatam sibi animaduersionem suscipere aliquis debet?

RESPONSIO.

E EA nimirum, quæ illi conueniat, qui morbo aliquo laboret, & de retinenda vita anxius sit, quandocunque aut à patre curatur, aut à medico, licet acerba sit, & aspera curationis ratio, reiecta prorsus omni de charitate, peritiáve eius, qui sibi illam irroget, dubitatione, cum summo desiderio recuperandæ sanitatis.

INTERROGATIO CLIX.

Qui aduersus illum, à quo obiurgatus est, offensionem sumit, is cuiusmodi est?

RESPONSIO.

F HIc neq; peccati periculum cognouit, & maximè eius, quod est aduersus Deum: neque vtilitatem pœnitentiæ: neque ei fidem habuit, qui dixit: *Qui autem diligit, instanter corripit*, & seipsum alienum statuit à fructu illius, qui dixit: *Corripiet me iustus in misericordia.* Et qui eiusmodi est, huius conuersatio inter reliquos fratres pernicioſa est. Siquidem exemplo suo à suscepto certamine cæteros abducit.

Prou. 18. Psalm. 140.

INTERROGATIO CLX.

Cuiusmodi animi affectione debemus fratribus ministrare?

RESPONSIO.

PErinde ac si Domino ipsi ministraremus, qui dixit: *Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25.

Soluit simili.

mirè

mirè conducit ad comparandam huiusmodi animi affectionem hoc etiam, si eiusmodi sint ij, quibus obsequium impendatur. Itaque accuratius curam illorum gerere antistites debent, ne tanquam corporis studio dediti, ventri, & voluptatibus seruiant: sed vt Dei & Christi amatores per perfectam patientiam tales existant, in quibus Deus glorietur, & contumelia diabolus afficiatur, vt in iusto Iob.

INTERROGATIO CLXI.

Cum cuiusmodi animi humilitate ministerium, quod sibi à fratre impendatur, accipere aliquis debet?

RESPONSIO.

Ioan. 13. CVm simili atque seruus aliquis, cui à Domino suo ministraretur: & eiusmodi, qualem præ se tulit Petrus, cum ei Dominus ministraret. In quo etiam docemur de illorum periculo, qui recusant, quominus sibi ministretur.

INTERROGATIO CLXII.

Cuiusmodi mutuam inter nos alij erga alios habere charitatem debemus?

RESPONSIO.

Simile. QValem Dominus ostendit, & docuit, cum dixit: *Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quòd si ponenda anima est, qui non multo magis in iis, quæ minoris precij sunt, necessariò adhibenda est animi promptitudo? non ea re, vt humanis officiis faciamus satis: sed eo consilio, vt Deo placeamus, & vtilitati cuiusque consulamus.

Ioan. 15. A maiori Arg.

INTERROGATIO CLXIII.

Acquirendæ erga proximũ charitatis formula.

Qua ratione aliquis charitatem aduersus proximum poterit obtinere?

RESPONSIO.

Ioan. 3. NImirum si primo iudicium metuerit, quod est aduersus illos, qui violant mandatum Domini: cum ipse dixerit: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Deinde, si animum ad vitæ æternæ cupiditatem adijciat. Mandatum enim eius vita æterna est. *Primum autem & magnum mandatum est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua. & secundum simile huic, diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et si Domino assimilis fieri studeat, qui dixit: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* Tum etiam si cum animo suo hoc modo cogitare instituerit, quòd videlicet, si frater ille bene de nobis meritus est, etiam humano more illi charitatem debemus, quam etiam gentiles seruant, vt in Euangelio Dominus declarat, cum dicit: *Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt.* Sin contrà, male meritus, & sic nihilominus non solum propter mandatum, sed etiam vt maiorem in modum de nobis bene meritum debemus diligere, si modò credimus Domini vera esse verba illa, *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersum vos mentientes, propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Matth. 22. Ibidem. Ioan. 13. Luc. 6. Matth. 5.

INTERROGATIO CLXIIII.

Matth. 7. *Quid igitur est,* Nolite iudicare, & non iudicabimini? Nolite condemnare, & non condemnabimini?

RESPONSIO.

Matth. 7. Ioan. 7. Quatenus iudicare. CVm Dominus alias dicat: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*: alias verò, Iustum iudicium iudicandum esse præcipiat: nequaquam in vniuersum interdicitur nobis, quominus iudicemus: sed in iudicio faciendo iubemur delectum adhibere. In quibus autem hoc seruari debeat, & in quibus non, dilucidè demonstrauit nobis Apostolus: qui in his quidem, quæ posita sunt in libera potestate vniuscuiusque, neque distincta à scriptura, dixerit: *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* & item: *Non ergo amplius inuicem iudicemus.* In his verò, quæ displicent Deo, eos reprehendat, qui non iudicent, & ipse iudicium suum in medium afferat, cum dicit: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum, qui si hoc operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit, in die Domini nostri Iesu Christi.* Quocirca si quid est, quod in potestate nostra positum sit, aut plerunque etiam dubium sit, de hoc frater iudicari non debet, conuenienter verbis illis, quæ sunt apud Apostolum, de his, quæ ignorantur ita dicentem: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* At in iudiciis Dei aliter faciendum est: nam ea omnino necessario sunt vindicanda, ne iis dissimulandis in societatem constitutæ à Deo pœnæ incurrat is, qui dissimulauerit, nisi si sit aliquis, qui quòd in iisdem quoque ipse criminibus hæreat, cum eo, qui incusatur, liberè fratrem iudicare non possit: cum Dominum audiat dicentem: *Eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.*

Rom. 14. Ibidem. 1. Cor. 5. 1. Cor. 4. Matth. 7.

INTERROGATIO CLXV.

Quibus signis intelligere poterit aliquis, vtrum zelo Dei aduersus peccantem fratrem moueatur, an iracundia.

RESPONSIO.

Psalm. 118. SI aduersus quoduis peccatum sentiat in se illud quod scriptum est: *Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt eloquia tua inimici mei.* Enim vero hic de zelo Dei dubitari non potest, etsi hic quoque non mediocri opus est prudentia ad ædificationem fidei. Hæc autem affectio nisi prius in animo fuerit, & ipsum mouerit, & motus ipse inæqualis existit, & nulla in re propositum pietatis seruatur.

INTERROGATIO CLXVI.

Cuiusmodi animi affectione par est illi obedire, qui ad mandati executionem solicitet, vrgeátve?

RESPONSIO.

A simili ducta solutio. NIhilo minore quàm quanta paruus vehementer esuriens, vocanti se ad refectionem nutrici auscultat: & quilibet, cui chara vita sit, ei qui sibi quæ ad viuendum necessaria sunt, largiatur: imò multo maiore etiam, quo videlicet longè hac, in qua sumus nunc, nobilior est ea, quæ æterna est vita. *Mandatum enim Dei* (inquit Dominus) *vita æterna est.* Quod autem in pane est comestio, id in mandato est operis executio: cum alio in loco idem Dominus dicat: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me patris.*

Ioan. 12. Ibid. 4.

INTERROGATIO CLXVII.

Qualis esse anima debet, cogitans quòd digna habita sit, quæ tota in Dei opere occuparetur?

RESPONSIO.

2. Reg. 7. iuxta LXX. Coloss. 1. QValis erat illa, quæ dicebat: *Quis sum ego Domine meus Domine & quæ domus mea, quod dilexisti me?* Complens quod scriptum est, *gratias agentes Deo patri, qui idoneos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

INTERROGATIO CLXVIII.

Cuiusmodi animi affectione sumere oportet vestimentum, calceamentúmve qualecunque illud sit?

RESPONSIO.

ID si aut arctius sit, aut laxius, quàm vt ætati eius cõueniat, cui detur, aperito is necessitatem suã, adhibita ea, quam adhiberi

adhiberi par est, modestia. Si verò propterea mouetur, quòd aut vile sit, aut non nouum: enim verò meminerit is Dominum dixisse, non quemuis temere, sed operarium dignum esse cibo suo: & seipsum diligenter exquirat, num ex dignitate mandatorum, aut promissorum Dei opus aliquod effecerit. Ita enim fiet, vt non aliud inquisiturus sit, potiúsque de eo, quod sibi datum fuerit, solicitus erit, tanquam quod sibi immeritissimo datum sit. Quod enim de cibo dictum est, id in omni re, quæ ad corporis vsum pertineat, haberi tanquam regula debet.

INTERROGATIO CLXIX.

Si frater qui natu minor sit, maiorem se aliquid docere iussus fuerit, quomodo is se aduersus illum gerere debet?

RESPONSIO.

TAnquam qui ministerio fungatur ex mandato Domini Dei: qua quidem metuens ne obnoxius efficiatur iudicio illius, qui dixit: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter*: qua verò cauens, ne aliquando fastidio elatus incidat in iudicium diaboli.

Hier. 48. *1. Tim. 3.*

INTERROGATIO CLXX.

Nunquid eodem loco habendi sint, quorum in rectè factis maior, & quorum minor vigeat industria?

RESPONSIO.

Luc. 7. QVod in remissione peccatorum Dominus sanxit, cum dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit*, & quod item in presbyteris Apostolus præcepit, cum dixit: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*, hoc rectum arbitror, vt in omnibus, qui istiusmodi sunt, seruetur.

1. Tim. 5.

INTERROGATIO CLXXI.

Si verò doleat, qui inferior sit, præstantiorem in pietate sibi anteponi, quomodo nos aduersus illum geremus?

RESPONSIO.

QVi huiusmodi est, is ex parabola Euangelij manifestæ malignitatis damnatur: in qua parabola Dominus ait ad eos, qui ægrè tulerant quosdam pari præmio secum fuisse affectos: *An oculus tuus malignus est, quia ego bonus sum?* Et perspicuum est aduersus hunc, & qui huius similes sunt, iudicium Dei per Prophetam dicentem: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius omnis malignus. Timentes autem Dominum glorificat.*

Matth. 20. *Psalm. 14.*

INTERROGATIO CLXXII.

Quanto cum timore, qualive cum animi persuasione, affectionéve corpus & sanguinem Christi communicemus?

RESPONSIO.

1. Cor. 11. DE timore quidem habemus Apostolum, qui dicit: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* *Ibidem.* Fidem autem faciunt verba Domini, qui dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* & testimonium etiam Ioannis, qui cum gloriâ verbi prius posuisset, post confestim modum assumptæ humanitatis adiecit, cum dixit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.* *Ioan. 1.* Itemque Apostoli, apud quem scriptum est: *Quod cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* *Philip. 2.* Quotiescunque igitur animus fide his atque huiusmodi verbis adhibita, qua quidẽ in cognitionẽ venerit maiestatis tantæ gloriæ, qua verò incredibilem magnitudinem humilitatis & obedientiæ admiratus fuerit, quòd videlicet ille talis ac tantus patri obediens fuerit vsque ad mortem pro vita nostra: prorsus in eo charitatem arbitror excitari aduersus Deum patrem, qui proprio filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit: similiterque impelli ad diligendum vnigenitum filium, qui obediens fuerit vsq; ad mortem pro redemptione & salute nostra: atque ita assentiri Apostolo potest, qui quidem iis qui sani sunt, quandam veluti regulam exponit, eam videlicet, quę in his bona est conscientia, cum ait: *Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Hoc modo animo affectus, & paratus esse debet, qui panem & calicem communicat.

Rom. 8. *2. Cor. 5.*

INTERROGATIO CLXXIIII.

Nunquid tempore domesticæ psalmorum modulationis, colloquiis vllis dandus sit locus?

RESPONSIO.

IIs exceptis, quibus tuendæ disciplinæ procuratio credita est, & operum delata distributio: & hoc ipsum, cum maxima aliqua vsus alicuius necessitas poscat: & neque tunc inconsideratè, sed habita ratione loci, ordinis, dignitatis, & vtilitatis cuiusque: reliquis omnibus necessarium silentium est. Etenim si ipso idoneo ad loquendum tempore, in ipsis etiam, quibus assignatum est munus docendi, prior silere iussus est, si alij reuelatum sit, qui non multo magis tempore psalmodiæ, vnicuique de multitudine necessarium silentium sit?

1. Cor. 14.

INTERROGATIO CLXXIIII.

Quomodo obtinere aliquis possit, vt ex animo, ac studiosè mandatum Domini exequatur?

RESPONSIO.

NAturaliter rerum delectationem & vtilitatem afferentium consuetudo, & ipsa etiam expectatio animum ad res istiusmodi expetendas & concupiscendas mouet. Igitur si quis odio habuerit, & abominatus fuerit iniquitatem, & liber fuerit ab omni peccato, per quod, quemadmodum per morbum in corpore appetitus deiectio, & ciborum iusuaue fastidium, sic in animo etiam circa expletionem iustificationis diuinæ pigritia ac lentitudo ingeneratur: & si persuasum sit, mandatum Dei vitam æternam esse, & quæcunque iis, qui illud seruauerint, promissa sunt, vera sibi morigeris & obseruantibus, nimirum hic animi similem affectionem cõsequitur, atque ille, qui dixit: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.*

Γνώμη. *Psal. 118.* *Simile.* *Psalm. 18.*

INTERROGATIO CLXXV.

Quomodo deprehenditur aliquis, quòd fratrem diligat ex mandato Domini? & quomodo item conuincitur, quòd hoc modo non diligat?

RESPONSIO.

CHaritatis præcipua sunt hæc duo, dolere & angi in iis rebus, ex quibus læditur is, aduersus quem charitas habetur: similiterque ipsius vtilitate lætari, & pro ea laborare. Beatus igitur quicunque mœret propter illum qui peccat, cum eius periculum adeo sit metuendum: & lætitia afficitur, propter illum, qui rectè facit, cum eius lucrum incomparabile sit: sicut scriptum est. Quin & hoc etiam Paulus Apostolus testatur, cum ait: *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra* (seruata tamen prorsus ratione eius, quę est in Christo, charitatis) *Et si glorificatur vnum membrum* (ex proposito videlicet voluntatis placendi Deo) *congaudent omnia membra.* Qui autem hoc modo variè non afficitur, de hoc prorsus dubitari non potest, quòd fratrem ex mandato non diligat.

Charitatis fraternæ argumentum duplex. *1. Cor. 12.* *Simile Paulinum.*

INTER-

Interrogatio clxxvi.

Qui sunt illi inimici, quos iussi sumus diligere? & quomodo diligemus inimicos, benignéne factis tantum, an verò adiuncta etiam animi in eos affectione: & nunquid hoc fieri possit?

Responsio.

Inimici peculiare indicium.

INimici proprium est nocere, & insidiari. Quicunque itaque quocunque modo alicui nocet, ipsius ritè inimicus appellari potest: præcipuè autem, qui peccatum committit. Nam quantum in ipso est, variis modis nocet, & insidiatur ei quicum viuit aut consuetudinem habet. Quoniam autem homo constat ex animo & corpore: quod quidem ad animum attinet, eos qui huiusmodi sunt, diligemus castigando, admonendo, & omnibus modis ad sanitatem reuocando: quod vero ad corpus pertinet, beneficiis ipsos subleuando, cum aliqua re egeant, earũ, quæ sunt ad vitam necessariæ. Quod autem charitas in animi affectione consistat, hoc verò nemini dubium est. Quòd autem fieri possit, Dominus ostendit, ac docuit, quippe qui charitatem & patris, & suam ipsius seruanda vsq; ad mortẽ obedientia declarauerit, idq; pro inimicis, nõ pro amicis, quemadmodum testatur Apostolus, cum ait: *Commendat autem charitatem suam Deus in nos: quoniam cũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et nos quoque ad hoc idem faciendum hortatur, cum dicit: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo.* Sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus ac iustus est, nisi etiam facultatem qua id faceremus, fuisset largitus. Quam quidem etiam in natura ipsa expressè insitam videri voluit. Bene enim de se meritos etiam bestiæ naturaliter diligunt. Verùm quid est tandem quod ab amico magnum adeo beneficium possit proficisci, quantum est illud, quod ab inimicis nobis datur? quorum opera fit, vt beatitudinem illam assequamur, de qua loquens Dominus ait: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersum vos, mentientes propter me. gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Rom. 5.

Ephes. 5.

Fera de se bene meritos amant natura ductæ.

Matth. 5.

Interrogatio clxxvii.

Rom. 15.

Quomodo debent, qui firmiores sunt, infirmitates infirmorum portare?

Responsio.

Esa. 53.

SI portare est tollere, & curare, secundum id quod scriptum est: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:* non quod in se hæc ille susceperit, sed quòd eos in quibus hæc erant, curauerit: etiam hoc in loco pœnitentiæ modus & ratio conueniet: per quam rationem qui infirmiores sunt, à valentioribus adhibita diligentia curabuntur.

Interrogatio clxxviii.

Galat. 6.

Quid est, Alter alterius onera portate? *& qualem legem adimplebimus, si hoc fecerimus?*

Responsio.

ἐις πυθμένα

HOc idem est, cum eo, quod proximè dictum est, Grauis enim res est peccatum, & suo pondere animam ad inferni profundum detrahit. Hoc autem inter nos vicissim alij ab aliis tollimus, atque amputamus, quotiescumque operam damus, vt resipiscant, qui peccãt. Cæterum vocabulum hoc, quo hic vtitur Apostolus, βασάζειν, id est portare, vulgo etiam ab agrestibus pro tollere solitũ est vsurpari, vt sæpenumero ipse plerosque ita loquẽtes audiui. Legem autem Christi adimplebimus, qui dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* & nobis, quid faceremus, lege illa præcepit, cum dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.*

βασάζειν.

Luc. 5.

Matth. 18.

Interrogatio clxxix.

Quomodo potest aliquis sine charitate tantam fidem habere, vt montes transferat, aut facultates suas pauperibus distribuat, aut tradat corpus suum, ita vt ardeat? 1. Cor. 13.

Responsio.

SI in memoriam nobis redigimus, quod Dominus dixit: *Faciunt enim vt spectentur ab hominibus.* Itemque quid illis responderit, qui dixerant: *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia multa eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* ad quos ait: *Nescio vos, vnde sitis.* non quòd illi mentiti essent, sed quòd Dei munere ad proprias voluntates fuissent abusi, quæ res aliena est à charitate Dei. Sed si hæc meminerimus, haud sanè difficulter dicta hæc possumus intelligere. Porrò quòd munus Dei, donumve tribuatur indigno alicui, non est mirandum. Siquidem Deus in tempore bonitatis & patientiæ, *solem suum oriri facit super malos & bonos*, idque sæpenumero ad vtilitatem etiam vel eius ipsius, cui donum tribuitur, quod videlicet, si fieri possit, Dei bonitatem reueritus aliquo modo incitetur, vt in eum gratus esse studeat: vel aliorum etiam: conuenienter verbis Apostoli illis: *Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.* quibus postmodum adiungit, *Quid enim? Dum omni modo siue per occasionem siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo.*

Matth. 7.

Ibidem.

Luc. 13.

Dei donum etiam immeritis tribuitur.

Rom. 2.

Matth. 5.

Phil. 2.

Interrogatio clxxx.

Cuiusmodi animi affectione, attentionéve ea debemus audire, quæ ad mensam accumbentibus nobis leguntur?

Responsio.

MAiore multo cum delectatione, quàm cum quanta aut edimus, aut bibimus: idque vt appareat mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptates, sed maiorem in modum se in verbis Domini oblectare: quod ille faciebat, qui dixit, *dulciora super mel & fauum.*

Solutio per collationem.

Psalm. 18.

Interrogatio clxxxi.

Si aliquæ vicinæ inter se fratrum familiæ fuerint, & altera inopia laboret, altera sit ad communicandum de his quæ habeat, restrictior, quomodo aduersus tenaces illos affecti esse animo debent, qui egentes sunt?

δυσχερέστερα.

Responsio.

QVi ita instituti sunt, vt in charitate Christi ipsam etiam animam vicissim alij pro aliis ponendam sciant, qui fieri potest, vt in his quæ ad corpus pertinent, restrictiores sint? tanquam si obliti sint eius, qui dixit: *Esuriui & non dedistis mihi manducare,* & cætera. Veruntamen si hoc fiat, æquo animo ferre debent, qui in egestate sunt: cùm certum sciãt se consolationem in consequenti seculo inuenturos, & Lazarum illum imitari.

Argumentũ à maiori.

Matth. 25.

Interrogatio clxxxii.

Ex cuiusmodi fructibus iudicium de aliquo fieri debet, quòd misericordia motus peccantem fratrem corripiat?

Responsio.

PRimum ex iis, qui misericordiæ peculiares sunt: conuenienter verbis illis Apostoli: *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* &: *Quis scandalizatur, & ego non vror?* Deinde etiam, si ex quouis peccato similem ad se dolorem sentiat venire, nihilominusque eorum causa doleat, & qui in ipsum, & qui in alium peccent, illorumque ipsam vicem misereat: & si in corripiendo, traditum à Domino modum conseruet.

Solutio per simile Paulinum.

1. Cor. 12.

2. Cor. 11.

Inter-

INTERROGATIO CLXXXIII.

Si aliquando inciderit, vt in fratrum societate orta inter aliquos dissensio sit, nunquid tutum sit, charitatis causa se ad eorum, qui istiusmodi sunt, partes vel has, vel illas aggregare?

RESPONSIO.

Ioan. 17. CVm Dominus dixerit, *Da pater, vt sicut ego & tu vnum sumus, sic & ipsi vnum sint in nobis.* & apud Apostolum scriptum sit, *Vnanimes idipsum sentientes*. & item in actis memoretur, quòd *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna:* inter quos dissensio est, ij alieni sunt ab ijs, quæ dicta sunt. Porrò quæ rationi consentanea charitas est, ea seruat, quod dictum est: *Qui autem diligit, instanter erudit.* Quæ vero aliena est à ratione, qualiscunque illa sit, ea laudabilis non est: cum Dominus dixerit, *Qui autem diligit patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.*

Philip. 2.
Act. 4.
Prou. 13.
Matth. 10.

INTERROGATIO CLXXXIV.

Quomodo possit aliquis, & quando exhortatur, & quando corripit, studere non solum vt scienter loquatur, sed vt animi etiam affectionem, cum aduersus Deum, tum aduersus eos, quibuscum loquitur, debitam conseruet?

RESPONSIO.

2. Cor. 4. SIquis meminerit Apostolum dixisse, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:* is non vt propriam quandam scientiam ex autoritate sua dispensat, sed veluti ministerio Dei in curandis Christi sanguine redemptis animabus fungitur, timore, tremoreque erga Deum adhibitis, imitans illum, qui dixit, *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.* Et aduersus auditores item beneuolentia, ac bonitate, illud faciens, quod dictum est. *Tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras.*

1. Thess. 2.
1. Thess. 2.
Simile Paulinum.

INTERROGATIO CLXXXV.

Si quis in aliquo, quem habeat sermone, auditores videat commoueri, ac propterea lætetur, qui is dignoscere poterit, ex rectáne animi affectione hoc faciat, an ex praua aliqua sua animi libidine?

RESPONSIO.

SI in solis tantummodo laudibus lætitiã illam constituerit, de hoc dubitatio esse non potest, quin ex propria libine moueatur. Si verò eorum, à quibus laudetur, statim cognita in auscultando intelligentia, propterea gauisus sit, quod eos facilè obtemperantes fore confidat: postea verò vtilitate diligentius perquisita, si rectè facta laudibus illis consentanea in ipsis repererit, lætitia afficiatur: contraque, si nihil laudatores illos profeciss̃e animaduerterit, indoleat: hic gratias agat Deo, quod vt erga Deum pius, & aduersum fratres beneuolus dignus habitus sit, qui moueretur, non quærens gloriam suam, sed gloriam Dei ad ædificationem fratrum.

φιλόθεος καὶ φιλάδελφος.
1. The. 2.

INTERROGATIO CLXXXVI.

Quoniam docemur talem habere charitatem, vt etiam animam pro amicis ponamus, scire vellemus pro quibusnam amicis hoc facere animum inducere debeamus.

RESPONSIO.

SAnè animi affectio, moduſque, quæ teneri in hoc officio debent, consentaneum est vt ea diuersa inter se sint. Siquidem alia sunt plerunque, quæ peccatorum causa susc̃ipi debent, & alia item, quæ iustorum. Veruntamen vt charitatem ad mortem vsque tam pro iniustis, quàm etiam pro iustis seruemus, hoc sine vllo discrimine ipsi edocemur. *Commendat enim charitatem suam Deus in nos*, inquit, *quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ad sanctos autem quæ seruari debeat, Apostolus dicit his verbis:

Rom. 5.
ὑπόδειγμα *solemne Paulo.*

A *Tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.* *1. The. 2.*

INTERROGATIO CLXXXVII.

Debetne quisquis cœnobio se dedit, quæ se contingunt, à propinquis accipere?

RESPONSIO.

OMnino ijs, qui ad Dominum accedunt, necessario quæ ad ipsos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque prorsus quicquam subtrahere, ne sacrilegij B iudicium incurrant. Veruntamen hęc ipsa in oculis illorum, ad quos pertinere visa sunt, consumi nihil est necesse. Siquidem hoc facere, plerumque illis ipsis causam præbet sese efferendi: contraque pauperibus, qui ad eandem vitam se contulerunt, dolendi. Ex quo illud sequitur, quod vitio datur Corinthijs ab Apostolo, cum ait, *confunditis eos, qui non habent.* *1. Cor. 11.* Quamobrem cui credita singularum ecclesiarum procuratio est, is si fidelis sit, & dispensare prudenter possit, hac in re eorum consuetudinem imitetur, de quibus est in Actis, quod ferentes ponebant ante pedes apostolorum. *Actor. 4.* Quòd si quæ huiusmodi sunt, dispensare non est omnium, sed eorum tantummodo, quibus adhibita diligenti circunspectione huiuscemodi demandata administratio sit: C etiam quod ab huiusmodi, quos diximus, hominibus datum fuerit, hic de eo ita statuet, quemadmodum ipse rectum esse iudicarit.

INTERROGATIO CLXXXVIII.

Quomodo venientes ad nos domesticos aut cognatos nostros aspiciamus?

RESPONSIO.

QVemadmodum Dominus ostendit, & docuit, quando ei renunciatum fuit, quòd mater eius & fratres starent D foris, volentes illum videre: ad quos, quasi eos vehementius increpans, respondet his verbis, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est.* παράδειγμα. *Matth. 12.*

INTERROGATIO CLXXXIX.

Si verò nos etiam vt domum ad ipsos adeamus, rogauerint, nunquid ipsis auscultandum sit?

RESPONSIO.

SI hoc propter ædificationem fidei sit, qui adire hoc modo potest, is data venia mittitor. Si vero propter officium E humanum, audiat quid illi Dominus respondeat, qui dixerat, *Permitte mihi ire, & renunciare his, quæ domi sunt.* ait enim, *Luc. 9.* *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quòd si de eo, qui renunciare tantum voluerat, tale iudicium est, quid de hoc dicendum est?

INTERROGATIO CXC.

Nunquid eorum, qui naturali nobis necessitudine coniuncti sunt, misericordia moueri debemus, cupidi salutis illorum?

RESPONSIO.

QVi natus est ex spiritu, vt Dominus ait, & potestatem F etiam assecutus est, vt fieret filius Dei, hunc pudet naturæ coniunctionis, & propinquos suos agnoscit, propinquos fidei, quibus testimonium Dominus dat, cum dicit, *Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Et æquè misericordia mouetur omnium, qui longè recedunt à Domino, & in his nihilo plus cognatorum suorum, qui secundum carnem sunt, quàm reliquorum. Si verò sit, qui cum maiorem quandam his misericordiam tribuat, existimet huius affectionis suæ patronum habere se Apostolum, quod is dicat, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem:* intelligat is ex ijs, quæ sequuntur, apud Apostolum non in *Ioan. 1. Germani fideles & mater & fratres Domini. Matth. 12.* *Rom. 9. Exemplo confirmat.*

precio haberi cognationem eam, quæ erat secundum carnem, sed Israëlem, & quæ præcipuè à Deo in ipsum collata fuerant beneficia: neque quoniam cognati ipsius erant Israëlitæ, sed quoniam Israëlitæ erant, qui secundum carnem cognati ipsius erant: & quoniam tot talibusque à Deo beneficijs fuerant affecti, quoniam ipsorum erat adoptio filiorũ & gloria, itemque legislatio, & cultus Dei, quoniam ipsis data fuerant testamenta, & promissiones, quorum etiam ipsorum erant patres, quoniam ex ipsis Christus secundum carnem, idcirco tanti salutem illorum facit, non habita ratione cognationis, sed humanitatis ipsorum causa à Domino assumptæ, cuius verba sunt hæc; *non missus sum nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël.* Matth. 15.

INTERROGATIO CXCI.

Quis est mitis? Matt. 5.

RESPONSIO.

QVi in iudicijs earum rerum, quæ Deo placent, idem vsque stabilis perseuerat.

INTERROGATIO CXCII.

Quæ est tristitia secundum Deum, quæ item mundi? 2. Cor. 7.

RESPONSIO.

SAnè quæ secundum Deum tristitia est, ea est, cum quis ex neglecto mandato Dei, dolore afficitur, sicut scriptum est, *defectio tenuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Quæ autem mundi est, ea est, quandocunque quis ex re aliqua humana, mundanáve animi ægritudinem sentit. Tristitia duplex. Psal. 118.

INTERROGATIO CXCIII.

Cuiusmodi est, quod in Domino gaudium est? & quid est, quòd facientes gaudere debeamus? Philip. 3. Ibid. 4.

RESPONSIO.

IN his quæ secundum mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocunque mãdata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere, & gratulari inter nos debemus.

INTERROGATIO CXCIV.

Cuiusmodi est ille luctus, quem suscipere debemus, si beatitudinem illam, quam lugentibus parat am Dominus ait, consequi volumus? Matth. 5.

RESPONSIO.

COntinetur quæstio ista in ea quæstione, quæ est de tristitia illa, quæ est secundum Deum, quando videlicet propter admissa delicta lugemus: vel quòd Deus contemnitur, cũ per transgressionem legis contumelia afficiatur Deus, vel quòd eorum periculum videmus, qui peccant. *Anima enim quæ peccauerit,* inquit, *ipsa morietur,* imitantes illum, qui dixit, *Et lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt.* Rom. 2. Ezec. 18. 1. Cor. 12.

INTERROGATIO CXCV.

Quomodo omnia quis ad gloriam Dei facit?

RESPONSIO.

QVando omnia propter Deum ex mandato Dei facit, & nulla in re humanas laudes quærit, atque assiduè vsque Domini verba illa memoria tenet, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5.

INTERROGATIO CXCVI.

Quomodo manducat quis & bibit ad gloriam Dei? 1. Cor. 10.

RESPONSIO.

NImirum quando diuinorum beneficiorum erga se memoriam conseruat, & eiusmodi animi affectionem retinet, quæ ex compositione etiam corporis declaretur, vt non tanquam securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habeat Deum. Et quando in sumendo cibo illud sibi propositum habet, vt non tanquam ventris mancipium, propter voluptatem manducet, sed tanquam operarius Dei, vt in operibus ijs, quæ sunt ex mãdato Christi, exequendis esse firmior possit. Dogma.

INTERROGATIO CXCVII.

Quomodo quod dextra facit, nescit sinistra? Matth. 6.

RESPONSIO.

QVotiescunque defixo, ac vehementi desiderio Deo gratificandi, mens ab omni parte solicita, ne ab officio discedat, legitimè certat, tunc de nullo prorsus membro alio cogitat nisi de eo, quod ad id vtile sit, quòd in præsentia fieri oporteat: vt artifex qui in singulis operibus vnum illud tantummodo instrumentum spectat, quod ad ea administranda vtile est. Βεβαίωσις à simili petita.

INTERROGATIO CXCVIII.

Quid est humilitas, aut quomodo hanc assequemur, & legitimè consciemus?

RESPONSIO.

SAnè humilitas quidem ea est, cum quis cæteros omnes seipso superiores existimat, ex præscripto Apostoli. Comparatur autem hæc virtus, si quis meminerit mãdati Domini illius, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde,* quod quidem ipse variè multis in locis, & ostendit, & docuit. & si fidem ei adhibuerit, qui asseueranter affirmauit, Qui seipsum humiliauerit, eum exaltatum iri. Præterea si æqualiter semper, atque vno tenore omni in re humilitatẽ consectatus sit, in eaque & mente se & re ipsa exercuerit. Vix enim hoc modo per assiduam meditationem ad habitũ humilitatis poterit peruenire, vt in artibus fieri consueuit. Porrò idem modus assequendi nihilominus etiam est in quacunque alia virtute, quæ est ex mandato Iesu Christi Domini nostri. Philip. 2. Matth. 11. Luc. 14. Ibid. 18. Collatio.

INTERROGATIO CXCIX.

Quomodonam quis animum possit inducere, vt pro mandato Dei periculis se alacriter exponat?

RESPONSIO.

PRimum ea ratione, si admonitus sit Dominum ipsum pro nobis Patri obedientem fuisse vsque ad mortem: deinde si de virtute mandati Domini persuasus sit, quod vita æterna sit, sicut scriptum est: tum etiam si sententiam illam Domini veram esse crediderit, *Quicunque voluerit animã suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, & euangelium, saluam faciet eam.* Philip. 2. Ioan. 12. Mar. 8. καὶ τοῦ εὐαγγελίου

INTERROGATIO CC.

Qui in opere Domini ipsi ante laborarunt, quomodo ij alios ad idem modo accedentes possunt iuuare.

RESPONSIO.

HOc modo nimirum, vt si viribus corporis valeant, studij sui alacritatem præ se ferant, & in omnibus rectè factis exemplo suo cæteris ipsi præluceant. Sin valetudine sint infirma, animum ita compositum habeant, vt ex vultu, motuque omni coniectura fieri possit, eos persuasos esse Dominum adesse, & quæcunque faciant, in oculis ipsius fieri. Etsi enumeratas ab Apostolo charitatis proprietates teneant, sic dicente, *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non indecore agit, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidit.* Quandoquidem quominus hæc haberi perfectè omnia possint, corporis imbecillitas nihil obstat. 1. Cor. 13. οὐ περπερεύεται, φύσιται.

INTER-

Interrogatio CCI.

Quomodo quis assequi possit, ne inter orandum mente distrahatur?

Responsio.

τῇ ὁμοίᾳ στε soluit.

NImirum si certò credat, Deum se ante oculos habere. Si enim principem aliquis aut præsidem intuens, & cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non solet, qui non tandem credibilius est, intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui scrutatur corda & renes? & illud facturum quod scriptum est, *leuantes puras manus sine ira & disceptatione?*

Psal. 7. 1. Tim. 2.

Interrogatio CCII.

Nunquid fieri possit, vt mens ita omni in re attenta semper teneatur, ne vsquam distrahatur? & si fieri possit, quo modo?

Responsio.

Psal. 24. Psal. 15.

QVòd fieri possit, ostendit ille qui dixit, *Oculi mei semper ad Dominum*. Et *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear*. Quomodo autem fieri possit, dictum est superius: nempe si cessandi spatium animo datum non sit, à cogitatione operum & beneficiorum Dei, & pro his omnibus prædicatione, & gratiarum actione.

Interrogatio CCIII.

Eorum, quæ sunt ex mandato Dei rectè factorum, vtrúmne æqualis in omnibus mensura est? an in alijs maior, in alijs minor?

Responsio.

OMnino quòd non eadem mensura sit in omnibus, atque alius sit cui plus credatur, alius cui minus, & præ se ferat etiam, perspicuum est ex verbis Domini: qui quidem aliàs dicit, *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit, alius quidem centesimum, alius vero sexagesimum, alius vero tricesimum*. Quod quidem etiam in eo inuenitur, qui drachmam acceperat, aliàs autem, *Vni quidem dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum.*

Matth. 13. μνᾶν. Matth. 25.

Interrogatio CCIV.

Qua ratione aliquis dignus esse possit, qui assequatur, vt particeps fiat Spiritus sancti?

Responsio.

Ioan. 14.

DOminus noster Iesus Christus docuit cum, dixit, *Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere*. Ex quo intelligitur, quamdiu mandata Domini non seruamus, neque tales sumus, vt de nobis ille testificans dicat, *Vos de hoc mundo non estis*: nequaquam debere nos expectare, dum Spiritu sancto digni efficiamur.

Ioan. 15.

Interrogatio CCV.

Qui sunt mendici spiritu?

Matth. 5.

Responsio.

Ioan. 6. Ioan. 14. Ibid. 16. παρ' ἐμοῦ.

CVm Dominus dicat, aliàs quidem, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*; aliàs verò, *Spiritus sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Non enim loquetur*, inquit, *à semetipso, sed quæcunque audierit à me, hæc loquetur*. hi sunt mendici spiritu, qui non aliam vllam ob causam ad mendicitatem deuenerunt, quàm ob doctrinam Domini, qui dixit, *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Si verò quis oblatam sibi etiam quomodocunque mendicitatem susceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus sit, vt Lazarus, neque hic à beatitudine illa excluditur.

Luc. 18.

Interrogatio CCVI.

Cum Dominus præcipiat, non debere nos esse solicitos, quid esuri simus, aut quid bibituri, aut quibus nos vestibus induturi, quousque præceptum hoc progredi putandum est, quomodóve ei satisfiet?

Matt. 6.

Responsio.

OMnino mandatum hoc, sicut & reliqua omnia vsque ad mortem tenendum est. Siquidem Dominus etiam ipse obediens fuit vsque ad mortem. Comparatur autem per fiduciam in Deum. Etenim prohibita Dominus solicitudine, confestim promissionem adijcit, cum ait, *Scit enim pater vester cælestis quid opus sit vobis, antequam petatis eum*. Talis erat Apostolus cum diceret, *Responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobismetipsis, sed in Deo, qui suscitat mortuos*. quippe qui quod ad animi ipsius propositum ac paratam voluntatem pertinebat, quotidie moreretur, benignitate autem Dei in vita retineretur. Quæ quidem causa erat, cur fideuter diceret, *Quasi morientes, & ecce viuimus*. Porrò huiusmodi animi inductionem adiuuat vehemens in exequendis Domini mandatis studium, & inexhausta inexplebilisque eorundem cupiditas: in qua qui est, hic ne spatium quidem habet, in quo ad curandas corporis necessitates mentis cogitatione possit delabi.

Philip. 2. Matt. 6. 2. Cor. 1. 2. Cor. 5.

Interrogatio CCVII.

Igitur si ne de rebus quidem ad viuendum necessarijs solicitis esse nobis licet, & aliud est præceptum Domini, qui dicit, Laborate non cibum, qui perit: *superuacaneum est laborare?*

Ioan. 6.

Responsio.

De opere manuũ ambiguã quæstionẽ soluit. Matt. 6.

IPse Dominus vtroque in loco præceptum suum dilucidè explicauit. In eo enim quod prius posuimus, cum ea quæ ad victum pertinerent vetuisset inquiri, illis verbis, *Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: hæc enim omnia gentes mundi inquirunt*: præcipiens subiecit, *Quærite autem regnum Dei, & iustitiam eius*. Quomodo autem ea quæri debeant, in illis, qui ijs digni habentur declarauit. In hoc verò quòd posterius diximus, cum vetuisset operari cibum, qui perit, docuit, & illum operaremur, qui manet in vitam æternam. de quo ipse alio in loco apertè locutus est; quando dixit, *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me patris*. Quòd si Dei voluntas est, vt famelici alantur, sitientibus potio, nudis vestitus præbeatur, & cætera: necessario prorsus imitandus est Apostolus, qui de seipso loquens, sic dicit; *Omnia ostendi vobis; quòd sic laborantes oportet suscipere infirmos*. Et parendum illius præcepto, cum ait, *potius autem laboret operans propriis manibus, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti*. His itaque nobis à Domino per euangelium, & ab Apostolo traditis perspicuum est, quod sua ipsius causa solicitum esse laborareve, prorsus interdictum est. ex mandato autem Domini propter vtilitatem proximi, & solicitudo, & labor contentius suscipi debent. Maximè cum Dominus collatum in eos, qui ipsi dedicati sunt, officium id perinde habeat, veluti si in ipsum nominatim conferretur, proque eo cœleste se spondeat regnum daturum.

Ioan. 4. Matt. 25. Act. 20. Ephe. 4.

Interrogatio CCVIII.

Nunquid rectum sit in vniuersum vbique silentium seruare?

Responsio.

Amos 5. Psal. 38. 1. Cor. 14. Ibid. σαπρός. Ephe. 4. τελεία σιωπή.

SIlentij decorum ex temporis opportunitate & persona spectatur, quemadmodum ex sacris literis docemur, ac temporis quidem opportunitate, veluti cum dicit, *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est*. Et alio in loco, *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me*. Ex persona autẽ, veluti cum Apostolus scribit, *Si autem alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat*. Et item, *Mulieres vestræ in ecclesijs taceant*. Est autem quando etiam ijs, qui lingua petulantiores sunt, atque illud seruare non valent, *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem fidei*: necessarium perpetuum silentium, quousque in eo &

vitio petulantiæ in dicendo sanentur, & in ocio discere potuerint, quando, & quid, & quomodo loqui oporteat, vt quemadmodum scriptum est, det gratiam audientibus.

INTERROGATIO CCIX.

Quomodo poterimus pertimescere iudicia Dei?

RESPONSIO.

Τοῦμμ *simili confirmatur.* NAturaliter expectatio cuiusuis mali, metus effectrix est. Hoc modo enim & bestias metuimus, & eos sub quorum imperio sumus, quandocunque malum aliquod ab ipsis expectamus. Si igitur aliquis comminationes Domini veras esse crediderit, & horribilem, ac grauissimum illarum in se euentum expectet, sine dubio fieri non poterit, quin hic iudicia Dei pertimescat.

INTERROGATIO CCX.

1. Tim. 2. *Quis est ille, qui traditus est ab Apostolo habitus ornatus?*

RESPONSIO.

NEmpe vsus ad propositum cuiusque finem accommodatus cum decoro ac dignitate, habita ratione temporis, loci, personæ, vtilitatisque. neque enim vestimenta eadem ratio admittit, & tempore hyemis, & æstatis: neque eundem esse conueniens putandum est, habitum eius qui laboret, & eius qui quiescat, ministrantis, & eius cui ministretur, militis, & priuati, viri, & fœminæ.

INTERROGATIO CCXI.

Qui modus est eius, quæ est in Deum charitatis?

RESPONSIO.

ASsidua vsque vltra vires, animi ad exequendam Dei voluntatem contentio, cum proposito, ac desiderio gloriæ ipsius.

INTERROGATIO CCXII.

χαταρθοῦται. *Quomodo acquiritur & conficitur charitas erga Deum?*

RESPONSIO.

A simili argumentum. NImirum datis ab eo nobis beneficijs, recto iudicio, æquitateque æstimandis, ijsque grato animo prosequendis. Quod quidem etiam naturaliter inesse in brutis animalibus videmus. Siquidem animaduertimus etiam canes, eos diligere, qui sibi panem modo subministrant. Intelligimus autem hoc etiam ex ijs, quæ criminatoriè dicta sunt ab Esaia propheta, hoc modo: *Filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus me non intelligit.* Quemadmodum enim boui & asino ex beneficio eius, vnde aluntur, naturaliter sua sponte aduersus ipsum amor excitatur: sic nos quoque si recto iudicio, gratoque animo Dei in nos beneficia tot tantaque susceperimus, fieri non poterit, quin ipsum eorum autorem diligamus. quòd secundum naturam (vt ita dicam) & sine vlla doctrina per se huiusmodi affectio sanis animis ingeneretur.

Alterum.

Esa. 1.

a *Ioan. 14. Gal 5.*

b *Quod est hic* χοησοτης & χρηστὸς, *Latinus interpres variè exiulit. Modo enim* suauitatẽ, *modo* bonitatem *aliàs* iocũditatem, *vel* iocundum *vertit. nos ita interpretemur quasi semper* suauitatẽ *extulerit &* suauem. *Psal. 144. Psal. 111.*

INTERROGATIO CCXIII.

Quæ sunt indicia charitatis erga Deum?

RESPONSIO.

IPse Dominus docuit, cum dixit, a *Si diligitis me, mãdata mea seruate.*

INTERROGATIO CCXIV.

Suauitas b *& bonitas qua re inter se differunt?*

RESPONSIO.

CVm dauid dixerit, aliàs quidem, *Suauis Dominus vniuersis: & suauis homo qui miseretur, & commodat*; aliàs verò, *Benefac Domine bonis*, & Hieremias, *Bonus est Dominus sperantibus in eum*, latius opinor suauitatem patere ad benemerendum de ijs, quibus ea quacunque ratione opus est: contractiorem autem bonitatem, nempe quæ in dandis beneficijs iustitiæ etiam rationes adhibeat. *Psal. 124. Thren. 3.*

INTERROGATIO CCXV.

Quis est qui à Domino beatus dicitur pacificus?

RESPONSIO.

IS qui Domini opus adiuuat, quod est apud Apostolum, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, & item, *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum*. Qui enim aliter se habet, pax ea negata est à Domino, cum dixit, *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* *2. Cor. 5. Rom. 3. Ioan. 14.*

INTERROGATIO CCXVI.

Quænam ratio esse debet eius conuersionis, qua efficiamur sicut paruuli?

RESPONSIO.

IPse nos Euangelij locus docet, cum argumentum declaret, cuius rei gratia hoc dictum est: nempe videlicet, vt excellentiam non quæramus, sed naturæ æqualitatem agnoscamus, & cum ijs, qui quibusdam in rebus inferiores nobis videntur libenter non exæquemus. Siquidem tales sunt etiam parui inter se: de ijs loquor, qui eorum, quibuscum versantur, maliciæ nondum sunt assuefacti. *Collatio.*

INTERROGATIO CCXVII.

Quomodo regnum Dei accipiemus, vt paruulus?

RESPONSIO.

NEmpe si ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis est paruus, in percipiendis disciplinis, qui non contradicit, neque se disputans aduersus magistros defendit, sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientia suscipit. *Puerilis imitanda simplicitas.*

INTERROGATIO CCXVIII.

Cuiusmodi intelligentiam petere debemus à Deo, quomodove id assequi possumus, vt ea digni habeamur?

RESPONSIO.

SAnè quid intelligentia sit, ipse nos Dominus docet per prophetam, cum ait, *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & nosse Dominum.* Et per Apostolum his verbis: *Sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.* Hac autem digni haberi possumus, si fecerimus quod scriptum est, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Et si persuasum nobis sit, verum esse omne verbum Dei. *Nisi enim credideritis*, inquit, *non intelligetis.* *Hier. 9. Eph. 5. Psal. 45. Esa. 6.*

INTERROGATIO CCXIX.

Si beneficium ab aliquo acceperimus, quomodo pro eo poterimus & Domino puram & integram gratiarum actionem persoluere, & ei qui benemeritus sit de nobis, satisfacere, ita videlicet, vt neque minus, neque plus quam æquitas postulet, faciamus?

RESPONSIO.

NEmpe si persuasum sit nobis Deum quidem ipsum bonorum omnium & autorem esse, & perfectorem: eum verò, per quem ea accipimus, tanquam ministrum beneficij Dei esse nobis persuaserimus.

INTER-

INTERROGATIO CCXX.

Nunquid cuiuis permittendum sit, vt arbitratu suo cum sororibus in congressum veniat, an verò personæ, temporis, ac modi in congressu habendo adhiberi delectus debeat?

RESPONSIO.

HÆc in quæstionibus fusius disputatis explicata sunt: videlicet ne virum quidem cum altero viro passim quemuis temere congredi debere, sed adhibita delectione, eum videlicet, qui & iuuare possit & iuuari: nedum cum muliere. Quòd si quis memoria tenet dictum esse à Domino, *quòd omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*: hic in omni re huiusce modi iudicium reformidat, & Apostoli præcepto illi obtemperat, *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, alio item loco, *Omnia ad ædificationem fiant*, neque ociosè quicquam, inutiliterve sustinet facere. De eo verò, quod quæritur, quis, & quando, & quomodo: illud tenendum est, vt temporis, loci, & personæ delectus habeatur, vnde omnis omnino mali excluſa suspicio sit, & nemini causa sit, quare offendatur, atque vt ad ædificationem fidei congressio fiat. Quin neque ratio permittit colloquium haberi tantummodo inter duos arbitris remotis. *Meliores sunt enim duo*, inquit, *super vnum*. Et simul etiam ad faciendam fidem plus valent. *Væ autem soli: quia cum ceciderit, non habet, qui subleuet eum.*

Matt. 12.
1. Cor. 10.
Ibid. 14.
Eccl. 4.
Ibid.

INTERROGATIO CCXXI.

Cum Dominus doceat orandum esse, vt non intremus in tentationem, nunquid orandum nobis est, vt ne in dolores corporis incidamus? & si quis inciderit, quomodo in ijs gerere se debet?

RESPONSIO.

TEntationum Dominus discrimen nullum adhibuit, sed in vniuersum præcipiens dixit, *Orate, ne intretis in tentationem*. Qui autem iam inductus sit, huic à Domino etiam pertendus exitus talis est, quem possit sustinere, vt illud compleatur in nobis, *Qui autem sustinuerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Luc. 22.
ἐκβασιν.
1. Cor. 10.
Matt. 10.

INTERROGATIO CCXXII.

Quis est aduersarius vniuscuiusque nostrum, quomodóve cum eo consentientes erimus?

Matt. 5.

RESPONSIO.

PRæcisè hoc in loco Dominus aduersarium illum appellat, qui aliquid nobis conatur adimere eorum, quæ ad nostrum ius pertinent. Porrò illi consentientes sumus, si præceptum Domini illud seruamus, *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, & in omni huiusmodi re ad eundem modum.

Matt. 5.

INTERROGATIO CCXXIII.

Cum Dominus dixerit, Tu autē cū ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans: *qui ob aliquam causam Deo gratam animum inducat ieiunare, sicut & sancti viri frequenter reperiuntur fecisse, quoniam is nequaquam etiam, sicut vellet, foris apparet, quid faciet?*

Matth. 6.

RESPONSIO.

HOc præceptum ad eos pertinet, qui Dei mandatum ob eam causam exequi studeant, vt spectentur ab hominibus, quo videlicet à vitio humanæ gloriæ liberentur. Quandoquidem quòd mandatum Domini, si ad gloriam Dei fiat, nequaquam sua sponte apud Dei cultores abscondi debeat, ipse Dominus declarauit, cum dixit, *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, &c.*

Matt. 5.

INTERROGATIO CCXXIV.

Nunquid hoc etiam tempore alij à prima hora facere opus incipiunt, alij ab vndecima: & si sunt, qui sunt hi?

Matt. 20.

RESPONSIO.

DE hoc prorsus fortasse nemini dubium est, ex ijs, quæ in sacris literis memorantur, esse quidem multos, quemadmodum testatur Apostolus, Qui ab infantia sacras literas discant: esse item complures, qui quemadmodum Cornelius, cum rectè naturæ instinctibus vtantur, magistrorum tamen penuria sero ad eam, quæ est scientiæ, perfectionem perueniunt. *Quomodo enim credent*, inquit, *si non audierint?* Si igitur inciderit, vt aliqui Cornelio similes sint, qui nulla in re mala sint occupati, ac cupidi perfectionis, bona illa, quæcumque in ipsorum posita facultate ac cognitione sunt, verè sincereque exerceant, his sine dubio Deus ea largitur quæ etiam Cornelio, nequaquam ipsis crimini dans, quod temporis antea segniter consumpserunt (quandoquidem id, vt dixi, præter illorum culpam factum fuit) satisque habet cupiditatem illam, quam ex ijs, quæ pro tempore postea studiosè agunt, & in extrema ætate diligentius efficiunt, declarant.

2. Tim. 3.
Υπόδειγμα.
Act. 10.
Rom. 10.

INTERROGATIO CCXXV.

Cum Dominus dixerit, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: *qui hoc nos poterimus promereri?*

Matt. 18.

RESPONSIO.

QVi in alicuius nomine congregati sunt, prorsus ij animi illius propositum scire debent, à quo congregati sunt, atque ad ipsum sese accommodare, quo videlicet gratiam ab illo inueniant, ac non maliciæ, aut negligentiæ iudicium incurrant. Vt enim qui vocati ab aliquo sunt, si is metere vult, ad metendum se parant: itemque si ædificare, ad ædificandum: sic quoque qui vocati sumus à Domino, illorum Apostoli verborum debemus meminisse, *Obsecro ego vos vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Apertius autem totum hoc nobis Dominus ostendit per eam, quam vni facit promissionem, his verbis, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quemadmodum igitur ex mandatorum obseruatione mansio apud eum fit, eodem modo etiam in medio duorum vel trium est, si se illi ad voluntatem ipsius conformauerint. Qui verò contrà non ex dignitate vocationis, neque vt voluntati Domini pareant, congregati sunt, ij licet in vnum in nomine Domini conuenisse videantur, illud tamen nihilominus audiunt, *Quid me vocatis, Domine Domine, & non facitis quæ dico?*

Quæstionē soluit τῇ ὁμοιώσει.
Eph. 4.
Ioan. 14.
Ἀνομοίωσις.
Matth. 18.
Luc. 6.

INTERROGATIO CCXXVI.

Cum Apostolus dicat, Maledicimur & benedicimus, blasphemamur & * obsecramus: *quomodo potest benedicere, cui maledicitur, aut qui consolari, qui blasphematur?*

1. Cor. 4.
*Προπαρακαλοῦμεν cum ecclesia legit Ambr. obsecramus, sed & interpretatur.

RESPONSIO.

IN vniuersum existimo Apostolum hîc docere nos exemplo suo, vt patientia vtamur aduersus omnes, & vt qui iniquè nos insectantur, eos benignè factis remuneremur: vt videlicet hoc non aduersus maledicos tantum seruemus, sed aduersus quemcumque, qui maleuolentiam suam aduersum nos exerceat, & dicto illi pareamus, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. Porrò verbum hoc consolari, solita est scriptura vsurpare diuersa significatione à communi loquendi more. Siquidem consolari pro eo ponit, quod est explere animum alicuius in veritatis perceptione: veluti cum dicit, *Consolamini populum meum, dicit Deus*, Et item

Rom. 12.
τὸ παρακαλεῖν vox est homonyma.
Isaiæ 40.
Rom. 1.

2. Cor. 7. Apostolus etiam ait, *Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est simul consolari in vobis, per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam.* Et alio in loco, *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos in aduentu Titi.*

Interrogatio ccxxvii.

Nunquid debeat vnusquisque cum alijs etiam referre quod sentit, an vero quod certissimè id Deo gratum esse sibi persuaserit, neutiquam in eo consilium alterius exquirere?

Responsio.

Esa. 5: Rom. 1. MEmores illius sententiæ Domini, qui per prophetam dixit, *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes:* itemque verborum illorum Apostoli, *Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos, id est simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam;* necessarium esse arbitramur, vt cum ijs communicemus, qui eiusdem nobiscum animi sint, fideique, atque intelligentiæ suæ certum documentum dederint, vt deliberatio nostra si mala sit, corrigatur, si bona confirmetur, & nos iudicium quòd suprà dictum est, fugiamus, in eos videlicet, qui apud semetipsos sapientes sunt.

Interrogatio ccxxviii.

Nunquid in omni re eorum, qui scandalizantur, explenda voluntas sit? an vero sunt quædam, in quibus simulatione vtendum, esto sint aliqui, qui ob ea scandalizentur?

Responsio.

IN his quod discrimen sit, interrogati suo loco apertè declarauimus, & quantum in nobis fuit accuratissimè totum, quicquid de hac re dici debuit, enucleauimus.

Interrogatio ccxxix.

Nunquid flagitiosè facta abiecta omni verecundia enunciari apud omnes debeant, an apud aliquos tantummodo? & si hoc, apud quos, & cuiusmodi?

Responsio.

Simile. OMnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusuis temere homines aperiunt, sed ijs tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare: consentaneum in modum illi, quod scriptum est, Rom. 15. *Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmiorum portate,* hoc est, tollite diligentia, & cura vestra.

Interrogatio ccxxx.

Rom. 12. * Grace est λατρεία. Latinus interpres modo obsequiũ, modo seruitutẽ vertit, modo cultu ram. 1. Cor. 12. Rom. 12. *Quid est * obsequium, & quid rationale obsequium?*

Responsio.

EST quidem obsequium (vt ego existimo) nihil aliud, quàm contenta, ac perennis, & assidua vsque sine vlla distractione illius, cui obsequium defertur, cultura. Differentiam autem rationalis, & irrationalis, obsequij Apostolus ipse nobis explanat, qui quidem quodam in loco ita scribit. *Cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes.* Itemque, *Exhibete corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum.* Qui enim temere quoquo modo ducitur, huius obsequium rationi alienum est: nempe qui nequaquam rationem ducem sequutus, suo quodam animi impetu, ac libidine moueatur, atque ab eo, vnde ducitur, ipsius arbitratu, ad quancumque rem, etiam prætet voluntatem suam quomodocumque rapiatur. Qui verò adhibitis sibi in consilium sana ratione & recto consilio, ea assiduè vbique spectet, & faciat, quæ ex Dei voluntate sunt, hic præcepto paret de rationali obsequio: conuenienter verbis illius, qui dixit, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et item, *Et consilium meum iustificationes tuæ.* Psal. 118. Ibid.

Interrogatio ccxxxi.

Si quis frater, vel interdum sacerdos etiam, iniquè se aduersum me gerat, mihique infensus sit, nunquid possum aduersum ipsum etiam præcepta illa seruare, quæ de inimicis tradita sunt?

Responsio.

SAnè Dominus in ijs præceptis, quæ seruanda aduersus inimicos dedit, nullum omnino neque inimici neque inimicitiarum discrimen expressit. Quin potius idem peccatum hoc esse grauius asseruit, quo altiore in gradu esset ij, à quibus illud committeretur, cum aduersus eos sic dixerit, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non consideras?* Maximè igitur in his qui tales sunt, & qui in illustriore loco sunt positi, diligentia opus est, atque animaduersione, vt & quam debemus aduersum ipsos curam, siue leniter admonendo, siue acrius castigando, adhibita tamen, quam par est, moderatione, lenitateque præstemus, & reliqua omnia cum ex mandato Domini erga ipsos seruauerimus, nos ipsos hac etiam in parte vacuos à culpa conseruemus. Mat. 7.

Interrogatio ccxxxii.

Si quis iniuria affectus ab aliquo, tenendæ animi sui lenitatis causa, patientiæque, ea de re cum nemine loquatur, atque hoc modo existimet se reddere iudicium Deo, nunquid hic faciat secundum Deum?

Responsio.

CVm Dominus dixerit, modo, *Dimittite, si quid habetis aduersus aliquem,* modo, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum etiam vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem ecclesiam etiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus,* hic lenitatis quidem animi sui fructum in eo ostendere debet, vt preces Deo ex sincero animi affectu pro eo à quo læsus sit, adhibeat, verbaque illa vsurpet. *Domine ne statuas illis hoc peccatum:* ne vt iratus fratri suo, reus efficiatur iudicio, admonitione verò leni & castigatione aduersus ipsum iniuriæ autorem vti, quo videlicet illud quoque ab ira liberet, quæ venit in filios contumaciæ. Si verò in hoc negligens fuerit & tenẽdę videlicet patientię suæ causa id dissimulanter tulerit, dupliciter peccatum incurrit: & quod præcepto illi non paret, *Castigatione castigabis fratrem tuum, & nõ sumes propter eum peccatum:* & taciturnitate illa peccantis particeps efficitur: & quod quem castigationibus lucrari potuerat, sicut Dominus præcepit, in malo eum patitur perire. Matth. 11. Luc. 17. Formula dimittendæ iniuriæ proximis. Act. 7. Matth. 5. Ephes. 5.

Interrogatio ccxxxiii.

Nunquid ex omnibus rectè factis, si vnum aliquod alicui tantum abfuerit, is propterea salutem non adipiscatur?

Responsio.

CVm multa sint tam in veteri, quàm in nouo testamento, ex quibus planissimè quæstionis huius veritatem possimus intelligere, satis esse arbitror homini fideli vel illud vnum de Petro iudicium, qui cum ei talium ac tantorum rectè factorum testimonium à Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus, ac beatus laudatus, vbi vna tantùm in re ab obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum non ex negligentia, superbiave, sed ex reuerentia, honoreque aduersus Dominum suum propter hoc ipsum tantum ei dicitur, *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Ioan. 13.

Interrogatio ccxxxiv.

Quomodo quis mortem Domini annunciat?

Responsio.

Matt. 16. Mar. 8. Gal. 6. Dominus ipse docuit, cum dixit, *Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Itemque Apostolus explanauit, cum illud apertè professus est. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quod quidem iam ante in ipso baptismo spopondimus: *Quicunque enim,* inquit, *in Christum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus.* Quibus verbis, interpretans, quid sit baptizatum esse in mortem Domini, adiungit, Gal. 3. Rom. 6. *quòd vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato,* sed vt ab omni de hac vita affectione vacui, tales simus, in quos merito Apostoli testimonium illud conueniat, Col. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,* ita vt alacres dicere fidenter possimus, Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.*

Interrogatio ccxxxv.

Nunquid expediat multa ex scripturis edisce re?

Responsio.

Rom. 12. Sanè cum magis generales ordines duo sint: videlicet & eorum, quibus credita aliorũ gubernatio est: & eorum, qui obtemperare, atque obedire alijs iussi sunt, in differentibus donationibus, equidem sic existimo, cui aliorum rectio procuratioque commissa sit, eum quæ apud omnes scripta sint, scientia comprehensa habere, ac edisce re debere, vt cunctos doceat multiplicem Dei voluntatem, singulis præmonstrando officio suo. De cæteris verò vnusquisque Ibid. memor verborum illorum Apostoli, *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, vnicuique sicut Deus diuisit mensuram:* quæ officij sui sint, studiosè discat, & persequatur, neque curiosè vlterius quicquam inquirat, vt vocem Domini illam mereatur audire, Matt. 25. *Ades serue bone, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

Interrogatio ccxxxvi.

Quicumque digni habiti sunt, qui quatuor Euangelia edidicerint, quomodo hi accepisse hoc beneficium debent?

Responsio.

Luc. 12. Cvm affirmatè Dominus dixerit, *Cui commendauerunt multum, plus repetent ab eo:* vehementius ij debent & metuere, & solliciti esse, quemadmodum Apostolus docuit, cũ 2. Cor. 6. dixit, *Adiuuantes autem etiam exhortamur, ne in vacuum gratiam* Ioan. 13. *Dei recipiatis.* Hoc autem fit, si Domino pareamus dicenti, *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

Interrogatio ccxxxvii.

Quis est animus ille, qui dirigitur ad voluntatem Dei?

Responsio.

Matt. 16. Is qui se Domini patrocinio commisit, qui dixit, *Si quis venit ad me, abneget semetipsum,* & continuo post subiecit, *Et sequatur me.* Nisi enim quis illud prius assecutus sit, vt semetipsum abnegauerit, ac crucem sustulerit, is in processu postea multa per se inuenit, quæ ipsi impedimento sint ad sequendum.

Interrogatio ccxxxviii.

Nunquid fieri possit, vt continenter quis psallat, legát ve, aut de verbis Dei seriò loquatur, neque vlla ab his omnino intermissio fiat, propter necessitatem, quæ quibusdam euenit parendi sordidioribus corporis necessitatibus?

Responsio.

1. Cor. 14. De hac re extat præscriptum Apostoli, apud quem est, *Omnia honestè & secundum ordinem fiant.* Quamobrem maiore cura, habita ratione & temporis & loci, honestas seruari, & disciplinæ ordo debet.

Interrogatio ccxxxix.

Quis est thesaurus bonus, & quis item malus? Matt. 12.

Responsio.

Sanè quidem prudentia omnis, quæ est in Christo, virtutis, ad gloriam Dei, thesaurus bonus est: Contraque prudentia maliciæ eorum, quæ interdicta sunt à Domino, thesaurus est malus, ex quibus, vt Dominus ait, in suis vtriusque factis, dictisve vel mala proferuntur, vel bona. *Thesaurus duplex vt & prudentia.*

Interrogatio ccxl.

Quamobrem lata porta est, & spatiosa via *appellata,* quæ ducit ad perditionem? Matt. 7.

Responsio.

Sanè Dominus (quæ est eius in hominum genus ingens benignitas) vocabulis rerum, quæ vulgo notæ sunt, vsus est ad exprimendam veritatem dogmatum suorum. Vt igitur declinatio, quæ à recta via fit, latitudinem magnam habet: sic, inquit, qui egreditur è via, quæ ducit ad regnum cœlorum, in magna latitudine erroris versari reperitur. Hæc autem duo vocabula πλατεῖα & εὐρύχωρος, id est, lata, & spatiosa, idem prorsus esse existimo. εὐρὺ enim (hoc est, latum) etiam apud eos, qui in externis literis sunt eruditi, πλατὺς, (id est, amplum) dicitur. Spatium igitur, id est, locus erroris, amplus est, cuius extremum perditio. *Simile non inelegans.* πλατεῖα ἢ εὐρύχωρος.

Interrogatio ccxli.

Quomodo † angusta est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam? & quomodo per eam quis ingreditur? † στενὴ ἡ τεθλιμμένη ὁδός.

Responsio.

Rvrsum hoc etiam in loco angustum & arctum nequaquam res inter se diuersas significant. Sed arctum illud, angustiarum magnitudinem exprimit, via videlicet eousque in angustum coacta, vt arctetur, hoc est, in angustum redigatur altrinsecus, qui per eam iter facit, cum egressio ab alterutra parte periculosa sit, siue ad dexteram, siue ad sinistram: Velut in ponte, à quo qui in alterutram partem declinet, eum illico à subterfluente amne excipi necesse sit. Propterea Dauid dicit: *Iuxta semitam scandalum posuerunt mihi.* Conuenit igitur, vt qui per angustam & arctam viam in vitam ingredi vult, caueat diligenter, ne omnino egrediatur, declinétve à mandatis Domini, sed præceptum illud teneat, Deut. 17. *Non declinabis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* *Confirmat* τῇ ὁμοιώσει. Psal. 139.

Interrogatio ccxlii.

Quid est illud, charitate fraterna εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, quod Latinus interpres vertit, Inuicem diligentes? Rom. 12.

Responsio.

Sanè vocabulum hoc στοργὴ apud Græcos ad exprimendã intentiorem quandam charitatis vim vsurpatur, cum is, qui alterum diligit, cupidè eum atque ardenter diligit. Ne igitur perfunctoria in fratres charitas sit, sed & in animo insita penitus feruens, propterea dictum est τῇ ἀγάπῃ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, hoc est, charitate fraterna inter vos alij alios ex animo diligentes. στοργὴ *affectus epitasin indicat.*

Interrogatio ccxliii.

Quid sibi vult Apostolus, cum dicit, Irascimini, & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram: *cum idem ipse alio in loco dixerit,* Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis? Eph. 4. Ibid.

Responsio.

In hoc existimo ego Apostolum Dominum fuisse imitatum. Quemadmodum enim in Euangelio Dominus, cum ante dixisset, *Dictum est antiquis hoc, & hoc:* postea adiungit, *Ego autem dico vobis hoc:* Sic Apostolus etiam hoc in loco, mentione facta veteris præcepti, quod veteribus illis olim datum Matt. 5.

Psal. 4. *Ephes.* 4. fuerat, *Irascimini* (videlicet) *& nolite peccare*: suum paulo post nobis conueniens subijcit, videlicet, *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à vobis.*

INTERROGATIO CCXLIV.

Rom. 12. *Quid est*, Date locum iræ?

RESPONSIO.

Mat. 5. VEl illud videlicet, non resistere malo (sicut scriptum est) sed & percutienti in dexteram maxillam, vertere
Ibidem 10. etiam aliam, &c. Vel illud: *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*

INTERROGATIO CCXLV.

Mat. 10. *Quid est* Prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ?

RESPONSIO.

Prudens, vt serpens. PRudens quidem vt serpens is est, qui in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione, considerationeque, qua ratione id & fieri, & facilè fieri possit, omnia faciat, vt audientium animos ad auscultandum habeat
Simplex, vt columba. paratos. Simplex autem vt columba, qui ne simpliciter quidem de vlciscendo eo, qui sibi aduersarius sit, cogitat, potiùsque in instituto suo bene de illo merendi perseuerat, ex
2. Thes. 3 præcepto Apostoli sic dicentis. *Vos autem nolite deficere benefacientes.* Ad prædicationem enim discipulos mittens Dominus, hæc ipsis mandat, vbi & sapientia erat opus ad persuadendum, & patientia aduersus insidiatores: Vt videlicet quemadmodum in paradiso serpens & blandiore aspectu
Gen. 3. callidè ad primos parentes accessit, & verborum probabilitate eos auertit à Deo, ac peccato subiunxit, item nos quoque & personæ, & loci, & idonei ad agendum temporis rationem habeamus, & omnibus modis *sermones in iudicio disponamus*, vt à peccato homines auertamus & ad Deum reducamus, & in tentationibus patientiam vsque in finem teneamus, sicut scriptum est.
Psal. 111. *Mat.* 24.

INTERROGATIO CCXLVI.

Quid est, charitas οὐκ ἀσχημονεῖ, *quod Latinus interpres reddidit, non est ambitiosa?*

RESPONSIO.

TAntundem est, ac si dixisset, ab habitu vel forma sua nō discedit. Charitatis autem forma eæ charitatis proprietates sunt, quæ eodem illo in loco enumeratæ sunt ab Apostolo.

INTERROGATIO CCXLVII.

1. Reg. 2. *Cum in scriptura legatur*, Nolite gloriari, neque loqui sublimia: *& Apostolus de seipso loquens, aliàs quidem palàm profiteatur, ac*
2. Cor. 11. *dicat*, Quod loquor, non secundum Dominum loquor, sed
2. Cor. 12 quasi in insipientia in hac substantia gloriæ, *& item*, Factus sum insipiens gloriando, *aliàs verò hominem gloriari permittat,*
Ibid. 10. *cum dicit*, Qui gloriatur, in Domino glorietur, *quæ est gloriatio in Domino? & quæ est illa, quæ vetita est, gloriatio?*

RESPONSIO.

πρὸς πάθη ἄσκησις. SAnè necessario suscepta ab Apostolo aduersum animi vitia, eo in loco pugna manifesta est. Non enim sui commendandi causa hæc dicit, sed vt audaciam, & petulantiam glorioſorum quorundam reprimat. Gloriatio autem in Domino est, quandocumque quis rectè facta sua non sibi ascribit, sed Domino, ac dicit, *Omnia possum in eo, qui me confortat*
Philip. 4. *Christus.* Quæ autem vetita est, ea dupliciter intelligi potest,
Psal. 9. vel videlicet vt cum dicto illo conueniat, *Laudatur peccator in*
Mat. 6. *desiderijs animæ suæ*, vel cum illo, *Faciunt vt videantur ab hominibus*, nempe qui ex eo, quòd ob ea quæ faciunt, laudari se volunt, in his quodammodo glorientur. Porrò qui tales sunt, ij ritè sacrilegi etiam possunt appellari, qui dona Dei sibijpsis vendicent vt sua, & debitā Deo gloriam ad seipsos rapiāt.

INTERROGATIO CCXLVIII.

Prou. 2. 1. *Cor.* 12 *Si Dominus dat sapientiam, & à facie ipsius scientia est, & intelligentia: & si per spiritum, alij quidem datur sermo sapientiæ, alij verò sermo scientiæ: quomodo discipulos Dominus reprehendit, cum dicit,*
Mat. 15. *Rom.* 1. Adhuc & vos sine intelligentia estis? *& Apostolus quosdam accusat, velut intelligentia carentes?*

RESPONSIO.

1. Tim. 2 SI quis nouit bonitatem Dei, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: & Spiritus sancti diligentiam animaduertit in diuisione, & operatione donorum Dei: hic planè intelligit tarditatem intelligentiæ non ex eo nasci, quòd tardus sit, qui beneficium dat: sed ex eo quòd increduli sunt, in quos confertur. Et rectè reprehenditur qui intelligentiæ expers est. Vt qui exorto sole de industria oculos operiat, vt in tenebris degat, neque sursum aspiciat, vt illuminetur.

γνώμην cōfirmat τῇ ὁμοιώσει.

INTERROGATIO CCXLIX.

Quid est pium, & quid est iustum?

RESPONSIO.

EQuidem id pium esse existimo, quod ab ijs, qui inferiores sunt, ratione præstantiæ ex decoro ei debetur, qui præstantior est. Iustum autem, quod vnicuique pro meritis eorum quæ gessit, tribuitur. Et in altero quidem pulcherrimè facta tantummodo gratè considerantur, & compensantur: In altero verò, etiam maleficia spectantur, & puniuntur.

INTERROGATIO CCL.

Mat. 7. *Quomodo dat aliquis sanctum canibus? aut quomodo margaritas proijcit ante porcos? quomodóve illud consequitur, quod continuò subijcitur*, Ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos?

RESPONSIO.

Rom. 2. APertè hoc nobis explicat Apostolus, qui ad ea, quæ dixerat aduersus Iudæos, illa etiam adiunxit, *Qui in lege gloriaris, per violationem legis Deo contumeliam facis.* Contumeliam igitur, qua sacrosanctam Domini doctrinam afficimus, illa violanda, Dominus hoc in loco prohibuit. Ex qua violatione illud consequitur, vt & qui sunt extra fidem, simul & & contemnenda arbitrentur dogmata Domini, & ex illis ipsis ansam arripiant præfidentius nos inuadendi, & conuitijs, accusationibusque violatorem veluti proscindendi.

INTERROGATIO CCLI.

Luc. 10. *Luc.* 22. *Quomodo Dominus nunc portari sacculum & peram in itinere vetat, nunc idem dicit*, Sed nunc qui habet, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium?

RESPONSIO.

Esa. 53. *Luc.* 22. *Matt.* 26. † ἀράτω, *vel vt quædam exemplaria* ἄρει. *Attēde scripturæ consuetudinē.* HOc Dominus ipse dilucidè explicat, cum dicit, *Oportet enim hoc etiam impleri in me. Et cum iniquis deputatus est.* Cōfestim enim post euentum vaticinij de gladio, dicit Petro, *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui † acceperint gladium, gladio peribunt.* vt illud nequaquam præceptum sit. Sed nunc qui habet sacculum, tollat, vel tollet (ita enim pleraque habent exemplaria) sed vaticinium Domini, prædicentis Apostolos oblitos donorum, & legis Domini, gladio etiam rem gerere ausuros. Quòd autem in sacris literis imperatiuus loquendi modus frequenter pro vaticinandi modo vsurpatus sit, manifestum est multis ex locis: veluti ex eo, *Fiant filij eius orphani.* &, *diabolus stet à dextris eius*, & quæcunque sunt similia.
Psal. 108. *Ibid.*

INTERROGATIO CCLII.

Quis est panis * ὁ ἐπιούσιος, *qui vt detur nobis, quotidie precari instituti sumus?*

RESPONSIO.

** Hoc Latinus interpres modo* quotidianū, *modo* supersubstantialē *vertit.* QVotiescunq; is qui laborat, memoria tenens Dominū dicere, *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis,*
Mat. 6. *aut*

Ephe. 4. *aut quid bibatis:* itemque Apostolum præcipere laborandum esse, vt habeamus, vnde tribuamus necessitatem patienti: non propter propriam vtilitatem, sed propter mandatum
Luc. 10. Dei laborat (*Dignus est enim operarius cibo suo*) tunc ille panem τὸν ἐπιούσιον, hoc est, ad quotidianam vitam, substantiæ nostræ vtilem, non sui iuris facit, sed à Deo suppliciter petit. Et aperta ipsi necessitate indigentiæ suæ, tum demum manducat quod sibi datur ab eo, cui de communi cæterorum iudicio delatum illud munus est, vt quotidie illud faciat, *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat.*
Act. 4.

INTERROGATIO CCLIII.

Matt. 25. *Quidnam per talentum intelligere nos conueniat? quomodóve illud multiplicabimus?*

RESPONSIO.

1. Thess. 2. EQuidem existimo parabolam hanc prolatam fuisse ad significanda quælibet dona Dei, vt vnusquisque quod donum habere à Deo idoneus iudicatus sit, hoc multiplicet, eo ad beneficium, atque vtilitatem plurium conferendo. Siquidem est nemo, qui expers sit benignitatis Dei.

INTERROGATIO CCLIV.

Luc. 19. *Quæ est mensa illa, de qua Dominus loquens ait,* Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?

RESPONSIO.

Parabolicæ similitudines quatenus accipiendæ. Solutio per simile. SAnè quæ afferuntur similitudines, nequaquam eæ omnino singulis earum rerum ad quas allatæ sunt, partibus respondent. Sed illud agunt, vt mentem ad id, de quo agitur, argumentum dirigant. Quemadmodum igitur fieri solitum est, vt pecunia numularijs ad quæstum detur: Sunt enim (vt Alexandriæ ego animaduerti) qui illam recipiant, & hoc quod dico, præstent: Sic necessariò quicũque aliquod à Deo cuiusuis generis donum acceperit, id cum eo communicare debet, cui illo sit opus. Vel illud facere, quod ab Apostolo
2. Tim. 2. dictum est de doctrina: *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Naturaliter enim hoc non tantum in doctrina fieri consueuit, sed in quacunque etiam alia re, quoniam sunt, qui ad ministrandum vires acceperunt, alij qui peritiam ad gubernandum.

INTERROGATIO CCLV.

Matt. 20. *Quò abire iussus est, cui dictum est,* Tolle quod tuum est, & vade?

RESPONSIO.

EO fortasse, quò abire iussi sunt ij, qui à sinistris constituti sunt: quibus crimini datum est, quòd à bonis operibus cessassent. Porrò quisquis inuidet fratri, is eo deterior est, qui cessat: cum morem habeat scriptura multis in locis
Rom. 1. Gala. 5. vicina inter se duo hæc vocabula ponere φθόνον & φόνον, id est inuidiam & cædem.
φθόνον & φόνον.

INTERROGATIO CCLVI.

Matt. 20. *Quæ est merces illa, quam hi similiter accipiunt, atque nouissimi?*

RESPONSIO.

FOrtasse hoc, quòd alicui crimini data non sint mala quæ patrauit, commune est omnium mandato obedientium. Nam illud coronam adeptum esse, eorum proprium est, qui
2. Tim. 4. bonum certamen legitimè certarunt, cursum consummarunt, & fidem seruarunt, in charitate Christi Iesu Domini nostri. Potest autem pacta illa merces esse illud centuplum, quod in hac vita Dominus eos assecuturos spopondit, qui exequendi causa mandati ipsius, quiduis eorum, quæ in hac vita habentur, omisissent: ita vt de hoc intelligatur, quod dictum est, *Tolle quod tuum est.* Quoniam autem inuidiæ morbo
Matt. 20. Tolle quod tuũ est, noue interpretatur. contacti erant, qui priores in opere laborare visi erant, & propterea ægrè ferebant in mercedis acceptione posteriores illos sibi fuisse exæquatos, illis dicitur, non esse amplius eos æternæ vitæ hæreditatem adepturos, sed centuplo illo accepto in hac vita, in futura propter inuidiam damnatum iri, audituroſque illud, Vade, &c.

INTERROGATIO CCLVII.

Qui sunt illi, de quibus dicitur, Paleas autem comburet igne inextinguibili? *Matt. 3. Luc. 3.*

RESPONSIO.

IIsnimirum, qui eo modo vtiles sunt ijs, qui digni sunt regno cœlorum, quemadmodum paleæ tritico: neque id ex vllo charitatis instinctu aduersus Deum, proximúmve faciunt, siue in donis spiritus, siue in corporis officijs: atque ita imperfectos seipsos deserunt.

INTERROGATIO CCLVIII.

Quis est ille, qui damnatur ab Apostolo, quando dicit, In humilitate, & superstitione, &c. *Colo. 2.*

RESPONSIO.

QVod sequitur, id apertè opinor argumentum explanare, de quo agitur in eo loco. Siquidem mox id immanitatem in eo, quòd non parcatur corpori, appellat: quo in genere sunt Manichæi, & si qui sunt eorum similes.

INTERROGATIO CCLIX.

Quis est feruens spiritu? *Rom. 12.*

RESPONSIO.

QVi cum ardenti studio, & inexplebili cupiditate, & assidua diligẽtia voluntatem Dei facit in charitate Christi Iesu Domini nostri: conuenienter illi quod scriptum est, *In mandatis eius volet nimis.* *Psal. 111.*

INTERROGATIO CCLX.

Cum Apostolus dicat, nunc quidem, Nolite fieri imprudentes: *aliàs verò,* Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, *nunquid fieri potest, vt non sit prudens apud seipsum, qui imprudens non sit?* *Ephes. 5. Rom. 12.*

RESPONSIO.

VNumquodque præceptum propriam adiunctam regulam habet. Illi enim quod est, *Nolite fieri imprudentes:* statim adiungitur, *Sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Ei verò, quod est, *Ne sis prudens apud temetipsum:* illud, *Time Dominum.* Ex quo intelligitur imprudẽtem illum esse, qui voluntatem Domini non intelligit: Prudentem verò apud semetipsum, qui suijpsius consilijs nititur, neque secundum fidem ambulat in verbis Dei. Si quis igitur neque imprudens vult esse, neque prudens apud semetipsum, hic intelligere voluntatem Domini debet cum fide in ipsum, & in timore Dei Apostolum imitari, qui de seipso loquens ait, *Cõsilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. 10.
Δόγμα.
Ephes. 5. Rom. 12. Prou. 3.

INTERROGATIO CCLXI.

Cum Dominus spoponderit, ac dixerit, Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. *& item,* Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis, *quid est, quòd rogata quædam etiam sancti non obtinuerunt? sicut etiam Apostolus: sic enim est apud ipsum.* Pro hoc ter Dominum rogaui, vt discederet à me. *qui tamen, quod rogauerat, non impetrauit: similiterq; Hieremias propheta, & Moyses.* *Matt. 21. Matt. 18. 2. Cor. 12.*

RESPONSIO.

CVm Dominus noster Iesus Christus in oratione sua dixerit, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste:* & statim deinceps adiunxerit, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat:* primò quidem scire illud conuenit, non esse permissum nobis, vt quæ volumus omnia petamus. quin ne intelligimus quidem, quid expediat nobis petere. *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus.* Quocirca in adhibendis rogationibus, magna vndique *Matt. 26. Luc. 22. Rom. 8.*

na vndique circumspectione vti debemus, vt ea sint ex voluntate Dei. Si autem non audiamur, intelligendum est, opus esse aut perseuerantia, aut contentione maiore, quemadmodum admonemur ex ea parabola Domini, per quam docemur semper oportere orare, & nō defatigari: & quemadmodum alio in loco dictum est ab ipso eodem Domino, cum ait, *Propter improbitatem eius tamen surget, & dabit quotquot habet necessarios.* Aut emendatione & diligentia, ex eo, quod dictum est à Deo per prophetam ad quosdam his verbis, *Cum extenderitis manus vestras ad me, auertam faciem meam à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. lauamini, mundi estote, &c.* Quod autem etiam nunc manus multorum efficiantur, & sint plenæ sanguine, de hoc vero nihil est, quod ambigant, qui fidem habent iudicio illi Dei, quod aduersus eum pronunciauit, qui annunciare in populum iussus, obticuerit, his verbis, *Sanguis peccatoris requiretur de manu speculatoris.* Quod cum verissimum ac certissimum esse sibi Apostolus persuasisset dicebat, *Mundus sum ego à sanguine omnium: non enim subterfugi, quin annunciarem vobis omne consilium Dei.* Quòd si qui tantummodo obticuerit, is reus futurus est sanguinis eorum, qui peccauerint quid dicendum sit de ijs, qui factis, dictisve alios scandalizant? Fit autem interdum, vt rogantis indignitas causa sit, quamobrem non impetretur, quod rogatum sit, quemadmodum in Dauid, qui cum supplex rogasset à Deo, vt liceret sibi ædificare domum Deo, prohibitus est: & licet à Dei gratia excluſus non esset, nihilominus tamen hoc, quod petebat, idoneus qui impetraret, iudicatus non est. Nam Hieremiam apparet non auditum fuisse, propter maliciam illorum, pro quibus orabat. Quin & incidit plerumque, vt omissa ex negligentia idonea occasione, in qua rogationem fieri oportuisset, animaduertamus postea alieno tempore nos & incassum rogare. De eo autem, quod est apud Apostolum, *Pro hoc ter Dominum rogaui, vt discederet à me:* scire conuenit earum calamitatum, quæ vel in rebus externis, vel in corpore ipso nobis eueniunt, variam atque multiplicem esse rationem, quippe Deum esse, cuius vel numine, vel permissu illæ nobis contingant, idque ad maiorem vtilitatem nostram, quàm ea fuisset, si ab his liberi fuissemus. Si quis ergo intelligere potuerit calamitatem suam esse eiusmodi, à qua si liberari velit, precatione opus sit, ac postulatione: nimirum is auditur, si eo modo postulet, quemadmodum duo illi cæci in Euangelio, & decem leprosi, & alij item complures. Si verò rationem quis non intellexerit, quamobrem in tentationem inciderit (nam est plerumque, cum oblatas sibi tentationes patientia peruincere debet) & cum eæ perferendæ toleranter essent vsque in finem, deprecetur, is non auditur. Et causa est, quoniam non accommodat se ad propositum benignitatis Dei. Illud autem, *Si duo ex vobis consenserint:* quid sibi velit, apertè series ipsa loci declarat. Ibi enim de eo agitur, qui verbis corrigit eum, qui peccauit, & qui corripitur. Quòd videlicet cum *Deus nolit mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat:* si qui correptus sit, animo indoluerit, & in idem propositum venerit cum eo, vnde corripiatur, de omni re, hoc est, de omni peccato, si relaxationem petierint, dabitur eis à clementissimo Deo. Etenim nisi cum corripiente consenserit is, qui corripitur, non iam relaxatio fit, sed religatio: conuenienter verbis illis, quæ deinceps sequuntur, *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Completur enim iudicium illud, *Si autem ecclesiam etiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Luc. 18. Luc. 11. Esaiæ 1. Ezech. 3. Act. 20. 2. Cor. 12. περισσεῖαν ratio multiplex. Matt. 9. Luc. 17. Matt. 24. Matt. 18 ὑπερισσῶς φιλάζει. Ezech. 33. Matth. 18.

Interrogatio cclxii.

a *Cum in numero rerum laudabilium scriptura mendicitatem ponat, & paupertatem, velut cum dicit,* Beati mendici. *&, b* Desiderium pauperum exaudiuisti Domine. *& item, c* Mendicus & pauper laudabunt nomen tuum, *quæ est differentia mendicitatis, & paupertatis? quomodóve verum est quod dicit Dauid, d* Ego autem mendicus sum & pauper?

Responsio.

MEmoria tenens ea, quæ de Domino Apostolus dixit, *Quòd propter nos mendicus factus sit, cum esset diues:* eum existimo appellari mendicum, qui ex diuitijs ad inopiam deuolutus sit: pauperem verò, qui ab initio in egestate semper fuerit, & in huiusmodi statu ita se moderatus sit, vt apud Deum in gratia esse meruerit. Porrò Dauid mendicum se & pauperem asserit, fortasse hoc dicens ex persona Domini, qui quidem ipse mendicus appellaretur ex eo, quod de eo scriptum est, *Qui propter nos mendicus factus est, cum esset diues.* Pauper verò, quatenus (quod ad carnem attinet) non diuitis alicuius, sed fabri filius dictus est, fortasse etiam, quoniam vt Iob, res suas nō esset solitus in thesauris custodire, neque diuitijs animum adhibere tanquam proprijs, sed omnia dispensare ex voluntate Domini.

a ἀπορία, id est, mendicitas, *Latinus interpres variè reddidit: modo enim* paupertatem *modo* inopiam *modo etiam* mēdicitatem *vertit.*
b Psal. 9.
c Psal 73.
d Psal. 39.
e 2. Cor. 8.

Interrogatio cclxiii.

Quid est, quod docere Dominus velit per ea exemplа, quibus continuo subijcit, Sic omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus? *Si enim qui habet in animo ædificare turrim, aut bello congredi cum alio rege, is parare se debet vel ad ædificationem, vel ad bellum, & alioqui si ad hæc facienda impotens sit, est in ipsius potestate initio vel non iacere fundamentum, vel rogare quæ pacis sunt: ergóne eadem ratione, is etiam, qui voluerit discipulus Domini fieri, renunciare debet? & si ad hoc difficultatem in se esse animaduerterit, est in ipsius potestate initio defugere disciplinam Domini?* Luc. 14.

Responsio.

MEns Domini est in his exemplis, non permittere, vt cuiuis liberum sit Domini discipulū esse, vel non: sed docere nullo modo fieri posse, vt qui in rebus versetur, ex quibus animus distrahatur, Deo verè possit placere: quippe cum in his periculum sit, ne expositus insidijs diaboli, atque ita captus, ridiculo ac ludibrio sit, ijs imperfectis relictis, in quæ studium suum videbatur contulisse. Quod orans propheta, ne sibi eueniret, dicebat, *Nequando supergaudeant mihi inimici mei.* &, *Dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Psal. 34. Psal. 54.

Interrogatio cclxiv.

Cum Apostolus dicat, Vt sitis sinceri: *& alio in loco,* Philip. 1. 2. Cor. 2. τὸ εἰλικρινὲς.
Sed vt ex † sinceritate: *sincerum quid est?*

Responsio.

PRorsus ego hoc nomine illud arbitror appellari, quicquid rei omnis alterius mistionis expers est, & summè ab omni contrario depurgatum, atque ad vnam totum pietatem intētum directumque, neque ad pietatem modò, sed ad ea etiam omnia accuratè exequenda, quæ in singulis & temporibus, & rebus ad huius propositum faciant: ita videlicet, vt qui alicui muneri præpositus sit, is ne ad affinia quidem ei muneri officia ab illo distrahatur. Declaratur autem id quod prius dixi, ex ipsa serie contextus. Verbis enim illis, *Sed vt ex sinceritate:* illud subijcitur, *Sicut ex Deo corā Deo in Christo loquimur.* Alterum verò, ex eo, *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Et ex ijs, quæ deinceps inferuntur. Rom. 12. Ibid.

Interrogatio cclxv.

Nunquid ad solos modo sacerdotes illud dictum est, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum? *An verò etiam ad omnes? Quomodóve vnusquisque nostrum offert ad altare?* Matth. 5.

Responsio.

HOc sine dubio consequens fuerit, vt præcipuè ac prima notione accipiatur dictum esse ad sacerdotes. Verùm quoniam scriptum est, *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, & ministri Dei omnes.* &: *Sacrificium laudis honorificabit me.* & itē: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* & apud Apostolum etiam est: *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum* (quorum vnumquodque commune omnium est) necessariò, quod hìc dicitur, sine vllo discrimine præstare singuli debemus. Esaiæ 65. Psal. 49. Psal. 50. Rom. 12.

Inter-

Interrogatio cclxvi.

Matt. 9. *Quid est sal illud, de quo Dominus præcepit, cum dixit,* Habete in vobis sal, & pacifici estote inter vos? *Et quid item illud, de quo*
Col. 4. *Apostolus ait,* Sermo vester semper in gratia sale sit conditus?

Responsio.

ET hoc in loco etiam ex contextu, & serie vtriusque capitis, sensus perspicuus est. Etenim ex verbis quidem Domini nihil aliud docemur, quàm vt nullam causam demus mutuæ disiunctionis, mutuúve dissidij: sed vt ad vnitatẽ
Ephe. 4. spiritus nos semper conseruemus in vinculo pacis. Ex verbis autem Apostoli, si quis in memoria habuerit illum, qui
Iob 6. dixit, *Si comedetur panis absque sale, & si est gustus in verbis inanibus:*
iuxta LXX. docebitur profectò disponere sermones suos ad ædificationem fidei, *vt det gratiam audientibus, tempore opportuno,* & de-
Pſal. 111. *Ephe. 4.* centi ordine vtens, ad hoc vt faciliores ad auscultandum
Pſal. 144. *1. Cor. 14.* habere auditores possit, ac magis morigeros.

Interrogatio cclxvii.

Luc. 12. *Si verum est illud, fore, vt alius vapulet multis, alius paucis: quomodo dicunt quidam supplicia non esse sempiterna?*

Responsio.

QVæ ambiguè & obscurè videntur dicta fuisse in quibusdam locis diuinæ scripturæ, ea clarè explicantur ex
Matt. 25. ijs, quæ dilucidè dicta sunt alijs in locis. Cum igitur Dominus aliàs quidem affirmatè dicat hos ituros ad supplicium æternum: aliàs verò, quosdam amandet in ignem æternum, paratum diabolo & angelis eius: & alibi mentione facta de
Mar. 9. gehenna ignis, confestim subijciat, *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur:* & olim etiam multò antè per pro-
Esaiæ 66. phetam de quibusdam prædixisset, *Vermem eorum non morieturum, neque ignem extinctum iri:* hæc atque horum similia cum sic posita reperiantur in diuina scriptura, vnum hoc etiam est ex artificijs diaboli, vt homines videlicet velut obliti horum & talium, quæ posita sunt plerisque in locis sacrosanctarum literarum, quo maiore cum audacia peccent, sibijpsis suppliciorum finem confingant. Nam si æterni supplicij finis futurus est aliquando, sine controuersia æternæ vitæ etiam erit. Quòd si hoc in æterna vita nullo modo possumus intelligere, quænam afferri ratio potest, quamobrem æternum supplicium habere finem dicatur? æqualiter enim
Matt. 25. tam huic quàm illi æternitatis additio adiecta est. *Ibunt,* inquit, *hi in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.* His
Luc. 12. igitur ita concessis, intelligendum est illud, *Vapulabit multis:* & illud, *Vapulabit paucis:* non finem, sed diuersitatem supplicij
Pſal. 7. declarat. Si enim Deus iudex iustus est, non bonis solùm, sed
Pſal. 61. etiam improbis, reddens *vnicuique iuxta opera sua:* fieri potest, vt alius quidem dignus sit igne inextinguibili, atque hoc ipso vel lenius, vel acrius vrente: alius verò verme nunquam morituro, atque hoc ipso nihilominus vel mitius quemque excruciante, vel seuerius, pro meritis videlicet vniuscuiusque: itemque alius gehenna, habente prorsus ipsa etiam varia tormentorum genera: similiterque alius extenioribus tenebris: quo in loco alius in fletu est solum, alius præter fletum, in stridore etiam dentium propter cruciatuum videlicet acerbitatem. Quin & hæ quoque tenebræ, quæ vocantur exteriores, alias etiam prorsus esse interiores significant.
Prou. 9. Et illud quod dictum est in Prouerbijs: *In profundum inferni:* declarat quosdam esse quidem apud inferos, non tamen in profundo, qui leuioribus scilicet pœnis afficiantur. Porrò hoc ita esse etiam nunc possumus per similitudinem adumbratè in morbis corporis intelligere. Siquidem est alius, qui præter febrem aliàs etiam aliorum morborum accessiones habet: alius item, qui ex sola tantummodo febri laborat: & hic ipse diuerso modo atque alius. Similiterque reperietur alius, qui febri quidem ipse non laborabit, dolore tamen membri alicuius vehementer cruciabitur: & hic ipse item alio aut acrius, aut remissius. Vsurpatum est autem etiam hoc à Domino, *Multis, & paucis,* ex vsu quotidianæ loquendi cõsuetudinis quemadmodum alia etiam huiuscemodi non-nulla. Quandoquidem scimus plerumque huiuscemodi formam loquendi etiam in his solitam esse vsurpari, qui ex vno aliquo morbo laborant. Veluti cum dicimus in aliquo, qui tantummodo febricitat, aut ex oculo dolet, admirantes, Hic quot sustinuit dolores, aut quot pertulit cruciatus? Quamobrem hoc, multis aut paucis vapulare (iterum dico) nequaquam temporis longinquitatem, completionémve, sed pœnæ diuturnitatem significat.

A morbis corporis similitudo.

Interrogatio cclxviii.

Quo sensu appellantur quidam filij contumaciæ, & filij iræ? *Ephes. 5.* *Ibid. 2.*

Responsio.

SAnè Dominus natos, & filios alicuius solitus est appellare eos, qui multiformem ipsius voluntatem exequuntur, tam boni, quàm mali. *Si* enim, inquit, *filij Abrahæ essetis,* *Ioan. 8.*
opera Abrahæ faceretis. Et item, *Vos ex patre diabolo estis, & desideria* *Ibid.*
patris vestri vultis facere. Quare contumaciæ quoque is filius efficitur, qui opera, quæ contumaciæ sunt, exercet. Fortasse etiam sicut non peccator modo, sed ipsum etiam peccatum diabolus appellatur, ea re, opinor, quòd ipse peccati primus author extiterit: sic idem quoque ob eandem causam contumacia ipsa ritè appellatur. Filius autem iræ est aliquis, quatenus se ira dignum reddidit. Vt enim qui digni sunt Domino, & qui diei ac lucis opera faciunt, Apostolus filios lucis, & filios diei appellauit: ita consentaneum videtur, vt eodem modo ex contrario etiam intelligatur illud, *Eramus filij iræ.* *Ephes. 5.*
Cæterùm scire illud conuenit filium contumaciæ, & filium *Ibid. 2.*
iræ idem esse: cum sententiam Domini habeamus, *Quòd, qui* *Ioan. 3.*
contumax est in filium, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum.

Filius contumaciæ siue diaboli.

Filius iræ quis.

1. Thess. 5.

Interrogatio cclxix.

Quoniam scriptum est, Facientes voluntates carnis & cogitationum: *nunquid voluntates carnis aliæ sunt, aliæ cogitationum? & si sunt, cuiusmodi sunt?*

Responsio.

SAnè quidem carnis voluntates alio in loco seorsum nominatim enumerat Apostolus, sic dicens, *Manifesta sunt* *Gal. 5.*
autem opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, immundicia, luxuriâ, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & quæ his similia. Et alibi magis in vniuersum, *Sapientia* *Rom. 8.*
carnis inimicitia est in Deum. Legi enim Dei non est subiecta, neque περιλογικώτερον.
enim potest. Voluntates autem cogitationum ea, opinor, consilia appellentur, quæ scripturæ testimonium non habent: veluti sunt illa, de quibus dictum est, *Consilia destruentes,* & *2. Cor. 10.*
omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & intellectus qui non rediguntur in captiuitatem, in obsequium Christi. Quamobrem necessarium, & tutum est, vt semper, atque vbique illud seruetur, quod dictum est à Dauid, *Et consilium meum iu-* *Psal. 118.*
stificationes tuæ.

Interrogatio cclxx.

Quid est, ἀπορούμενοι ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι, *quod Latinus interpres vertit,* aporiamur, sed non destituimur? *2. Cor. 4.*

Responsio.

VT animi sui expletionem in fiducia in Deum ex collatione fortitudinis animi humanæ ostendat Apostolus, singula, quæ hoc in loco habentur, ponit hoc modo: Quod enim ad humanam prudentiam attinet, *in omnibus tribulationem patimur,* inquit. Quod verò ad fiduciam in Deum, *Sed non angustiamur.* Item quod spectat ad fortitudinem animi humanam, *Aporiamur,* inquit: id est, summis circumuenimur difficultatibus. Quod verò ad fiduciam in Deum, *non destituimur* penitus: id enim est ἐξαπορούμενοι, & reliqua simili modo. Veluti sunt etiam illa, quæ alio in loco dicta sunt ab eodem, *Quasi morientes, & ecce viuimus. Vt castigati & non mor-* *2. Cor. 6.*
tificati: quasi tristes, & semper gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Inter-

Interrogatio cclxxi.

Luc. 11. *Cum Dominus dicat*, Veruntamen quod supereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: *nunquid peccata omnia, quæ quis commiſit, mundentur per eleemoſynam?*

Responsio.

Ibid. PRopoſitam quæſtionem ſeries ipſa eorum, quæ præcedunt, dilucidè explicat. Nam cum antea dixiſſet, *Quod deforis eſt calicis, & catini, mundatis: Quod autem intus eſt veſtrûm, plenum eſt rapina, & iniquitate:* poſt hoc ſubiecit, *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Omnia, hæc videlicet, quæ per rapinam, & defraudationem peccata committimus, & iniquè agimus. Hoc autem ita eſſe apertè declarauit Zacchæus, quum dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum:* vt videlicet intelligatur, peccata omnia, quæ eiuſmodi ſunt, vt retegi poſſint, ac pluribus contrarijs rectè factis penſari, hoc modo ab homine emundari: atque hoc modo, dico, non vt qui ipſe ad emundationem per ſe ſatis idoneus ſit, ſed qui egeat in primis miſericordia Dei, & ſanguine Chriſti: *in quo redemptionem habemus* reliquorum etiam omnium, facientes in ſingulis fructus dignos pœnitentiæ.

Luc. 19. ἐσυκοφάντησα.

Ephes. 1. Matt. 3.

Interrogatio cclxxii.

Quoniam præceptum eſt Domini, hominem non debere eſſe ſollicitum de craſtino, quomodo præceptum hoc ſanè intelligemus? Videmus enim nos in rebus ad neceſſarium vſum parandis magnum ſtudium adhibere, vt ea etiam reponamus, quæ durare poſſint ad longinquum tempus.

Responsio.

Matt. 6. QVi doctrinam Domini aſſecutus, qui dixit, *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius:* & certiſſimam authoritatem tribuit promiſſioni Dei, qui ſtatim ſubiecit, *Et hæc omnia adijcientur vobis:* nequaquam is in curis vitæ huius, quæ verbum ſuffocant, & infœcundum reddunt, occupat animũ ſuum: ſed certãs in bono certamine, vt promereatur gratiam diuinam, in Domino confidit, qui dixit, *dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et de hoc nihil admodum laborat: ſed laborat, & ſollicitus eſt non propter ſe, ſed propter mandatũ Domini: quem admodum exemplo ſuo oſtendit Apoſtolus & docuit, cum dixit, *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Nam ſui ipſius cauſa ſollicitum eſſe, hoc crimen eſt hominis ſeipſum amantis: contraque propter mandatum ſollicitudinem ſuſcipere ac laborem, hæc laus eſt hominis Chriſtum amantis, & affectionis animi fraternam charitatem diligentis.

Luc. 8. 2. Tim. 4. Matt. 10. Act. 20. φιλοχρίστου.

Interrogatio cclxxiii.

Matt. 12. *Quid eſt, quod faciens aliquis, blaſphemat in Spiritum ſanctum?*

Responsio.

EX ea blaſphemia, quam Phariſæi tunc vſurparunt, de quibus etiã lata eſt huiuſcemodi ſententia, perſpicuum eſt, eum etiam nũc blaſphemare Spiritum ſanctum, hoc eſt, detrahere ſpiritui ſancto, quicunque effectus & fructus Spiritus ſancti, aduerſario ipſius attribuit: quod peccatum incurrimus plerique noſtrûm, qui ſecuri periculi temerè ſtrenuum ſæpenumero appellamus ambitioſum, & ei qui iuſta indignatione per zelum moueatur & eam re indicans, iracundiæ calumniam impingimus, & ad eundem modum alia iniquis adducti ſuſpicionibus, ementitis nominibus, de aliquo dicimus.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum.

Interrogatio cclxxiv.

1. Cor. 3. *Quomodo efficitur aliquis ſtultus in hoc ſeculo?*

Responsio.

Eſaiæ 5. SI formidauerit iudicium Domini dicentis, *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes:* & illum

Pſal. 7. fuerit imitatus, qui dixit, *Vt iumentum factus ſum apud te:* atque abiecta omni caſſa opinione prudentiæ ſuæ, de ijs quæ cogitauerit, nihil antea tanquam rectum approbarit, imò ne initio quidem prorſus quicquam cogitauerit, priuſquam ab ipſo Domini mandato ſcire didicerit, quid placeat Deo, ſiue in opere, ſiue in verbo, ſiue in cogitatione: cum ſcriptum ſit apud Apoſtolum, *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui docet hominem ſcientiam,* ſicut ſcriptum eſt.

2. Cor. 3. Pſal. 93.

Interrogatio cclxxv.

Nunquid alicuius ſancti propoſitum impedire Satanas poſſit? quoniam ſcriptum eſt, Ego quidem Paulus & ſemel, & iterum propoſueram venire ad vos, & impediuit nos Satanas.

1. Theſſ. 2.

Responsio.

EOrum, quæ in Domino ſunt, rectè factorum, alia ſola voluntate, ac deliberatione animi efficiuntur, alia ad hoc, vt efficiantur, indigent etiam opera corporis, adhibendis videlicet vel ſtudio, vel tolerantia. Ac quæcunque quidẽ ſunt eius generis, quæ in ſola animi voluntate poſita ſint, hæc nullo modo impedire Satanas poteſt. Quæ verò eiuſmodi, ad quæ conſequenda neceſſaria eſt etiam opera corporis, in his plerumque etiam Deus naſci impedimenta permittit, vel probandi, vel detegendi cauſa illius, qui impediatur: Vt vel ſi à recto propoſito deſtiterit, conuictus, qualis ſit detegatur: Vt hi, qui ſupra petram fuerant ſeminati, qui ad modicum tempus ſuſceperunt quidem verbum cum gaudio, exorta autem tribulatione, ſtatim receſſerunt. Vel ſi in recto perſeuerauerit, clarius appareat ſtudiũ ipſius in rectè factis: vt ipſius Apoſtoli, qui cum ſæpè Romam petere decreuiſſet, & prohibitus eſſet, vt ipſe faſſus eſt, tamen eatenus in ea voluntate permanere non deſtitit, quoad etiam effecit, quod ſtatuerat. Adhibenda autem tolerantia, vt Iob, qui tam multa à diabolo perpeſſus, violenter ipſum vrgente, vt blaſphemi quidpiam pronũciaret, aut ingratũ aduerſus Deum, in extremis etiam calamitatibus à pio ſuo animi iudicio, ſanáve de Deo ſententia non receſſit. Siquidem ſcriptum eſt de eo, *In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis coram Deo, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt.*

Matt. 13. Mar. 4. Luc. 8. Rom. 1. Iob 1.

Interrogatio cclxxvi.

Quid eſt, quod dictum eſt ab Apoſtolo, Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta?

Rom. 12.

Responsio.

MVlta ſunt, quæ Deus vult: atque horum partim ex clementia, & bonitate, quæ quidem bona & ſunt, & dicuntur: partim ex iracundia propter peccata noſtra, quæ ipſa appellantur mala. *Ego enim ſum,* inquit, *qui facio pacem, & creo mala:* mala autem non propter quæ plectimur, ſed per quæ ad frugem corrigimur. Porrò quæ nos corrigunt, & auerſos vexatione ſua ad meliorem viam reuocant, ea vertuntur in bonum. Ac quæcunque quidem eius generis ſunt, quæ Deus, clementiam bonitatémve exercens ſuam, vult, hæc nos quoque neceſſariò & velle, & imitari debemus. *Eſtote enim miſericordes,* inquit, *ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Et Apoſtolus item, *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Quæ verò ex iracundia peccatis noſtris commotus infert, & vt ante dixi, ea ratione mala appellantur, quòd malè illa nos habere ſolita ſint: hæc vero nequaquam protinus facere etiam nobis licet. Neque enim propterea, quòd Dei plerumque voluntas ſit, vt vel fame, vel peſtilentia, vel bello, vel alio quopiam iſtiuſmodi calamitatis genere homines perimantur, idcirco nos quoque huiuſcemodi illius voluntatis præbere nos miniſtros debemus: quandoquidem ad ea, quæ iſtiuſmodi ſunt, peragenda, adminiſtris etiam hominibus malis vti Deus conſueuit, vt ex verbis illis intelligi poteſt, *Miſit in eos iram indignationis ſuæ,* indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſionem per angelos malos. Igitur quærendum eſt primum, quæ ſit bona voluntas Dei: tum vbi, quæ illa ſit, cognouerimus, exquirendum diligentius, vtrúmne bona hæc, ſit etiam beneplacens Deo. Eſt enim quædam, quæ ſuo quidem genere & Dei voluntas eſt, & bona eſt. Ea tamen quandocunque aut in perſona, aut temporis opportunitate peccetur, non continuò etiam eſt beneplacens Deo. Verbi gratia: erat voluntas Dei, & voluntas ea erat bona, vt incenſum offerretur Deo: at non erat beneplacens Deo, vt hoc facerent,

Luc. 6. Ephe. 5. Pſal. 77. Δόγματα

rent, qui erant circum Dathan & Abiron. Item simili modo voluntas Dei est, & voluntas bona est, vt eleemosyna fiat: verum vt hoc fiat causa gloriæ humanæ, non iam hæc etiam beneplacens est Deo. Ad eundem modum etiam voluntas Dei erat, & ea voluntas erat bona, vt discipuli, quod in aure audierant, prædicarent in tectis: verumtamen vt aliqua dicerent, antequam dicendi matura opportunitas venisset, ea
Matth. 17. iam Deo beneplacens non erat. *Nemini enim dixeritis*, inquit, *visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.* In vniuersum denique omnis voluntas Dei bona, tunc etiam beneplacens est, quando in ea seruatum sit, quod dictum est
1. Cor. 10. ab Apostolo, *Omnia ad gloriam Dei facite, &: Omnia honestè, &*
Ibid. 14. *secundum ordinem fiant.* Sed enim quandocunque item voluntas Dei aliqua sit, eaque bona sit, & beneplacens sit, neque sic tamen securo esse animo conuenit: sed in eo anxiè, ac solicitè est laborandum, vt hæc perfecta, ac nulla in parte manca mensura sit. Porrò mensura hæc duplex est: aut eius rei videlicet, quæ fit, si ex præcepto fit: aut virium illius,
Matth. 22. qui facit. *Diliges enim*, inquit, *Dominum Deum tuum ex tota*
Luc. 10. *anima tua, & ex tota virtute tua, & ex omnibus viribus tuis,*
Ioan. 15. *& ex omni mente tua, & proximum*, quemadmodum in euangelio secundum Ioannem Dominus docuit, & præterea
Matth. 24. omne mandatum, sicut scriptum est. *Beatus enim*, inquit
Luc. 12. Dominus, *quem cum venerit Dominus, inuenerit facientem sic.*

INTERROGATIO CCLXXVII.

†ταμεῖον. *Quid est illud † cubiculum quod eum intrare Dominus iubet, qui oraturus sit?*

RESPONSIO.

* Cubiculum sine cellarium, ἀλληγορικῶς. Esa. 26. CEllarium * communis loquendi consuetudo solita est appellare locum in domo vacuum, ac remotum à celebritate, in quo ea reponimus, quæcunque habemus in animo ad aliquod tempus seruare: vel in quo volentibus latere profugium est: qua in significatione acceptum est à propheta, cum ait, *Vade populo meus, intra in cellarium tuum, abscondere.* Porrò vim mandati argumentum ipsum declarat. Siquidem eo in loco sermo ad eos institutus est, qui vitio laborarent gloriæ humanæ. Proinde si cui molestiam exhibet vitium huiuscemodi, is rectè facit, si in facienda oratione se à celebritate subducit, & eousque in solitudine contineat, donec eò iam peruenerit, vt omnino de humanis
Simile Dauidicum. Psal. 122. Quorum sit non occultare recte facta. Matth. 5. νοῦς. laudibus nihil curet, sed oculos in solum Deum habeat intentos: velut ille, apud quem est, *Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Cæterùm si aliquis, Dei munere, ab eo vitio liber sit, huic non est necesse occultare quod bonum est. Nam hoc Dominus ipse docet, cum ait, *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Atque hæc eadem ratio, & in eleemosyna intelligenda est, & in ieiunio: de quibus agitur in eodem loco, atq; in vniuersum in re omni, quæ ad Dei cultum pertineat.

INTERROGATIO CCLXXVIII.

1. Cor. 14. *Quomodo spiritus alicuius orat, & mens eius est sine fructu?*

RESPONSIO.

†πνεῦμα προσεύχεται νοῦς ἄκαρπος. 1. Cor. 14. HOc de ijs dictum est, qui lingua audientibus ignota orationes factitarent, ait enim, *Si † orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* Quotiescunque enim ijs, quis adsunt ignota sunt verba orationis, tunc sine controuersia orantis mens sine fructu est, quippe cum inde nemo fructum capiat. Contra autem, quandocunque, qui adsunt, orationem intelligunt, quæ audientes possit iuuare, tunc sine dubio, qui orat, fructum habet, quòd meliores fiunt, qui iuuantur. Similis quoque
Ephe. 4. etiam ratio est in omni prolatione sermonum Dei. Scriptum est enim: *Sed si quis bonus ad ædificationem fidei.*

INTERROGATIO CCLXXIX.

Quid est, Psallite intelligenter? *Psal. 46.*

RESPONSIO.

Ὁμοίωσις. Iob 34. PRorsus quod est in cibis sensus cuiusque cibi, hoc in verbis sacrosanctarum literarum est intelligentia. *Guttur enim*, inquit, *escas gustu dijudicat: mens autem intelligendi verba discernit.* Si quis igitur ad vim verbi cuiusque animo etiam ita simul afficiatur, quemadmodum gustatu ad qualitatem cuiusque cibi, prorsus hic mandato illi satisfacit, quod est, *Psallite intelligenter.*

INTERROGATIO CCLXXX.

Quid est, Mundo corde? *Matt. 5.*

RESPONSIO.

QVi seipsum non reprehendit, quòd Dei mandatum aut spreuerit, aut plenè executus non sit, aut neglexerit.

INTERROGATIO CCLXXXI.

Nunquid quæ psallere nolit, ea cogenda est?

RESPONSIO.

NIsi alacriter ad psallendum accedat, & nisi eam animi affectionem præ se ferat, quam habere se testatus est is, qui dixit, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* & nisi in cessatione magnum inesse detrimentum arbitretur, aut corrigitor, aut de medio tollitor, *ne modicum fermentum totam massam corrumpat.* *Psal. 118.* 1. Cor. 5. Gal. 5.

INTERROGATIO CCLXXXII.

Qui sunt illi, qui dicunt, Manducauimus coram te, & bibimus: *& responsum ferunt*, Nescio vos? *Luc. 13.*

RESPONSIO.

FOrtasse illi, quos in persona sua descripsit Apostolus, cum dixit, *Si linguis hominum loquar, & angelorum*, &c. *& si habuero omnem scientiam, & omnem fidem: & si distribuero omnes facultas meas in cibos pauperum: & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* quam quidem doctrinam acceperat idem Apostolus à Domino, qui de quibusdam dixerat, *Faciunt enim vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quicquid enim non charitatis erga Deum, sed humanæ laudis causa fit, cuiuscunque generis illud factum sit, id non laudem pietatis meretur: sed iudicium incurrit, aut studij hominibus alijs placendi, aut sibi, aut æmulationis, aut inuidentiæ, aut alterius cuiuspiam istiusmodi criminis. Quamobrem quicquid huiusmodi est, hoc Dominus iniquitatis opus appellat. Ita enim ijs respondet, qui dixerant illud, *Manducauimus coram te, & bibimus. Discedite à me operarij iniquitatis.* Qui enim non rite operarij iniquitatis appellentur, qui Dei donis ad mercaturam voluptatum suarum abutantur? Cuiusmodi erant illi, de quibus est apud Apostolum, *Non enim sumus sicut multi adulterantes verbum Dei.* Et alio in loco, *Existimantium quæstum esse pietatem*, & pleraque huiusmodi. A quibus omnibus liberum fuisse eundem Apostolum ex verbis ipsius illis intelligimus, *Non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.*
1. Cor. 13. Γνώμη Catholica Luc. 13. 2. Cor. 2. 1. Tim. 6. 1. Thes. 2.

INTERROGATIO CCLXXXIII.

Nunquid qui facit voluntatem alicuius, is particeps est illius?

RESPONSIO.

SI credimus Domino dicenti, *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati:* & item, *Vos ex patre diabolo estis, & desideria* *Ioan 8.* *Ibid.*

Eius es & seruus & filius, cuius opus exequeris. Rom. 6.

patris vestri vultis facere: sine dubio intelligimus hunc non solum esse participem, sed talem etiam, qui illius, cuius opus facit, filius mereatur appellari: Conuenienter verbis Domini. Porrò Apostolus etiam hoc ipsum apertè testatur, cum dicit, *Nescitis quod cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?*

INTERROGATIO CCLXXXIV.

Si fratrum familia in aduersam valetudinem inciderit, atque ob eam causam ad inopiam deuenerit, nunquid ea sine scrupulo res ad vsum necessarias accipere ab alijs possit: & si possit, à quibus possit?

RESPONSIO.

Matth. 25. QVi memoria tenet Dominum illa dixisse. *Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis:* is sine dubio maiorem in modum solicitudinem ac studium, & diligentiam adhibet, vt idoneus sit, qui in numero fratrum Domini collocetur. Eiusmodi igitur si quis fuerit, is de acceptione omnem à se dubitationem remouere debet, potiusque gratias agere. A quibus autem conueniat accipere, & quando, & quomodo, is statuet, cui communis procuratio commissa est, memoria tenens quod dicit Dauid, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Itemque: *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.*

Psal. 140. Psal. 100.

INTERROGATIO CCLXXXV.

Nunquid in mutuis inter diuersas fratrum familias contractibus, rei, de qua contractio fiat, precium exiliter ad calculum conueniat reuocari?

RESPONSIO.

VTrumne permittat doctrina Christiana venditionem, emptionemve inter fratres exerceri, prorsus quid dicam compertum non habeo. Siquidem communicare inter nos alij alijs admonemur res ad necessitatem vitæ pertinentes, sicut scriptum est, *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas.* Verùm si omnino aliquando necessitas huiusmodi contingat, maiorem adhibere curam debet qui emit, ne in persoluendo, de precio aliquid detrahat, quàm in accipiendo, qui vendit, ne plus accipiat, quàm quanti res sit. Simulque illud in memoria habeant vtrique, *damnum inferre iusto non est bonum.*

2. Cor. 8.

Prou. 17.

INTERROGATIO CCLXXXVI.

Nunquid qui inter fratres vitam agat, & in corporis debilitatem inciderit, hic in hospitale oporteat amandari?

RESPONSIO.

IN hoc habenda est ratio diligens cuiusque loci, & finis accommodati ad communem vtilitatem in gloriam Dei.

Descriptus fuit liber hic ex vetustissimo exemplari, quod allatum fuit ex Ponto & locis illis, in quibus Magnus Basilius † solitariam vitã exercuit: & post etiam cum eo collocatum, quod inuentum est Cæsareæ in mendicorum hospitio, quod ipse ædificauit eo in loco qui nunc de eius nomine Basilias *appellatur. Quæ autem sequuntur* XXVII. *capita, & animaduersiones, de codice Cæsareensi adiecta sunt.*

† τὸν μονηρὸν βίον ἤσκησεν.

INTERROGATIO CCLXXXVII.

Qui sunt fructus dignipœnitentiæ?

RESPONSIO.

OPera iustitiæ peccato contraria: cuiusmodi fructus ferre debet, qui pœnitentiam agit, dicto illi obtemperans, *In omni tempore bono fructificantes.*

Colos. 1.

INTERROGATIO CCLXXXVIII.

Qui peccata sua confiteri vult, nunquid omnibus passim, & quibuslibet ea confiteri debet, an certis quibusdam?

RESPONSIO.

PRopositum benignitatis Dei in his qui peccant, perspicuum est ex eo, quod scriptum est, *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Quoniam igitur etiam conuersionis modus accommodatus esse debet ei qui peccat, & præterea opus est fructibus dignis pœnitentiæ, conuenienter verbis illis, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, ne si fructus abfuerint, illa vsu eueniant, quæ confestim post denunciantur: *Omnis enim arbor*, inquit, *quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:* necessariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando & in euangelio scriptum est; *quod Ioanni confitebantur peccata sua:* & in Actis: *Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti.*

Ezec. 18.

Matt. 3.

1. Cor. 4.

Matt. 3. Actor. 16.

INTERROGATIO CCLXXXIX.

Quem peccati alicuius pœnituit, is si in illud idem denuò relapsus sit, quid faciet?

RESPONSIO.

QVòd qui semel pœnitentiam egerit, denuò idem peccatum commiserit, hoc argumento est illum primam causam peccati illius funditus non extirpasse, à qua veluti à quadam radice alia eiusdem generis pullulare necesse sit. Nam quemadmodum si quis relicta radice ramos arboris alicuius velit excisos, nihilominus radix manens alios similes illis protrudit: sic quoniam peccata sunt quædam, quæ nascendi principium in seipsis non habent, sed aliunde originem ducunt, necesse est prorsus, si quis esse ab illis liber velit, is vt causas primas peccatorum illorum stirpitus tollat. Veluti corrixatio & inuidia non ex seipsis nascuntur, sed ab radice appetitus gloriæ pullulant. Qui enim humanam gloriam magni facit, is ex æmulatione ei obtrectat, quem in gloria esse animaduertit, aut à quo in ea superari se videt, inuidet. Quocirca qui semel seipsum inuidiæ contentionisve condemnarit, is si in eadem ipsa denuò vitia relapsus sit, vtique intelligat graui se ac penitus insito cupiditatis gloriæ morbo, principe scilicet inuidiæ æmulationisve causa laborare. Nimirumque ipsum conuenit contraria ratione, nempe humilitatis exercitationibus (humilitatis autem exercitatio in rebus contemptioribus exercitatio est) gloriæ morbum curare: vt hoc modo affectionem illam humilis animi adeptus, deinceps in ea, quæ ante diximus esse cupiditatis gloriæ genuina, non incidat: atque in singulis istiusmodi peccatis simili modo.

Ὁμοίωσις.

INTERROGATIO CCXC.

Quomodo abundat quis in opere Domini semper? *1. Cor. 15.*

RESPONSIO.

VEl videlicet, cum aut delatum à Deo sibi munus multiplicat, iuuandis & ad virtutem promouendis ijs, quibus benigne facit: Vel quandocunque maiore studio persequitur opus Domini, quàm ea, quæ vulgo in studio sunt apud homines.

INTERROGATIO CCXCI.

Quis est calamus quassatus, aut fumigans linum? quomodove alterum quis non conterit, alterum non extinguit? *Esa. 42.*

RESPONSIO.

SAnè per quassatum calamum, illum intelligi arbitror, qui non ea qua oportet animi sinceritate mandatum Dei exequitur: quem non conterere conuenit, neq; abscindere, sed sanare potius, sicut docuit Dominus, cum dixit, *Attendite*

Calamus quassatus.

Matth. 5. *Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* Et Apostolus etiam præcepit dicens: *omnia facite sine murmurationibus & disceptationibus.* Et alio in loco: *nihil per contentionem, aut inanem gloriam.* Linum verò fumigans, quotiescunque quis mandatum quidem exequitur, sed non ardenti desiderio, aut pleno studio, sed segnius quodammodo ac lentius: qui ideo nō est deterrendus, sed excitādus potius admonitione assidua iudiciorum Dei, & promissorum ipsius.

Philip. 2. Ibid. 2. Linum fumigans.

INTERROGATIO CCXCII.

Nunquid conueniat, vt inter fratres magister sit puerorū secularium?

RESPONSIO.

Ephes. 6. Col. 3. CVm Apostolus dixerit, *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini*: si qui eos adducunt, hac mente adducunt, & qui suscipiunt tales sunt, qui planissimè confidant posse se, qui sibi adducantur, in disciplina & correptione Domini educare, seruetur quod præceptū est à Domino, qui dixit, *Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum.* Remoto autem huiuscemodi proposito ac spe, hoc neque Deo gratum, neque ex decoro, aut vtilitate nostra esse existimo.

Matth. 19.

INTERROGATIO CCXCIII.

Quomodo agi par est cum ijs, qui cum maiora peccata declinent, minora perinde ac si nihil referret, committunt?

RESPONSIO.

PRimo quidem scire illud conuenit, differentiam hanc minorum & maiorum nusquam in nouo Testamento reperiri. Siquidem vna est & eadem sententia aduersus quælibet peccata, cum Dominus dixerit: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et item: *Sermo, quem locutus sum vobis, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Et Ioannes vociferans dicat; *Qui contumax est in filium, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum,* cùm contumacia non in discrimine peccatorum sed in violatione præcepti, positam habeat futuri supplicij denunciationem. Prorsus autem, si id nobis permittitur, vt in peccatis hoc magnum, illud exiguum appellemus, inuicto argumento concluditur magnum vnicuique esse illud, à quo quisque superatur: contraque exiguum, quod vnusquisque ipse superat. Vt in athletis, qui vicit, fortis est, qui autem victus est, imbecillior eo, vnde victus est, quisquis ille sit. Quocirca aduersus quēcumque qui cuiuscunque generis peccatum admittat, seruandum est præceptum Domini, qui dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autē Ecclesiam etiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Seruetur autem in omnibus, quæ sunt huiusmodi, id quod dictum est ab Apostolo: *Quare non potius luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit?* Ita enim exerceri seueritas debet, vt in ea tamen & clementia & misericordia appareant.

Ioan. 8. Ioan. 12. Ioan. 3. Argum. à simili. Matt. 18. 1. Cor. 5. Ἐγάμη.

INTERROGATIO CCXCIIII.

Quæ causa est, quam ob rem quis excidat à iugi recordatione Dei?

RESPONSIO.

NImirum ea, si quis immemor sit beneficiorum Dei, & aduersus bene de ipso meritum ingratus existat.

INTERROGATIO CCXCV.

Ὀμετέωρος Luc. 12. *Ex cuiusmodi signis deprehenditur aliquis, quòd animo euariet ac distrahatur?*

RESPONSIO.

NEmpè quandocunque quis in rebus ad gratiam Dei promerendam pertinentibus negligens est: cum Propheta dicat, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* Psal. 15.

INTERROGATIO CCXCVI.

Qua ratione persuaderi possit animæ cuipiam, quòd à peccatis libera sit & expurgata?

RESPONSIO.

SI quis in seipso animi affectionem illam similem Dauid inesse animaduerterit, apud quem est: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*, aut assecutum se præceptum illud Apostoli, qui dixit: *Mortificate igitur membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis*, vt verè dicere illud possit: *Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam.* Porrò intelligit aliquis se in huiusmodi affectione positum, si etiam aduersus peccantes admirabilem, & horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imitatus sit, velut Dauid quidem, apud quem est: *Vidi præuaricantes, & tabescebam*, Apostoli verò, qui ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Etenim, si (vt veritas credere suadet) animus nobilior est corpore, in corpore autem videmus consueuisse nos fœditatem omnem odisse, respuereque, itemque animum nostrum aspectu immanis cuiusuis carnificinæ, & insidiarum quarumuis naturaliter vehementer solere commoueri, tristarique, qui non tandem credibilius sit, ea quæ antè diximus aduersus peccantes, in animis eorum euenire, in quibus † Christiana, fraternaque charitas vigeat, quotiescunque eorum qui peccant, animum velut à feris bestijs sauciari, absumique animad-uerterint, ac veluti cruore vndique ac tabo oppleri? cum scriptum sit apud Dauid: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Et apud Apostolum: *Stimulus mortis peccatum est.* Quandocunque igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis eo modo, quemadmodum suprà initio diximus: animo affectum se esse animaduerterit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato.

Psal. 118. Col. 3. πάθος. Psal. 118. Psal. 118. 2. Cor. 11. † φιλόχριστον καὶ φιλάδελφον. Psal. 37. Collatio. 1. Cor. 15.

INTERROGATIO CCXCVII.

Quæ teneri ratio debet in conuersione facienda à peccatis?

RESPONSIO.

NImirum imitanda illa Dauid animi affectio est. Primò quidem, cum dicit: *Iniquitatem meam cognoui, & peccatum meum non abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Deinde in ijs denarrandis modus, qui habetur in sexto psalmo, similiterque in alijs item vario modo, eaque discenda sunt ab Apostolo, quæ pro alterius peccato Corinthios ille feciſſe testatus est, cum dixit; quòd quæ secūdum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem parit: & statim post tristitiæ proprietates adiunxit, *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristatos vos esse, quantam in vobis peperit solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam, in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negocio.* Ita vt ex his perspicuum sit, non solùm conuenire à peccato discedere, & pro peccantibus huiuscemodi animi affectiones suscipere, sed ab ipsis etiam illis, qui peccant recedere. Nam & Dauid hoc apertè demonstrauit, cum dixit: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Et Apostolus præcepit, cum eo, qui huiusmodi sit, ne cibum quidem vnà capere nos debere.

Psal. 31. Psal. 6. 1. Cor. 5.

INTERROGATIO CCXCVIII.

Nunquid ratio cōcedat, vt quæ recta sunt ea fiant, prout cuique placet?

RESPONSIO.

QVi sibimetipsi placet, homini placet. Homo enim etiam ipse est vnusquisque. Quemadmodum igitur male-

Hier. 17.

maledictus est homo, qui spem suam ponit in homine, & fulcit carnem brachij sui: quod nihil indicat aliud quàm fiduciam suijpsius: quibus mox subijcit: Et à Deo recesserit anima eius: item quoque qui vt alij placeat, vel ex eo, quod
Matth. 6. ipsi sibi placet, aliquid facit, is alienus est à cultu Dei. *Faciũt enim* (inquit Dominus) *vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quin & Apostolus etiam prædicans dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.*
Gal. 1. Porrò aduersus eos, qui tales sunt, vehementior quædam
Psal. 52. fertur in sacris literis comminatio dicentibus Deum dissipasse ossa eorum, qui hominibus placent.

Interrogatio CCXCIX.

Quomodo persuadere sibi quis possit, se remotum esse ab ambitione.

Responsio.

Matt. 5. QVotiescunque Domino obtemperauerit, qui dixit, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*, itemque Apostolo
1. Cor. 10. præcipienti, ac dicenti: *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite*, ita vt cultor Dei nihil neque de præsenti, neque de futura gloria laborans, sed charitatem, quæ est erga Deum, rebus omnibus anteponens, fidenter simul cum his, quæ præmissa sunt, dicere illud possit:
Rom. 8. *Neque instantia, neque futura poterunt nos separare à charitate Dei, quæ in Christo Iesu Domino nostro.* cum ipse Dominus noster Ie-
Ioan. 8. sus Christus dixerit: Non quærere se gloriam suam. *Et quòd*
Ibid. 7. *qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est.*

Interrogatio CCC.

Quæ est ratio conuersionis, quum sermo est de re, quæ oculis tangi non potest?

Responsio.

SAnè ratio quidem conuersionis declaratur in ea interrogatione, in qua quæritur, quæ teneri ratio debeat in cõuersione facienda à peccatis. Quòd autem sermo sit de re,
Matt. 10. quæ oculorum aspectum fallit, meminerimus dictum esse à
Luc. 6. Domino, *Nihil occultum quod non posteà sciatur.* &, *Ex abundantia cordis os loquitur.*

Interrogatio CCCI.

Quid si quis dixerit, Conscientia me non reprehendit?

Responsio.

Responsio per simile. HOc accidit etiam in morbis corporis. Siquidem multi sunt morbi, quos non sentiunt, qui in illis sunt. Verumtamen ij maiorem adhibent fidem medicorum peritiæ, quàm suo ipsorum stupori. Similiter etiam in morbis animi, peccatis videlicet, licet quis seipsum non reprehendat, quòd peccatum suum non sentiat, nihilominus tamen adhibere ijs fidem debet, qui res eius peruidere melius possunt quam ipse. Quod animaduertimus factum fuisse ab Apostolis, quo tempore cum de sua erga Dominum syncera
Matt. 26. animi affectione nihil dubitantes, dici sibi audiuissent: *Vnus ex vobis me tradet*, maiorem Domini verbis, quàm conscientiæ suę authoritatem tribuerunt, altercabanturque ac dicebant: *Nunquid ego sum Domine?* Sed apertius hoc ipsum videmus in Petro, qui cum ex vehementi humilitate ministerium Domini Dei ac magistri sui nollet admittere, tamen vbi illud
Ioan. 13. audiuit: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum*: hisce Domini verbis summa adhibita fide, dicit; *Non tantum pedes meos, sed & manus & caput.*

Interrogatio CCCII.

Nunquid extraneis hominibus, ijs qui in indigentia positi sunt, de fratrum mensa subueniri conueniat?

Responsio.

Matt. 15. Ibid. CVm Dominus dixerit: *Non missus sum nisi ad oues quæ perierunt domus Israël*, &: *Non est bonum sumere panem filiorum,*
Κυναρίοις. *& mittere catellis*: nequaquam necesse est, ea, quæ in eorum vsus attributa sunt, qui consecrati sunt Deo, temere ita in quosuis impendi. Si verò id fieri possit, quod à muliere, quæ de fide laudatur, dictum est, videlicet: *Etiam Domine. nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* hoc positum sit in arbitrio dispensatoris, adhibita eorum etiam sententia, qui secundum ipsum in familia cæteris præstantiores sunt: vt ex eo quod abundat, Sol (sicut scriptum est) *Matt. 5.* oriatur super malos & bonos.

Interrogatio CCCIII.

Nunquid ijs obedire conueniat, quæ ab omnibus in fratrum collegio dicantur?

Responsio.

INterrogatio hæc magnam habet difficultatem, si quis ei respondere velit. Primum quòd manifestæ perturbationis indicium præbet, ex eo, quòd ab omnibus aliquid dicatur: cùm Apostolus dicat: *Prophetæ autem duo, aut tres dicãt,* *1. Cor. 14.*
& cæteri dijudicent. Et idem in donorum distributionibus, singulis qui loquuntur, proprios ordines assignauerit, cum *ὑπόδειγμα à membris ductũ.*
dixit: *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Et in similitudine mẽbrorum corporis apertè demonstret, eum, qui loqui-
Rom. 12. tur, ipsum quoque vicissim partem esse: apertiusque hoc
Ibid. idem etiam ac magis distinctè declaret, cum dicit: *Siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione*, & reliqua. Vt ex his perspicuum sit, nequaquam omnia omnibus esse permissa, sed vnumquemque in vocatione sua manere debere, illudq; quod sibi à Domino creditũ sit, diligentius accurare. Quamobrem qui in familia cæteris præest, & vniuersis, quæ facere illos oporteat describit, maiore quadam cum anim- *ἐξεταστὴς.*
aduersione huiusmodi administrare munus debet, solicitéque, & vt par est, in singulis aduigilare, quo pacto videlicet conuenienter voluntati Dei, & accommodatè ad naturam, & facultatem vniuscuiusque, habita communis vtilitatis ratione, munera singulis describat, imperetve. Contrà verò, qui sub imperio sunt, ij seruata disciplina, obediẽtiaque (quatenus eam tamen seruari conuenit) verborum
meminisse illorum Domini debent: *Oues meæ vocem meam* *Ioan. 10.*
audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. memoriaque tenere eundem superiùs dixisse: *Alienum* *Ibid.*
autem non sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. itemque Apostolum dicere: *Si quis aliter docet, & nõ* *1. Tim. 6.*
acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens. & ijs enumeratis, quæ inde nascuntur postea adiecisse, Absiste à talibus. itemque alio in loco: *Prophetias nolite spernere. Omnia probate,* *1. Thess. 5.*
quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete. Ex quibus omnibus intelligitur, si quid sit quod ex mandato Domini dicatur, aut cum mandato cõueniat, in eo, licet mortem cum minis intentatam habeat, nihilominus tamen obedientiam seruari conuenire. Sin contrà, aliquid præter mãdatum est, aut aliqua ex parte mandato aduersatur, id licet Angelus de cœlo, aut de Apostolis aliquis imperet, licet vitam promittat, aut mortem minetur, nullo pacto admittendum esse: cum Apostolus dixerit: *Licet nos ipsi, aut Angelus de cœlo euange-* *Gal. 1.*
lizet vobis præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema sit.

Interrogatio CCCIV.

Numquid pro his, qui traditi fratribus sint, à propinquis eorum, si dare aliquid velint, accipiendum sit?

Responsio.

HVius rei cura arbitrium quę esto penes antistitem. Verumtamen in hoc si mea etiam sententia exquiritur, existimo magis consultum iri offensioni multitudinis, & ad ædificationem fidei fore commodius, si repudientur huiusmodi munera. Siquidẽ ex illorum susceptione primum illud incommodum nascitur, quòd sæpenumero ob eam

rem

rem malè audit fratrum Respubl. Deinde illud etiam, quòd ad sustollendos animos propinquorum illorum, vnde allata illa sunt, causam dant. Ad hæc, quòd secundum id, quod dictum est ab Apostolo, de ijs, qui in communi loco priuatas escas haberent, & potiones, illud consequitur: *Confunditis eos, qui non habent*, & huiusmodi pleraque. Quare cum ex ea re tot simul causæ ad peccatum nascantur, rectum est, si quæ sunt huiusmodi, ea non accipiantur, & antistiti facultas detur, vt statuat ipse, à quibus sumi, & quæ sumpta sint, quomodo distribui conueniat. 1.Cor.11.

Interrogatio cccv.

Nunquid ab extrarijs accipi aliquid conueniat, vel amicitiæ gratia, vel cognationis quæ præcesserit.

Responsio.

HOc interrogatum eandem vim habet cum eo, Nunquid à propinquis aliquid accipi debeat.

Interrogatio cccvi.

Qua ratione aliquis assequi potest, vt ne mente vnquam distrahatur?

Responsio.

Ὑπόδειγμα. Psal. 15. Psal. 24. Psal. 122. NImirum si quis excellentem electi viri Dauid mentem illam induerit, qui de seipso loquens ait, nunc quidem: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* nunc verò: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* aliàs autem: *Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Atque vt minore exemplo discamus, quàm accuratiore studio, solicitudineque in rebus maioribus ritè administrandis vti nos conueniat, vnusquisque secum cõsideret cum animo suo, quomodo corã alijs se gerit, esto æquales sibi illi sint, quomodo omni in re vitare reprehensionẽ studet, in statu, in ambulatione, in motu cuiuscunque membri, in locutione etiam. Quemadmodum autem quæ aperta apud homines sunt, ea damus operam vt declinemus, itẽ quoque ac multo magis qui persuasum habeat se Deum habere inspectorem, scrutantem corda & renes (sicut scriptũ est) & veram esse promissionẽ illam vnigeniti filij Dei: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum*: itemque Spiritum sanctum adesse moderatorem, & donorum distributorem, effectoremque: similiter Angelos custodes vniuscuiusque secundum id, quod dictum est à Domino. *Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis: dico enim vobis quoniam Angeli eorum in cœlo semper vident faciem patris mei, qui est in cœlis:* Is longè maiore, ac vehementiore animi contentione laborat, vt pietatem ita colat, vt ne qua in re Dei voluntatem offendat. Atque hoc modo mens ipsa in officio vehementius ac diligentius confirmatur. Amplius, si illud etiam implere studuerit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et item illud: *Meditabitur in lege Domini die ac nocte*: quo videlicet mens in æquabili perennique meditatione contemplationeque voluntatum Dei occupata, nequaquam spatium inueniat, quo ad futiles cogitationes possit aberrare. Argum. à minore. Psal.7. Matt. 18. 1.Cor.12. Matth. 18. Psal.33. Psal.1.

Interrogatio cccvii.

Nunquid in psalmodiæ, orationisve inceptione vicissitudine vtendum sit?

Responsio.

HOc in multitudine eorum, qui idonei sunt, disciplinæ ordinem seruato, ne res contempta, indifferensve existimetur: neque tamen contra perpetua æqualitas in vna, aut altera persona suspicionem det superbiæ illius, qui Antistes sit, & contemptionis reliquorum.

Interrogatio cccviii.

Nunquid in collegio fratrum conueniat, vt qui aliquid dederit, ei par pari referatur? Et nunquid ex conuenientia eius quod datum sit, referri gratia debeat?

Responsio.

HOc totum interrogatum humanum est. Si autem grati animi signum dandum sit, in eo penes quem distributio est, positum sit arbitrium, & accipiendi ea quæ dentur, & gratiam referendi illi, qui det.

Interrogatio cccix.

Nunquid cui ea contigerint vt faciat, quæ & consuetudo fert & natura, is audere debeat ad sanctorum communionem accedere?

Responsio.

SVperiorem natura, & consuetudine illum esse demonstrat Apostolus, qui in baptismo sepultus sit vnà cum Christo, qui quidem eo in loco, vbi agitur de baptismo, quod per aquam fit, ea quæ suprà dixerat, illud adiunxerit: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato.* Et alio in loco præcipiens dixerit: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terrã, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.* Atque aliàs etiam regulam statuerit, cum dixerit: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Porrò scio ego ad hoc Christi virtute multos peruenisse tam mares, quàm fœminas ex vera in Dominum fide. Quod vero in immunditia positus quispiam ad sacrosanctam cõmunionem accedat, id verò quàm vehementer formidandum sit, animaduertimus etiam ex iudicio veteris Testamenti. Quòd si plus quàm templum est hic, sine dubio terribilius videlicet docebit nos Apostolus, qui dixerit, *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Rom.6. Col. 3. πάθος. ἀπειθείας. Gal.5. Matt. 12. 1.Cor.11.

Interrogatio cccx.

Nunquid in communi domo dominica cœna debeat celebrari?

Responsio.

QVemadmodum ratio non permittit, vt vas vllum cõmune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari: cum ex iussu Dei in veteri Testamento nihil isto modo fieri permittatur. Cũ autem Dominus dicat: *Plusquam templum est hic:* & Apostolus item: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Quid dicam vobis? Laudabo vos in hoc? Non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, & quæ sequuntur; sanè admonemur, non debere nos, neque communem cœnam in ecclesia manducare, aut bibere, neque dominicam in priuata domo in contumelia habere: extra quam siquis, cum necessitas poscat, locum, ædemve elegantiorem deligat *in tempore oportuno.* Soluit collatione. Matt.11. 1.Cor.11. Psal.144.

Interrogatio cccxi.

Nunquid rogati ab aliquibus, ad eos visitandi gratia abire nos conueniat?

Responsio.

OMnino visitandi officium vnum est ex ijs, quę grata sunt Deo. Veruntamen qui eo fungitur, is & ad intelligendum esse sagax debet, & ad respondendum prudens, & illud facere, quod dictum est: *Sit sermo vester semper in gratia sale conditus, vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* Illud autem, quempiam visere vel consanguinitatis, vel amicitiæ causa, alienum est à nostra professione. Colos. 4.

INTERROGATIO CCCXII.

Nunquid visitantes nos laici, ad orationem adhortandi sint?

RESPONSIO.

Eph. 6. SI sunt amici Dei, haud ab re est: cum ad eos Apostolus scripserit: *orate & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia* * *notum facere mysterium Dei.*

* *aliàs* loqui λαλῆσαι.

INTERROGATIO CCCXIII.

Nunquid visitantibus nos aliquibus in opere faciendo pergere nos conueniat?

RESPONSIO.

EOrum quæ ex mandato Dei fiunt, nihil interrumpi debet, propter eos, qui ad nos humani gratia officij ingrediantur, nisi quæ peculiaris animæ quædam procuratio sit, quæ ex mandato Domini corporis industriæ debeat anteponi: cum in Actis sancti Apostoli dixerint: *Non est bonum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

Act. 6.

Animaduersiones aduersus canonicos delinquentes constitutæ.

1 SIquis integra corporis valetudine orationes facere, aut psalmos memoriæ mandare neglexerit, excusans excusationes in peccatis, hic à reliquorum consortio segregator, aut hebdomadam vnam ieiunato.

2 Siquis de errato aliquo adhibita charitate corripiatur, & correptionem non admittat, summa cum solicitudine obsecrans, ac propter ea, quæ deliquit, ignosci sibi postulans, hic quoque hebdomadam vnam à reliquorum societate excluditor.

3 Siquis alicuius alicui peccati conscius fuerit, neque illum correxerit, aut pacificè, & adhibita Christiana charitate corripuerit, sed cum perturbatione animi, veluti fratrem potius triumphans, quàm causam morbi tollere studens, hic quoque vnà cum eo, qui de peccato castigabatur, hebdomadas duas à reliquorum consortio abesse cogitor: quia vt inimicus, non autem vt frater corripuit.

4 Siquis quæ facere possit, à fratre iustus, contumeliosè se, aut contumaciter gerat, neque adhibita omni, quæ est in Christo lætitia obtemperet, tanquam qui præfidens in suo † abundet sensu, similiter hebdomadam vnam segregator.

† πληροφορῶν ἑαυτόν.

5 Siquis futiliter garriat, aut in sermone facetias consectetur, neque adhibito timore ac tremore doctrinam beati Apostoli, & Euangeliorum conseruet, nihilominus hic etiam hebdomadam vnam segregator.

6 Siquis præter Etiam, & Non, iusiurandum aliud det, & ipse hebdomadam vnam segregator.

7 Siquis fratri alicui peccati alicuius conscius fuerit, & id dissimulauerit, postea autem exprobrauerit, veluti traducendi causa, similiter hic quoque tanquam malo alterius minimè indolescens & qui insultans delectetur potius, à reliquorum consortio hebdomadam vnam segregator.

8 Siquis alicuius alicui peccati conscius sit, & illum negligenter ferre animaduertat, ac non adhibita cordis contritione, multisque lacrymis Deum sibi propitium facere hortetur, & admoneat ipsum, vt pœniteat, & opera pœnitentiæ digna præ se ferat. Si autem his ita seruatis, nihilominus tamen ille salutem suam negligat, qui huiusmodi est, is ex conuentu prorsus exterminator. *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit.*

1. Col. 5.

9 Siquis præterquam vbi necessarij vsus postulent extra egrediatur, ac temere diuagetur, qui huiusmodi est, segregator, vt quiescant domi pedes eius, sicut scriptum est.

10 Siquis temere iracundia elatus fuerit, ac non actutum fratrem rogauerit, quem offenderit, vt peccatum sibi, quod in ipsum peccauerit, condonet, hic similiter hebdomadam etiam vnam segregator.

11 Siquis contumelia aliqua à fratre affectus fuerit, & à conuentu rogatus, peccatum non condonarit, memoria tenens eum qui dixit, *Si aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos*, & hic similiter à cæterorum consortio hebdomadam vnam segregator.

Col. 3.

Animaduersiones aduersus canonicas delinquentes constitutæ.

1 QVæ iusiurandum quoduis dederit, hebdomadas duas segregator.

2 Quæ de natu maioribus alicui maledixerit, quibus administrandi res monasterij cura mandata sit, hebdomadam vnam segregator.

3 Quæ aduersus sororem aliquid dicat, eo consilio, vt ipsam criminetur, hebdomadam vnam segregator.

4 Quæ contumelia quauis aliquam affecerit, hebdomadam vnam segregator.

5 Quæ præter natu maiores eas, quibus commissa monasterij administratio sit, aduersus sororem absentem susurare aliquid animaduersa fuerit, segregator hebdomadam vnam.

6 Quæ nulla cogente necessitate, intempestiua illata sermocinatione futiliter garriat, segregator hebdomadam vnam.

7 Quæcumque scurrilitatem in sermone adhibuerit, aut immodestum risum, hebdomadam vnam segregator.

8 Quęcũque in opere ministerij occupata, & necessarium præ manibus munus habens, clamosè, procaciterve proximam appellarit, hebdomadam vnam segregator.

9 Quæcumque reprehensam aliquam delicti alicuius ab ijs, quibus gubernatio, & rerum faciendarum commissa moderatio sit, defendit, hebdomadas duas vnà cum ea, quam defendit, à reliquarum consortio segregator.

10 Quæ cum extrario aliquo, eorum qui intrò ingrediuntur, sermonem contulerit, ante quàm ei ab ea permissum sit, cui moderandæ disciplinæ summa tradita autoritas sit, hebdomadam vnam segregator.

11 Quæ in difficultate rerum ad vsum necessariarum, aut in operibus faciendis fatigatione, murmurare animaduersa sit, segregator hebdomadam vnam.

12 Quæ imperio aduersatur illarum, quibus regendi prouincia tradita est, segregator hebdomadam vnam.

13 Quæ contemptim, hoc est, restitans, lenteque iussum (vt par esset) non expleat, hebdomadam vnam segregator.

14 Quæ exquisitè ornare se velit, post vnam, & alteram correptionem, coram antistite arguitor.

15 Quæ sine sententia illarum, quibus delata disciplinæ moderatio est, ad matrem suam, aut ad sororem abierit, hebdomadam vnam segregator.

16 Quæ nutu oculi, aut prauo aliquo gestu proximam offenderit, segregator hebdomadam vnam.

17 Quæ dimissis synaxibus sermonem cum extraria muliere aliqua conferat, segregator hebdomadas duas.

18 Quæ iniussu illarum, quibus regendi tradita prouincia est, ab vno opere ad aliud transeat, segregator hebdomadam vnam.

19 Quæ irrogatam sibi multam reijciat, contumaciterve contrà respondeat, aut murmuret, non intelligens quid sibi ex correctione vtilitatis nascatur, segregator hebdomadas duas.

Pœnæ

Pœnæ incerti auctoris & inſcriptione carentes, inter Baſilij ſcripta reperta, Iano Cornario interprete.

1 SI quis egrediatur de monaſterio, non accepta benedictione, aut non dimiſſus ab Archimandrita, hoc eſt patre & præfecto monaſterij, ſit excommunicatus.

2 Si quis poſſidet aliquid in monaſterio, aut extra monaſterium, ſit excommunicatus.

3 Si quis priuatim agit cum aliquo, de recedendo à monaſterio, ob aliud quoddam malum, ſit excommunicatus.

4 Si quis ex cubiculorum præfectis inueniat aliquem turbas facientem colloquentem in cubiculo, & non eijcit ipſum extra cœtum, ipſe careat benedictione.

5 Si quis careat benedictione caſtigationis gratia, & ex contemptu ſe non excuſarit, & acceperit benedictionem, excommunicetur.

6 Si quis apponit in menſa aut ſibijpſi aut alteri, ſi non permiſſum fuerit ipſi ab Archimandrita, careat benedictione.

7 Si quis abſque capitis velamine opus faciat in quocunque loco, careat benedictione.

8 Si quis cum externis aut proprijs accedentibus conuerſatur, non permiſſus ab Archimandrita, exceptis ad hoc deſignatis, careat benedictione.

9 Si quis tulerit aliquid à fratre, & occultauerit careat benedictione.

10 Si quis non acceperit benedictionem, & idem comedit non obſeruata ordinis diſciplina, excommunicator.

11 Si quis non acceperit benedictionem, ad ordinem miniſterij ſui, careat benedictione. Si vero neceſſitatis gratia id intermiſit, ſe excuſet.

12 Si quis inueniatur noctu priuatim cum aliquo agens, aut locum vbi dormit mutans, præter voluntatem ad hoc deſignatorum, excommunicetur.

13 Si quis immittat ſeipſum ad aliud opus, non permiſſus, careat benedictione.

14 Si quis permutet aliquid cum aliquo, aut quid largiatur, præter voluntatem Archimandritæ, careat benedictione.

15 Si quis veſperi poſt Pater noſter, inueniatur colloquens, excommunicetur.

16 Si quis ex ſanis extra oratorium dormit, ſit excommunicatus.

17 Si quis in menſa comedens nugatur, ſuſcitetur vt exurgat ad orationem.

18 Si quis caruerit benedictione, & contriſtatus caſtigantem rurſus caſtigauerit, aut contradicens non ſuſceperit, excommunicetur. Si vero immerito ſe caſtigari dixerit, notam faciat cauſam Archimandritæ, & iuxta Pauli decretum ſuſtineat.

19 Si quis habet aduerſus aliquem offenſam, eamque contemnens non reconciliatur antè miniſterium, aut dicit cauſam Archimandritæ aut cubiculorum præfecto, excommun.

20 Si quis in die oblationis impedierit ſeipſum à communione, præter voluntatem Archimandritæ, careat benedictione.

21 Si quis è ſcripturis contentioſè diſputat, careat benedictione. Si vero commonitus perſeueret, veluti inobediens excommunicetur.

22 Si quis lauat aut alterius aut ſuam veſtem, præter voluntatem Archimandritæ, careat benedictione.

23 Si quis abſit à menſis non dicta cauſa, maneat ieiunus.

24 Si quis aliquid perdiderit, idque non inuentum non ad Archimandritam detulerit, careat benedictione.

25 Si duo reperti fuerint ſimul inter ſe conuerſantes, & commoniti non ſeceſſerint, ſint excommunicati donec corrigantur.

26 Si quis veſperi non acceſſerit ad Pater noſter, abſque aliqua cauſa, in oratione perſiſtere cogitor, donec omnes dormierint.

27 Si quis in tempore communionis, offenſam habens aduerſus fratrem non dederit ipſi pacem, ſit excommunicatus.

28 Si quis remouet fratrem ſuum ab ordine miniſterij, exceptis his quibus publica cura demandata eſt, careat benedictione.

29 Si quis nouerit fratrem clàm ſecedere de monaſterio volentem, & non ſignificauerit Archimandritæ, aut præfectis, excommunicetur.

30 Si quis ſurgit de menſa, præter voluntatem Archimandritæ, ſiſtatur in orationem vſque ad tempus lucernarum.

31 Si quis poſt communionem egreditur de miniſterio, quouſque omnes acceperint benedictionem, extra humanam neceſſitatem, ſolus per ſeipſum cibum ſumat.

32 Si quis facit aliquem benedictione carere importunè, ipſe careat benedict.

33 Si quis inuentus fuerit loquens per cellas, exceptis his qui faciunt ipſas, aut his qui quietem ac ſilentium imperant, careat benedictione.

34 Si quis facetias loquatur, aut inaniter garriat, careat benedictione.

35 Si quis inuentus fuerit detrahens aliquibus, aut aliquos detrahentes audiens, & non increpans ipſos, aut indicans Archimandritæ, vnà cum ipſis excommunicetur.

36 Si quis repertus fuerit in horto loquens cum aliquo, aut cum aliquo pſallens, aut dormiens, exceptis operantibus, & qui ad ipſos deſignati ſunt hortos, careat benedictione.

37 Si quis egreſſus fuerit ad oſtiarium ſiue ianitorem, ſi non permiſſum fuerit ipſi à deſignatis præfectis, careat benedictione. Si vero egreſſus fuerit ad munitionis proſpectum, excommunicetur.

38 Si quis dederit foras aliquid aut acceperit, præter voluntatem Archimandritæ, excommunicetur.

39 Si quis cum accedentibus peregrinis congreſſus colloquatur, præterquam quo det pacem, exceptis ad hoc deſignatis, careat benedictione.

40 Si quis moleſtus eſt Archimandritæ, prætextu diurnæ operæ, excepto cellario aut hebdomadis præfecto, careat benedictione. Quo vniuſcuiuſque diurnæ operæ præfectus ipſe hebdomadis ac procurator, de omni neceſſitate diligẽtem curam gerant, vt ne in iudicium negligentiæ incidant.

41 Si quis importunè venit in culinam, aut in cellarium, exceptis deſignatis, aut his qui diſciplinę boni ordinis curam gerunt, careat benedictione.

42 Si quis expergefactus ab aliquo in tempore miniſterij, aut lectionis, ægreferat, excommunicetur.

43 Si quis ſuperfluè poſt viſitationem matutinam ingreditur in ægrotorum refectorium, exceptis his qui ſilentium imperant, & rerum curam ſibi demandatam habent, careat benedictione.

44 Si quis præter voluntatem curatoris ægrotorum, ingreſſus in Noſocomium, vbi ægri curantur, illic requieſcit, careat benedictione. Si vero affligitur aut ægrotat, indicet id prius curatori. νοσοκομεῖον μεῖον.

45 Si quis male habentium mutat locum vbi dormit, præter voluntatem curatoris, excommunicetur.

46 Si quis ex deſignatis ad ſeruiendum in noſocomio, apponit aliquid fratri, præter voluntatem curatoris, careat benedictione.

47 Si quis ex ægrotantibus inuentus fuerit comparans aliquid aut mutans, præter voluntatem curatoris, aut alicuius ex deſignatis ad miniſterium, careat benedictione.

48 Si quis inuentus fuerit scribens aut susciplens literas, excepto Archimandrita, sit excommunicatus.
49 Si quis mittit alicui benedictionem, aut accipit aliquid alicunde, excepto Archimandrita, careat benedictione.

Constitutionum Monasticarum, tam ad eos, qui in societate, quàm ad illos qui solitariam vitam agunt, pertinentium, Index.

1 QVòd oratio debet omnibus rebus anteponi.
2 De moderandis agitationibus animi, & quòd corpus malum non est, vt quidam putauerunt.
3 Quòd non temere in colloquium veniendum est cum mulieribus.
4 Quòd ad vires corporis accommodari abstinentia debet, & quòd honesta, ac legitima res est corporis in opere faciẽdo exercitatio.
5 Quòd opera illa consectari monachus debet, quæ professioni ipsius aliena non sint.
6 Quòd non debet monachus temere cum quibusuis sermonem cõferre.
7 Quòd neque sine causa, neque crebro exire extra monasterium monachus debet.
8 Quòd locum identidem demutantibus monachis, neque liberè loquendi, neque similiter aliud quippiam agendi fieri potestas debet: contrà, quod vitandi sunt, qui tales sunt.
9 Quòd clerum, gubernationemve fratrum nullo modo appetere monachus debet.
10 Quòd ad rectà studia consectanda neutiquam commouere nos debet cupiditas inanis gloriæ.
11 De idoneo ad loquendum tempore.
12 Quòd in sermone suo sales sectari monachus non debet.
13 De animi facilitate, & quomodo charitas conflatur.
14 De prudentia.
15 De fide & spe.
16 De animi submissione.
17 Quot modis praua in animo cogitationes oriantur.
18 Ad canonicos vitam communiter in societate degentes.
19 Quòd qui ad religiosam vitam accedit, ad eam cum stabili iudicio debet accedere: & de obedientia.
20 Quòd qui semel religiosam vitam ingressus sit, is neutiquam illorum sectari familiaritates debet, qui in communi vita versantur, neque de rebus ipsorum solicitudinem omnino vllam suscipere.
21 Quòd nullo modo à spirituali fratrũ cœtu separare se aliquis debet.
22 De obedientia vberius.
23 Quòd quæuis sordidissima etiam opera summa cum alacritate facienda vltro suscipere monachus debet.
24 Quòd nullo modo debet se monachus in quærendis honoribus aut dignitatibus occupare.
25 De moderatione ac simplicitate in cibis sectanda.
26 Quòd ad perfectionem contendenti nihil obesse poterit è monasterio in publicum proditio.
27 Quòd nullum seorsum priuatum habere monachus negociũ debet.
28 Quòd qui cæteris præest, is adhibita paterna charitate, rebus eorum qui ipsi subiecti sint, debet consulere.
29 Quòd in conuentu monachorum, duorum vel trium fratrum coitioni esse nullo modo locus debet.
30 Quòd nullo modo vestimentorum, calceamentorumve delectionẽ sectari monachus debet.
31 Quòd debet, qui cæteris fratribus præest, pro rata virium corporis cuiusque portione imperare, quæ imperat: & de ijs, qui malicioso vires suas occultant.
32 Quòd neutiquam dolere cæteri fratres debent, si cum ijs, qui imbecillioribus viribus sint, agi clementius videant.
33 Quòd monachis ijs, qui à suorum sodalitio desciuisse deprehensi sunt, nullo modo debent, qui conuentibus fratrum præsunt, loquendi libere potestatem vllam facere, aut in eandem secum vitæ communionem recipere.
34 Quod qui communem cum cæteris vitam monachus agit, is nihil, quod ad pecuniam pertineat, penes se debet retinere.

BEATI PATRIS

BASILII MAGNI

ARCHIEPISCOPI CÆSARIENSIS,

CONSTITVTIONES MONASTICÆ,

Tam ad eos, qui in societate cum cæteris, quàm ad eos, qui solitariam ipsi seorsum vitam agunt, pertinentes.

CAPVT I.

SÆPENVMERO, veluti qui eam, quæ est secundum Christum, philosophiam amplexus sis, cupiditatibusque ac voluptatibus, & vitæ huius curis contemptis, studium in eam rem tuum contuleris, vt à prauis, quæ à carnalibus istis proficiscuntur, affectionibus, te quàm fieri posset maximè cogitatione abduceres, auocaresque, de hoc mecum agens quæsiuisti, quam conficiendo instituti tibi atque adeo initi iam certaminis cursu rationem te sequi oporteret, quomodoque cupiditatum illarum, quæ à corpore profectæ, se ad animum insinuare solitæ sunt, laqueos declinares, & quid primo potissimũ cauere deberes, & quid item deinceps, similiterque, quid studiosè consectari: quo videlicet & rebus prauis atque à vero abhorrentibus declinãdis & rectis consectandis, eadẽ opera & vitia fugeres, & honestis virtutũ officijs fungerere. Saneque post illud etiã postulasti, vt literis meæ de hac re tibi sententiæ † explicationem mandarem. Sane nos quoque ea res impulit, vt neutiquã honestũ huiusce modi studium tuũ negligendum putaremus, sed contra potiùs quantũ viribus consequi possemus, admonitis dandis, fulciremus, cõstabiliremusque: neque id, vt qui parem omnino propositi argumẽti dignitati, orationis facultatem allaturos non speraremus, sed ne quã haberemus, eam silentio, veluti quodam terræ tumulo obrueremus, atque hoc modo denunciatum intentatúmve ei, qui humi talentum defoderat, supplicium euaderemus. Enimuero causa quidem, quam prætexere soleant homines, dum se totos cupiditatibus, voluptatibusque ac vitæ curis huius immergunt, coniugiũ est vt plurimum. Neque enim vehementior vlla, violentiórve hominũ corporibus insita reperiri libido potest, quàm maris cum fœmina, & fœminæ vicissim cum mari coniunctionis appetitus (neque id mirum omnino. Cum enim is mortalium generi ad propagandam sobolem diuinitus esset datus, consentaneum fuit, vt quod omnium in se functionũ caput cõtineret, huic vehementior etiam quasi impetus vis quædã esset adiuncta) similiterque neque curæ vllæ, quæ accidere hominibus soleant grauiores, quàm eæ, quæ à cõiugio profectæ gregatim innumerabiles penè aduolant: cum Paulus dicat, *Qui cum vxore est, solicitus est de ijs, quæ sunt mundi* curarum sarcina degrauatus. Etenim qui solus est, hic eam vnam tantummodo necessitatem habet, vt sibi, & rebus corpori suo necessarijs prouideat, quanquam hanc ipsam etiam si velit

† ἔγγραφον ἔκθεσιν.

Collatio

2. Cor. 7.

si velit posit negligere: quippe cum haud magno hoc negocio indigeat, vt hoc sibi imperet vnusquisque. Qui verò cõiugis ac liberorum semel curam susceperit, hic sine dubio, cum ipse sui iuris amplius non sit, necessario illa adigitur facere, per quę voluntatibus vxoris mos geratur, & in filiorum curatione occupatus, infinitas cogitur curas exhaurire: quas profectò, si singulas velim exponere, longior sim, quàm hoc loco necesse sit. Qui igitur à mundi vinculis esse liber gliscit, hic coniugium veluti compedes quasdam profugit, & Deo vitam suam consecrauit, & * castitatem professus est ea re, ne sibi amplius liberum esset vxorem ducere, sed assiduè vsque pro tenenda castitate aduersus naturã decertaret, & naturæ impetus illos, qui omnium habentur acerrimi. Qui enim eiusmodi est, hic cum Deum vnicè sibi amandum proposuerit, & eius ab omnibus perturbationibus vacuitatem aliquatenus saltem quantum possit, cupiat consequi, & spiritualem puritatem, tanquillitatemque mentis & ab omni intemperie submotam placiditatem, & quæ ex his nascuntur, lætitiam & gaudium optet degustare, in eo elaborat, vt ab omni concretione materiæ, corporalique affectione animum turbulenter exagitante longissimè cogitationes abducat suas, & cœlesti lumine citra vllam satietatem largiter hausto, puro neque vmbra vlla præpedito mentis oculo res diuinas vndique contemplatur. Is autem vbi ad huiusmodi habitum, statumque hoc modo animum suum iugi exercitio deduxerit: Deo, quatenus Dei similitudinem mortalis potest attingere, similis efficitur, ab eoque summè & diligitur, & charus cum primis habetur: vt qui factu difficillimum certamen confecerit, & mẽte ab omni penitus materiæ contagione, ac corporea labe expedita, atque pura affectionum istarum effecta familiariter cũ Deo congredi potuerit. Proinde qui per eam, quam dixi, exercitationem, ad huiusmodi habitum peruenerit, hic flagitiosissimè, ac peruersissimè fecerit, si voluptatum blanditijs delinitus, ad carnis vitia denuò delabatur, & si susciendis quæ inde sursum ascendunt exhalationibus animi oculos sibi veluti crassissima quadã nebula offusos esse patiatur, vellicataque ab libidinum fumo mentis acie, excidat à contemplatione rerum diuinarum.

Cõiugium, curarum abyssus & compedes. Attendent vocem castitatis Lutherani.

Quòd oratio debet omnibus rebus anteponi.

CAPVT II.

OMnis actio, charissime, omnis item sermo saluatoris nostri Iesu Christi excolendę pietatis virtutisque obeundæ regula est. Propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, vt in se, † velut in tabula quadam veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamque omnibus nobis, maribus simul ac fœminis ante oculos statutam, vnicuique pro viribus imitandam ceu archetypon proponeret. Neque enim alia de causa ille corpus nostrum gerit, nisi vt quoad fieri possit, nos ad imitanda vitæ ipsius studia conformemus. Quapropter tu quandocumque vel factum ipsius audietis memorari, vel dictum, ea nolito negligenter, & tanquam aliud agens audire: quin stude potius, vt mente tecum ipse cogitando, rimandoque ad eorum profundum peruenias, eorumque quæ ibi † opertè traduntur, particeps fieri cõtende. Etenim Martha quidem hospitio Dominum suscipit: ad eius verò pedes assidet Maria, laudandum sanè in vtraque sorore studium. Cæterũ tu res distinguito. Nam Martha ipsa in ministerio occupata, ea parabat, quæ hospitis corpori futura erant necessaria, contrà Maria, cum ad pedes illius assideret, audiendis quæ ab eo dicebantur, vacabat. Sic altera Domini partem illam, quę tangi aspectu poterat, reficiebat: altera parti illi, quæ occulta cerni nõ poterat, consulebat. Verè enim qui aderat, is & homo erat & Deus, idem Dominus ambarum mulierum studiũ approbabat. At Martha cùm labore nimio delassaretur, Dominũ rogabat, vt ad se in susceptо munere adiuuandam, sororem vellet adhortari. Dic enim illi tu, inquit, vt surgens simul mecum ministret. Cui Dominus, *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Neque enim ea fuit causa, quamobrem huc venerimus, vt in toris supini recumberemus, neque vt ventrem expleremus: sed ob eam

† ὡς ἐν ἐικόνι.

ὑπεγραμμόν.

† μυστικῶς.

Luc. 10.

hìc sumus, vt pascamus vos verbo veritatis, & mysteriorum contemplatione. Ita Dominus neque illam ab suscepto ministerio est dehortatus, & huic laudem tribuit, quòd quæ diceret, attentius auscultaret. Agedum igitur per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animaduertito, vnum quidem inferioris notæ, nempe quod in crasioribus se obeundis vitæ huius muneribus occuparit: quanquam ipsum quoque mirificè commodum est, alterum nobilius, & cum spiritu magis coniunctum, nimirum quod sese ad arcanas res contemplandas altius extulerit. Hæc tu, qui audis, spiritui conuenienter interpretare, & vtrumuis magis placuerit, deligito. Et si ministrare vis, in nomine Christi ministrato. Ipse enim dixit *Quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Nam siue hospites recipis, siue mẽdicos reficis, siue dolentium misericordia commoueris, siue necessitate aliqua calamitateve oppressos auxiliari manu subleuas, siue aduersa valetudine laborantibus inseruis, omnia isthæc officia perinde Christus habet, ac si in ipsum propriè conferrentur. Quòd si mauis Mariam imitari, quæ spreto corporis obsequio, altius ad rerum diuinarum contemplationem ascendit, legitimè, & vt par est, verè negocium tractato, corporis curam abijcito, agricolationem deserito, apparatus etiam epularum, & obsoniorum aspernator, & ad Domini pedes assideto, & quæ ille dicat, auscultato, vt arcanorum diuinitatis particeps efficiare. Siquidẽ officijs ijs, quæ corpori impenduntur, potior est dogmatum Christi contemplatio. Accepisti igitur charissime exempla, & vnà etiam † rationem, vtra mauis, sectare: aut videlicet egentium minister esto, aut Christi dogmatum studiosus † inuestigator. Quòd si vtraque simul potes imitari, vtrinque omnino salutis fructum reportabis. Cæterùm præcipuum spiritualis doctrina locum tenet, reliqua verò omnia in secundis consistunt. *Maria* enim, inquit, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Proinde si tibi quoque in animo fuerit Christi arcanis imbui, & ad pedes illius assederis, & Euangelium ipsius susceperis; totam ibi rem deseres familiarem tuam, & vacuus ab omni solicitudine deges, corporis proprij etiam obliuiscêre, atque hoc modo in contemplationibus versans familiariùs cum eo colloqui poteris, vt Mariam ita imitêre, & supremæ gloriæ fructum consequare. Porrò quandocumque oras, caue diligenter, ne quæ petis, peruersè petas, & aduersum te Dominum irrites, non pecuniam, non gloriã humanam, non vt agas pro potestate, non aliud quippiam ex numero eorum, quæ citò præteruolant, sed pete regnum Dei, & quæ ad vsum corporis pertinent, omnia ille tibi suppeditabit, quemadmodum ipse Dominus dicit: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Duplex est autem charsime orandi modus: quorum alter in glorificatione, adhibita animi submissione cernitur: alter in petitione, qui quidem priori subijcitur. Cum oras igitur, nolito confestim ad petitionem accedere: quòd si hoc non facis, indicio es ipse de voluntate tua, te scilicet, quòd necessitate vrgearis, Deo preces adhibere. Quapropter quandocumque instituis orare, coniugem, liberos, teque adeo ipsum relinquito, à terraque procul abscedito, cœlumq; superato, & naturas omnes tam quæ cerni, quàm quæ cerni non possunt, relinquito, & ab eius glorificatione exorditor, qui omnia condidit, cumque in eo satis fueris commoratus, non mente vaga, neq; huc illúcve temere deerrante, neque (vt† Græcorũ mos est) fabulas garriens, sed de sacrosanctis literis carpẽs, quæ dicas, dic, Gratias ago tibi Domine propter incredibilẽ clementiam, & in ferendis hominũ culpis facilitatem tuã, qui peccantẽ me quotidie patiẽtia tua sustines, & ad respiscendũ omnibus nobis potestatem facis. Propter hoc enim taces, & nos sustines Domine, vt tibi gratias agamus, qui salutem generis nostri, modò terrẽdo, modo leniter exhortando moderaris, quique per prophetas primò, postremò etiam per aduẽtum Christi tui nos visitaueris. Tu enim finxisti nos, non autẽ ipsi nos, tu es Deus noster. Vbi verò iã satis gratias egeris, Deũq; petitis è diuini scriptura laudibus glorificaueris, tũ iterũ adhibita humilitate, ordire, ac dic, Equidem nõ sum dignus Domine, qui corã te verbum faciam, quoniã vehementer peccator sũ, & licet nullius tibi culpæ cõscius sis, nihilominus tamẽ ita te oportet dicere.

Per Mariã & Marthã duo vitæ genera.

Matt. 25.

† ἀποδείξιν.

† μύσης.

Luc. 10.

Matt. 6.

Orandi modus duplex.

† Ελληνικῶς.

Basilij oratio memorabilis.

Etenim

Etenim cum multis in rebus offendamus omnes, maiorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco
1. Col. 4. Apostolus dicebat, *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum*, quod idem est ac si diceret, Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc
Psal. 18. causam etiam propheta ait: *Delicta quis intelligit?* Quare nihil mentitus sis, si te peccatorem appellaueris. Nam si intelligis, vel hoc ipsum peccas, quòd te peccatorem negas. Quin potius sic dicito, Peccatis peccatores omnes vinco Domine, nempe qui diuinum præceptum violem, quo iu-
Luc. 17. bemur, vt cum omnia fecerimus, inutiles nos seruos appellemus, nimirū qui ea præstiterimus, quæ præstare debebamus. In hac assiduè cogitatione esse te oportet, te vt esse
B inutilem credas, & assiduè præceptum illud memoria reti-
Philip. 2. nere, *Humilitate inter vos alij alios superiores vobis arbitrantes.* Cum timore igitur, humilitateque Deum orato. Vbi verò verbis humilitatem tuam satis ostenderis, dixerisque, Gratias ago tibi Domine, quòd peccantem me tamdiu patientia tua sustinuisti, & in hodiernum vsque diem nullas à me peccatorum meorum pœnas expetisti. Equidem Domine infinita iampridem commeritus eram supplicia, dignusque eram,
* Aspellerer nouè dictū, malim, pellerer. qui longissimè à conspectu * aspellerer tuo: verum tua me patientissima lenitas peccantem clementissimè sustinuit. Gratiam inquam ago tibi, tametsi ad parem tuæ in me clementiæ gratiarum actionem haudquaquam esse me idoneū intelligo. Simulac verò ambabus hisce partibus satisfeceris, gratiarum actionis videlicet, & humilitatis, tum demū
C quod petere debes, petito: non diuitias (vt antè dixi) neque terrenam gloriam, non sanitatem corporis. Ipse est enim qui te creauit, ipsi curæ est incolumitas tua, neque nō probè intelligit, quàm è re cuiusque sit, vel bene valere, vel male, sed quemadmodum iussus es, regnum cœlorum pete tantummodo, & necessitatibus corporis tui ipse, vt dixi,
† ἀξιωματικώτατος. prouidebit. Munificentissimus est enim idem & augustissimus rex noster, & indignè fert, quandocunque quis exiguum à se aliquid petit, quandocunque quis nostrum de rebus ipsum minimè ipsi conuenientibus rogat. Noli igitur illum tibi oratione tua iratum facere, sed ea petito tibi,
D quæ digna sunt & rege & Deo. Hæc autem petens ab eo, ne prius recesseris, quàm quòd petis, impetraueris. Non enim
Luc. 11. fieri oportere in euangelio subindicans Dominus dicit, *Quis ex vobis habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi? Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam ei: & ille de intus respondens dicat, Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit, pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quot-quot habet necessarios.* Hoc autem exemplum iccirco nobis proponitur à Domino, vt in fide acres ac pertinaces esse nos
ὑπόδειγμα hoc à Domino cur propositum. doceat. Exemplum enim ab homine ad alium hominē sumit, vt intelligas nulla laboris fatigatione debere te à sus-
E cepto proposito desistere, vt videlicet quandocumque aliquid petieris, neque impetraueris, tamdiu perseueres, quoad impetres. Si tamen, vt suprà dixi, ea petas, quæ voluntati Dei non repugnent. Neque verò tecū tacitus dixeris, Peccator sum, & propterea non exaudior. Vt enim diffidentiæ ille tibi causam omnem præcideret, illud adiecit, *Et si non dabit illi surgens*, eò quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius dabit illi quotquot habet necessarios. De
† μὴν, lege μὴν παρελθοι. cętero autem & si † mensis præterijt, & annus, & si triennium, & si quadriennium, & si anni quamplures, acriter perseuerato tamen, donec impetres. Sed postula cum fide, neque interea rectè vnquam viuere intermiseris. Incidit e-
F nim plerumque vt pudicitiam quis quamdiu adolescens fuit, constanter retinuerit, tum latenter insinuante se voluptate naturales libidines excitantur, oratio languidior efficitur, iuuentuti vnum superinijcitur, actum est de pudicitia, idē deniq; nō est homo, qui erat antea. Hoc modo existere in hominibus mutationes solent, si quis non generoso animo vitiosis istiusmodi affectibus obstiterit, & quantum in ipso sit, non omnia præstiterit, & ad Deum vociferans, opē sibi illius implorauerit. Si enim libidinibus se quis ignauia dediderit, sequemet ipse volens hostibus suis prodiderit, hunc nullo modo Deus neque adiuuat, neq; exaudit, quippe cū prior ipse vitio suo à Deo se alienauerit. Qui enim à Deo se optat iuuari, is nunquam deserit quod se addecet, officiū suū, qui autem hoc facit, is diuino auxilio nūquā destituitur. Quapropter danda in eo opera est, ne vlla in re conscientia nostra nos condemnet, tum vbi hoc fecerimus, implorādū est diuinū auxiliū: implorādum autē non lentè, nō mēte huc illucque temere aberrāte. Qui enim sic facit, is tantū abest, Γνώμη cōfirmatur per simile. vt impetraturus sit, quod petit, quin perficiet prius vt sibi Dns irascatur. Etenim si qui corā principe aliquo stat, & ipsum alloquitur, magno cum metu stat, & cùm corporis extrinsecus, tum mentis etiam intrinsecus attentos oculos tenet, periculi metu: quanto tandē maiore cū metu trepidatione eq; censendū est oportere nos stare in cōspectu Dei, tota mente in illū vnum intenta, neque vsquā aliò? cum ipse non hominis partē illā modò, quæ foris apparet, vt homines faciūt, sed illā etiā, quæ intus occulta oculorum aspectū fallit, clarissimè peruideat. Si igitur sic, quemadmodum decet, steteris corā Deo, & quæ in te sunt, omnia pro viribus præstiteris, præsta donec omnino tandem impetres, quod petis. Sin conscientia te tua condēnat, tanquā qui negligentius rē tractes, & si in oratione aliud agens animo minus attento stes, cū possis omnem abs te repellere distractionem, ne præfidentior ausis consistere corā Deo, ne fiat tibi oratio tua in peccatū. Si verò propterea, quòd à peccato debilior Psal. 118. factus, hoc à teipso impetrare non potes, quin interim dū oras, animo ac mente distrahare, enitere contrà quantū potes, & ipse tibimetipsi vim affer, & corā Deo stare perseuera, mētemque tuam in illū defixam tene, ipsamq; ad seipsam aduoca. Si ita feceris, ignoscet tibi Deus, quoniā non ex cōtemptione, sed ex infirmitate, eo modo, quo cōueniret, coram Deo stare non vales. Hoc modo si tibimetipsi vim feceris, teque ad omne opus bonum praueris, ne desistiteris prius, quàm illud impetres, quòd rogas. Sed patienter fores eius pulsa, dū petis. *Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, in-* Luc. 11. *uenit, & pulsanti aperietur.* Quid enim est aliud, quod velis impetrare, nisi salutē tātummodo, quæ est secundum Deum? Scire vis charissime, quo pacto olim patienter sancti viri expectare soliti essent, neque desperationi se darent. Abraham Deus, cum iunior esset, vocauit, & è terra Assyriorum in Palæstinorum fines transtulit, cum ei dixisset, *Tibi dabo terram* Gen. 17. *hanc, & semini tuo post te: & sicut astra cœli, sic erit semen tuū, quod* Abraha in Deum fidei. *numerari non poterit.* Multorū deinde annorum iam numerus effluxerat, naturalisque in eo iam ad procreandū vis erat extincta, & iamiam moriendi tempus instabat, neque tamen ille cum hæc hoc modo ire animaduerteret, dixit vnquam, Domine semper tu mihi filios promittis, & gentium multarum futurum me patrem prænuncias. Naturales in me ad creandam sobolem motus exacta iam ætas extinxit: & Sara vxor mea senio confecta amplius iam per annos parere non potest: proinde fallax est promis- שרה sum tuum. Quam enim vetuli duo sobolis habere spem possumus? Neutiquam hæc ille dixit, potiusque nec cogitauit quidem, sed fide immobilis permansit: cumque ætas quotidie magis ac magis ad maius senium declinaret, nihilominus excitabatur in eo tamen ac veluti iuueneſcebat spes, & collabente corpore, & desperationem afferente fides ipsi & animo simul & corpori vires addebat. Sic enim secum cum animo suo cogitans ipse dicebat, Deus est qui promisit, ipse est Dominus naturæ, & aliter quam quemadmodum ille promisit, res cadere non potest, ipse est, qui quæ sua sponte fieri non possunt, vt fieri possint, facit. Omnium enim rerum potens est, & arbitratu suo cuncta commutat. Hanc tu Abrahæ fidem imitare. Igitur quum naturæ in eo iam vis defecisset, & innati ad procreandum motus in eo essent extincti, tum demum viuum Dei promissum apparuit. Hæc tu tibi imitanda exempla propone. Nos verò annum oramus, & desistimus postea: biennium ieiunamus, & ieiunandi postea facimus finem. Nolimus igitur animum ad Dei promissum despondere. Qui enim illi promiserat multiplicaturum se semen illius, idem quoque promisit nobis daturum se quicquid ab eo petierimus. Similiterque ille etiam est, qui dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &* Matt. 11. *ego reficiam vos.* Etenim cùm ab eo longius abesses, laborareſque, & grauissima peccati sarcina esses oneratus, miseri-

misericordia motus leuandi tibi oneris causa, & requietis in posterum largiendæ, te ad seipsum accersiuit, & tu ei fidem non habes? Atqui licet tacere velimus, ab ipsa tamen nostra ipsorum arguimur conscientia. Neque enim propterea ipsi fidem abrogamus, quasi nos reficere non possit: sed iugum eius supra nos tollere recusamus, suaue illud & leue: pigetque nos ingredi per angustam portam in regnum cœlorum, potiusque gestare malumus sarcinam peccatorum, & per voluptatis libidinæs latam viam tenere, & per amplam portam ingredi in perditionem. At sæpe petiui inquit, neque impetraui tamen. Prorsus, quia non † rectè petiuisti, videlicet aut dubitabundus, aut aliud agens, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Quòd si & quę tibi erant vtilia sæpe petijsti, at non tamen † perseuerantiã adhibuisti. Scriptum est enim, *In perseuerantia vestra possidebitis animas vestras*. Et *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Nouit Dominus cor eorum qui orãt. Quid est ergo, inquit, quamobrem Deus à nobis rogandus sit? An nescit fortasse ipse quibus rebus nobis sit opus? Quid ergo attinet illum orare? Scit sine dubio Dominus quibus nobis rebus sit opus: & omnia ad corpus pertinentia largiter nobis ad potiundum suppeditat: & cum singulari sit bonitate, *pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super malos & bonos*, etiam priusquam à nobis rogatus sit. Fidem verò, & virtutis opera, & regnum cœleste, nisi cum labore & perseuerantia forti admodum oraueris, nunquam impetrabis. Desiderandum enim est primùm: tum vbi desideraueris, ex animo quęrendum, adiunctis fide, ac perseuerantia: neque omnino quod præstare ipse possis, quicquam prætermittendum: neque patiendum, vt à tua ipsius conscientia condemnere, veluti qui negligenter, & cum socordia ores: & cum hæc omnia seruaueris, tum demum voti compos efficiere tui, quando Dominus voluerit. quandoquidem quæ tibi expediant, melius ipse intelligit quàm tu: & ea re fortasse differt, quæ daturus est, vt hoc modo mægis te ad assiduitatem vocet, & vt intelligas, quod sit donum Dei, & vt datum diligenter custodias. Siquidem nititur vnusquisque, quod magno labore inuenit, id maiore etiam quadam diligentia custodire, ne eo amisso, labores etiam vnà cum eo suos multos amittat, néve neglecto Dei munere, æterna vita indignus efficiatur. Quid enim profuit Salomoni, citò sapientię donum inuenisse, quod postea erat amissurus? Proinde noli vnquam animum despondere, nisi celeriter inuenias quod rogas. Si enim intellexisset Dominus te, si munus celeriter impetrasses, id nequaquam esse amissurum, sine dubio, quæ eius est bonitas, vltro ipse tibi nullo tuo rogatu detulisset. Nunc autem tibi prospiciens hoc facit. Etenim si qui talentum, quod acceperat, saluum custodierat, is tamen propterea, quod illud ad quæstum non contulerat, condemnatus fuit, qui non verisimile est eum multo grauius multatum iri, qui illud etiam amiserit? Hæc ergo cum ita esse intelligamus, siue maturius aliquid, siue serius consequimur à Deo, hoc tenere constanter debemus, vt ipsi gratias agamus, quando Dominus, quæcunque facit, ea omnia, saluti nostræ consulens facit, tantum nos ne pusillanimitatis vitio à petitione constãti desistamus. Idcirco enim similitudinem attulit de vidua illa, quæ duritiam iudicis iniqui emolliuit assiduitate sua, vt nos quoq; assiduitate adhibita impetraremus postulata nostra. Ex hoc enim & fides nostra & charitas erga Deum declaratur, quandocunque, esto quod petimus non celeriter auferamus, gratias ipsi tamen agere non desistimus, constanter immanentes petitioni. Gratias ergo illi agamus assiduè, vt digni habeamur, qui sempiterna ipsius bona consequamur. Ipsum etenim addecet gloria in sæculorum sæcula, Amen.

ἁπλήσως, ἠμελεάρως, ἢ τὰ μὴ συμφέροντά σοι. † ὑπομονῇ *hic pro* παραμονῇ. *Luc.* 21. *Matt.* 10. *Mar.* 5.

Γνώμη.

Βεβαίωσις *ab exemplo.*

Ἐπαγωγὴ.

Luc. 18. *Ab exemplo viduæ.*

De moderandis animi cogitationibus, & quod corpus malum non est, vt quidam suspectim opinati sunt.

CAPVT III.

PRincipio sanè omnis in eo adhibenda cura est, vt animi agitatio in officio retineatur: quod assequemur, si eam mentis imperio subijciemus, quæ ipsa diligentissimè obseruans prouideat, ne ab recto animus futiliter aberret, néve à trahentibus ipsum in diuersam partem corporis affectionibus prauis prægrauetur. quemadmodum enim per oculum corpus videt, sic animus cernit per mentem ipsi agnatam: at neque vt vnum in altero, sed vnum & idem prorsus animus est & mẽs. hæc autem naturalis est vis quædam, neque aduentitia eius animi partis, in qua posita ratio est. Etenim anima quando excitata, vi intellectili quam à procreatrice sua sacrosancta trinitate insitam accepit, de rebus, de quibus debet, ex officio, quæque honesta sunt, cõsultat, tunc liber est ab insidijs corporis, motusque eius perturbatos prospiciens, comprimensq;, & in se digna trãquillitate versatur, & in pacatissimo ocio res naturæ conuenienter contemplatur, oculis, quantum fieri potest, in sacrosanctam ac venerandam trinitatem intentis: nimirumque illud reputat, & secum assiduè expendit, quàm excellens diuinæ gloriæ maiestas sit, ad quam (quæ est illius fulgoris incredibilis magnitudo) aspirare nemo potest. splendorem præterea immortalitatis contemplatur, sapientiæ infinitam vim quandam, solidissimam, & omni fluctuatione vacuam tranquillitatem, itemque affectione omni ac motu carentem naturam. Cui enim ex improuiso accidere nihil potest, veluti qui reconditam in seipso, non secus atque in quodam thesauro rerum omnium scientiam teneat, tam præsentium quàm futurarum, & vniuersa ipse complexus sit, cuiusque ditioni subiecta sunt vniuersa, nihilque sit in rerum natura, quod aut aduersum accidere, aut omnino contrà attollere oculos possit, huic consentaneum est perpetuam semper pacem adesse atque tranquillitatem. Siquidem repentini, & qui præter spem eueniunt rerum casus, ij sunt, qui perturbationem mortalium mentibus solent afferre. Quem autem praua affectio prorsus nulla obturbat, contraque cui virtus est omnis, omnisque dignitas comes adiuncta, hunc sine dubio ritè, & vt par est, lætari existimandum est, eiusque lętitiam immutabilem esse atque sempiternam, quando lętitia virtutis ac bonitatis est assectatrix, vt est apud prophetam, *Lætabitur Dominus in operibus suis*. Animus igitur quicunque mentem suam peruigilẽ, & in actionibus rectis assiduè occupatam detinuerit, is & in his quas dixi, contemplationibus versabitur, & huiusmodi exercitatione consuetudineque mores suos ad æquitatem, ad iustitiam, modestiamque ac tranquillitatem componet, atque perpoliet. Idem verò vbi mentem agitare destiterit, & in res cognitione dignas intendere, extemplo, veluti importuni, proterui atque canes absẽte moderatore, ex diuersis partibus libidines corporis foras se dant, & vehementer in ipsum oblatrant, & varijs modis dilacerare conãtur: quippe videlicet, quum earũ singulæ vitalem pro se quæque illius vim ad se rapiãt. Siquidẽ duplicem ego animi esse arbitror vim, cũ ipse vnus sit atque idem: quarum altera corpus attingat, vitalis scilicet: altera, quæ tota in perspiciẽda veritate versetur, quã quidem rationalẽ etiã appellamus. Sed enim ex his quã vitalem nominauimus vim, eam quoniã contẽperata est cum corpore, animus propter contẽperationem illã naturaliter, non volũtariè progignit. Etenim quẽadmodum fieri non potest, quin sol res eas illuminet, ad quas radios suos appulerit: item quoque fieri nõ potest, quin animus, in quo corpore insit illud viuificet. Cõtra vis illa veri perspiciẽdi, à voluntate proficiscitur motũ hinc sortita suum. Quamobrem qui animus vim illã contemplatricem siue rationem ita instituerit, vt assiduè peruigil sit (vt ait propheta, *Neque dormitabit qui custodit te*) dupliciter is vitiosos corporis motus consopit, ac tranquillat. Siquidem & se in rebus potioribus sibique affinibus inquirendis occupat, & motus corporis sui confusaneos obseruans cohibet, atque compescit. Si verò quòd ignauiæ se dediderit, eã contẽplatricem desidem torpere passus sit, ociosam itidem vitalem vim nactę libidines corporis, partitæque, nullo moderante, prohibentéve, animum ad suos appetitus ac functiones pertrahunt. Ex quo intelligi potest affectiones corporis tunc esse violentas, quotiescunque ratio, quæ in nobis est, cessat: eadem illa moderante, & imperium suum exercente, facillimè obtemperare. Quare si quis rectè modo rem putare voluerit, nullo pacto is corpus culpandum existimabit. Neque enim alienum est, opinor, si in hacce meæ tibi sententiæ explicatione etiam prauas illorum opiniones eripuero, qui malè de corpore suspicati sunt. Vt enim charissime luculenta quædam res

Mens quid & eius functio.

Lætitia virtutis comes.

Psal. 103.

Collatio nõ inelegans.

Anima vis duplex.

† δύναμις ζωτικὴ καὶ λογιστική.

Ὁμοίωσις.

Psal. 120.

Corporis bona est conditio contra Manichæum.

ac per

ac per se bona equus est,& quo is natura ferocior est, ac vehementior, eo præstantior haberi solet:sessore tamen perito eget, moderatoreque, nempe qui ipse rationis sit expers (Enimuero in eum vbi moderator ascenderit, ille quidem conabitur vti ingenio suo: Hic si naturales rector iumenti motus rectè ac ratione insidès gubernet,præterquam quod ipso vtiliter vsus est, etiam ad finem, quem sibi proposuit, peruenit, nempe qui & ipse incolumis seruatus sit, & iumentum ad vsum sibi commodissimum esse intellexerit. contra verò,vbi pullum cui in frenando præest vitiosè instituerit,& pullus sępenumero ab recta via aberrat,& per confragosa ruens,se & sessorem ipsum plerumque in eandē ruinam dat, & vtriusque casus non aliunde quam ex rectoris ignauia proficiscitur) similē etiam in animo quoque & corpore esse existimare rationem debes. Neque enim temere tributi corpori appetitus sunt, sed vt ad res aliquas prorsus vtiles essent & commodi. Ipsum autem rationis est expers, nimirum ob eam causam, vt rationis præstantia maiorem animus dignitatem obtineret.Si enim naturales ipse corporis rectè temperet motus, præter id, quòd incolume illud conseruat,hoc etiam accedit,quod ipse perpetuo à periculis permanet liber. Si verò neglecta ratione se somno dediderit,& moderandi corporis habenas ignauiæ remiserit,& ipsum corpus,veluti quod ratione moderatrice destitutum sit, ab recta egreditur via,& animam secum vnà in eandem perniciem trahit:non quidem ob eam causam, quòd suapte natura ipsum vitiosum, sed quòd illa negligens sit. Etenim si eiusmodi essent affectiones istæ corporis,quæ ab animo domari non possent, meritò culpa in corpus posset transferri. Si verò inuenti sunt multi, quorum studijs deuictæ illæ cessere,nequaquam ab ijs iure corpus culpatur,qui ipsum tanquam vitiorum autorem traducere non dubitant: sed negligentiæ culpa in eo est, cui delatum corporis imperium est,cum neque ipse animus naturaliter malum in se habeat, sed propterea in vitio sit (si quando sit) quòd virtutem deserit. Si quidem vitium † nihil est aliud, quàm virtutis desertio.

Collatio corporis.

† κακία ἀπόλειψις ἀρετῆς.

Quòd nequaquam temere cum mulieribus congredi & colloquia texere conueniat.

Caput IV.

AC de moderandis quidem animi in cogitando motionibus,corporisque affectionibus in officio continendis,deque amplitudine ac tranquillitate hominis interioris, similiterque de rerum ad ipsum pertinentium contemplatione ac cura, superius, quantum potuimus, abunde disputauimus. Verum enim non in eo tantum elaborandum nobis est,vt motus animi in cogitando moderemur,sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissimè fugiendum est cum primis, quæcunque in conspectum nobis adductæ, refricata libidinum memoria, consilium rationisque vim nobis perturbant: atque confundunt, bellaque & sollicitos in animo angores cient. Etenim bellum, quod præter voluntatem nostram incidat nobis, excipere, fortasse necessarium sit, ipsum verò aliquem sibi voluntarium creare,id verò summæ stultitiæ est.Siquidem ignoscei ei forsitan possit, qui in priore illo victus sit (nolim autem omnino hoc Christi athletis euenire) at qui in posteriore hoc superatus discedat, is præterquam quòd rem admodum ridiculam facit,non meretur etiam cur sibi ignoscatur. Quocirca fugiendæ in primis cum † mulieribus nobis congressiones sunt, collocutionesque, neque ad eas vnquam accedendum, nisi cum grauissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere non possimus. Atque ipsa etiam vbi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cauendum est; adeò vt quàm ocyssimè nulla mora ab istis nos extricemus. Animaduerte enim quid de hac re Sapientia dicat: † *Abscondet quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet? Aut ambulabit quispiam super carbones ignis,& pedes non comburet?* Quòd si quis dicat ex assiduo se cum mulieribus colloquio,congressuque & conuictu non admodum lædi, hic sine dubio aut maris naturę particeps non est,& portentum est quoddā insolentissimum,& præter omnium opinionem admirabile, & in vtriusque sexus (vt ita dicam) confinijs positum: cuiusmodi esse illos ferunt, qui nati eunuchi sunt;si quidem hoc illis etiam velimus tribuere,quod nullo modo fœminarum libidine afficiantur aut moueantur. *Concupiscentia enim spadonis deuirginans iuuenculam,* inquit, Sapiens, aut certè,si expers non est,cum totus immersus libidinibus obruatur, ebrijs aut phrenitide correptis similem se esse non sentit, qui grauissimis affecti morbis, morbum à se tamen abesse omnem existimant. Verùm quod ratio non dat, hoc demus nos in disputatione:posse videlicet aliquem existere, qui nullis libidinum aculeis pungatur aut extimuletur. Verum etsi hoc ipse non sentit, qui quæso hoc ita esse, cæteris item facilè poterit persuadere? Porrò quòd quis nulla proposita vtilitatis spe,multitudinem scādalizet,hoc ei arbitror non vacare periculo. Quumquam ad hanc alia etiam ratio spectanda est: quòd esto vir nullam ipse in animo suo † pernicioſæ cogitationis noxiam conceperit, de muliere certè, quòd ea quoque idem faciat, nunquam nobiscum contro-uertet, quòd ipsa videlicet nullis corporis libidinibus moueatur. Quin incidit sæpenumero,propter consilij imbecillitatem,& maiorem quandam in eo sexu ad libidines procliuitatem, cum fœmina ipsa aliquantulum eius, qui inconsideranter secum congressus sit,libidine commota sit. Atque ille quidem nullum vulnus accepit,sed sępenumero inflixit: & quemadmodum id fecerit,non intelligit. Tum per simulationem videlicet spiritualis charitatis monachum crebrò adiens muliercula, oculis primum peccato largiter explere se incipit, & formam illius aspectibus lasciuis depascitur, & abditam intus virginem, cuius amore præcipuè sponsus tenetur, impuris cogitationibus vitiat & corrumpit. Proinde ne eorum,quæ diximus,quicquam eueniat,danda est opera, vt (si qua fieri posit) mulierum colloquia, congressusque funditus fugiamus. Sin id non posit, in eo enitendum est certè,vt quàm rarissima illa, & quam breuissima fiāt:neque id ex odio sexus,† apagè:neque vt qui cognationem illarum abnegemus:quin potius earum etiam patrocinium suscipiamus,& quantum in nobis est benignè faciamus,& cum omnibus promiscuè,quæ naturæ humanæ participes sunt,tum verò illis præcipuè, quæ pro seruāda integra castitate in certamen descenderūt,veluti quæ in pari ac fraterno nobiscum curriculo certent: congressum tamen defugiamus,ne ex ipsarum aspectu,in memoriam eius,cui semel nuncium remisimus, libidinis, cuique aditum ad nos perpetuò intercluſimus, redire cogamur.

† μηδενὸς καταρθώματος.

† ἄπαγε *abominantis*, Absit.

Quòd viribus corporis admetienda continentia est, & quòd honesta ac legitima res est corporis in opere faciendo exercitatio.

Caput V.

VErum enimuero illud consequens est, vt venter ipse quoque in officio contineatur. Siquidem ventris moderatio animi perturbationum compressio est:perturbationum autem compressio, animi pax est, atque tranquillitas. Animi verò tranquillitas nihil aliud quàm virtutum fœcundissimus fons. Porrò continens ventris moderatio ea præstantissima iudicanda est, quam vires corporis cuiusque definiunt. Siquidem inuenti nonnulli sunt, qui in rebus grauissimi laboris perferendis nihil omnino graue pertulisse sibi visi sunt, eaque laxamenti loco potius quàm laboris habuere,idque propter vegetam ac præduram,quæ illorum in corporibus inesset, harmonicam temperaturam ac robur eximium. Verumenim quod hi tolerare facilè potuerunt, alijs causa fuit, cur periclitarentur, quandoquidem ea nonnunquam in diuersis corporibus dissimilitudo reperitur, quæ inter æs ferrúmve, ac arentia siue sarmentitia ligna. Quamobrem ita amplectēda à nobis continentia est,vt eam cum viribus corporis conmetiamur. Quæ enim solo animo cernuntur virtutes, eæ omnes omnibus promiscuè æqualiter seruandæ proponentur:veluti mansuetudo,morum facilitas,sūmissio animi siue humilitas,bonitas,amor in fratres, innocentia,studium veritatis,misericordia,lenitas,humanitas. has enim peculiares animi esse virtutes dicimus: quando ad eas parādas,colēdásve animo,corpus nihil plus affert, quàm

Collatio per dissimilia.

γνώμη.

† γυναικῶν ὁμιλίας καὶ συντυχίας.

A muliere vt ab igne cauendum.

† ἀποδύσει, alligabit.

Prou. 6. iuxta LXX.

quàm quod ipsi quædam (vt ita dicam) veluti curia est, in qua huiuscemodi res deliberantur. Porro modum vires corporis finient, si neque videlicet leuiores quis labores suscipiet, quam quantis ferendis esse par possit: neque si ea item persequi voluerit, quę sustinere se non posse intelligat. Siquidem huius rei quoque rationem haberi arbitror oportere, ne cum propterea quod in continentiæ cultu seruatus modus non sit, corpus eneruauerimus, inertes deinceps, & ad res gerendas inutiles existamus. Neque enim eo consilio Dominus hominem finxit, vt segnis ac languens *a* desideret, sed contra potius vt esset, qui se in laboribus honestis exerceret, quandoquidem & primo in paradiso Adæ præcepit vt laboraret, & paradisum *b* ipsum custodiret (etsi enim hisce verbis altior quidam adiunctus est sensus, nihilominus tamen propterea hoc ipsum etiam, quod omnibus expositum est, imitatione ac studio dignum est) & tum deinde postquam ex eo ille eiectus exulauit, sententiam tulit vt pane *c* suo in sudore vultus sui vesceretur. Quod autem quæ Adæ dicta tum fuerint, ea omnibus etiam dicta sint, qui ab eo sint oriundi, ex hoc liquido perspici potest, quod cum illum tantummodo tum nominatim Deus morte multasset, quando dixit, d *Terræ es, & in terram reuerteris*: nihilominus tamen omnes, quotquot ab eo originem duxere, eiusdem similiter vna cum eo calamitatis participes extitere. Quamobrem conuenit vnumquenque neque naturæ ordinem, neque præscriptos ab naturæ opifice limites transilire, potiusq; in his continere se, & corpus in actione aliqua occupatũ tenere, illudq; prouidere, ne ipsũ, dum grauius, quam par est, premit, opprimat. Quandoquidem sapientissime *e* ego illum rationem arbitror suam instituere, quicunque se intra constitutos huiuscemodi fines contineat. Pluribus præterea hoc quod dicimus, sanctarum literarum testimoniis possumus confirmare. Siquidem præcipiunt diuina oracula vt *f* laboremus, & corpus *g* actuosum motionique expositum habeamus, potiusque aliorum indigentiis subueniamus, quam aliunde ipsi opem expectemus. Vt autem ipsum immodicis macerationibus extabefactum reddamus ac dissolutum, hoc vero nullo modo. Huius autem rei fide omni dignissimus testis est Paulus, apud quem quodam in loco scriptum est sic: *h Audimus inter vos quosdam inordinate ambulantes, nihil laborantes, sed curiose agentes*. Et ordinis dissolutionem, laboris desertionem pronunciat: i *Non enim*, inquit, *inordinate nos inter vos gessimus, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die laborantes.* Et quod hoc etiam maius est, k *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum erant, ministrauerunt manus hæ*. Itemque alio in loco, l *Vt laborantes*, inquit, *panem suum manducent.* Et alibi, m *Vt quieti sitis, & vt vestrum negocium agatis, & laboretis manibus vestris.* Prorsus liber esse ab omni animi elatione *n* monachus debet, & mediam verè, ac regiam viam ingredi, neque ab ea vel in hanc, vel in illam partem vspiam declinare, vt videlicet aut segniciem amplectatur, aut continentia ita corpus affligat, vt ad obeunda deinceps munera sua vtile esse non possit. Si enim rectum esset, homines dissoluto corpore desidere, & veluti spirantes mortuos iacere, credibile est tales nos à prima conditione Deum fuisse conditurum. Quod si hoc ille non fecit, illud haud dubiè statuendum est, eum rationem esse illam secutum, quam esse rectam intelligebat. Quod si tales ille nos finxit, quales si essemus, rectissimum erat futurum, peccant, quicunque quantum in ipsis est, quod recte factum est, non conseruant. Illud autem diligenter pietatis cultor obseruato, num qua ex incuria in ipsius animo domicilium ędificarit praua affectio ac delituerit, nuncubi peruigil illa ac vehemens in Deum mẽtis intentio oblanguerit, ne fortè Spiritus sanctificatio, & quæ inde in animũ promanat, illuminatio obscurata sit. Vigentibus enim his, quæ diximus, bonis nullam prorsus rebellionis occasionem nanciscętur hæ corporis affectiones: quippe cum animus videlicet in rerum altiorum cura sit occupatus, neque corpori vsquam libidines excitandi locum concedat. Si enim cogitantibus sępenumero aliquid nobis de rebus vitę huius, mente acriter in aliquam cogitationem defixa, neq; oculi, neq; aures munerib. funguntur suis, animusque relictis sensibus in ea commentatione totus inhę-

Corpus est anime βουλευτήριον.

In omni re seruandam mediocritatem & discretionẽ.

a Quæ in hunc locum & huic assimilos cõgerit Basilius, suos adigens discipulos tolerando labori manuũ, pulchre B. Thom. eluit 2.2.q.187. Nisi enim religiosi per sui ordinis statuta obligentur, vt hi Basiliani, vt Ægyptii, (de quibus Hieronym. ad Rusticum) non tenentur ad manuaria opera.

b Gen.2.

c Gen.3.

d Ibid.

e ἀξιοπιστότατος.

f 2. Thess.3.

g ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ.

h 2. Thess.3.

i Ibid.

k Act.20.

l 2.Thess.3.

m 1.Thess.4

n Monachi quæ peculiaria functio.

Argum. à minori.

A ret, multò profectò faciliùs si in animis nostris diuinus amor viguerit, omnis prorsus vel leuissima etiam à nobis de libidinibus aberit cogitatio. Quod si sese hæ interdum loco paululum commouerint, ex templo facillimè eas in ordinem rediget magnanimis prudentia. Vtrũne quæso præstabilius est, fęcundas arbores imitari, quę & ipsę copiosę sunt, & alios fructuum, quos habent, vbertate delectant: an assimilẽ esse olerib. ijs, quę immodico tosta solis ardore & siccitate languescunt, neq; vlla in re (vt est apud prophetam) à bęta semielixa differre? (quippe qui ne tuarum quidẽ ipsius necessitatum esse minister valeas & quod grauius est, qui integras ad teipsum tuendum ab natura vires acceperis) atq; ex dimidia tantum parte, solo videlicet animo, ac non B etiam corpore philosophiæ operã dare? Etenim si essemus extra corpus constituti, necessario solo tantum animo optima ac pręclarissima quęq; sequeremur. Verum quia ex duplici natura constamus, duplex virtutis quoq; esse studium debet, idq; cum strenuitate corporis, tũ animi etiam industria exerceri. Porrò strẽnuitas corporis non in ocio posita est, sed in negocio. Quãquam illud quoq; diligenter animaduerti debet, ne per causam necessitatis corporis, eo impingamus, vt voluptatibus seruiamus. Si enim hoc posset impetrari, vt cum in perpetua inedia corpus teneremus, ipsius nihilominus integra opera ad munera sua obeunda vti possemus, vtique esset hoc optimum. Verum quoniam C rarissima ea inueniuntur corpora, quæ in istiusmodi victus ratione non concidant, & adhibita moderatione ieiunandum est, & corpori necessarium maxime subsidiũ tribuendum: neque in assumendis cibis dux habenda voluptas est, sed ratio, quæ necessitati ipsa modum prudenter definiat, more peritorum medicorum, qui nulla ipsi cum animi perturbatione, accommodata morbis remedia adhibent. Huiusmodi enim animi affectio in quocunque fuerit, hic si cibum assumpsit, nihil est, quod ad philosophiam attinet, quamobrem eo inferior habendus sit, qui ab eo se temperarit. Quin potius is, & quod ad rei finem attinet, non perpetuum modo ieiunium, sed inediam etiam est assecutus, & quod sapienter corpus gubernarit, egregie in eo regendo D prudentiæ laudem inuenit. Neque enim moderata corporis in victu eductio, continentiaue, eæ sunt quæ cupiditates accendant, & libidines indomitas reddant. Nam hoc quidem intemperantia, & immodicus deliciarum luxus facit. Atque ad id quidem probandum, quod in præsentia disceptandum nobis propositum est, hęc cum ex legibus naturę, tum ex diuinis literis à nobis petita sufficiant. Verum enim quoniam quæ diximus, ea non rationibus tantum roboranda sunt, sed exemplis etiam rerum gestarum nostra confirmanda sententia est, ad ipsum iam liberatoris nostri vitæ institutum pergemus, quod mortali in corpore ab ipso seruatum, omnibus quicunque pietatem in vita colere vellent, virtutis exemplar, ac pictura veluti probe expressã effigiem E quandam proposuit, vnde cuncti lineamentis illius inspectis, cum nulla in parte à proposito ipsis exemplari imitatione declinarent, simile inde pro se quisque in vitam suam exemplum transferrent. Nam quod vitam suam liberator noster præstantissimi viuendi ritus omnibus ipsi obtemperare volentibus exemplar proposuerit, ipsum audi, hoc apertissime dicentem: *Si quis mihi ministrat, me sequatur*, in- *Ioan.12.* quit, quibus verbis nequaquam affectationem eam ille significat, quæ corpore fit (quando qui hoc facere possit, reperiretur nemo, cum quod ad corpus pertinet, Dominus in cœlo nunc esse intelligatur) sed acerrimam, quantum fieri possit, vitæ ipsius institutorum imitationem. Quæ igitur vita fuit liberatoris nostri? quam ille, dum hic inter nos versaretur, vitæ rationem secutus est? Peccatum quidem non fecit. Qui enim à peccato vinci iustitia potuisset? aut quo pacto veritatem vanitas superasset? quave ratione infirmitati virtus debellata cessisset? aut postremo quomodo quod nihil est, de eo quod est, victoriam reportasset? Semper est enim Deus: quippe cuius natura neque originem habeat, neque finem vnquam sit admissura. Peccatum vero ipsum est nunquam, neque in propria ipsum per se substantia vlla sua esse cognoscitur. Cumque in iis magis, quæ malè fiunt defectione boni, quam in iis, qui ipsum faciunt, naturam suam positam habeat, intelligibiles quasdam tenebras ma-

Cessatio à simili.

Duplicis natura honã.

Insumendis cibis non voluptas præduxit, sed ratio, quæ medicos imitetur.

Omnis virtutis τύπος καὶ πρόγραμμα Christi conuersatio est

Ioan. 1. Iefactis imprimit, quæ à iustitiæ lumine dispelluntur. (*Lux* enim, inquit, *in tenebris lucet*) & eousque durant, quandiu prauæ actiones durant. Sublatis enim his, vna etiam, simul Psal. 9. peccati substantia deletur, & euanescit. *Quæretur* enim, inquit, *peccatum eius, & non inuenietur*, licet peccantibus pœna propter peccatum sit reposita, & ob ea, quæ flagitiose fecerint, 1. Pet. 2. cruciatus propositi sempiterni. *Peccatum igitur non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Sed contra, lenitatis, patientiæ, facilitatis, mansuetudinis, humanitatis, comitatis, animi submissionis, prudentiæ, virtutum denique cuiusquemodi documenta præbuit complura: quæ quidem in Euangeliis omnia aperte explicata cernuntur. Ac lenitatis quidem ac patientiæ, perferendis assidue Iudæorum insidiis (cum earum nouissimæ quæque præ incredibili sua magnitudine, priores apparere non sinerent) ipsis eatenus clementer corripiendis, quatenus eorum improbitatem comprimeret: vlciscendis autem, aut persequendis, ne tantillum quidem. Etenim in eo ille assiduè vsque constanter perseuerauit, vt (si fieri posset) illorum immanitatem suis benignè factis euinceret, & benemerendi perpetuitate conceptam in se odij acerbitatem mitigaret. Ad extremum etiam eorum causa, qui se in crucem agebant, cruci suffigitur. Comitatis vero comiter, vt par erat, ad se omnibus admittendis, & facilitate sua ad colloquium secum animandis, non bonis modo, sed iis etiam, quos ex consuetudine iam improbitas delectaret. Hac enim inductæ meretrices mulieres ad illum adibant, publicanique, non vt aut illæ libidinis, aut hi auaritiæ morbum augerent: sed ea re, vt inolitas ægrescentis animi sui labes abstergerent, atque interlinirent. neque in deterrendo plus poterat facinorum conscientia, quàm in animo addendo recuperandæ sanitatis spes. quæ quidem neutiquam prorsus ipsos fallebat, quando re ipsa maiora multo experti nanciscebãtur, quam erant ea quæ opinione conceperant. Porro humanitatis ac misericordiæ documenta illa quanta sunt tandem? nunc in solitudine fame iam confectis mensam * instructissimam apparare, quæ dupliciter ipsos teneret, & rerum necessariarum copia, & admirabili illarum apparationis modo. nunc eorum, qui abiecti erant misericordia commoueri, eo quod erant dissipati, discissique velut oues non habentes pastorem, inualetudines præterea corporis sanare, debilitata ac manca membra integrare, animorum morbos tollere, indissolubiles peccatorum nodos expedire, extortarũ violenter pactionum, quas cum patre peccati diabolo pepigeramus, obligationes dissoluere. Humilitatis exempla quanta denique nobis exhibuit? quod ipse non solum vltro mortale corpus assumpserit, sed ex humilibus etiam parentibus (quod ad vitæ huius conditionem attinet) & nasci, & natus putari voluerit: ac nasci quidem ex matre, natus autem putari ex eo, qui appellatus est pater. Prudentiæ vero prorsus illa fuere vel maxima, quod & Sadducæos commento illo septem fratrum, qui omnes, cum vnius eiusdemque vxoris viri fuissent, è vita discesserant, resurrectionem conantes cauillari, refellerit: & simili modo Pharisæorum discipulos vnà cum Herodianis à se summo pudore affectos dimiserit, quando proposita lubrica illa † & ancipiti quæstione, vtrum censũ dari Cæsari oporteret, necne, responsum ab eo (vt ita dicam) ambidextrum abstulerunt, quod altrinsecus illorum amentiam cõcerpere & vellicare valeret: quippe quod non dari iuberet, sed reddi: *Reddite* enim, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Cæsaris enim erat numisma, cuius imaginem & titulum præ se ferebat insculptum. Atque hæc quidem animi præcipua virtutum documenta sunt, quæ ille edidit, & præter hæc alia etiam infinitis partibus plura. Corporis vero cuiusmodi, ac quanta? propter quæ potissimum etiam hoc à nobis inductum exemplum est, qui prima sua ætate parentum suorum imperio esset subiectus, & labores corporis omnes æquo * vnà cum ipsis animo illis obediens toleraret. Verisimile est enim cum homines illi essent, & iustitię & pietatis cultores, tenues tamen, neque necessariis ad viuendum copiis satis instructi (quod ex præsepi intelligi potest, in quo venerabilis illi fotus est fœtus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione Luc. 2. quotidianum sibi victum quæritare. Porrò Iesus cum his, vt diuinæ literæ prædicant, esset subiectus, sine dubio in perferendis etiam vnà cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam. Cæterum vbi post ætate progressus, dominica iam, diuináque beneficia aperiret, discipulos denique eligeret, & de cœlesti regno promulgando cogitaret, non in angulo aliquo abiectus, & corpore viribus destituto, aliorũ ministerio indigebat: sed assidue nunc quidem itineribus faciendis, iisdemq; continenter pedib. cõficiendis, simulq; discipulis ministrando, vt ipse ait (*Ego* enim *in medio vestrum sum*, inquit, *sicut qui ministrat*. Et item: *sicut filius hominis non venit, vt sibi ministraretur, sed vt ministraret*) nunc discipulorum etiam suorum pedes lauando, post doctrina eos & longioribus sermonibus instruendo, impigreque ex locis aliis in alia se transferendo, saluti nostræ consulere non intermittebat: semelque tantummodo iumento, eoque ipso ad exiguum tempus vsus reperitur, neque id vt lassitudinem corporis leuaret, sed vt opere ipso propheticum oraculum confirmaret. Quid Apostoli, nonne ipsi quoque Dominũ sunt imitati? nonne assidui in laboribus erant? Animaduerte Paulum indiuulse laborantem, contenteque itinera facientem, nauigantem, pericula adeuntem. Animaduerte cum tempestatibus iactaretur, agitaretur, flagris cæderetur, lapidibus peteretur, & animi robore, & corporis firmitate, contra aduersa omnia fortissimè staret. Quod si in eo ille fuisset, vt corporis vires immoderata incontinentia eneruaret, nunquam profecto ex illis quæ gesit, ad coronam illam, quam postea adeptus est, peruenisset. Quamobrem præclare is facere existimandus est, qui cum Domini & discipulorum, atque adeo Apostolorum ipsius, & animi virtutes, & corporis exercitationes sibi imitandas proposuerit, haudquaquam ocio marcere corpus sinit, sed in optimis illud assidue officiis continet. Cum enim animi munus sit de rebus bonis ea seligere, quæcunque corporis etiam opera conficiuntur: corporis est, exequi ea, quæ recta animus iudicarit: cui si ad exequendum vires defecerint, mancum quodammodo, atque inchoatum relinqui officium necesse est, quippe quod in sola voluntate tanquam compressum iaceat, veluti germen aliquod, quod in sinu terræ delitescens comprimitur, in eaque occultus marcescit, neque in eorum vsum foras se dat, quorum causa creatum est à natura. At & diuturnam Dominus inediam pertulit, dixeris. Idem fecit Moyses, idem Helias propheta. At enim illud tu quoque animaduertito, Dominum, itemque Moysen & Heliam, hoc semel tantum fecisse: reliquo autem toto vitæ tempore, quod in regendo corpore, eam, quam par erat, perpetuò disciplinæ moderationem adhibuerint, idque ocio languere nunquam siuerint, sed vsque in laboribus, assiduisque exercitationibus continuerint, sicque auxiliari opera corporis, animæ virtutes illustriores reddiderunt, dum omnibus suis partibus absoluendæ spirituali suæ conuersationi operatoriam eiusmodi & † actiuam vitam ceu sigillum ac clausulam adiecerunt. Hoc Moyses, hoc Helias, hoc Ioannes etiam ipse factitauit, qui cum aliquandiu ex arcano quodam Dei consilio se in solitudine illa tenuisset, in loca postea culta egressus est, ibique prædicando, baptizandoque, quæ munera ipsam etiam rerum actionem attingunt, illa sua ad extremum intrepida apud Herodem animi libertate certaminis sui finem inuenit. Hoc idem & sanctorum catalogus omnis, & Iesus ipse seruauit, quando hi assiduè vsque in re agenda aliqua versabantur. Quocirca perspicuum * est vndique, cum ex legibus naturæ, tum ex doctrina diuinarum literarum, tum ex sanctorum omnium virorum exemplis, ipsiusque adeo liberatoris nostri vitæ instituto, & illa perfecta pietatis cultoribus viuendi norma, & honestius, & vtilius esse confirmando corpori suggerere quàm adimere vires: idque strenuum obeundę bonę actioni, quam vietum reddere & exoletum, vltronea quapiam maceratione.

Quod opera illa consectari monachus debet, quæ ipsius professioni idonea sint.

Caput vi.

Cæterum in his se operibus exercere monachus debet, quæ ordinis ipsius decoro conueniant, cuiusmodi videlicet

* γράπεζαν ἀμφιλαφῆ. Matt. 9.

† ἀμφίκρημνον ἐρώτημα ἀπόκρισιν περιοδέξιον. νόμισμα. Marc. 12.

† πράως καὶ ὑπεικτῶς.

* Actiua vitæ opus quod ex plenitudine contemplationis deriuatur. sicut doctrina, prædicatio, præfertur simplici cõtemplationi. Tho. 2. 2. q. 188. in Resp. ad 6.

† τὸν πρακτικὸν βίον σφραγίδα καὶ τελείωσιν ἔχειν πνευματικῆς πολιτείας ποικιλέγει.

videlicet ea sunt omnia, à quibus cauponariæ artis & impostura omnis absit suspicio, quæque nullæ longiores animi distractiones, aut improbi quæstus sequantur, sintque eiusmodi, vt manentibus * intra tectum nobis magna ex parte confieri possint, ne operum laboribus contentius quàm par sit consectandis, animi in virtutis commentatione, netuos, industriamque elidamus: in quo illud spectandum, vt & opus absoluatur, & à quiete tamen non discedatur. Si vero etiam tempus aliquod inciderit, vt necessario sub dio aliquid administrandum sit, haudquaquam hoc philosophiam tamen impendet. Qui enim vere philosophus est, is cum corpus † suum curarum suarum domicilium, & animi sedem firmissimam habeat, licet casus illum in forum attulerit, licet in maxima conuentus alicuius celebritate versetur, licet in monte aliquo, licet in agro, licet in media multitudinis frequētia sit, stabilis tamen in naturali suo monasterio manet: quippe qui mentem suam introrsum ad seipsum recollectam habeat, & de rebus ad officium suum pertinentibus philosophetur. Siquidem fieri facile potest, vt & qui se intra priuatos parietes contineat, is si negligenter se gerat, mentis agitatione circumuagetur foras: & vicissim qui in foro medio versetur, is si animo excubet, perinde sit ac si in magna esset solitudine constitutus, qui videlicet cogitationem suam ad seipsum tantummodo ac Deum conuersam habeat, sensibusque suis perturbationes omnino nullas admittat, quæ à rebus ortæ sensilibus in animos solent nobis incidere.

*ὑποφορέων ἡμῶν.

† σῶμα, φρονλιςήριον καὶ καταγωγὴ ψυχῆς.

Quòd neutiquàm temere cum quibuslibet hominibus consuetudinem habere monachus debet.

Caput vii.

Γνώμη. IAm ne illud quidem decere iudicandum est, temere seipsum quibuslibet credere, denudareue aut aperire animi arcanum sui. Siquidem homini in eo, quod ex Deo est, vitæ genere versanti, multi parati esse insidiatores solent, atque ipsi adeo coniunctissimi quique in eum studiose quid agat, inquirunt. Quocirca danda omnino nobis opera est, vt non nisi magna adhibita diligentia, circunspectioneque in congressum cum extrariis hominibus veniamus. Si enim ipse liberator noster (vt est in Euangelio) omnibus seipsum non credebat. (*Ipse enim*, inquit, *Iesus non credebat seipsum illis*) si ille purus, & labe omni carens, ille ab omni culpa liber, ille iustus, ille qui quantuscunque erat, nihil nisi virtus erat, hoc faciebat: qui fieri poterit, vt nos, qui peccatores sumus, qui ad lapsum procliues, qui ab recto, quod nobis proposuimus, itinere, identidem aberramus, idque & ob naturalem nostram imbecillitatem, & propter eum, qui bello nos improbè & acriter persequitur: sed qui hoc poterit impetrari, vt si curiosis hominibus vitam nostram inspiciendam exposuerimus, non & prauas in nos calumnias conflemus, & ipsi nobismetipsis scandala statuamus? Siquidem plerunque etiam quæ recte fiunt, ea maleuoli in crimen vocare non dubitant: neque vel leuissimas quidem præterire offenciunculas sinunt, quas non maledictis insectentur. Quamobrem in admittendis extrariorum hominum congressionibus magna adhiberi à nobis cautio debet. Etenim præter ea, quæ diximus, temeritatis vitio, aliud etiam peccatum incurrunt, cum scilicet cogitant eos, qui à communi cum cæteris viuendi ritu recesserunt, eo quod viuendi institutum mutarunt, non consilium mutasse, sed diuersam plane ab humana induisse naturam, neque de pietatis cultoribus iudicant, tanquam de iis, qui cum in iisdem affectionibus versentur, eas tamen animi virtute, & voluptatibus à se segregandis, rationis imperio subiiciant: sed illud existimant, naturales ex illorum corporibus omnes funditus affectus esse sublatos. Quo fit vt si vel transuersum vnguem spiritalis vir ab recto declinarit, confestim vniuersi, velij ipsi, qui vehementissime ipsum antea laudibus efferebant, admirabanturque, eius accusatores existant acerbissimi, palamque seipsos reprehendant, vt qui ne priores quidem illi laudes veras tribuerint. Vt enim cum in certamine pugil aliquis concidit, illico in eum aduersarius insurgit, ipsumque ferit, & humo magis etiam affligit: item hi quoque simulatque aliquem de iis, qui assidui in virtutis cultura sunt, paululum aliquid de virtutis curriculo deflexisse animaduerterint, extemplo in eum inuadunt, maledictisque & criminationibus perinde vt iaculis petunt, neque secum reputant ipsi, sexcentis se quotidie vitiosarum affectionum telis transfigi: cum pietatis propugnatores quamuis similibus ipsi quoque affectibus sint circunsessi, aut leuissimum inde; aut nullum plerunque incommodum accipiant: & quod magis eos mouere deberet, qui acriorem quam illi aduersarium excipiant, quando hi apertissimè ei se aduersarios professi sunt: & magnum quid adeptum se ille arbitratur, si de his victoriam reportet: contraque * mortiferæ plagæ loco ducit, quandocunque victus discedit, nimirum vt qui perfecte, & cunctis tum virtutis partibus sit debellatus. Nam susceptum sibi aduersus vitæ huius negociis deditos certamen, id vero admodum contemnit: idque partim eo, quod ex illis plurimi eius ditioni sponte se, atque adeo cursim venientes subiiciunt, veluti qui voluptatibus variis, & concupiscentiis tanquam esca delimiti, ad peccatum illiciantur, ipsiq; victoriam de se quàm facillimā præbeant: partim, quod quamuis ex ijs nonnulli peccato aliquatenus videantur resistere, hi tamen distractionibus variis impediti, paruo negocio à contentione illa acri auocantur ac depelluntur, versique in fugam, & missilibus continenter petiti; multas ac fœdas secum cladis suæ notas ab hoste irrogatas referunt. Quod si aliqui extiterint aliquando, qui curarum vitæ huius impetu profligato, fortiter prementis se aduersarij bellum exceperint: at longè tamen illorum dispar certandi ratio est. Siquidem multis, atque adeò infinitis partibus maiora sunt illa, quæ exhauriunt ij, qui se colendæ pietati totos penitus dedidere. Alter enim retinere contendit ius suum, & in controuersiis de rebus vitæ huius pertinacissimè litigat. Contra, Monachus de iure etiam suo iis, qui secum controuertunt & delitigant, concedit, & præcepto illi obtemperat: *Ab eo qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Ille vt par pari referat, percussus & percutit, & iniuria læsus relidit: & hoc modo æquabile se tenere ius putat. At hic eatenus tolerans est iniuriæ, quoad iniuriis se aut plagis afficientis libidinem exsaturet. Atqui idem voluptates corporis assiduè studet coercere: dum alter earundem illecebras perpetuò consectatur. Quò fit vt ne inter athletas quidem iure existimem haberi posse, qui in ciuili vitę genere versantur, quandocunque cum assiduis pietatis cultoribus conferantur. Atque aliud etiam præterea animaduerto, quod ijs solitum est vsu venire, qui communem, ac vulgarem vitam sequuntur, quandocunque in pietatis cultorum vitam inquirunt: Simul ac enim pietatis cultor cum animo suo secum statuerit rectum esse, post longinquam esuriem, esca corpus fulcire suum, ne ruat: veluti si omnino corporis ac materię expers esset, aut nullum prorsus, aut quàm minimum cibum assumere illum, volunt. Etsi ex huiusmodi disciplina quempiam animaduerterint, qui non vsquequaque inclementer corpus tractet, ac vel tantillum illius necessitati subueniat, hunc conuiciis, calumniisque proscindunt, deriuataque ab vno in cunctos * proteruia, petulantiaq; vniuersos pariter lurcones quosdam, & helluones appellant: neque illud reputant, se, cum his, & ex ipsis nonnulli ter etiam quotidie epulentur crassissimis, pinguissimisque suffarcinati vescantur cibis, & infinitam carnium molem deuorent, ingentemque supra modum vini ingurgitent vim, mensis tamen nihilominus se ita inhiare, vt exemptis è vinculis post diuturnam esuriem catulis assimiles videantur. Porro qui veræ pietatis sectatores sunt, ij quam fieri potest, aridissimo vtuntur cibatu, & in quo præter imbecillitatem tenues admodum ad alendum vires sint: idque in totum diem semel, quibus modo perpetuo disciplinæ ordinem seruare in animo est, & hunc ipsum, quod modicè, & vt ratio iubet, assumunt, iure vbi eius sumendi tempus aduenit, fidenter nulla impediti religione, necessarium corpori auxilium tribuunt. Quò fit vt nequaquam conuenire iudicandum sit, libertatem nostram ab alia conscientia iudicari. Si enim nos cum gratia participamus, quid blasphemamur pro ijs, de quibus gratias agimus? cum exiguam admodum & vilissimi

Βεβαίωσις à simili ducta.

* χωρίαν πλανην.

Perstat in collatione secularis & monachi. Luc. 6.

Hoc nimis quam verum vsu quotidiano deprehendimus.

* παχυτάτα καὶ πιώτατα.

Ομοίωσις.

precij ciborum portionem tanta nos cum voluptate amplectamur, cum quanta ne ipsi quidem splendidissimos, & copiosissimis cuiusque modi ferculis instructissimos mensarum apparatus. Verumenim ex his, quos diximus, hominibus, si quis fortè sit, cuius perspecta nobis & animi prudentia, & vitæ innocentia sit, & disciplinam nostram in reuerentia habeat hunc mensa nostra communicari, si id vsus poscat, à ratione neutiquam alienum fuerit.

Quod neque frequenter, neque temere extra monasterium exire monachus debet.

Caput viii.

ATque illud etiam tenendum est, vt nequaquam quouis prætextu visendorum, conueniendorumve fratrum cebro è monasterio velimus egredi. Siquidem diabolicum istud quoque commentum est, quando huiusce modi artificio vti aduersarius solet, ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum, atque hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, variis, iisque instabilibus cogitationibus facere obnoxios studet. Sed in eo potius elaborandum est cuique, vt tacitis secum colloquiis, intimisque cogitationibus, animi sui vitia diligenter perpendat, & corrigat. Etenim qui animum hunc attulerit, vt superioris vitæ consuetudinis, ab se modo vinculum abiecerit, etsi omnino hic ex ea sua animi ad honesta vitæ studia applicatione laudem promeretur, at nondum tamen propterea ad virtutum culmen peruenit: quin quomodo eas consequi posset, sæpenumero ne cogitauit quidem: verum tacitus secum cogitatione in seipsum defixa, perturbatos animi sui appetitus motusque excutere diligenter debet, iisque magna cum animi contentione obluctari, & quæ in eo incondita viderit, ac perturbata, ea melioribus consiliis in ordinem redigere, atque sedare. Sedata siquidem animi & requieta constitutio virtutis est argumentum certissimum. Cæterum qui huc, illucque continenti peregrinatione discurrit neque stabilis certo vllo in loco diu consistit, sed crebra ex aliis in alia loca ititatione collectam illam & constipatam animi in cogitando vim assiduo isto flatu ac reflatu veluti euentilat, atque diffundit, paulatimque corporis voluptates spectare insuescit, is qui quæso perspicaciter excutere seipsum poterit? aut quæ minus honestè se habeant peruidere, & in melius reuocare? quippe cum in eo perseueret, vt animum suum ad prauas assidue affectiones instiget. Quod cum ita sit, *amplectenda nobis maxima ex parte quies est, & in suo cuique assignato sibi ad habitandum loco fortiter perdurandum, quo videlicet hoc ipso animi sui stabilitatem testatam faciat. Neque vero tamen propterea perpetuo est, tanquam in custodia permanendum: sed quandocunque & res poscit, & conscientia non reprehendit, libere est, fidenterque prodeundum, & de fratribus probatissimi quique, & propter insignem vitæ sanctitatem maxime vtiles inuisendi, & ex fructuoso illorum congressu, virtutum exempla capienda: ita tamen, vt (quemadmodum diximus) in prodeundo modus teneatur, & praua omnis suspicio euitetur. Siquidem est sæpenumero cum exortum in animo tædium suscepta peregrinatio discutit, & spatio ad colligendas denuo vires ac sese erigendum refocillandumve dato, alacriorem ad capessenda de integro pietatis certamina facit. Quod si quis apud seipsum glorietur, quod pedem omnino è cella non efferat, enimuero intelligere is debet inani se admodum re inflari. Neque enim non prodire ipsum sua sponte laudandum est, aut aliquando prodire homines solet aut bonos facere, aut malos, sed vel quod ad res honestas firmum ac stabile animi iudicium est, vel contra leuitas & inconstantia, hominem bonum reddit vel malum. Si vero quis propositam sibi semel in animo honestatem firme constabiliuerit, & diuturna exercitatione, temperandarum animi sui motionum probe iam rationem didicerit, isque edomitis corporis sui libidinibus, & animi ratione alienis motibus refrænatis, quod præterea rationis fræno confidat, ob eam causam è monasterio prodire frequentius velit, vt fratres ædificet, A visitetque: qui huiusmodi est, cum ratio ad prodeundum potius impellet, quam reuocabit, quo videlicet posita super candelabro lucerna, cunctis præclaræ doctrinæ suæ large lumen impartiat, modo vere confidat, in quoscunque inciderit, illis se & doctrina & exemplo virtutum veluti scholam futurum: & si seipsum diligenter ante muniuerit, vt, quod est apud Apostolum, *ne forte cum aliis prædicauero ipse *reprobus efficiar.* 2. Cor. 9. * ἀδόκιμος γένωμαι.

Quod locum identidem demutantibus monachis, neutiquam inter cæteros audiendi quicquam loquendiue libere fieri potestas debet: & quod deuitandi sunt, qui tales sunt.

B

Caput ix.

ATque illi etiam deuitandi sunt, qui instabiles identidem locum demutant, & modo ad hos modo ad illos fratres se conferunt, & irrequieto acti impetu se in circumlustrandis assiduè monasterijs occupant, & per simulationem spiritualis charitatis, carnis libidinibus obsequuntur: quorum in animis nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conueniat ordinis, nihil denique prudentiæ ineſt, aut grauitatis: contraque summa curiositas, morum peruersitas, leuitas, inconsiderantia, dolus, hypocrisis, mendacis, & veteratoriæ orationis plenissima assentatio in istis redundant. Hi enim & lingua rudes, & ventre intemperantes sunt. Horum volucris animus continenter flabris veluti quibusdam pulsatur, horum consilia assimilia vespertilionum volatibus sunt: quippe qui in directum nunquam feruntur, sed tortuoso, & incerto maximè volatu huc illucque temere pererrant, ac circumuagantur. Hi cum in speciem statim aliud facturi videantur, postea præter omnium opinionem, ad aliud quippiam longe diuersum subita mentis leuitate feruntur. Hi multum serpunt, & nihil promouent. Siquidem iumentis ijs assimiles sunt quæ ad molas deligata cum ingredi continenter non cessent, eodem tamen vsq; in spatio semper reperiuntur, & fracto laboribus corpore, ipsa tamen vltra exigui loci fines progressa non sunt: Sic isti quoque cum assiduè in corporis libidinibus intricentur, in hisque depressi inhæresçant, ad spiritus fastigium nunquam euadunt: sed inexhausto cursu in orbem perpetuo incitati feruntur: nempe qui vnà cum corporis concupiscentijs, voluptatibusque assiduè agitati, rotatiq;, eodem vnde mouerant, denuo referantur, & propter voluntatis prauitatem, ab iniqua, in qua sunt, seruitute numquam liberentur. Hi cum ouis speciem externè intuentium se oculis veluti escam quando obijciant, guloſam & vafram, & astutam internè vulpem celant, multosque ab recta viuendi via, ad simile, in quibus ipsi sunt, vitiorum genus conantur abducere: quicunque videlicet clauo rectæ rationis destituti, leui momento, nullo delectu magistris peræquè malis ac bonis fidem adiungunt, illudque rectum existimant quodcunque quis ipsis vel rectè vel probabiliter consuaserit. Et hos igitur secum trahere in suæ prauitatis perniciem studeant, quod videlicet illorum peruersionem, excusationem suam esse arbitrentur, & eleuationem criminum suorum flagitiorum communionem. Proinde hi omni ratione cauendi sunt, idque ea re, ne & pestis contagione cæteros inficiant, & ipsi cum se vndique velut proscriptos & ab aliorum communione summotos animaduertent, vel sero se ad meliorem frugem recipiant: & ignominiam illam, quod bonos se defugere, atque auersari videant, pædagogi loco accipientes, admoniti à prauitate resipiscant. Nam hoc etiam Paulus fieri iussit, loquens de ijs, qui nihil laborabant, sed curiosè agebant: *Hunc enim, inquit, notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* 2. Thess. 9.

Ex loci etiamnum instabilitate quæ vitia gignantur collationes

Asino molæ alligato assimilis est inconstantia.

Anomoiosis.

Metaphora.

Quod ab omni prorsus cleri, aut præsidentiæ inter fratres appetitione abesse monachus debet.

Cap. x.

CÆterum clerum, aut inter fratres principatum nullo modo appetere monachus debet. Siquidem diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes, quæ res insigne

Γνώμη

*τὸ δέον μεδαρμόσασθαι.

Ἐπαγωγή.

Γνώμη.

Att. hoc plus æquo solitudini affixus

Ambitio, morbus diabolicus.

insigne est primæ illius diaboli prauitatis indicium. Etenim ex hac ille quoque imperandi libidine præceps insigni illo superbiæ lapsu corruit. Et sine dubio, qui in huius vitij potestate est, is eodem planè cum diabolo malo laborat. Qui autem ab eo captiui tenentur, eos inuidos, contentiosos, insimulatores, impudentes, calumniatores, assentatores, veteratores, *humiles, vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, sexcẽtis denique alijs huiusce modi turbis refertos existere necesse est. Etenim qui est eiusmodi, is idoneis inuidet, ac palam traducit. Quin erit sæpenumero, cum illorum etiam interitum exoptabit, quo videlicet sublatis de medio, qui tales sunt, in deferendis muneribus necessario suffragia ad ipsum deueniant, atque ex hoc etiam aliud sequetur, quod ijs, penes quos illa deferendi potestas erit, adulabitur, atque ita multa illiberaliter ac seruiliter aget: aduersus inferiores vero, si aduersentur, superbè ac præfidenter se geret. Itaque dolos consuens commachinabitur, perturbationésque innumerabiles, ac suspiciones sibi accerset, à séque animi tranquillitatem fugabit, & Deus pacis expelletur, vtpote cui locus in eo non sit, vbi acquiescat. Cognito igitur nos detrimento, à ratione abhorrentem istiusmodi cupiditatem fugiamus. Quod si aliquem Deus aliquando ad res huiusmodi deligat, prorsus idem etiam (quæ eius solertissima sapientia est) probè nouit, quemadmodum etiam idoneum præbeat, vt nulla in parte conscij simus eam ad rem studium impendisse, aut ad id consectandum, in animo delitescentem compressisse cupiditatem. Nam hæc quoque animi ægritudo vt est atrocissima, ita & à bonis non abalienat.

* παρὰ τὸ προσήκον ταπεινούς.

Quod ad recta studia consectanda neutiquam impellere nos inanis gloria debet.

Caput xi.

FVgienda autem cum primis inanis gloria est: quæ non ante labores, à laborum nos susceptione deterret (siquidem leuius hoc esset malũ omnino) sed ijs iam exantlatis, mercedis præmijs exuit spoliátve. Illa expugnatur difficilis & callida salutis nostræ insidiatrix, illa vel in ipsius cœli conuexis, insidiarum aduersum nos collocatrix, virtutes ramis in cœlum vsque licet expassis ac porrectis adornatas profligare ac deturbare pertinacissimè contendit. Simulac enim illa pietatis mercatorem cuiusquemodi virtutum mercibus onerariam mentis nauem suffarcinasse & complesse animaduertit, procella sua ocyus excitata, in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat, atque aquis pessundet. Illius enim qui ad regnum superum nauigationis suæ cursum instituerat, mente illa ad res humiles gloriasque hominum contemplandas detorta, vniuersas repentino spiritu ex animo diuitias exsufflat, & subrutis virtutum fundamentis, proceritate sua ad cœlum vsque pertingentes labores deturbat & terræ allidit, cum nos, vt eorum ab hominibus præmia expectemus, impellat, quos æquum erat, cum oculos in solum Deum haberemus intentos, illique vni recte facta nostra reseruaremus, meritam ab eo solum mercedem referre. Nos vero cum ad amplectendas virtutes, hominum iudicio impulsi potius accedamus quam Dei, inanemque ab illis gloriæ mercedem flagitemus, iure optimo diuinorum præmiorum frustrationem incurrimus, quippe qui non propter Deum labores adeamus, sed hominibus operarios nosmetipsos locemus: à quibus cum mercedis loco, mercedis iacturam auferamus, quid est, quod nobis adeo reddi amplius poscamus, propter quem animum, vt operis aliquid faceremus, nostrum nunquam induximus? Quod autem hoc verum sit, animaduerte, quid sacrosanctum Euangelium dicat de iis hominibus, qui hominum causa, quæ recta sunt, faciunt: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Age igitur, quando hæc ita sunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem spirituaIium opum exspoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu fraudis suæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem, quod opinor ea de causa facit,

Metaphoræ elegantes.

Mat. 6.

Ambitionis appositissima epitheta.

vt vitio se illi auidius ingurgitent, nec vlla illius expleantur satietate. Dulce quid humana imperitis gloria est. Quin & qui ab hac captiui tenentur, ij facillime ab ea impelluntur, vt à recto rerum iudicio aberrent. Qui enim hanc concupiscit, is spreto domesticorum consilio, id vnum tantummodo perfectum, & magnificiendum iudicabit, quod apud imperitam, ac promiscuam multitudinem in admiratione esse animaduerterit. Quò fit, vt si nequissimi etiam, ac omnis prorsus iudicij expertes sint, qui quæ mala sunt admirentur, necessario tamen ea omnia, quæ à studiorum suorum iudicibus probata esse crediderit, facturus sit, qui laudari se cupit. Ex quo intelligi facilè potest, inanem gloriam non ad euertendas modo honestas actiones valere, sed ad improbas etiam iter munire. Quocirca danda opera est, ne quoquam omnino ab recta ratione, Deove rectæ rationis autore oculos dimoueamus: sed iter illud, quod à Deo nobis monstretur, teneamus. Atque in huiusmodi cursu, siue is ab aliquibus laudetur, siue contra vituperetur, coniectis in cœlestem laudatorem oculis, neque illorum laudes magnopere curemus, sed tantum de recto in rebus bonis iudicio illorum gratulemur neque istorum vituperatione ab eo vllo modo dimoueamur, potiusque eorum vicem, tanquam recto iudicio carentium, atque in grauissimis tenebris versantium doleamus.

Ὑνώμη.

Δόγμα per illationem.

ὑπομένοντας, aliàs νομίζοντες.

De opportunitate temporis ad loquendum.

Caput xii.

ATque ex officiis quidem hæc fere præcipua sunt, quę neutiquam pro virtutis ipsorum magnitudine, sed pro modo facultatis nostræ hactenus explicata sunt: quæ vero deinceps restant virtutes, quæ videlicet quotidianos quasi in consuetudine cum cæteris mores commendant, & expoliant, eæ valde opinor omnibus sunt in promptu, & in facili admodum cognitione versantur, veluti maturitas temporis ad loquendum, & verborum habita vtilitatis ratione prolatio. Verborum autem ea opinor vtilitas fuerit, si aut de virtute in loco disseratur, aut si ad rei alicuius, quæ facienda instet, vrgeatque, vsum sermo accommodetur, aut etiam denique ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio quouis genere sermones versentur, ij reiici tanquam superuacanei ac inutiles debent.

Quod nequaquam facetias scurrilemve vrbanitatem consectari monachus debet.

Caput xiii.

VItandæ autem omnes omnino in sermone facetiæ & scurrilis dicacitas sunt. Siquidem fieri solet plerunque, vt qui sese in rebus istiusmodi occupant, ij rectam rationem deserant: quippe cum ex eo illud fiat, vt animus ad ridicula diffundatur & in tacita secum cogitatione grauitatis seueritatisque neruos omnes elidat. Quin incidit sæpenumero, cum istiusmodi contagio sensim proserpens postremo ad verborum turpitudinem, & absurdam atque extremam obscœnitatem delabatur. Ex quo sanè colligitur peruigilem & attentam animi excubationem cum facetiarum diffusione simul cohærere non posse. Cæterum si vsus etiam inciderit aliquando, vt remittendæ aliquantulum tristitiæ causa, sermone ad hilaritatem excitemur, enimuero danda omnino opera est vt spirituali lepore referta sit oratio nostra, & Euangelico sale condita, vt rectæ, quæ interius sit, sapientiæ gratum foras odorem aspiret, dupliciterque auditorem & animi relaxatione, & intelligentiæ festiuitate delectet.

Ex eutrapelia, sermonis scilicet faceti vitio, qua mala.

De mansuetudine, & quomodo charitas conflatur.

Caput xiiii.

MAnsuetudine autem cum primis plenus esse monachus debet, quandoquidem spiritus mansuetudi-

nis vel particeps iam factus est, vel fieri se participem cupit: illudque conuenit, vt suscepto hospiti hospes assimilis sit. Cæterum si vsus inciderit, vt suscipienda aliquando à nobis aduersus alicuius negligentiam indignatio sit, qui videlicet sit in nostra ditione, adhibenda in eo cura est, vt indignatio ratione sit temperata. Siquidem gladiis medici vtuntur, vtuntur & homicidæ. Verùm hi, quod ad eos tractandos ira, atque immanitate impulsi accedunt, sceleſtissima per eos designant facinora: nempe qui eos quibuscum generis sunt communione coniuncti, vita spolient. Illi contrà quod ex ratione ipsis vtuntur, magnas ex iis afferunt vtilitates. Siquidem eorum opera vsi, constitutos in periculis homines liberant. Eodem modo etiam, quicunque adhibita in consilium ratione sibi indignandum cẽsuerit, magnopere ille vtilis fuerit, aduersus quem animo incitatus sit: nempe qui eius vel negligentiam corrigat, vel improbitatem: contra autem qui ab ira vinci se sinit, ab eo vero rectum proficisci nihil potest. Non esse vero alienum ab iis, qui mansuetudini studeant, animo interdum in loco incitari, hinc perspici facillime potest, quod Moses, de quo in sanctis literis testatum habemus, mortalium eum omnium longe mansuetissimum fuisse, vbi ita temporis ratio poscere visa est, vehementissime est indignatus, atque eatenus animi concitatione progressus, vt eam non alia ratione, quàm suorum cæde terminarit, hocque tum, cum vitulum illum fabricarunt, tum etiam cum nefariis se Beelphegor ritibus polluerunt. Ex quo intelligi facile potest, vt quis adhibita ratione animo incandescat, posse nihilominus eum dignitatem mansuetudinis incorruptam retinere. Nam illud omnino nunquam moueri, aut sicubi opus sit, non indignari: naturæ potius lentitudo, quam mansuetudo appellanda est. Porro mansuetudini naturaliter etiam fere adiuncta patientia est. Siquidem † mansuetudo patientiæ est mater. Neque minus etiam iis, qui verè modo mansueti sunt, ac non qui moribus sint plus æquo seueris implexi ac defœdati, permistim se attemperat & comitem adiungit benignitas. Hæc enim suauis ac placida benignitas materiam suggerit gignendæ mansuetudini. Vtraque porro hæc virtus vna inter se commista, coniunctaque præstantissimam virtutum omnium charitatem efficiunt.

Πνάμη.

Argum. à simili.

Astruit τῷ παραδείγματι. Num. 12.

Deut. 9. Num. 25.

† πραότης συνεξικαχίας μήτηρ.

De prudentia.

Caput xv.

Cæterum in omni, quæ suscipitur, actione, antecedere prudentia debet. Nam prudentia remota, nihil cuiusuis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita modetatione fiat. Ratio vero & prudentia vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est, quantus ex earum vsu cum in dantes, tum in accipientes fructus redundet.

Ratio & prudentia bonæ actioni modũ præscribunt.

De fide & spe.

Caput xvi.

Omnibus autem in rebus, priusquam ad eas aggrediamur, viam munire debet ac præstruere, ea quæ in Deum fides est, eique comes vna spei alacritas adiungenda, quo videlicet & fide fultas animi vires suffulciamus, & spei alacritate animo ad res honestas erectiores simus. Neque enim in rebus bonis conatus humanus, sublata ope diuina, perfectè vnquam, quod vult, poterit adipisci, neque item vicissim diuinum præsidium ad nos nullo nostro studio venturum putandum est. Sed ad perfectum virtutis cumulum coniuncta simul esse vtraque hęc oportet, & humanum studium & auxilium cœleste, fidei opera ascitum & comparatum.

De humilitate animi.

Caput xvii.

Cæterum in omnibus quæ rectè fiant, causas, cur illa sic fiant, Domino assignare animus debet, neque omnino esse quicquam existimare, quod suarum virium facultate assequi possit. Huiusmodi enim animi affectio natura suapte solet humilitatem in nobis ingenerare. Porro humilitas tutissimus est † virtutum omnium thesaurus. Hęc habes à nobis charissime quædam quasi semina de virtute sermonum, quæ si diligentius excolueris, vberrimos ex ijs fructus reportabis, & dictum sapientiæ illud verum esse confirmaueris quod dandam esse sapientibus occasionem præcipit, vt sapientiores fiant.

† θησαυρὸς φυλάκιον ἀρετῶν.

Prou. 9.

Quot modis praua in animo cogitationes existant.

Caput xviii.

Sed quoniam superius iam de ijs, quæ ad mentis agitationem pertinerent, disputauimus, neque tamen quot modis praua in animo motiones existerent distinctione vlla adhibita explicauimus: sanè operæprecium facturos nos arbitrati sumus si nunc illud quoque adiungeremus, ne videlicet ad absolutam huius partis pertractationem, cumulus omnino vllus deesse videretur. Duobus itaque modis, indecorę conceptiones rectis cogitationibus turbam & intemperiem conciunt: cum aut animus videlicet ex sua ipse quadam incuria ad rerum futilium contemplationem aberrat, temereque ex alijs in alias cogitationes delabitur: aut cum insidiosè menti nostræ absurdas rerum species diabolus conatur obijcere, eamque hoc modo à rerum laudabilium contemplatione, inquisitioneque auocare. Cum igitur animus quòd remissa illa solidiore mentis contentione, pellentium se cuiusquemodi varijs rerum vulgarium memorijs repetendis in his temere se diutius occupet, in varias errorum ambages soleat incidere, ac plerumque ad extremum cogitatione ad res turpissimas ac flagitiosissimas deferri, enimuero id quotiescunque acciderit, huiuscemodi animi socordia, diffusioque excitata seueriore acrioreque mentis diligentia castiganda est ac corrigenda, assidueque vt quæque singulis nobis temporibus propositæ sint, ita ad attentiorem rerum honestarum considerationem inducenda, in eaque occupanda. Siquando ex insidiis eam circumuenire diabolus tentet, & quas commentus ex se est, cogitationes magno cum impetu, veluti ignita quędam tela in peccatum ac quietum animi statum intorquere contendat, illumque inopino assultu conetur incendere, & eorum quas semel intorserit, diuturnas, & ad extricandum difficiles memorias efficere, sane hic maiore quadam vigilantia, contentioreque animaduersione huiusmodi declinandæ insidiæ sunt, & peritorum athletarum imitanda consuetudo, qui summa cum animi attentione, tum corporis agilitate celeritateque aduersariorum suorum apprehensiones eludunt, & belli omnis euasio, & telorum declinatio orationi, ac diuinæ opis imploratione committenda. Hoc enim nobis Paulus præcepit, cum dixit, *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo posſitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Quamuis igitur etiam inter orandum prauas ille rerum animis nostris species obiiciat, non propterea tamen ab oratione nobis est desistendum, neque iniectam ab hoste prauam sementem, aut immissas à præstigiatore versipelli suggestiones nostras esse arbitrandum, quin potius vbi rem nobiscum putauerimus, & sceleris inuentori, prauarum istiusmodi cogitationum causas attribuerimus, hoc maiore debemus conatu procumbere, Deoque supplicare, vt desecta ab animo nostro interposita istiusmodi nequam cogitationum quasi maceria, mens libere celeriterque sine vlla mora impedimentove ad ipsum queat peruenire, neque ab instituto suo cursu vllis malarum cogitationum incursibus retardetur. Si vero per aduersarii impudentiam, flagitiosarum istiusmodi cogitationum vis vehementior etiam insurgat, ne sic quidem est succumbendum aut deijciendus animus neque susceptа certamina, ex dimidia parte confecta relinquenda: sed eousque obfirmate perdurandum, quoad Deus perfecta nostra constantia gratia, Spiritus sancti nobis affulgeat, nosue illustret, quæ & insidiatorem in fugam propellat, & mentem nobis puram efficiat, & diuino lumine compleat, & rationi nostræ in pacatissima tranquillitate constitutæ ocium ad Deum colendum suppeditet.

Prauæ cogitationis origo duplex.

Ephe. 6.

τῇ ὁμοιώσει confirmat.

Ad Cano-

Ad Canonicos, hoc est regularem vitam degentes in cœnobio.

Caput xix.

AC de iis quidem, qui singulariter & seorsim à cæteris pietatem exercent, deque solitariam vitam complexis superius dilucidè quantum potuimus, disputauimus: quemadmodum videlicet quisque,& animo assiduè in rebus honestis exercendo,& corpore,eo modo, quo facto vsus sit,moderando,perfecti nobis philosophi formam posset exprimere. Verum enim quoniam maximam partem, qui se colendæ pietati dediderunt,ij in societate cum aliis degunt, in qua inter se vicissim alter alterius sui propositum animi ad virtutem exacuunt, seque inter se rectè factorum æmulatione ad maiores quotidie in studiis rerum honestarum faciendos progressus impellunt, æquum facturos nos arbitrati sumus, si ad hos quoque aliquid cohortandi gratia scriberemus. Cæterùm illud docendi sunt prius, bonum illud, ad quod studeant peruenire,quantum & cuiusmodi sit: vt cohortatione ad id nostra postea susceptа, nihilo minore, quàm quantum eius magnitudo ac dignitas postulat, ad id adipiscendum animi alacritate, studioque contendant. Principio igitur ad bonum illud, quod ex natura est, reuertuntur, cum vnà cum cæteris communionem, consociationemque amplectuntur.Siquidem perfectissimam ego vitæ communionem illam appello, à qua priuata omnis rei cuiusque excluſa possessio est & eliminata: itemque vnde dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abest,& rixæ: contraque vniuersa communia, animi, mentes, corpora, eaque, quibuscumque necessario ad victum,cultumque vtimur:communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina,communes labores,communia præmia & certaminum exantlatorum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto, quid est tandem quod iure æquiparari possit? quid eo beatius dici? quid hac coniunctione vnitate & necessitudine aptius excogitari? Quid mutua inter se morum, animorumque contemperatione gratiosius fingi?Homines ex diuersis nationibus ac regionibus profectos per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò in vnum veluti coaluisse, vt in pluribus corporibus vnus modo esse animus videatur, vicissimque plura corpora mentis vnius instrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine est,is complurium animos imbecillitatis suæ participes habet. Qui verò animo æger est, & affligitur, ei complures præsto sunt,à quibus curetur,à quibusque assiduè erigatur. Hi æquabili iure inter se alij aliorum & famuli sunt,& domini, & in inuicta libertate accuratissimam sibi inter se seruiunt seruitutem,quam non necessitas casus fortuiti oppressis,& in captiuitatem abductis magno ipsorum * cum mœrore violenter inuexit,sed cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippe cum charitas ipsos alioqui liberos inter se alios aliis subiectos efficiat, & ipsis nihilominus tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem conseruet. Tales nimirum cum ab initio nos fingere Deus,esse voluerat, & propterea crearat. Qui eiusmodi sunt, sine controuersia primi parentis noxam contegentes, antiquum bonum in pristinum reuocant. Quandoquidem nisi naturæ nostræ vnionem dissecuisset peccatum, lites, & dissidia, & bella in hominibus non essent. Hi liberatoris nostri,eiusque vitæ, dum inter nos versaretur, institutorum,veri perfectique imitatores existunt. Quemadmodum enim ille coacto discipulorum choro communia cuncta, seque ipsum communem Apostolis præbuit, item hi quoque antistiti suo obtemperantes (qui modo vitæ suæ præscripta rectè conseruant) genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur. Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur. Nulla est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuersia: sed cum habeat quisque,quæ omnium sunt,omnes tamen integras apud se suas diuitias cõseruant.Siquidem nequaquam materiã,quæ circũscribi possit,Angelorũ diuitiæ sunt,quæ quandocunq; eam in plures distribui opus sit, necessario diuidi debeat: Sed contra, materiæ omnis illorum expertes copiæ sunt,& in vna eademq; mentis agitatione diuitiæ collocatę. Et propterea cum integra apud singulos bona sua cuique permaneant, omnes pereque diuites efficiunt, nempe quæ se sine controuersia, pugnave ipsis præbeant possidendas.Summi enim boni contemplatio, & virtutum luculentissima cognitio angelorum thesaurus est. Hæc autem eiusmodi sunt vt cum perfectam eorum pro se quisq; singuli cognitionem, possessionemque adipiscantur, vniuersis tamen in ea liceat intueri. Sine dubio tales sunt, qui veræ sunt pietatis cultores, vt eorum non de rebus terrenis,sed cælestibus concertatio sit, & indiuidua quadam diuisione eadem vniuersi & singuli apud se quisque conseruent.Siquidem virtutis ea acquisitio est,& rectè factorum diuitię,& laudanda fraudatio, & lacrymarum expers rapina, vbi insatiabili auiditati præmiũ est, ac proposita corona, & quisquis hic vim sibi facit, vt eousq; olim penetret, reũ se constituit, omnes rapiunt, & nemini iniuria fit, quæ quidem causa est, cur diuitiarum earum arbitra & moderatrix sit pax. Hi dum laudabili ratione viuendi sua, communitateq; cælestis vitæ ac status egregiè formãe fingunt,futura promissi regni bona præripiũt. Hi perfectè rerum omnium paupertatẽ tenent, in quibus nihil proprium cuiusquam sit, sed communia omniũ omnia.Quot quantave bona nobis conciliarit assumptę carnis merito liberator noster, isti perspicuè admodum demonstrarunt communi hominum vitæ,dum laceram hominum naturam, & in partes penè innumerabiles dissectam,quantum quidem in ipsis est, redintegrant, Deoque reconciliant. Siquidem eorum omnium, quæ ab liberatore nostro in carne gesta sunt, summa huc pertinet, vt humanam naturam cum ipsam ad seipsam, tum ad se etiam reuocaret sibive eam conciliaret, & sublata praua dissectione in pristinam integritatem, coniunctionemque restitueret, atque vt peritissimus aliquis medicus corpus in plures partes concisum salutaribus medicamentis religaret. Atque hæc neutiquam ea re sum persecutus, vt dicendo rei magnitudinem adderem, & eorum qui in vita cœnobitica promouerunt,præclaras virtutes verbis exaggerarem,neque enim eiusmodi mea dicendi facultas est,vt ea rebus alioqui per se magnis splendorem possit afferre, quin mihi metuendum est potius,ne exilitate sua eas sua sponte claras obscuret: sed vt, quoad fieri posset, splendidi adeo propositi ad virtutes inuitantis excellentiam, dignitatemque persequerer ac demonstrarem. Nam quid est tandem, quod si huic comparetur,non iure longe inferius iudicetur? Apud quos enim pater sit vnus, qui cœlestem Patrem imitetur, & filij multi, qui summæ in magistrum suum beneuolentiæ officijs mutuo inter se alij alios superare contendant, filij inquam & vna inter se concordibus animis adstricti, & honestissimis virtutum officiis patrem quasi præhensa dextera excipientes,an proinde recreantes,neque naturæ necessitudinis suæ causam ascribentes: sed quæ natura firmior est, rationem coniunctionis suæ ducem sibi ad custodem ascisentes, & se inter se vinculo Spiritus sancti constringentes: Ad horum tam præclari negotij magnitudinem exprimendam, quæ satis idonea inueniri in terris similitudo possit? Sed enim ea in terris nulla est, sola cœlestis relinquitur. Impatibilis cœlestis pater ab affectionum impuritate se auocat hic quoque,ratione sibi cunctos concilians. Incorrupti liberi cœlestis patris, incorruptionis studium hos quoque fecit adoptiuos. Charitate quæ in cœlo sunt,inter se conjunguntur, charitas hos mutua compagine connexuit. Nihil omnino insidiarum ordiri ausit aduersus huiuscemodi phalangem diabolus, vt qui vnus aduersum tot agonistas parem intelligat se esse non posse,adeò * expedite adeoque confertim contra ipsum militantes, & charitate veluti acta testudine inter se alij alios tantopere protegentes, spirituque consepientes, vt ne vel tantillum loci detur irrependi illius assultibus. Considera mihi quanta septem Machabæorum in decertando consensio fuerit,& præ istis flagrantiorem apud hos animorum consensionem reperies. De his in carminibus suis exclamauit Dauid,cum dixit: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Quibus verbis per bonum ille vitæ probitatem ex-

χαὶὰ συζήμαῖα.

Aggressio τῆς παρακλήσεως.

Cœnobitica vita commoditas prima.

ἑυθυμίαν, legit ἀθυμίαν.

Argum. ab exemplo.

Καγόνα βίυ.

Argumentum à simili.

δεξιούμενον.

ἀπαθὴς.

ἑυσαλῶς καὶ συγκεκροτημένως.

Psal.132.

presit, per iucundum autem lætitiam eam, quæ ex concordia, & animorum coniunctione progignitur. Hoc vitæ genus qui diligenter colunt, ij cœlestem ac supremam mihi virtutem videntur imitari.

Quòd qui ad colendam pietatem accedit, is firmo ad eam iudicio debet accedere, & de obedientia.

Caput xx.

ATque iis quidem, quorum mens aliquanto perspicacior est, in ea quæ superius à nobis facta huiusce vitæ institutiproprietatum expositio est, quæ in ea adhibenda disciplina sit, satis explicauimus. Verùm quoniam æquitas postulat, vt eorum causa, qui simpliciores in fratribus sunt, enucleatius etiam rerum singularum præscripta tradantur, reliquum iam ad hoc ipsum pergamus. Oportet igitur, & quidem in primis, vt qui ad vitæ se huius rationem contulerit, is stabili, firma, immobilique voluntatis constantia sit, iudicioque eiusmodi, quòd à maleuolis spiritibus neque attentari possit, neque loco depelli: animi prætereà firmitate tanta, vt ad mortem vsque martyrum constantiam præ se ferat, cùm diuinis præceptis retinendis, tum obedientia aduersum magistros suos conseruanda. Siquidem hoc totius vitæ huius instituti caput est. *Obedientia Deo debetur & superiori ex collatione.* Quemadmodum enim Deus, qui omnium pater & est, & appellari sua solius vult dignatione, summam, à quibus colitur, obedientiam requirit: sic qui spiritualis in hominibus pater est, cùm præscripta sua ad diuinarum legum exemplum accommodet, perfectissimam ipse quoque obedientiam requirit. Etenim si qui se alicui artium istarum illiberalium ac mechanicarum dediderit, istarum dico: quæ ad transmittendam vitam hanc vtiles sunt, artifici suo quacumque ratione parendum putat, neque vlla in re præceptis illius aduersatur, nec verò ab eo vel ad minimum tempus digreditur, sed assiduè vsque in oculis magistri est, cibumque ac potum, & reliquum victum omnem æquo animo, vt ille præscripserit, admittit: multò certè credibilius est, qui se ad pietatis, religionisque doctrinam percipiendam contulerunt, eos, quod semel sint persuasi, huiusmodi posse se ab antistite suo scientiam accipere, fore vt omnibus illi in rebus libentissimè obsequantur, summeque ac diligentissimè obtemperent, neque ab eo, eorum quæ sibi imperentur, rationem reposcant, potiusque vt imperatum opus perficiant, extra tamen siquid erit eiusmodi, quod ad salutem pertinens ignoretur. Quod enim huiusmodi est, id ea, quàm par est, modestia ac reuerentia adhibitis, interrogare & doceri licebit. *Βεβαίωσις à simili.*

Quòd secularium propinquorum congressiones, consectanda non sunt: neque de rebus illorum solicitudo vlla capienda.

Caput xxi.

APropinquis autem, amicis, parentibusve animi affectione nos tam longè oportet esse disiunctos, quam longè eos, qui iam sint vita defuncti, à viuis videmus distare. Qui enim verè se ad ea, quæ ex virtute sunt certamina exuerit, mundoque ac rebus mundanis omnibus nuncium remiserit, quiq; (vt plus aliud dicam) mundo seipsum crucifixerit, is mundo & omnibus, qui in mũdo sunt, mortuus est, siue illi parẽtes sint, siue fratres, siue tertium, quartũve, aut quemuis deinceps cognationis gradum obtineant. Ac si quidem parentes à communi vita recesserint, & ad filij se viuendi institutum contulerint, verè tum illi habendi propinqui sunt, non qui parentum, sed qui fratrum locum obtineant. Siquidem verissimus pater est, primus quidem, qui communis omnium est pater, secundum illum verò deinceps is, penes quem spiritualis viuendi ritus moderatio est. Si vero in pristina vitæ consuetudine propinqui nostri permaneant, ij pars mundi sunt, à quo disiuncti nos sumus, neque vlla nobis cum illis necessitudo intercedit, qui externum hominem deposuerimus, & propinquitatem, quã cum ipsis habebamus, exuerimus. Qui autem maiorem in *Metaphora ab athletis petita.*

A modum secularium hominum amicitia delectatur, eaque re assiduè cum illis esse in colloquiis cupit, is ex frequenti cum illis sermone prauas eorum affectiones in animum facilè insinuauerit, & mente rursum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa quam erat aggressus, instantia operis desciscet, & à se deinceps proscripta vitæ spiritualis stabilitate, quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomitum resorbebit, atque adeò saucius tandem concidet & miserè confixus ab hoste, qui spiritualem eius conuersationem interturbare consueuerat per congressionem intempestiuam propinquorum carnalium. Quocirca danda nobis opera est, vt propinquis nostris ea optemus quæ optima sunt, iustitiam dico, ac pietatem ad Deum, eaque B quæ magni nos æstimauimus. Siquidem huiusmodi rerum precatio cum nobis honesta est, tum illis non mediocrem fructum per nos allatura. Quare profuerit, vt nihil illorum soliciti, cogitationes ipsi in libertatem ab omni cura & anxia solicitudine vindicemus. Diabolus enim cum omnes nos de rebus vitæ huius curas exuisse animaduerterit, & expeditissimo cursu ad cœlum contendere, in hoc elaborat, vt cum animum nostrum in propinquorum recordationem reduxerit, eo sensim adducat, vt rationibus illorum curandis, mentem nostram ad suscipiendas rerum vitæ huius solicitudines impellat, vt videlicet illa secum versẽt, quæ res propinquorum sit, eiusmodive, qua se possint tutari, ac non: ex contractibus præterea lucra quæ veniant, & illo- C rum fortunas quantopere exaugeant: ad hæc ex variis ac fortuitis vitæ casibus quæ iacturæ contingant, eaque illorum rem quantopere minuant: facitque, vt & rebus illorum ad vitæ commoditates prosperis vnà cum ipsis lætemur, itemque ex aduersis doleamus: similiterque vt cum eorum inimicis pariter inimicitias geramus (& quod grauius est qui iussi sumus, vt inimicum neminem habeamus) & amicis contrà faueamus indignis sæpe spirituali coniunctione: præterea vt de iniquis ac per illorum fraudes quæsitis lucris gaudeamus: prauas denique omnes de rebus vitæ huius affectiones, quibus exutis earum loco spirituales cogitationes induxeramus, denuo in animum nobis reducit, quo iterum ad rerum humilium atque secularium cogi- D tationem depresso internum monachum perimit: Fit hinc, vt veluti statua sit monachus quæ solam monachi figuram circumferat, nimirum quæ nusquam virtutibus sit animata. Quin accidit plerumque, vt ex immoderata erga suos beneuolentia, monachus, vt propinquorum inopiæ succurrat, sacrilegij scelere obstringere se non dubitet. Quæ enim ad eorum vsus seruantur, qui Deo se dedicauerunt, ea sacra, & verè in earum rerum numero, quæ Deo consecratæ sunt, esse & intelliguntur, & iudicantur. Quocirca quicumque ex his quippiam sibi surripit, is sine dubio ex iis est, qui ausu temerario sacrilegia designarunt, iudicandi sunt. Intellecto igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos nostros affectione nobis nascatur solicitu- E dinem de illorum rebus, vt * diabolicum telum, fugiamus. Siquidem Dominus etiam ipse huiusce modi affectionem, & consuetudinem vetuit: qui quidem ex discipulis suis cuidam, ne id quidem vnum permiserit, vt res suas cum propinquis suis componeret: alteri vt ne cadauer quidem mortui patris humo * superiecta contingeret. Ei enim qui res suas cum propinquis suis componere volebat, sic ait, *Nemo qui misit manum suam ad aratrum, respiciens retro, aptus est regno Dei.* Ei verò qui ipsum rogabat, vt sineret se patrem sepelire, *Sequere me*, inquit, *& sine mortuos sepelire mortuos suos.* Atqui quæ vterque rogabat, rationi maxime consentanea esse videbantur, ac iustissima, sed enim neutiquam ea Saluator probauit, neque vel ad punctum quidem temporis seiungi ab ipso cœlestis regni alumnos permisit, ne sublimi illa & cœlesti animi elatione humilius aliquid vel facerent vel cogitarent, mente in rerum terrenarum, fragiliumque cogitatione depressa & accliui: tanquam qui ad res cœlestes animum adiunxerunt, iis neutiquam liceat, eorum quæ in terra sunt, rationem vllam habere, vt qui iam ex ea animo emigrauerint, & mentis contemplatione altiores mundo sint effecti. Si verò aliquis dicat, Quomodo igitur lex præcepit habendam esse curam propinquorum, quando dicit, Et à propinquis seminis tui nolito vultum auertere, & præ-

Δόγμα memorabile.

Elegans nec minus vera collatio.

Γνώμη.

* *διαβολικὸν ὅπλον.*

* *ἐπαμήσασθαι ἄπροφάσιν. Luc. 9. Matt. 8. πρὸς τὰ ἀκαρές.*

præterea Apostolus etiam similiter, cum dicit, *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior?* Huic paucis respondebimus, hoc ab admirabili Apostolo dictum fuisse ijs, qui in communi & vulgari genere vitæ versabantur, qui diuites erant, & propinquorum inopiæ poterant subuenire. Similiter quoque lex etiam hæc dicit. Atque vt dicam breuius, viuis dicta sunt illa, non mortuis: nam hi quidem ab omni prorsus huiusmodi debito liberi sunt. Tu autem mortuus es, & toti mundo crucifixus, reiectis enim vitæ huius diuitijs, summam paupertatem complexus es: cum teipsum Deo dedicaueris, in peculiarem Deo thesaurum adscitus es. Vt mortuus liber es ab omni in propinquos tributi collatione: vt nudus omni rerum possessione, nihil iam habes, quod largiaris. Quin ne in corpore ipso quidem tuo quod alioqui in tuo ære fuerat, posteaquam illud Deo semel consecrasti, ius tibi vllum reliquum est, tanquam in re Deo dedicata, & sceleratè facis, si ad hominum vsum illud accommodes: sed cum ijs tantummodo qui idem tecum vitæ institutum tenent, veluti qui Deo se penitus dediderunt, tibi versandum est. Qui igitur ea in te conuenient, quæ de sacrosancta scriptura memorata à nobis sunt verba? aut quomodo non peccatum incurres, qui initum cum Deo de colenda pietate fœdus violes?

1.Tim. 1.

Quod neutiquam quis à spirituali se fratrum cœtu debet abscindere.

CAP. XXII.

IAm illud quoque certissimum tenendum est, eum qui semel spiritualis fratrum societatis coniunctione copulaque obligatus sit, ab ijs, quibus coniunctus sit, sine scelere abscindere se, aut segregare non posse. Si enim homines sæpenumero vbi semel se in coniunctionem fragilis vitę huius dederunt, ab ea se amplius præter inita ex pacto & condictione inter se fœdera, separare non possunt, alioqui qui hoc facit, is statutis pœnis obnoxius fit, sine dubio multo magis qui de spiritualis conuictus vnione fœdus inierit, cum ea indissolubilem ac perpetuam habeat coniunctionem, ei seiungere se, præcidereve ab his non licebit, quibuscum vnum veluti est corpus effectus. Alioqui si hoc facit, grauissimis se à Deo constitutis suppliciis addicit. Si enim mulier ad viri societatem lege matrimonij prouecta, & vnà cum eo copula carnali coniuncta, morte multatur, si ei insidias feciſſe deprehensa sit: quantò is magis subiacebit pœnæ grauiori si se abiunxerit, qui spirituali communione copulatus sit: teste atque sequestri, ipso Spiritu sancto? Quemadmodum igitur membra corporis naturæ vinculo coniugata, à corpore auelli non possint, aut si auellantur, quæ auulsa sint, ea emortua sint, necesse est: item quoque monachus, quotiescunque reliquorum fratrum corpori coniunctus est, & firmiore, quàm sit vinculum naturæ compage vinctus teneatur, nempe ex pacto quod is cum sancto Spiritu contraxit, nullo modo putandus est ab iis se posse diuellere, quibuscum copulatus sit. Alioqui si hoc facit, & animæ vitam amittit, & vnà cum ea gratiam Spiritus sancti, vtpote qui initum ipso autore fœdus violauerit. Si verò aliquis dicat, in fratribus esse aliquos vitiosos (neque enim vniuersos opinor culpabit. Neque enim propterea vt vitiosi essent, societatem illi coïerunt, vt vnanimiter cuncti improbi essent.) Sed siquis improbos quosdam reperiri inter fratres dicat, eiusmodique qui & temere officia cuncta peruertant, & honestatem negligant, & conuenientem ordini illi contemptim imminuant disciplinam, ac propterea huiuscemodi hominum societatem relinqui oportere, nequaquam is idoneam recedendi causam commentus est. Siquidem neque Petrus, neque Andreas, Ioannesve propter Iudæ improbitatem se à reliquorum Apostolorum choro submouerunt, neque alius de Apostolorum numero quispiam hanc ad recedendum ansam arripuit, neque quominus Christo obtemperans esset, vlla in re illius vitiis retardatus est: sed contrà potius relicta illius peruersitate Dominicæ disciplinæ seruientes ac morigeri pietatem, virtutemque magno ipsi stu-

Arg. à simili.

Alterum simile.

Tertia & elegans ὁμοίωσις.

Attendite quæso, Lutherani.

dio sectabantur. Ex quo intelligitur, qui aliorum improbitate cogi se dicat, vt à spirituali se segreget societate, eum neutiquam idoneam lenitatis suæ causam inuenisse. Quin ipse potius terra petrosa est, qui præ imbecillitate consilij veritatis verbum alere non potest. Cumque aut propter vel tantillæ tentationis incursum aut vitiosæ affectionis intemperantiam, honestatis & continentiæ studiosum viuendi institutum non ferat concitus flagranti vitiorum æstu torretur, & vnà cum tenero adhuc doctrinæ germine exaresci: nempe qui sibi causas verisimilis quidem illas, sed ad defensionem ante tribunal Christi haud satis idoneas, ex animi sui sententia confingat, sibique ipsi facile imponat. Siquidem nihil est facilius quam seipsum fallere, quòd quisque sibiipsi beneuolus æquoue indulgentior est iudex, & quæ iucunda sunt, ea vtilia iudicat. Quamobrem qui eiusmodi est, is veritatis ipsius iudicio damnatus habendus est, veluti qui scandalorum vberrimam segetem suggerat multis, peruersoque exemplo alios assiduè ad similium flagitiorum imitationem instiget. Hæres fit illius horrendi, *Væ: Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria circum collum eius, & demergatur in profundum maris.* Qui enim semel * defectioni animus assueuerit, is vitiorum omni genere cumulatur, intemperantia, auaritia, edacitate, falsitate, omnique morum peruersitate, & postremo extremis malis infixus, in profundum nequitiæ abit præceps. Qui igitur horum, qui istiusmodi sunt, ducem se præbet, animaduertatis, quàm multarum animarum exitij reus existat: qui quidem ne reddendis quidem de anima sua rationibus esse par possit. Cur non hic admirabilem illum potius Petrum imitatur, & exemplum firmæ fidei, & in rebus præclaris constantiæ reliquis existit? vt fulgente rectè factorum ipsius splendore, etiam qui in vitiorum tenebris degunt, ad meliorem per eum viam reuocentur. Atque etiam Noë iustus ille, cum in illa pessimorum hominum colluuie versaretur, non dixit Deo propterea oportere se exire de mundo, quòd reliqui omnes improbi essent; sed eò magis more generosi ac fortis athletæ ad hæc occalescés se obdurauit, & in profundissimo vitiositatis pelago pietatem à tempestate incolumem conseruauit: neque vlla in re Domino prorsus repugnans fuit, sed patientia tolerantiaque pietatis nauigium in mediis impietatis fluctibus tutatus est. Quid? nonne Lot, cùm Sodomis in tanta impietate, tanta legum omnium ac iuris peruersione versaretur, virtutem tamen assiduè vsque ab omni vitio integram custodiuit, neque vllis omnino passus est prauis insidiis circumuentam captiuamve teneri? atque inter sceleratissimos hospitum cæsores, & qui summa petulantia libidineque contra naturæ leges ferebantur, sanctimoniam vitæ perpetuò & ipse intaminatam seruauit, & reliquis, quoad fieri poterat, exemplo suo idem secum vt facerent, autor fuit: nempe qui in docenda honestate antiquiora facta habuerit quàm verba. Tu verò quum in animo * defectionem cogites, & Spiritus sancti reiectionem machineris, fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel sit, vel abs te confingitur, causaris, & improbitati isti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores segniciei contegendæ, fratrum calumniam quasi velamen oppandis? Verum enimuero qui eiusmodi est, is in concordi vinculo Spiritus sancti acquiescat, quo se in cœlesti partu primis veluti fasciis inuoluit ad frugem meliorem istis reuocatus exemplis. Neque enim si fortè contigerit vnum aliquem de iis, qui in manu digiti sunt, læsum ex dolore aliquo laborare, iccirco continuo etiam alius pertinaciter se præcidi iubebit: sed contrà dolorem primum amputationis fugiet: dein etiam constantissime assistet, vt illius quoque in periculo sit, officium corpori possit præstare, ac non naturalibus omnino priuata ramis manus, proprio ac natiuo suo decore spolietur. Transfer ergo similitudinem ad monachum, & considera, quàm magnum abscisione sua teneris adhuc animis cùm dolorem, tum dedecus etiam afferat, quomodoque item vitæ se omnis ac spiritus expertem reddit. Nam quod Antistes, neminem, quem docendum susceperit, volens, prudensque ad improbitatem ducturus sit, vt praua doctoris institutio causa discipulo sit discessionis, abalienationisque: ad hunc modum consideremus, si placet. Quid est pater?

Γνώμη.

Huc, huc, ô Lutherani oculos aduertite.

Matt. 8.

* *apostasia.*

Audi Luthere.

Μεταφορά.

Gen. 19.

* *apostasiæ.*

A simili arg.

ὑπόδειγμα.

ἀρνούμενος.

quid

quid est item magister? pædotriba nempe, puerorum institutor vterque ex his alter filio, alter discipulo, quæ in istius cum filij, tum discipuli rem magis futura sunt, optãt. Siquidem & naturale hoc patribus est, liberos suos optare sibi esse quàm optimos, quamque prudentissimos, similiterque honestate omni modestiaque quàm ornatissimos, quò & filij clari sint, & patres ipsi filiorum laudis societate gloriosiores existant. Simili modo qui pueros magistri ad luctam instituant, quos in disciplinam receperunt, eos quàm fortissimos quamque peritissimos artis efficere studeant, vt cùm robore corporis ac peritia adhibitis, commodè se in certaminibus gesserint, aduersariorum magna cum laude victores declarentur, atque ex agone legitime exantlato certissima in ipsos postea gloria redundet. Porro qui animum ad docendum induxit, hunc natura impellit, vt velit discipulos suos quàm fieri possit perfectissimè, artis suæ præcepta consequi. Proinde cum eam erga liberos instituendos rationem natura rerum parens parentum animis inseuerit, qui non verisimile est religionis & sanctioris vitæ magistrum, quem ipse instruendum acceperit, optaturum, vt quàm innocentissimus & morum ornamentis maximè conspicuus simul & spirituali sapientia cumulatissimus existat? præsertim cum illud nihil obscurè intelligat, se, si suus discipulus talis euaserit, & in magna apud homines gloria futurum, & * luculenta à Christo præmia reportaturum, vt qui famulos ipsius, vel, vt rectius dicam, fratres, quando hoc nomine etiam Christo eos placitum est appellare, diligentia sua, ea quæ est cum ipso coniunctione dignos effecerit. Verum enim aliud prætereà consideremus, quòd si ex illius institutione discipulus nequam euaserit, tempore extremi iudicij in maximo totius orbis terræ conuentu * indelebilem ignominiæ notam magister incurret, vniuerso cœlestium inspectante concilio, neque ignominia afficietur modò, sed grauissimis etiam suppliciis mactabitur. Qui igitur putandum est casurum in animum magistri, vt discipulum suum benemoratum ac modestum esse nolit? Quanquam etiam incommoda infrugive doctori discentis improbitas est. Nam quòd vna ambo ætatem inter se agere decreuerunt, quodcumque quis vitium discipulus imbiberit, eius fructus primum omnium, cum magistro ipso communicat, more venenatorum serpentum, qui à quibus fouentur, in eos primum virus emittunt. Quare perspicuum est vndique, cum ex rerum natura, tum ex ipsius etiam instituentis vtilitate, optaturum ipsum, ac studiosè omni ratione operam daturum, vt quem discipulum erudiendum acceperit, is sibi & probus & modestus existat. Etenim si vitiorum ille improbitatisque esset magister contendisset sine dubio, vt quorum disciplinæ præesset, eos ad hunc finem deduceret. Verùm cùm virtutis, ac iustitiæ præceptor sit, haudquaquam volet, opinor, contrarium, atque ipse efficere nitebatur, discipulo suo exitum euenire. Omnis igitur prætextus excusandi sui nimirum vt rationi dissentaneus præcisus ei est & ademptus, qui à spirituali cœtu segregare se velit, demonstratumque originem istiusmodi consilij nihil aliud esse, quàm vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, & iudicij corruptelam, instabilitatemque. Non enim hic Dauid illud dicentem audiuit, *Beati qui custodiunt iudicium:* qui custodiunt, non qui euertunt. Hi sunt qui stultis assimilantur, qui super arenam instabilis consilij sui, fundamenta locant spiritualis ædificij, quod paucæ tentationum rorulentæ aspergines, & breuis maligni torrens subducto fundamento dissoluit ac disiicit.

Hypodeigma alterũ.

A simili βεβαίωσις

Γνώμη.

* λαμπροὺς τοὺς σεφάνους.

* ἀισχύνην ἀπαραγόρητον.

Γνώμη *confirmat simili.*

Psal. 105. Inconstantia stultitiæ assimilis.

De obedientia vberius.

CAPVT XXIII.

AT quemadmodum quidem ab eo, qui semel spirituali se fratrum societati coniugarit, indissolubilis seruanda copula sit, superius, quoad facere potuimus, demonstrauimus. Nunc rursus quod de obedientia ante dicere instituimus, accuratius etiam pertractemus, & quæ de ea breuiter ante percurrimus, cumulatius declaremus, doceamusque quàm magna ea obedientia sit, quàm erga antistites suos religionis veræ præstare cultores debent, eiusque magnitudinem non aliunde explicare adnitar quàm ex sacrosanctæ Scripturæ autoritate. Paulus Apostolus in ea Epistola, quam ad Romanos scribit, ipsis præcipit, vt excellentioribus illi potestatibus omnibus subiecti sint: potestatibus inquam mundi, non spiritualibus: atque hoc ex his, quæ deinceps adiecit, declarauit, cum de tributis & vectigali locutus est: quo in loco, qui vel minimum potestati resistit, eum ait Deo ipsi resistere. Si igitur qui mundo huic præsunt, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, iis diuina lex pietatis cultores tantopere voluit esse subiectos, & quod maius est, quorum vita tota tunc erat impietas: quàm magna tandem ei à pietatis cultore præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus præses sit, & imperandi potestatem à legibus illius acceperit? & quì defendi pòtest eum non Dei ordinationi resistere, qui antistiti resistat suo? præsertim cum apertissimè Apostolus iubeat omni in re parendum esse spiritualibus præpositis: *Obedite enim*, inquit, *præpositis vestris, & subiecti estote eis.* Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Quod si non expedit non perfectè obedire, sine controuersia, quod magis expedit, illud consectari debemus. Nam mea quidem sententia, hoc, quod hìc dicitur, non expedire, magni cuiusdam detrimenti ac pœnitendi & quod ægrè admittat correctionem, significantiam habet. Imitanda est autem maximè sanctorum obedientia, quam erga Deum illi adhibuerunt: si tamen proposito nobis eorum exemplo, eam fortasse ritè poterimus explere. Neque vero existimet quisquam, me causa firmandæ erga antistites obedientiæ, elatiora quædam exempla proferre, eique quod Deo debetur, officio, arroganter obedientiam aduersus homines audere conferre. Neque enim ad hanc similitudinem inducendam mea sponte, sed diuinis literis inductus accessi. Animaduerte enim quid in euangelijs Dominus dicat, cum de obedientia aduersum seruos suos adhibenda legem sanciret: *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit.* Et item alio in loco: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Quod Apostolis dixit, intelligendus est in commune legem sanxisse in posteros qui aliorum futuri erant moderatores, id ex multis, iisdemque certissimis diuinarum literarum testimoniis, manifestissimisque argumentis probari potest. Ex quo quidem patet, nos, quando diximus tenendæ à nobis erga antistites nostros obedientiæ adhibitam à sanctis viris erga Deum obedientiam, exemplar nobis oportere proponere, diuinis oraculis conuenienter fuisse locutos. Quomodo igitur, inquit aliquis, veteres sancti viri animi sui alacritatem in exequendis Dei iussis declararunt? Considera mihi Abraham, qui iubetur relinquere domum, patriam, supellectilem domesticam, possessiones, cognatos, amicos, & omnia quæ contraria his sunt consectari, peregrinationem, obscuritatem nominis, viæ eatenus incompertæ errores, paupertatem, metus, pericula, & quæ peregrinos incommoda, atque extorres comitari solent, omnia persequi: & nihilominus tamen videbis eum sublata omni cunctatione, dicto esse audientem, domesticam rerum suarum quietem, prosperitatemque relinquentem, & pro his in alienis terris ærumnas, erroresque susciptentem. Vides perfectissimum pietatis cultorem, & Dei causa felicia mundi omnia contemnentem? sed pergamus ad reliqua. Venit ille quidem in Palæstinam locum sibi à Deo ad incolendum commonstratum. Porrò cum victus inopia regio illa fuisset oppressa, inde in Ægyptum digreditur, & emigrat, ibique adempta sibi vxore, non hinc redditur animo deiectior neque dequeritur, aut Dei consilia incusat, vt qui officij sui tales ab eo fructus referret: quin potius æquo animo iniuriam etiam hanc iniuriarum omnium longè grauissimam tulit non semel, sed iterum etiam sibi à Gerarorum rege videlicet illatam. Qui enim semel in eo animum obfirmauerat suum, vt obediret Deo, nihil iam amplius illud spectabat, quid de se disponeret Deus, sed totus in eo erat cogitatione defixus, quomodo videlicet perfectissimam, atque omni ex parte absolutissimam illi obedientiam præstaret: ac propter hoc etiam postremo filium

Rom. 13.

Arg. à minori.

Hebr. 13.

Matt. 10. Luc. 10.

ἐξ ἀναμφιλέκτων μαρτυριῶν

Gen. 12.

Παράδειγμα.

Gen. 20.

inuenit

Ἐρημία. inuenit Isaac diuturni sui voti, diuturnæque fidei præmium ac donum. Verum hunc ipsum cum iam ætatis flori propinquum videret, eiusmodique qui parentibus suis secuturæ prolis, futuræque deinceps posteritatis stabilimenti spem bonam afferret, eo ipso tempore illum post tot spes iubetur à Deo in præaltum montem educere, ipsique à quo illum acceperat, immolare. Porro ille durissima hac voce accepta, *munereque horrore plenissimo, eiusmodique, vt tantummodo auditum, nedum, imperatum, ipsam posset naturam prosternere, hæc omnia vt moderatè tulit, vt mente nihil est consternatus, vt non concidit animo, sed perinde vt si agnum esset aliquem mactaturus, sic leni, tranquilloque animo, sublato obedientiæ iugo ibat vnà cum filio, quod iussus erat expleturus: nihil neque in hoc curiosè iudicium Dei peruestigans, aut secum dequerens: sed tota in officij sui conseruatione, mente defixa, ne videlicet vlla in re obedientiam minueret suam, luculentam hoc modo coronam reportauit: nempe qui cunctis deinceps mortalibus fidei, obedientiæque veluti columna quædam erectus sit. Poteram autem reliquorum etiam sanctorum virorum, quorum in veteri historia nobilitata mentio est, obedientiam commemorare, vnde huius virtutis citra controuersiam absolutissimæ exemplis erudirentur pietatis cultores: tamen ne longum faciamus, omnibus, quibus modo ea discendi voluntas est, ad ea quæ in sacris literis feruntur, audienda dimissis, ipsi ad saluatoris nostri discipulos sermonem conuertemus, ostendentes quomodo illi dicto audientes erant quomodoque se imperio subijciebant. Dixit eis Iesus, cum rudes adhuc in eius disciplina essent, ac tantum non iam iam regnaturum illum putarent, & in ea spe essent, se nullis laboribus aditis, nullisq; periculis susceptis, ac se nullis molestiis exãtlatis, Christi regni consortes futuros, atque in regalis gloriæ, cultus, honorisque societatem venturos. Hocque & Petrus ipse declarat, in ea increpatione, qua vsus est aduersus Iesum, cum de futura sua passione ille dissereret: *Assumens enim eum Petrus*, inquit, *cœpit increpare illum, dicens, Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, his verbis ostendens omnem omnino segregatum à se habuisse cuiusuis mali expectationem. declarãt etiam filij Zebedæi, qui interpellaturam pro ipsis ad Dominum matrem adduxerint, vt sessionis hinc inde ab dextra, læuaq; honore afficerentur. Etenim nisi paulo post regnaturum illum existimassent, neutiquã vnquam hoc ausi essent postulare: quippe cum sessionem à dextris Patris in cœlo, Saluatoris esse intelligerent. Quid igitur hęc expectantibus illis & sperantibus dixit? *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Porrò illi re audita spei suæ summè contraria, nequaquam dixerunt, Alia adducti spe ad te accesseramus, & tu contraria nobis atque sperauimus, imperas? Nos requietem sperauimus, & tu nos in pericula protrudis: honores nobis proposuimus, & tu ex transuerso ignominias ingeris: regnum expectaueramus, & tu vt exagitemur, & omnium serui simus, iubes. Horum nihil omnino dixerunt, licet his, quæ memorauimus, plura & grauiora etiam audissent, veluti illud, *Tradent vos in tribulationes, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et ad præsides & reges ducemini propter me.* His igitur illi omnibus auditis, submissa mentis ceruice, obedientiæ iugum subierunt, alacrique animo in pericula, in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processere: tantaque hæc alacritate sustinebant, vt magnificè lætitia efferrentur, cum digni habiti sunt, qui pro Christi nomine illa paterentur. *Gaudebant enim*, inquit, *quòd digni habiti sunt pro nomine ipsius contumeliam pati.* Hanc obedientiam is qui secundum Deum verè est monachus, antistiti suo præstet, oportet. Siquidem, vt iam diximus, discipulos Christus in hoc elegit qui hoc vitæ institutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem secuturæ posteritati. Nihil est enim aliud antistes, qui modo diligenter munus exequatur, cui præpositus sit, pietatem videlicet, quàm is qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & homines, eorum, qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo. Atque hoc à Christo ipso docemur dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se constituit, *Petre enim*, inquit, *amas me plus his? pasce oues meas*, &

Gen. 22. Gen. 22. * φοβερὰν λειτουργίαν. Matt. 16. Matt. 20. Matt. 10. Matt. 24. Matt. 10. Act. 5. Monachi quod esse debeat. Ioan. 21.

omnibus deinceps pastoribus, ac magistris eandem tribuit potestatem. Cuius quidem rei signum est, quòd omnes similiter atque ille & ligent, & soluant. Quemadmodum igitur pastori suo oues obtemperant, & viam, quamcumque ille vult, ingrediuntur: sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes, quandò liberi sunt à peccato: contraque, ea summa animi alacritate, summoque studio conficere. Quemadmodum enim faber ædificatorve singulis artis instrumentis pro arbitrio vtitur suo, neque vnquam vllum inuentum est instrumentum, quod ad quemcumque ille vsum voluisset, non se facilè tractandum præbuerit, ac moderatoris manui cesserit: item quoque conuenit verum pietatis cultorem, perinde vt instrumentum quoddam vtile opifici ad complendam spiritualem fabricam, omnibus in rebus parêre, in quibus vt operam suam nauet, rectum esse antistes iudicarit, ne si id facere recusauerit, impedimento sit, quominus spirituale opus compleatur. Et vt instrumentum non sibiipsi deligit, quod facto vsus sit ad artem iuuandam: eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit ipsum esse, qui sibi iudicio suo opus deligat, sed gubernationem sui, artificis prudentiæ debet, consilioque concedere. Nouit enim, qui modo intelligens moderator est, vniuscuiusque mores & affectus, & animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam in singulis remedium adhibere. Quocirca nullo modo est eius statutis aduersandum; sed illud firmissimum tenendum, rem omnium esse difficillimam seipsum cognoscere, & curare, propterea quòd naturaliter seipsum quisque amat, & quilibet propterea quòd in seipsos propensi sunt, in veritatis iudicio fallantur. Porrò ab alio cognosci, curarique facilè est: cum iis qui cæteros iudicant, ad discernendam veritatem nequaquam obstet amor sui ipsorum. Stante enim in fratrum societate concordi hac consensione, facilè & pax inter ipsos versabitur, & salus vnà cum charitate & concordia omnium conseruabitur, ac * perficietur legitimè.

Arg. à simile. Altera ὁμοίωσις. Tertium simile. Γνώμη. * κατορθωθήσεται.

Quod viliora etiam munia siue opera magna cum animi alacritate conjectari monachum debet.

Caput xxiv.

Atque etiam intelligendum illud est, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum studio, magnaque cum animi alacritate suscipere, scientem nihil minutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande & spirituale, & eiusmodi, quod cœlum nobis, & præmia cœlestia conciliat. Quamobrem licet communibus vtilitatibus inseruientia sarcinaria sequi iumenta oporteat, recusare tamen non debet. Siquidem venire in mentem Apostolorum debet, quàm alacriter illi Domino paruerunt, quando ipsis mandauit, vt ad se pullum adducerent: cogitareque & illos quoque quorum causa iumentorum curam suscipiat, fratres Domini esse, & tributam ipsis beneuolentiam, studiumque in ipsum Saluatorem redundare, qui dixit, *Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quòd si sua facit, quæ minimorum sunt, sine dubio multo magis, quæ electorum sunt, ea sibi vendicabit, modo ne officium causam ad licentiam existimet. Quin summa potius animi attentione munire seipsum debet, vt cum sibi, tum cæteris, in quoscumque eum casus detulerit, pariat vtilitatem. Porrò si de muneribus iis, quæ abiectiora sint, aliquid exercendum sit, scire conuenit Saluatorem quoque ipsum discipulis ministrasse, & abiectiora opera facere non recusasse: magnumque homini esse, si Dei imitator existat, cum per hæc, quæ humilia sunt, ad altitudinem illam quòd illum est imitatus, ascendat, quanquam quis iam humile ausit quippiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusauit?

Matt. 25. Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19. ἀφορμὴν ἀδιαφορίας.

Quòd

Quòd honores siue vllam præter cæteros prærogatiuam appetere monachus non debet.

CAPVT XXV.

Γνώμη ex collatione κατ' ἐναν-θάωσιν.

PRorsus autem ab omni ambitione alienum habere animum monachus debet. Nam si in hac vita laboribus, ac rectè factis suis esse præmium vult, misera profectò illius mercedis conditio est, qui pro æternarum rerum iactura, caducas paciscatur. Si verò secum decreuit velle se in hac vita agones laborum perferre, & eorum mercedem in cœlo recipere, non modo honores vltro ipse consectari non debet, sed ne oblatos quidem admittere, potiusque recusare atque reijcere, ne consequentis vitæ gloriam, præ-

Γνώμη ex collatione. sentis honor imminuat. Quandoquidem præsens vita vniuersa laborum est atque certaminum: contráque futura in præmijs, compensationibusque posita est. Quemadmodum magnus Paulus de hac vita in aliam proximè

2. Tim. 4. migraturus, ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus non hîc, sed in illa die iustus iudex.* Et

Ioan. 16. item Saluator: *In mundo hoc pressuram habebitis.* Et rursum

Act. 14. idem Apostolus, *Per multas tribulationes oportet vos introire in regnum cœlorum.* Proinde si habes in animo in futurum regnare, hic noli ocium, noli honorem consectari. Sed licet in præsentia pro vera tuenda doctrina, nimirum veritatis aduersa multa patiare, intellige te in posterum regnaturum: nam susceptis hîc pro tenenda honestate calamitatibus hæc constituta est merces. Alienus autem ab incommodorum vitæ huius conflictatione, cœlestes nolito coronas sperare, quando hîc eos, quibus eæ constitutæ sunt, neque labores præmittis, neque certamina. Caueat igitur omni ratione pietatis cultor, ne honores consectetur,

Luc. 14. cætetisve se præponi velit. *Omnis enim qui seipsum exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Si semetipsum pietatis cultor in altum extulerit, habet qui grauiter ac potenter illum affligat, & ad inferos vsque possit deprimere. Sin contra seipsum humiliauerit, splendidissimè magnificentissimèque extolletur: quippe cum Deus (quæ ipsius potentia est) humiliantem se in altum extollat. Expectato igitur rectè extollentem ô Monache, neque ad res vitæ huius cogitationem velis abiicere. Athleta enim es, & operarius

Metaphora Christi: pactus es cum eo, totam te diem certaturum, & diei totius æstum perlaturum. Quid igitur diei opere nondum completo, requiem consectaris? Vesperam, vitæ huius finem operire, vt cum Paterfamiliâs venerit, mercedem

Matt. 20. tibi denumeret. *Vespere enim facto dixit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem:* non meridie, aut initio postquam statim illos conduxerat. Operire igitur finem vitæ, & tunc reuersus mercedem auferto. Interim autem in postremo loco acquiesce, vt tunc primum adipiscare.

*περὶ ἀτυφίας καὶ ἁπλότητος.

De modestia ac simplicitate in cibis retinenda.*

CAPVT XXVI.

IAm ciborum diuersitatem nullo modo consectari monachus debet: neque prætextu videlicet continentiæ ab solitis in communi vsurpari escis discedere. Siquidem hoc communis disciplinę peruersio, & scandalorum occasio est: & væ illi, qui in pietatis cultorum conuentum huiusce modi causas perturbationis attulerit. Sed licet vsitatum hoc

* προσ-ψίματαρι χευτὸν. *salsamentum, quod iure incoctum veteribus sanctis patribus, pulmentis loco alterius cuiusdam condimenti addi placuit, commistum sit cum reliquo ferculo, aquæ, oleumve, neutiquam per simulationem ab se inuentæ suæ vanæque cuiusdam religionis reiicere debet, illud quasi qui carnes repudiet & fercula alia meliora, & precij maioris inquirere: sed in minimi salitæ carnis frusti decocto, bucceam reiecta omni obseruatione intingere, & cum omni gratiarum actione assumere. Siquidem minutissimum frustulum illud in tam magnam aquæ copiam, aut leguminum (si ita fors ferat) coniectum, nequaquam indicium cupediæ est, sed seueriſſima, & verè duriſſima pietatis cultorum continentia. Quæ igitur huiusmodi sunt, hæc religionis cultor obseruando captare non debet. Neque enim ab his propterea nos abstinemus, quòd Iudæorum ritibus faueamus, sed vt deliciarum saturitatem fugiamus.

Γνώμη hanc legunt Lutherani.

Quòd ad perfectionem spectanti proditio in publicum nihil poterit obesse.

CAP. XXVII.

SI vero proditiones in publicum, aut suscepta propter necessarios, & communes fratrum vsus itinera impedimento sibi esse ad pietatis cultum monachus dicat, ac propterea foras exire recuset, nondum ille absolutæ obedientiæ cognitionem est assecutus, neque dum animaduertit ad huiusce officij perfectionem istiusmodi molliciis nequaquam solere peruenirí. Intueatur proinde in exempla sanctorum virorum, consideretque, quomodo virtutem hanc perfectissimè illi coluerunt, qui imperatis sibi rebus ad conficiendum adeo difficilibus imperium ne vel tantillum quidem vnquam recusarunt, reluctative contrà sunt, & illorum exemplo eruditus obediétiæ perfectionem condiscat. Si autem sit aliquis, qui etiam reuera hoc sibi sentiat nocere, is reliquos omnes fratres roget, vt pro se supplicét Deo, nec minùs ab eodem Deo certissima * cum spe ipse etiam facultatem petat, per quam cum in officiis spiritualibus, tum etiam in corporis muneribus rectè administrandis actuosum, commodumq; instrumẽtum sit. Et sine dubio qui bona exquirentium alacri & expromptæ voluntati aspirat beneuolus, eam largietur, quum ad petendum ipse hortatus sit, ac dixerit, *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Itemque alio in loco: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus * affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem cum fide, nihil hæsitans.* Ac in omnibus denique rebus, vbi mens in perfecta obedientia vacillat, aut animi promptitudinem Satanas impedit, hebetando, retardandove, remedium hoc adhibeamus, vt Deo supplicemus, petamusque, vt rectè agendi nobis facilitatem velit largiri, & vt carnes nostræ configantur timore Dei, vtque assiduè apud seipsum animus noster sit, necubi euarians neque corporis cupiditatibus, voluptatibusve vsquam capiatur. Siquidem non aliunde, quàm ex animi distractione mundanæ cupiditates in nobis nascuntur: à quibus cùm variis postea tumultibus vexata mens nostra fuerit, segniores ad capessenda recta officia reddimur. Quæ cum ita sint, nemo in adiuuandis communibus aliorum corporis necessitatibus, operam denegare suam debet, quin suppliciter potius petendum est à Deo, vt facultatem adiuuandi cæteros ab ipso promereamur accipere. Si enim priorum exemplo munus hoc omnes detrectarint, quis fuerit tandem, qui necessariis officiis satisfaciat? Quin operæpretium fuerit, hoc te exẽplo etiam quopiam doceri. Nam qui modo in ordinem aliquem adscriptus est miles, neutiquam is operam dat, vt reliquos, qui eo in ordine sunt, ad consuetudinem suam traducat: sed ipse se contra ad ordinis disciplinam ac morem accommodat. Quamobrem conuenit etiam, vt qui in spiritualem societatem adlectus sit, nequaquam illos ad morem suum velit detorquere: sed contrà ipse morem suum debet aliorum fratrum moribus, institutisque conformare.

* μετ' ἐλπίδος ἀνενδοιάστου. Δόγμα memorabile. Matt. 7. Iac. 1. ἁπλῶς. Δόγμα memorabile. Psal. 118. E distractione mentis, cupiditates. Confirmat τῇ ὁμοιότητι.

Quòd prima authoritate nihil negotiorum exercere debet monachus.

CAP. XXVIII.

POteſtatem vero suiipsius ne ad punctum quidem temporis habere monachus debet, per quam in priuatis ipse negotiis suis versetur. Quemadmodum enim absente artifice instrumentum sua sponte ipsum non moueretur, neque membrum vel ad breuissimum tempus ab aliquo corpore separari, mouerive posset, sine eius, qui intus est opificis, ac totius corporis moderatoris voluntate: similiter quoque

Δόγμα. Simile.

quoque neque religionis obseruandi aliquid agere, exequive sine antistitis sui sententia licet. Quòd si causam afferat, ac dicat, se præ imbecillitate corporis exequendis imperatis parem esse non posse, infirmitatem suam antistiti iudicandam permittet, secumque reputans illud scripturæ, seipsum ad ea quæ sibi imperata sint exequenda adhortabitur, cum ab ea dici audiat: *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes*. Et item alibi: *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite.*

Heb. 12. Ibidem.

Quod antistitem conueniat, adhibita paterna beneuolentia, eorum qui in ipsius potestate sint, res administrare.

* πνευματικῆ εὐνοίᾳ.

Caput xxix.

POrrò ipse etiam antistes reliquorum fratrum, veluti charissimorum filiorum pater curam suscipiens, diligenter quid eorum singulis opus sit, considerabit: & quæ conuenire visa fuerint remedia, curationesque, quantum poterit, adhibebit: & quod reuera membrum siue animo, siue corpore infirmum fuerit, adhibita charitate, beneuolentiaque paterna sustentauit.

Quod nequaquam permittendum sit, vt in conuentu virorum religiosorum, duorum triumue fratrum seorsum sodalitas conspiret.

Caput xxx.

AC charitatem quidem habere inter se mutuam fratres debent, non ita tamen vt duo, tresve seorsum à cæteris sodalitatem inter se coëant, quandoquidem hoc non charitas est, sed seditio & diuisio: & eorum, qui sic coëunt, improbitatis iudicium. Si enim communis decus disciplinæ charum haberent, qui tales sunt, sine dubio communem, æqualemque aduersus omnes charitatem tenerent. Si vero ipsi à reliquis sua sponte abscissi disiunctique in cœtu cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est, & diuersam quandam à communibus institutis rem esse oportet, quæ hos inter ipsos conciliet: atque hoc profecto nihil est aliud, quam contra veterem disciplinæ stabilitatem, constantiamque innouatio. Quocirca danda studiosè opera est, ne vllus omnino in conuentibus, sodalitatibus istiusmodi locus detur, neve violata charitatis obseruatione societatem quis cum fratre aliquo iungat, qui improbe agere, & communis disciplinæ iura velit peruertere: enitendumque, vt quamdiu quidem in officio omnes permaneant, æqualis vnicuiq; erga omnes communitas sit atque coniunctio. Quod si firmatam quis iam vetustate disciplinam labefactare in animo habeat, ac alios etiam de fratribus secum comites trahat, hic primo quidem ab eo, qui sanus sit, secreto * admoneri tanquam parum sanus debet. Sin arcano curari noluerit, adhibendi de fratribus erunt etiam, qui cæteris intelligentia videantur præstare: quemadmodum est in sacrosancto Euangelio: *Si autem te non audierit, adhibe tecum etiam vnum vel duos.* Quod si ne ipsis quidem auscultauerit, tum demum ad antistitem ipsum animi ipsius morbum deferre oportebit. Si vero ne antistitem quidem audire voluerit, perinde vt gentilis & publicanus habendus est, & vt ouis pestilentia contacta ab reliquo ouili segregandus, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat. Si vero nullus sit omnino qui exempli peruersitate deterior fiat, tunc tantummodo lenitas aduersus ipsum locum habebit, spe videlicet ipsum se aliquando ad meliorem frugem recepturum: lenitas autem ex ea parte, vt ne præcidatur, non autem vt ab admonitionibus, legitimisque multarum impositionibus desistatur.

τὸ κοινὸν εὐταξίας.

*ἐν ἀπαρρήσῳ νουθετεῖσθαι. Matt. 18.

Simile.

Quod vestimentorum calceamentorumve delectionem consectari pietatis cultor non debet.

Cap. xxxi.

IAm de vestimentis calceamentisve non ea exquirenda nobis sunt, quæ sunt elegantiora, sed quæ viliora, ea deligenda, vt in hac re etiam animi nostri humilitatem significemus, neque opinionem nimis elegantium, aut nosmetipsos amantium, & à fraterna charitate obhorrentium incurramus. quando is satis se à charitate, humilitateque disiunctum declarat, qui primas desiderat.

Quòd debet antistes ad vires corporis cuiusque ea accommodare quæ imperet munia: & de iis qui vires suas malicioſe celant.

Cap. xxxii.

ILlud autem obseruare antistes debet, ne imponendis grauioribus, quam quibus sustinendis pares fratrum corporis vires sint, imperatis, eos, qui ea ferre non possint, ad abiiciendam obedientiam per contradictionem instiget: sed perinde vt verus ac legitimus pater, æque in cunctos beneuolus, vires corporis cuiusque considerare, atque ita munera singulis imponere, ac distribuere sortito debet. Verumtamen grauissimè plectentur ij, qui quas à Deo datas sibi corporis vires habent, malicioſe celant, & aduersum antistites petulanti impudentia se gerunt, & illius iussis non obtemperant. Si enim magnum antistiti atque intolerabile periculum creat, occultum tenuisse talentum doctrinæ, ac non vnicuique ante imminentem peccato frameam indicasse, sine dubio maius periculum incurrit is, qui datas sibi à Deo ad communem reliquorum vtilitatem corporis vires ociosas tenet, occultatque.

Argum. à minori.

Quod neutiquam molestè ferre fratres debent, quandocumque mitius agi cum imbecillioribus videant.

Caput xxxiii.

VErum enimuero neque molestè ferre, neque indignari fratres debent, quandocunque iis, qui imbecilliores sint, antistes accommodata illorum viribus ministeria assignet, & indulgentius cum his agendum censeat, ita videlicet vsu postulante. Quinimo qui valentiores sunt, ij imbecillioribus indulgere, & hoc modo spiritualem complere charitatem debent. Si quidem animaduertimus in corpore neque à manu dissidere pedem, neque manum pedem ipsum ad transigendas partes suas conari traducere, neque vniuersam item manum digito minimo suum onus imponere: sed de membris vnumquodque delatam sibi sortito à natura vim exercere, & quæ imbecilliora sunt, sustentare. Hæc disciplina si in spirituali conuentu seruetur, nimirum illud declarabit nos vere Christi corpus esse, & membra ex parte, nempe qui aptam inter nos coniunctionem, & vacuam omni dissidio concordiam continenter seruemus.

γνώμη. *Confirmatio à simili.*

Quod nequaquam debent, qui conuentibus præsunt, iis qui à conuentu suo defecerint, monachis libere agendi quiduis potestatem impartiri, aut hos in vitæ communionem admittere.

Caput xxxiv.

OPortet autem, vt & qui regendis spiritualibus conuentibus præsunt, ij cum mutuam inter se charitatem ac beneuolentiam exerceant, mutuoque alter alterius prouidam solicitudinem ad se existiment pertinere: ea nequaquam euertant, quæ facere alter studeat: neque temere, inconsideranterve descisentes vicissim alij aliorum fratres suscipiant. Siquidem hoc facere summa confusio est, dissolutio, atque peruersio spiritualis opificij. Etenim de fratribus quidē, qui cordatiores sunt, ij cum Dei timore teneantur, in officio perfistunt: qui verò lentiores sunt, ac magis per ignauiam dissoluti, ij pudore hominum, & ea, quæ ex hominibus pendent, necessitate, veluti quodam pædagogo ad rectam viam diriguntur. Si igitur qui negligentior sit, licere sibi animaduerterit impune probatæ sibi semel fratrum societatis labores defugere, seseque inde ad aliud quoduis domicilium transferre, & solutiorem in eo, atque incontinentem vitam agere, facilè sese à suorum cœtu abrumpet, & exitij illius causam sustinebit, qui ad suscipiendum eiusmodi se exhibuit æquo paratiorem. Atque etiam fit sæpenumero, vt contagio ista latius serpens, eos etiam,

Humanus timor ad bonū quāliscunque pædagogus.

Δόγμα. qui in recto itinere sunt, aberrare faciat, diductos à recta ac iusta via: & cunctorum exitij ille pœnas luet, à quo peccandi causa profecta fuerit. Quamobrem ne hoc eueniat, quoscunque ex fratribus à conuentibus suis desciuisse animaduerterimus, eos admoneamus, & vnde egressi sunt, eo reducamus: aut si nobis obtemperare noluerint, caueamus, ac

Sui ordinis desertores cur vitãdi.

auersemur, & eorum congressionem defugiamus, & fratribus omnibus, vt hoc idem seruent, denunciemus: quo videlicet vel ipsi illi, cum hoc modo auersos à se omnes videant, & resipiscant, & ad suum se gregem recipiant, atque ab eo, quem semel sortiti fuerint, pastore pascantur: vel si obstinati in spiritualis communitatis contemptione permanserint, reliqui saltem, qui viderint, quam inuisi omnibus & execrabiles facti sint, eorum exemplo commoti in officio perseuerent, & quorum cupiant infamiam effugere, fugiant imitationem. Quod autem mea hæc verborum commenta non sunt, potiusque certissimæ spiritus leges, ipsa Pauli verba apponam, quibus ille incontinenter vitam agentes castigat, atque inter cæteros ebriosos etiam & maledicos, pœnis

1 Cor. 5. esse obnoxios vult. *Si enim aliquis frater fuerit fornicator* (inquit) *aut maledicus, aut ebriosus, cum eo, qui eiusmodi sit, ne cibum quidem sumere.* Et item alio in loco, de iis qui nihil operabantur, sed

2 Thess 3. curiosè agebant, sic dicit: *Hunc notate, & ne commisceamini cum illo.* Quòd autem qui Spiritus sancti pactiones violat, is facinus longè maius faciat, quam aut maledici, aut ebriosi, aut

Hæc adesse Lutherani.

qui totam in ocio vitam conterant, nemo est, cui non perspicuum sit. Quocirca haud absurdè nos * ratio impellit, vt

* λόγος παρεγγυᾷ.

qui spiritualem disciplinam violant, illos ab eorum, qui ipsam conseruant, congressione secludamus, prohibeamusq;. Tunc autem tantummodo reprehensione vacare fratris segregatio debet, quando cumque ea antistitis iudicio occultæ alicuius, quam ipse sciat, vtilitatis causa fiat.

Quòd neutiquam debet qui in conuentu pietati operam det, eorum quæ coniuncta cum materia sunt, quicquam priuatim possidere.

Caput xxxv.

Proprietas cur monacho vitãda.

Debet autem pietatis cultor, qui eam, quam supra exposuimus, in vita communitatem amplexus sit, ab omni priuata rerum, quæ in materia consistunt, possessione liber esse. Etenim nisi hoc facit, primum quidem societatis exactam disciplinam priuata possessione corrumpit: tum ipse etiam magnopere de se indicio est, vt qui Deum perpetuo iis alimenta suppeditaturum diffidat, qui in nomine ipsius congregati sint, neque illud audiuerit, quod

Psal. 36. Panes intelligentiæ & corporis fulciendi. Argum. à minori. Confirmat τῷ παραδείγματι.

dicitur à Propheta, *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panes.* vel eos nimirum, qui intelligentia percipiuntur, prudentiæ scilicet, vel qui sensu, quibus corpus alitur. Nam si vbi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, ibi ipse in medio illorum est, multo certè verisimilius ibi idem esse credendus est, vbi multo copiosior ac frequentior hominum congregata multitudo sit. Aut igitur necessarium nihil nobis deerit, si Christus nobiscum affuerit, siquidem neque Israëlitis in vasta illa solitudine ipsorum vsui necessarium quicquam defuit: aut si etiam defuerit, ad probationem nostram, satius est inopia laborare, & cum Christo esse, quàm disiunctos ab eius societate in rerum vitæ huius omnium affluentia versari. Porro incommodum, quod ex istiusmodi possessione nascitur, nequaquam hic tantum resistit, sed vlterius etiam progreditur. Etenim qui proprium habere aliquid studet, is sine dubio nihil aliud, quàm disiunctionem, ac defectionem à cæteris meditatur. Nam cui hoc in animo non est, qui est tandem quod ipse possidere seorsum velit? cum id certum sciat Christi beneficio seruos ipsius in necessariarum rerum copia assiduè versari. Proinde perspicuum est, qui talis sit, eum de præcidenda, ac morte afficienda anima sua meditari, qui exiguis obolis salutem suam addicere ac prodere paratus sit, & (liceat mihi quæso per vos aliquantulum loqui audacter, quod sentio) alter Iudas efficiatur

Matth. 26.

nempe qui à furto exordiatur. (Furtum est enim priuata possessio) & in proditionem desinat: quando vt ille Dominum, sic iste etiam veritatis verbum prodit. Quando enim instituti nostri regula hoc habet, non licere nobis neque ab ea societate, ad quam aggregati sumus, disiungi, neque priuatam vllam pecuniam acquirere, neque denique clancularium quiduis moliri, aut eiusmodi, quod exempli peruersitate reliquorum fratrum saluti possit obesse, tum neglecto aliquis Dei timore, & legibus Spiritus sancti violatis societatem primum expilare (societatis enim expilatio est, rei cuiuscumque & vndecumque in priuatum vsum seuocatio) deinde defectionem etiam, ac separationem cogitauerit, qui defendi potest hunc non verbum veritatis prodidisse, & alterum Iudam factum esse? qui quantum in ipsa re sit, veritatem prodat? Quocirca omni modo fugiendum nobis est, ne priuatim omnino quicquam possideamus, præterea, quæ promiscuè omnibus simul comparantur, neque hac ratione solum integram ab omni labe mentem nostram conseruemus, sed internum etiam hominem ab omnibus sordibus expurgemus: nimirum impuris ac prauis primum cogitationibus, quæ interius spiritus domicilium sua intemperie exagitant & conturbant: idque contingit à dolo, simulatione, inuidentia, contentione, quæ vitia & charitatem radicitus euellunt, & Deum ex eorum animis, in quibus sunt, fugant. Si enim Dominus charitas est, sine dubio qui charitatem non habet, is diuina gratia caret. Dandaque nobis studiosè opera est, vt cum, pro se quisque animum nostrum omnes summè humilem, castumque, & ad optima quæque agenda paratissimum conseruemus, mentem ad res vitæ huius occludamus, illudque propositum nobis habeamus, ne qua in re dum in hac vita sumus, ab vlla Dei voluntate aberremus, ac proinde ab arrepto vitæ istius instituto nos ipsos auellamus. Siquidem huiusmodi animi status, præterquam quod omnem à nobis socordiæ & euagationis segetem eximet, perficiet etiam vt cum pio metu ac firmo animi proposito honesta officia omnia persequamur. Atque illud cum primis in animo defixum habeamus, Deum bonum esse, & bonorum omnium autorem, mali autem nullius, nullo modo: licet nos, ita postulante valetudinis nostræ vsu, acriores interdum medicinas deguste mus. Etenim Deus cum medicus sit humanorum animorum, pro natura morborum, medicamentorum etiam ad singulos ipsos appositam temperat vim, quæ, quando opus sit, intimum etiam penetrans vitium perpurgare queat. Proinde cum hoc ita se habere planissimè intelligamus, à gratiarum actione nunquam desistamus, esto dum à negligentiis aut malitiis nostris perpurgamur, acriorem aliquando medicinam experiamur. Illud autem, tentationis & probationis causa aliquid pati, rarorum admodum hominum est, & Abrahæ similium. Hæc itaque sunt, quæ Dei gratia mentis nostræ humilitati suggessit ad cohortationem vestram, qui communem hanc & socialem vitam estis amplexi: quo quidem genere, vt & ratio docuit, & nos mente peruidere potuimus, nullum neque splendidius, neque acceptius, neque sublimius reperiri apud homines potest. Verum enim quando iis quoque, qui in solitudine seorsum degunt, eam quam potuimus, cohortationem attulimus, vnumque atque idem vtrisque propositum est, nempe Christo placere: & quæ illis dantur præcepta, his affinia sunt, & illum quoque librum adeamus. Siquidem fortassis ex eo etiam vtile aliquid poterit assumi, quod traditam hic in communi cum cæteris viuendi rationem, magis etiamnum illustret, perpoliat & exornet.

Vt Iudam ad laqueũ, ita & monachũ protrudit proprietas. Matt. 27.

Compilatio siue defraudatio quid.

ἀβραμιαίων.

LVDOVICVS MIRÆVS
TYPOGRAPHICO PRÆLO
PRÆFECTVS
LECTORI.

HACTENVS *cucurrit B. P. Basilij* κανὼν *per Adamum Fumanum filo versionis Romana colonia donatus, idémq; solerti & sedula collatione ad fidem expolitissimi exemplaris Græci synceriori lectioni restitutus per Godefridum Tilmannum Carthusiæ Parisiensis monachum, cuius item opera versas habes proximas duas Epistolas, sed pro locorum commoditate* παραφραστικῶς, *quo explicatior exiret ad manus studiosorum Basilius. Admodum enim incommodè versa erat prima ad Chilonem Raphaëli Volaterrano, viro alioqui non indocto: dein vni & alteri non satis integrè fuerat tralata per odium impotens, quo isti Zuingliani excussa cuculla infensè oderunt monasticen iuxta ac anachoreticen, canes (vt ingenuè dicam) impudentissimi & ad vomitum Ægyptiarum carnium desiderio reuersi.*

B. PATRIS
BASILII MAGNI
EPISTOLA AD CHILONEM
DISCIPVLVM ANACHORETEN
EX MONACHO,
GODEFRIDO TILMANNO interprete.

SI quæ ex arrepti istius propositi officio obeunda tibi, nec segniter explenda veniunt, meo consilio eruditus non illibenter amplectêre, frater in Christo amabilis, maximè omnium de quibus non importunus tu flagitator à me contendisti, consilium vt darem: nihil obscurè autor tibi fuero rei apprimè salutaris. Ecquâ tandem hæc? *Stadiũ pleriq; ingrediũtur, rarus metam attingit.* Quod primum se offert, nimirum hoc est plerosque multa cum animi generositate ausos aggredi Anachoreticæ vitæ institutum: verum qui abusque principio destinati curriculi pro dignitate ad metam vsque, labore indefesso nec dispari animi contentione susceptum semel agonem promouerint, hi demum in quàm rarissimo comperientur numero. Neque enim vt destinaris primum operis quidpiam adordiri, mox tui istius propositi censeris finem assecutus: quando totius abs te elaborati operis merces ab *Anachoresis quã monachismus sublimior.* ipso pendet fine. Nullum itaque sint relaturi insumptæ semel operæ pretium, qui non ad legitimum vsque finem eius, quem scopum sibi præstituerunt, nempe Anachoreticæ vitæ perfectionem studio propensiore festini contenderint, tantisper contenti istis monasticæ disciplinę rudimentis. quin & propositum illum suum deridiculis omnium sannis palàm traducendum exponunt, & perstringendum, quò fit, vt apud externæ ac secularis vitæ homines notam sibi per hoc inurant imbellis ignauiæ & præfractæ temeritatis nulla vnquam obliuione obliterandam: quandoquidem de huiusmodi pronuntiauit Dominus. Quis volens *Luc. 14.* domum ædificare, non prius sedens computat sumptus, si habeat ad perficiendum: ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, incipiant qui viam prętergrediuntur, illudere ei dicentes? Hic homo fundamentum posuit, & non potuit consummare. Quocirca necesse sit, vt in percurrendo vitæ istius singularis stadio, quod semel tanta cum alacritate ingressus es, alacriores quotidie tibi ipsi atque acriores addas aculeos, constantissimè hærens officio. Huc te suo inuitat exemplo Paulus inter luctæ spiritualis Athletas Agonistes longè eximius, qui cum acquiescere nollet tot alioqui officijs vitę retro actę, sed vlteriore & quotidiana virtutum accessione progredi, ad hunc *Phil. 3.* loquitur modum: Eorum quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ priora sunt me extendens ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis. Sane is genius, ea est humanæ istius vitę conditio, numquam contenta acceptis spe alitur continenti: & secura præteritorum inhiat futuris. Nam quid homini prodesse possit hesterna ingluuie diffarsisse ventrem, si quidem hodie nuspiam inueniat, quo se exatiet, edulium, quo soletur & expleat inolitam famem? Itidem & animæ quid commodare valeat tuæ hesternum exegisse diem in officio & actione virtutis: si tu hodie velut desertor ac refuga desciueris, teque auocaris ab opere iustitiæ? Qualem enim te inuenero, ait scriptura, talem te iudicabo. Quare labor omnis iusti fruſtraneus ac mercede cassus, cum è diuerso mores vitæ retro in peccatis actæ nulli iam culpæ obnoxij censentur, si modo permutatio vtriusque fiat: illo quidem ab eo quod præstiterat quotidianis exaugere incrementis, in id deflectente quod deterius est, hoc contrà, à flagitiosa improbitate ad meliorem se recipiente vitæ frugem. Hancce doctrinam ex oraculis Ezechielis depromptam liceat audire tanquam ex Domini persona decernentis. Ait enim: *Si declinauerit iustus & deliquerit, iam non memor ero iustificationum quas prius fecerat: sed in peccato suo morietur.* Nihil diuersum decernit de peccatore: Si conuersus fecerit iustitiam, vita viuet in ipso. Tot tantique aditi labores & cum omni longanimitate à Mose Dei famulo exaltanti quo abierunt, quando illius petitio qua enixè efflagitarat terram ingredi promissionis, per momentaneam contradictionem omni exceptione submota est & interuersa? Ipsi Giezi rursus quid per hoc accreuit emolumenti, quod domestico vsus sit Helisæi congressu, cùm ardor impotens quo exæstuabat, congerendæ pecuniæ lepram illi asciuit? Salomoni tandem quid attulit commodæ frugis exuberans adeo opulentia infusæ sapientiæ & quæ vixdum adolescenti cœlitus de Deo cognitio indulta est, quando is demum per mulierculæ quam ad insaniam vsque deperibat, illices complexus, ex cordatissimo adulescente, per ætatem in senium deuergentem vecors factus & in idololatriam prolapsus concidit. Quin ne ipsum quidem B. Dauid futilis quædam incogitantia sui siuit hinc emigrare omni ex parte irreprehensibilem, per illud in Vriam designatum piaculum. Et quidem Iudæ vnius exe-

βλαμβανόμενος, *lege,* βλαυθανόμενος. Γνώμη *memorabilis.* *Cõfirmatio à simili.* Δόγμα. *Ezech. 3.* ἐν αὐτῇ *videlicet* τῇ δικαιοσύνῃ. *Vtrunque confirmat* τῷ παραδείγματι. *Moses.* *4. Reg. 5.* *Giezi.* *Salomon.* *3. Reg. 11.* *Dauid.* *2. Reg. 11.*

Iudas ὁ προδότης. *Matt.27.*

cranda prolapsio, nempe à melioris vitæ rudimenris ad exitum sortis deterrimæ satis superque esse debuerat ad communiendos tuendosve Dei famulos in via institutæ rectitudinis. Hic namque Christo vbi diutius cohæsisset discipulus, inescatus tandem qualiscunque lucelli illecebra, & doctorem venui expositi, & per improbam eam negotiationem implicito sibi laqueo præfocauit gulam. Quare id tibi perspectum vt sit, velim frater ac persuasum, non eum qui bene cœpit, continuò debere decerni perfectum ex qualicunque delineatione pij operis: sed quisquis legitimo cursu stadium istius semel absoluit vitæ, hic Dei iudicio comprobatur. *Ne igitur dederis somnum oculis tuis, neque palpebris tuis dormitationē* frater, vt dorcadis in morem è reti liberere, vtque volucris è laqueo. Scito te ingredi inter medios, quibus vndique cingeris, laqueos: præcelsi quoque muri pinnis inhærescens ita obambulas, vt si illinc continget te ruere præcipitem, non qualiscunque ruina consequetur, sed perquam plena periculi. Ne igitur primo mox aditu oculis in sublime porrectis velis inscendere supercilioſum apicem religiosæ exercitationis, maximè omnium caue, ne tuo vnius consilio imprudenter innixus, tibi vni permittas plus æquo fiduciæ, nequando per rudem rerum inexperientiam è sublimi fastigio religionis quam ex professo percolendam accepisti, deturbere. Satius esse duxerim sensim te promouere. Falle voluptates, ab eis te per gradus auocans, illarumque singulatim exinaniens ac obliterans consuetudinem: vt ne confertim & velut agmine facto in te vnum ad vnam omnes irritatæ cooriantur turbulētamque accersant menti tuæ tentationum intemperiem, vnam aliquam earum illicium voluptatum prorsus si continget euincere te, mox aduersus alteram accingitor, aciemque instruito spiritualem: atque adeo non intempestiuam de singulis vitæ pristinæ illecebris consequere victoriam, voluptatis vtique nomen & si vnum est: quæ tamen ad eam explendam promouent, res non vnæ sunt. Primum itaque frater fac, aduersus omnigenam tentationem animū præmunias tuum, & obfirmes patientia. Cuiusmodi tandem tentationū generibus iis qui fidelis est, probari assolet? Nimirum per rerum vitæ istius detrimentosam nec simplicem iacturam, per delationes cuiusuis generis criminum aduersum te falso concinnatorum, per immorigeros & inobsequentes, per multiuariam obtrectationem persequutionemve. Per hæc & eiusmodi afflictionum tolerantiam, fidelis quisque probatur. Proin vide, sis taciturni silentij obseruans ac requietus, non linguæ ad quiduis effutiendum incontinentis & exertæ, ad lites & contentiones ne esto propensior, neu cupientior gloriæ istius momento euanescentis, cōcredita tibi arcana ne prodas vnquam aut euulges, magis vero promissæ semel fidei fac conserues integritatem, ne immodicus esto in sermone, ad discendum quam ad docendum prospice, semper vt sis paratior. Nihil anxie aut curiosius percontere de hominum seculi huius vita: nihil enim hic tibi emolumenti accreuerit. Ait si quidem Dauid: *vt non loquatur os meum opera hominum*. Quisquis enim non illibenter ea deblaterat quæ à peccatoribus designantur: is illicium voluptatum quæ quadantenus consopitæ erant, aduersum se reaccendit incentiua & instigat. Quin age potius, in iustorum vitam studio propensiore inquire: hinc enim internanciscì quiueris quod tuæ ipsius instituendæ vitæ non vulgariter prosit. Ostentator ne esto, neu vicos vago circumactu aut ædes alienas circumlustres: fuge eas verius ceu laqueos animarum. Esto, vnus aliquis per religiosæ vitæ tuæ sanam opinionem te inuitet, suis vt succedas ædibus, idque iustis de causis: tuæ tamen partes erunt, is vt doceatur fidem consectari Centurionis, qui Dominum Iesum sanitatis puero exhibendæ gratia ad se vltro properantem recusauit dicens: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum * dic verbum, & sanabitur puer meus*, Iesus autem cum dixisset ei: *Vade, sicut crededisti, fiat tibi, sanatus est puer ex illa hora*. Nolim igitur frater te clam esse hoc, fidem scilicet petentis verius quàm aduentum Christi exemisse morbo ægrotantem, vel nunc idem quoque esse tibi persuadeto. Quocunque enim in loco constitutus preces pro quopiam fuderis, si modo nihil dubia fide credat ægrotus adiutum se iri precibus tuis: pro voto animique sententia cuncta succedent. Ad hęc, domesticè & familiariter tibi notos, ne quàm ipsum Dominum complectare amantius. Ait enim: *Qui diligit patrem aut matrem, aut fratres plusquam me, non est me dignus*. Quid porrò sibi vult illud Domini mandatum. Si quis non tollit crucem suam, & sequitur me: non potest meus esse discipulus? Nimirum quia si cum Christo vnà mortuus es istis tuis secundum carnem cognatis, quid tantopere illorum familiarem affectas congressum? Si quæ in Christi gratiam demolitus es, eadem in pristinum gradum restituis ac reædificas, dubio procul ipse te voti transgressorem constituis. Ne igitur ob quantamlibet affinium necessitatem, quoquam è loco desciueris. Loci enim tui semel desertor factus, idem & ab arrepto vitæ instituto forsan secedes transfuga. Quod populari † cingeris turba, ne tibi applauseris. Lustrandarum regionum, ciuitatumque adeundarum à te studium submoueto: quin solitudini potius tuendæ sedulam imparti curam, tibiipsi perpetuo constans nulla sinas mentis tuæ tenorem, rerum labentium imagine distrahi. Orationem & psalmodiam in locum habe non mediocris quæstus. Crebram lectitationem noui præsertim testamenti ne leui ex causa transmiseris: quod ex veteris lectione identidem nec pauci noxiam contraxerunt, non quia scripturæ illæ vlla ex parte noxiæ sint, quando id contingit per infirmam eorum qui noxam contrahunt, mentem. Panis enim suapte natura comparatus est nutricando corpori, tametsi noxam adfert infirmo: Itidem scriptura omnis diuinitus inspirata, non mediocrem ex se vsum conciliat attento lectori, nihil suopte genio habens admistę impuritatis aut commune: nisi si quis ipse prophanus illam nullo suo merito prophanam communemve censuerit, illi communis esto. Ipse porro omnia vt probes, velim: quod bonum esse comprobaris id demum mordicus tuetor ac retineto. Abstineto ab omni specie mala. Omnia quidem licent, non item peræque expediunt omnia. Dabis proinde operam haud segnem, ne cui sis offendiculo eorum, quibuscum intercedit tibi familiaris congressus: magis ipse in hoc incumbito, omnibus vt sis perquam gratiosus, fraterni sodalitij amator syncerus, suauiloquus, nulli non insinuans animi tui modestiam. Caueto, necubi per profusam & luculentiorem impensam eduliorum à moderatæ hospitalitatis aberres scopo & excidas: quin contentus præsentibus quæ satis sint tuendæ isti quotidianæ necessitati tuæ solitudinis, nequid præterea ab vllo mortalium acceperis. Aurum maximopere vt animę tuę blandissimum insidiatorem, vt parentem peccati, vt denique Diaboli administrum modis omnibus fugito. Prætextu subleuandæ pauperum inopiæ, prouideto nequà fias studio inexplebili congerendæ pecuniæ obnoxius: adeo vt si quis pecunias adferat in inopum vsum erogandas, ipse item certo cognoris aliquot fulciendæ vitæ præsidijs destitutos, atque indigos, is in cuius ære sunt pecuniæ fac consilio tuo secum eas vt auferat egenis fratribus erogaturus, nequà contingat, vt quum dispertiendas ipse acceperis, earum affrictu, conscientiæ tuæ nitor situm ducat auaritiæ & inquinetur. Esto voluptatum fugitans, dum continentiam assectaris. Corpus substerne laborum exercitio: animam tentationibus assuefacito æquanimiter tolerandis. Animæ è corporis domicilio emigrantis resolutionem simul ac tibi persuaseris defunctionem esse mali omnis, & veluti manumissionem, magno tum animo operitor repositam pijs æternorum bonorum fruitionem, cuius consortes effecti collætantur sancti omnes. Teipsum velut in librili quapiam appende, vt diabolicæ suggestioni ex opposito admoneas religiosam cogitationem quasi in trutina quapiam permittens eam vt arbitram momento lancis. idque potissimum tunc, quando improba quæpiam tibi obrepet cogitatio, quæ in arcano pectoris tui recessu insurret: Quid tibi frugis bonæ, ex istius loci vita agresti & solitaria? Quid proinde lucri additum iri speres animæ tuæ ex isthac anachoresi, qua à cæterorum mortalium secessisti consuetudine? Tene clam est Dei sanctione constitutos episcopos pro solenni ritu & consuetudine aduocare solere ad synodalem conuentum ecclesiarum Dei viros, citraque vllam semel instituti moris interruptionem spiritualium virorum cœtus celebrare, è quibus plurimum

spiritualis

Nō qui bene cœpit, statim perfectus. *Metaphoricæ paræneses.* *Psal.131.*

Aduersus tentationes patientia opus.

Psal.16.

Matt. 8. * εἰπὲ λόγῳ.

Matt.10. *Γνώμη.*

Γνώμη Apostolica. *1.Cor.6.*

Vitanda est auri sacra fames.

Ὑπόθεσις.

Attende quas aduersus solitaries concinnet diabolus imposturas.

spiritualis emolumenti deriuatur in eos ac promanat, quot-quot eo se conferunt? Illic enim prouerbialium ænigmatum sensa reuelante spiritu condiscuntur, Apostolicorum dogmatum illic resoluuntur nexus & enodantur, illic Euangelicæ sententiæ explicantur, theologica auscultatio aures vsque permeat & quatit audientium, illic spiritualium fratrum celebrantur congressus qui vel solo ipso conspectu se mutuiter contuentium dici vix queat, quantum in commune omnibus concilient spiritualis commodi. Tu contrà, vnus hic vltroneus te à tantis abalienasti commodis. Denique huic affixus loco desides nihilo differens ab imagine ferarum, & ipse efferatus. Nimirum perspicis, quanta hìc te detineat solitudo: quàm sis erga cęteros mortalium inhumanus, nihil obscurè agnoscis. quanta hìc labores penuria doctrinæ, quis te vno certius pronuntiet, qui te à reliquorum fratrum contubernio nihil coactus fecisti alienum? Spiritus proinde tuus circa diuini mandati expletionem, quàm lentescit? Quoties itaque istiusmodi, tantisque te adorietur argumentis in speciem rationi consentaneis improba cogitatio quærens te ex insidiis elidere: tu consiste ex aduerso & obluctare pia meditatione ac doctrice rerum experientia instructior: Quid enim? Tu si quando mihi promittis ea quæ in mundo sunt, bona esse: ego contra vel ob hoc in hanc commigraui solitudinem, vt qui me censerem bonorum mundi istius indignum fruitione. Sunt enim, sunt bonis mundi intermista & mala: magis vero quę mala sunt, longè exuperant bona. Contigit enim non ita pridem adire me spiritualem fratrum conuentum. Inter tam multos, vix tandem inter mutuos ac familiares congressus in vnum aliquem incidi, qui quidem in speciem credi poterat timere Dominum, à quo sancto Dei timore tantùm aberat, vt exitus docuerit sub diaboli iugo illum ipsum miseram seruire seruitutem. Sermones enim istius ore depromptos audiui, qui aliud nihil præ se ferrent quàm pompaticum quendam fastum, fabulas interserebat merè commentitias, iisque circumueniendis adornatas, quibuscum ipse congrederetur. In alios item nec paucos incidi, furto, rapinis, ac tyrannide insigniter facinorosos. Inibi loci contigit videre ebriosorum indecoros † gestus sanguinemque miserè oppressorum. Quin & mulieres se meis hisce oculis visendas offerebant, quarum præcellenti elegantia ac decore spectabili meæ tentaretur integritas pudicitiæ. Et quidem flagitium vitaui fornicationis: at munditiæ virginalis florem arcana cordis cogitatione defœdaui. Sermones fateor tam multos audiui, animæ cum primis salutares, atqui in nullo eorum qui sic disertè docerent, virtutem inueni quæ ex æquo & consentaneè responderet sermonibus. Rursus tragœdiarum dragmata præter etiam sexcenta hisce auribus hausi, quarum prolusores ipso mox ingressu in animos auditorum se insinuarent melicis ac præmollibus modis. Citharæ insuper modulamina perquàm suauiter resonantis, choreas ducentium plausus obstreperos, & ad eneruem molliciem compositos, vocem quoque scurrarum qui risum cierent spectatoribus. Audire licuit stultitiam multiuariam, scurrilem proin vrbanitatem, & turbæ nulli numerabilis perstrepentem clamorem. Ipse lachrymas spoliatorum vidi, afflictiones ac gemitus immani tyrannide oppressorum, eorum item suspirioso s eiulatus qui torturis admouerentur. Hæc equidem spectaui oculis, & ecce non iam istiusmodi miserabiles tragœdiæ promerebantur dici spiritualium * virorum conuentus, mare potius assonantibus vndique ventis perstrepens ac turbulentum, quod omnes iisdem fluctibus adoperire pari studio contenderet, & inuoluere. Dic tu mihi, ô improba cogitatio, tuq;, ô dæmon temporariæ istius voluptatis & momento euanescentis gloriæ incentor: ecquid tandem ad me regeretur aut resiliret emolumenti, hæc si contueri dabitur pariter & audire, quando nemini oppressorum præsidio esse possim aut patrocinari, non tueri, aut defendere impotentes, sed nec deerrantes à rectitudinis calle in viam reducere sinor? quin & periculum sit ne ipsef orsan sim pessum iturus. Quemadmodum enim exiguum quid limpidæ & illimis aquæ si quidem aspirantium ventorum fragrosis procellis exagitetur ac permiscеatur puluere, vtiq; addensata natiuam & illimem suam puritatem perdit: itidem & bona hæc quaA liacumque, quæ tantisper dum viuimus, exequi nos arbitramur, adobruūtur numerosa multitudine malorum. Tragœdiarum etenim miseranda spectacula haud secus ac * ligni cuiuspiam probè acuminati cuspides, per inanem lætitiam gaudiumque sic illorum affiguntur cordibus qui seculari istam couuersationem conlectantur: vt puritati psalmodiæ densissimam offundant caliginem. Spectandi siquidem producuntur eorum eiulatus comploratione dignissimi & lugubres querelæ, qui indignis & atrocibus iniuriis affecti sunt, idque à suismet contribulibus, vt vel sic omnibus palàm fiat incredibilis pauperum patientia. Quid isthinc igitur queam decerpere commodi? Nemo non videt, hæc animæ adeò nihil commodare posse, vt etiam plurimùm incommodent. Hac igitur ratione persuasus in hos montes quasi volitans passerculus emigraui. Passerculi etenim exemplo exemi me atque submoui longius à laqueo venantium. Si quidem in hac solitudine, si nescis, ô improba cogitatio, vitam hanc destinaui mihi transigendam, in qua Dominus meus præ me versatus est. Hic illa est quercus Mambre. Hic inuenire liceat scalam ad cœlum vsque animas recta subuehentem: hìc & castra Angelorum, quæ se Patriarchæ Iacob spectanda prębuere. Hæc ea est solitudo, in qua peculiaris Dei populus præuia expiatione colluſtratus, legem accipere promeruit, denique ad terram prouectus promissionis Deum contęplatus est. Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo. Hic sita est campestris planicies, in quam seorsim à cæteris quum se Esdras submouisset * libros Scripturæ diuinitus inspiratæ omnes ex Dei mandato ad communem omnium vsum eructauit & exprompsit. Hic sita eremus est, in qua B. Ioannes hæsitans locustas formulam pœnitentiæ hominibus perficiundæ sua prædicatione præscripsit & euulgauit. Hic item mons ille oliuarum ad quem Christus ex more secedebat oraturus, nosque orandi formulam edocturus. Hic documentum edidit Christus, quam deamaret solitudinem. Is enim ait: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hic angusta & arcta est via, quæ ducit ad vitam. Hic Doctores & Prophetæ in solitudinibus deerrantes, & montibus & speluncis & cauernis terræ. Hic Apostoli & Euangelistæ ac Monachorum ab vrbium aditu longissimè disparata conuersatio. Hæc itaque ex prompto nec illibenti animo complexus sum in hoc, vt quæ martyribus cæterisque in commune sanctis diuina promissione reposita sunt vel ipse tandem promerear accipere, quò nihil adumbratè, sed verissimè depromere illud posim: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Neque enim sum nescius Abrahamum Deo perquam gratiosum & vnice dilectum, diuinæ vocis oraculo se vt per omnia exhiberet morigerum atque obsecundantem, in solitudinem commigrasse: Isaac itidem quum vi opprimeretur se potentiorum. Sed & Iacob Patriarchen nemo nescit vitam egisse hospitis instar, quouis deerrantem & palabundam. Ioseph insuper singularis continentiæ exemplar nulli obscurum est per fratrum inuidiam distractum fuisse, & in exteram gentem diuenditum. Quis nesciat tres illos pueros merito abstinentiæ media in fornace cum igne colluctatos admirabilem sustinuisse agonem? Danielem semel & iterum iussum fuisse coniici in lacum leonum? Quid commemorem Esaiam præsentissima libertate linguæ veracis aduersus impios vsum, (vt qui arcanorum Dei conscius spectator erat) ob id etiam dissectum? Est quoque Israël in captiuitatem miserè abductus. Ioannes item (vt ne sis nescius) quòd liberrima increpatione nihil dubitarit impium Herodem coarguere flagitiosissimi adulterij, capitis præcisione deminutus est. Christi martyres atroci quidem, sed glorioſa morte perfunctos non te clam est. Quid porrò attinet istis abundè suppetentibus immorari? Quandoquidem vel ipse Christus nostræ omnium salutis assertor nostri causa attolli in crucem & suffigi non dubitauit, quò nos sua morte reuocaret ad vitam omnesque in commune suo ipse exerceret, imò attraheret exemplo ad longanimem malorum tolerantiam. Ad hunc sanè nihil inuitus contendo, ad patrem quoque & Spiritum sanctum: quin ipse pro virili adnitor vt legitimi agonis decertator olim promerear inueniri, nihil veritus me pronun-

Formula elidendæ tentationis.

† ἄτακτον σχῆμα.

* παντὸς πνευματικοῦ

Simile.

* Σκόλοψ, ξύλον ὀξύμον. *Hesychius.*

Gen. 18. *Gen. 28.* *Gen. 32.* *Exod. 31.* *3 Reg. 18.* * πάρας βίβλους ἐξηρύξατο

Matt. 18.

Psal. 16.

tiare indignum qui mundi istius perfruar bonis, etiamsi ne ego quidem mundi istius causa conditus sim, magis verò in mei gratiam totam hanc mundi fabricam condidit Deus. Hæc igitur in arcano pectoris tui recessu recondens ac supputans, eaque studio propensiore perficiens iuxta præscriptam tibi à me formulam, ad mortem vsque pro veritate tuenda legitimum sustine agonem. Fuit etenim *Christus obediens vsque ad mortem*. Quin & Apostolus ait: *Videte ne fortè sit in aliquo vestrum cor prauum discedendi à Deo viuo: sed vos inuicem adhortamini, & alius alium ædificet, donec* * *Hodie dicitur*. Sanè istud hodie in solidum significat nostræ istius totius vitæ temporale curriculum. Ad hunc igitur modum si vitam instituerís tuam, dubio omni procul teipsum seruabis, nosque incredibili perfundes lætitia, ac proinde eadem opera Deum glorificabis, in sæcula sæculorum. AMEN.

Phil.2.
Heb.3.
* τὸ σήμερον.

Eiusdem B. Patris breuis quidem, sed prægnans sensibus & apprimè salutaris,

Admonitio ad iuniores,

GODEFRIDO TILMANNO *interprete.*

QVisquis solitariam vitam semel es complexus, ô homo, fidelis, & idem pietatis cultor, fac condiscas ac docearis Euangelicæ conuersationis formulam, corpus in primis vt sanctæ seruituti mancipes, animam erudito nihil de se sublime sapere, cogitationes instruito, puræ vt sint, iræ impetum exinanito. Vim tibi iniecit aliquis? In Domini vnius gratiam huic præterquam vult, addito. Re quapiam spoliatus es? Spoliatorem in ius ne vocato, neu lite decernito. Odio haberis? osorem amato. Persequutione percelleris? sustineto. Execrationéne te deuouit aliquis, aut maledicentia? hunc tu ad irrogatæ contumeliæ agnitionem adhortator, aut certè pro eiusmodi intercedito. Peccatis in posterum designandis mortuus esto. Cruci Christi configitor. Omnem animi tui solicitudinem in ipsum transscribito Dominum, vt inueniri tandem promerearis, vbi Angelorum myriades cœtus primogenitorum perquam festiui, Apostolorum throni, primariæ authoritatis subsellia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, coronæ Martyrum, iustorum præconia. Inter iustos olim istos, vt allegi possis & adnumerari, toto pectore concupiscito, in Christo IESV Domino nostro. Ipsi gloria in sæcula, AMEN.

Eiusdem B. Patris BASILII *salutare & eruditum opus de laude solitariæ vitæ, incerto quidem interprete, & idem nunc primùm (quod certò sciam) excusum typis, & in scripta B.* BASILII *nunc relatum.*

LIbet de singularis vitæ meritis pauca perstringere, & quid de tantæ vitæ culmine sentiam, laudando potius quàm disputando breuiter intimare. Solitaria namque vita cœlestis doctrinæ schola est: ac diuinarum artium disciplina. Illic Deus est totum quod discitur, via qua tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus nempe est paradisus deliciarum, vbi tanquam redolentium specíes pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum. Sic fragrantia spirant odoramenta virtutum. Ibi si quidem rosæ charitatis igneo rubore flammescunt. Ibi lilia castitatis niueo candore candescunt: cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis non solum carnis, sed quod glorioſius est propriæ voluntatis exundat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat, & igne diuini amoris suauiter ardet. Et cur, quæque singula commemorem, quandoquidem omnia illic diuersarum virtutum germina, diuersis venusta coloribus rutilantur: & perpetuę viriditatis gratia incomparabiliter vernant. O eremus sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus inexhausta dulcedo! Tu caminus ille Chaldaicus, vbi sancti pueri feruentis incendij vires orationibus reprimunt, & ardore fidei crepitantium circa se flammarum globos extingunt, vbi scilicet & nexus vruntur: & ardorem membra non sentiunt, quia & peccata soluuntur, & ad hymnum diuinæ laudis anima prouocatur, dicens: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Tu fornax, vbi superni regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa ac lima salutiferæ correctionis erasa peruenium. In qua nimirum dissolutæ animæ rubigo consumitur, & scabies peccatorum ac scoriæ deponuntur. Vasa si quidem figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. O cella negociatorum cœlestium apotheca! in qua videlicet illarum mercium summa reconditur: quibus terræ viuentium possessio comparatur. Fœlix commercium, vbi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna. Fœlices, inquam, nundinæ, vbi vænalis æterna vita proponitur, ad quam emendam etiamsi est minimum quid, solum sufficit quod habetur: vbi breuis afflictio carnis emit cœleste conuiuium, & exiguæ lachrymæ risum capiunt sempiternum. Possessio terrena distrahitur, & ad hæreditatis æternæ patrimonium peruenitur. O cella spiritualis exercitij mirabilis officina, in qua certè humana anima creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ redit originis puritatem: vbi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, & pro vitiata natura sinceritatis azyma reperitur. Tu das vt iciuniis videantur ora pallentia, & mens diuinæ gratiæ sit pinguedine saginata. Tu das vt homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obuolutus tenebris Deum & seipsum priùs ignorabat. Tu hominem ad suum facis redire principium, & de exilij deiectione ad antiquæ dignitatis reuocas celsitudinem. Tu facis vt homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque in ipsa rerum labentium prospiciat decursione transire. O cella sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, castrum Dei, turris Dauid, quæ ædificata es cum propugnaculis! mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium. Tu campus diuini prælij, spiritualis arx * certaminis, angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium luctatorum: vbi spiritus cum carne congreditur, & fortis ab infirmo superatur. Tu virens vallis in expeditione currentium, tu munitio fortium, tu præsidium nescientium cedere bellatorum: fremat, licet, hostium circumfusa barbaries, vibrantium gladiorum sylua indensescat. Nam qui in te sunt, lorica fidei præmuniti, sub imperatoris sui inuicta protectione tripudiant, & de hostium suorum certa iam deiectione triumphant. Quibus nimirum dicitur: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Et si vnus est, *noli*, inquit, *timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* O eremus mors vitiorum ac proculdubio fomes & vita virtutum, te lex attollit, te prophetia miratur, & quicumque ad perfectionem peruenerint, tuum cognouerunt præconium. Porrò tibi Moyses dedit bis acceptæ legis decalogum. Per te Helias nouit Domini pertranseuntis excursum. Per te Helisæus duplicem magistri sortitus est spiritum. Et quid amplius dicam? quandoquidem Saluator mundi in ipso redemptionis humanæ primordio præconem suum, tui accolam fecit, quatenus sub ipsa iam sæculi venientis aurora, ex te, Lucifer veritatis erumperet: postquam plenus sol veniens, mundi caliginem splendoris sui radiis illustraret. Tu scala illa Iacob quæ homines vehis ad cœlum: & angelos ad humanum deponis auxilium. Tu via aurea, certa & compendiosa, qua homines ducis ad patriam. Tu stadium quo bene currentes proue-his ad coronam. O vita eremitica balneum animarum, mors criminum, purgatorium sordidorum! Tu mentium secreta purificas, squalores diluis scelerum, atque ad angelicæ nitorem munditiæ peruenire animas facis. Cella nempe est conciliabulum Dei & hominum, compitum animarum & corporum in carne degentium & spirituum supernorum. Eo siquidem superni ciues ad colloquia humana conueniunt, vbi non tam linguæ carnis verba concinunt, quàm sine strepitu vocis facunda mentium arcana patescũt: cella siquidem conscia est secreti consilij quod habet cum hominibus Deus. Quàm pulchra rerum species, cum frater in cella constitutus nocturnas peragit psalmodias, & quasi pro diuinis castris militares custodit excubias.

Pſal.115.
ἀποθήκη.
Cella & officina ſpiritualis.
Ex ſacris literis.
* *aliàs, Arena vel arena.*
Exod. 14.
Vox Heliſæi.
4 Reg. 6
Ioannem Baptiſtam.
Scala Iacob
Via aurea.
Stadium.
Balneum animarum.

Solitudo ſecundum Deũ ſchola virtutum. Paradiſus deliciarum.
τῆς ἐρήμου ἐγκώμιον.
Deu.3.

Contem-

Collatio solitarij cum stellis.

Contemplatur in cœlo cursus syderum, decurrit etiam per os eius ordo psalmorum. Et sicut præcedentes ac subiequentes stellæ, ad diem suas vicissitudines alternando perueniunt, ita psalmi qui ex ore eius tanquam ex quodam oriente procedunt, ad suum finem paulatim velut parili cum sideribus coniuratione decurrunt. Iste suæ seruitutis exhibet ministerium, illæ delegatum sibi exequuntur officium. Iste psallendo intrinsecus ad lucem tendit inaccessibilem, illæ sibi inuicem succedendo eius exterioribus oculis visibilem reparant diem. Et dum vtraque ad suum finem diuerso tramite properãt, seruo Dei & ipsa elemẽta quodammodo subseruiendo concordant. Cella siquidem testis est, quanto diuini amoris igne cor ferueat, & vtrum perfectæ deuotionis instantia quis Dei faciem quærat: nouit quemadmodum mens hominis cœlestis gratiæ rore perfunditur & compunctionis, fletuum, ac lachrymarum inundantium imbribus irrigatur. Vbi & si ex carneis oculis lacrymæ non erumpant: ipsa tamen amaritudo cordis à lacrymarum fluctibus non elongatur, quia quod ex ramo interioris tristitiæ seu pœnitentiæ non tollitur, in ipsa humidi * cordis virenti radice seruatur. Sufficit enim si mens sit flebilis, etiam si iugiter flere non possit. Cella, est instrumentum, quo precioſi lapides poliuntur, & est ergastulum*, vbi precioſi lapides reponuntur, quatenus in structura templi cœlestis sine vllo cudentis mallei sonitu postmodum dispoNuntur. Cella dominicæ sepulturæ propemodum æmula, quæ peccato mortuos suscipis, & per afflatum sancti spiritus Deo reuiuiscere facis. Tu es ab huius vitæ turbida vexatione sepulchrum: sed cœlestis vitæ pandis introitum. Te portum tranquillitatis inueniunt, qui naufragium mundani fluctus euadunt. Te * potentis medici conclaue decernunt, qui vulnerati in prælio hostiles manus effugiunt. Mox enim vt tui culminis vmbræ perfecto corde succeditur: omnis sauciatæ animæ liuor, omnis certe interioris hominis plaga curatur. Te Hieremias aspexerat, cum dicebat: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, eleuabit enim se supra se.* Habitator etenim tuus se eleuat supra se, quia Deum esuriens anima à terrenarum se rerum obtutibus erigit, & in diuinæ contemplationis arce * suspendit, à mundi se actionibus segregat, atque in altum contemplationis cœlestibus desideriis pennas librat: cumque illum qui est super omnia, conspicere satagit, semetipsum quoque homo cum reliqua mundanæ vallis deiectione transcendit. O cella spiritale prorsus habitaculum! Namque de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina charitate feruentes. Tu odiosæ linguæ frænum, tu luxuriosis renibus nitidæ castitatis adhibes cingulum, tu facis vt leues quique ad grauitatem redeant, vt iocosis scurrilitatibus parcant, vt vaniloqui & procaces se sub districta silentij censura castigent. Tu ieiuniorum ac vigiliarum nutrix, tu patientiæ & pacis perfectissimæ custos, tu putissimæ simplicitatis magistra ac omnino fraudulentæ duplicitatis ignara. Tu facis vt vagos quosque Christi catena coerceat, vt indiscipliNati moribus à sua se prauitate compescant. Tu nosti homines ad perfectionis culmen euehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu facis vt homo sit integer atque rotundus, ac nulla à semetipso morum inæqualitate diuersus. Tu etiam facis lapidem quadrum construendæ videlicet cœlestis Hierusalem mœnibus aptum, qui nimirum non ex morum leuitate se versatilem præbeat, sed fixus semper in sanctæ religionis grauitate consistat. Tu homines à semetipsis extraneos reddis, & prius vasa vitiorum reflorere virtutibus facis. Tu nigra, sed formosa, sicut tabernaculum Cedar, sicut pellis Salomonis. Tu lauacrum tonsarum. Tu sicut piscina in Esebum. Oculi tui sicut columbæ super riuos aquarum quæ lacte sunt lotæ, & residenT iuxta fluenta plenissima. Tu namque es speculum animarum, cuius contemplatione se mens humana perspicaciter intuens quod minus est, impleat: quod superfluum reprimat, quod obliquum est, dirigat, quod deforme componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo sancti spiritus annulus tribuitur, & cœlesti sponso felix anima fœderatur. *Recti diligunt te:* & qui te fugiunt, veritatis luce priuati quo gressus ponere debeant: non agnoscunt. Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui, si non præposuero te in principio lætitiæ meæ. Illud enim cum Propheta Dauid te alacri voce licet cantare. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Quam pulchra es amica mea & quam decora in deliciis tuis.* Si filia tui Rachelem decor venusti vultus ornauit, & *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Tu areola aromatum, tu fons hortorum, tu malum Punicum es odoris. Licet enim vescentibus amara videaris in cortice: sed magnum est, quod intrinsecus latet, cum peruentum fuerit ad suauitatem medullæ. O eremus mundi persequentis fœlix effugium, laborantium quies, mœrentium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium, recluſio corporum, libertas animarum. Te Dauid petijt, cum mundi mala perferret: cum timidi & tenebrosi cordis tædium sustineret. *Ecce,* inquit, *elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Et quid amplius memorem? quandoquidem ipse saluator omnium in exordio suæ manifestationis inuisere, ac propria te dignatus est habitatione consecrare. Postquam enim baptismatis aquam, qua lotus est, lauit, vt Euangelista testatur, *statim spiritus expulit eum in desertum, & erat ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana & erat cum bestijs.* Debitorem se tibi mundus agnoscat, vnde prædicaturum ac mirabilia facturum susceperis te Deum non ignorat. O eremus terribile malignis spiritibus habitaculum! vbi cellæ monachorum velut tentoria ordinata castrorum, quasi turres Sion, & quasi propugnacula Hierusalem eriguntur, aduersus Assyrios & contra faciem Damasci, quod tunc fit, cum vno eodemque spiritu diuersa geruntur officia, dum videlicet hic psallitur, illic oratur, in alia scribitur, in aliis vero variis manuum operibus insudatur. Quis non verba diuina huic congruere videat, quibus dicitur: *Quam speciosa tabernacula tua Iacob, & tentoria tua ô Israel, vt valles nemorosæ, & horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Et quid amplius de te dicam? O vita eremitica vita sancta, vita angelica, vita benedicta, viarium animarum, * exedra gemmarum cœlestium, curia cœlestium senatorum! odor tuus cunctorum aromatum fragrantium superat, sapor tuus super distillantes fauos, super omnia mella cordis guttur illinit & obdulcat, atque ideo quicquid est quod de te dicitur, dignitatis tuæ meritis non adæquatur, quia nulla carnis lingua exprimere sufficit, quod de te noster spiritus inuisibiliter sentit. Et quod tu sapis interiori gustu atque medulla cordis, nunquam explicat organum vocis. Illi te nouerunt, qui te diligunt. Illi præconia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris amplexibus fideliter requiescunt. Cæterum qui se ignorant, quomodo præualent nosse te? Me etiam tuæ laudis imparem fateor: sed vnum pro certo scio (ô vita benedicta) quod & indubitanter affirmo: quia quisquis in amoris tui desiderio perseuerare studuerit, ipse quidem habitator est tui; sed eius inhabitator est Deus. Diabolus qui in eremicolam pluribus tentationibus sæuit, atque illuc eum tendere, vnde deiectus est, gemit. Victor itaque dæmonum socius efficitur angelorum. Exul mundi, hæres est paradisi. Abnegator sui, sectator est Christi. Et qui nunc per eius vestigia graditur: peracto cursu sine dubio ad eius gloriam prouehetur. Hoc porro ausim dicere, qui singularem vitam vsque ad finem vitę pro diuino amore tenuerit, de habitaculo carnis egressus ad * ædificationem perueniet domus non manufactæ, sed æternæ in cœlis, Amen.

Μεταφορά. * *humilis.* * *al. ergasterium. Allusio ad fabricam templi Salomonei. Solitudo sepulchrum. Portus.* * ἰατρεῖον. *Thren.3.* ἀναγωγικῶς. * *al. arcana.* *Cella commoda.* ἀλληγορικῶς. *Cant.1.* *Ibid.* * ἐξέδρα. *Num.24.* *habitationem.*

Eiusdem ad Monachum qui exciderat,

W. M. *interprete.*

SAlutis gaudium non dicimus, quoniam in istiusmodi impiis * gaudere non licet. Adhuc enim adduci nequeo vt credam, & in cor meum admittam, absurdum illud & vehementer audax facinus, quod designasse diceris, si tamen res habet, vt videtur. Admiror enim, quomodo tanta interierit sapientia, quomodo tam exacta vitæ prioris disciplina pessum ierit, vnde tanta offusa cæcitas, quo-

* χαίρειν. *Non est pax impiis, dicit Dominus. Esaiæ 48.*

modo reiecta omni consideratione talem ac tantam animarum perditionem induxeris. Si enim hoc verè patrasti, & animam tuam inferni profundo tradidisti, & omnium eorum qui impium hoc facinus audient, firmitatem dissoluisti, fidem contemptim abiurasti, boni propositi certamen à scopo auertisti. Quapropter tui gratia doleo. Quis enim sacerdos cum audierit, non tuo nomine plorabit? Quis Ecclesiasticus non lamentabitur? Quis laicus non mœrebit? Quis religiosus non lugebit? forsan & Sol obscurus fuit cum delinqueres & caderes, & virtutes cœli in perditione tua commotæ sunt. Et insensati lapides insaniam tuam deflerunt. Plorarunt & inimici propter iniquitatis tuæ exuperantiam. O grauem cæcitatem! O immanem crudelitatem! Deum non timuisti, homines non es reueritus, nullam amicorum rationem habuisti, sed simul omnia facto naufragio perdidisti, simul omnibus spoliatus es. Quocirca iterum miser tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei vigorem annuntiabas, regno Dei excidisti. Qui doctrinæ timorem omnibus incutiebas, non habuisti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ sanctimoniam prædicabas, sceleſtus deprehenderis. Qui paupertatis gratia cohonestabaris, pecuniarum raptor inuentus es. Qui supplicium quantum à Deo immineret peccantibus per doctrinam ostendebas, supplicium ipse tibi accersiuisti. Quomodo te lugebo? Quomodo super te dolebo? Quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur, & super terram contritus est? Ambæ prorsus aures tinnient cuicumque audituro. Quomodo Nazaræus auro splendidior, fuligine factus est obscurior? Quomodo filius Sion præclarus, factus est vas inutile? Cuius diuinarum Scripturarum commentationem omnes commemorabant, illius hodie memoria cum sonitu periit. Qui acri erat & veloci ingenio, velociter & periit. Qui multæ erat intelligentiæ, multifariam etiam deliquit. Qui namque per doctrinam tuam adiuti fuerant, è perditione tua damnum acceperunt. Qui aures cum doceres arrexerunt, ad rumorem perditionis tuæ aures obturarunt. Ego vero lamentans & tristis incedens, vndique consternatus, ac cinerem tanquam panem manducans, & saccum super plagam meam induens, huiusmodi tibi encomia recenseo, imò magis funeralem sermonem adornans, absque vlla consolatione aut recreatione persoluo. Aufugit enim ab oculis meis consolatio, nec est fomentum quod vulneri adhibeatur, nec oleum, nec obligatio. Est enim plaga mea dolorosa vnde sanabor? Si qua spes igitur salutis tibi reliqua est, Si qua vel modica Dei recordatio, Si quod futurorum bonorum desiderium, Si quis metus suppliciorum quæ impœnitentibus reposita sunt, resipisce velociter. Leua oculos tuos ad cœlum. Redi ad mali conscientiam. Cessa à malitia tua. Excute qua circumfusus es ebrietate. Obluctare ei, à quo prostratus es. Erigere fortiter ex humo. Recordare boni pastoris. Ille namque te insequitur, vt velut è lupi faucibus eruat, etiam si duo tantum crura, aut auriculæ portio, supersint. Resili ab eo qui te vulnerauit. Memor esto miserationum Dei, quod ille oleo & vino medeatur. Ne despere res salutem. Resume memoriam eorum quæ scripta sunt. Quoniam qui cecidit, inquit, resurget, & qui auersus est, reuertetur, qui percussus est curabitur, qui captus est à bestia, victor euadet: Qui commissum fatetur, non abiicitur. Non vult enim ita Deus mortem peccatoris, quemadmodum vt conuertatur & viuat. Ne tanquam in malorum profundum delapsus contempseris. Tempus adhuc est patientiæ diuinæ, tempus lenitatis, tempus curationis, tempus correctionis. Lapsus es? Exurge. Peccasti? Quiesce. Ne stes in via peccatorum, sed resili. Quamprimùm enim conuersus ingemueris, seruaberis. Est enim sanitas ex laboribus, & ex sudoribus salus. Vide igitur, ne fortè dum vis quæ quibusdam pactus es, custodire, transgrediare pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus. Noli rationibus humanis impeditus, reditum ad me detrectare. Ego enim recepto mortuo meo lamentabor, ego curabo, ego amarè flebo super contritione filiæ generis mei. Omnes te expectant. Omnes tibi collaborabunt. Ne diffidas. Recogita dies antiquos: Est adhuc salus, est correctio: confide, ne despera. Non est lex quæ sine misericordia morte condemnet, sed gratia quæ pœnam proroget, expectans emendationem. Nondum occlusæ sunt ianuæ. Audit sponsus. Ne dominetur peccatum. Ad pugnam redit. Ne moram nectas. Et tui ipsius miserere, & nostri omnium.

Nō hic ludit in antithetis Bas. sed cōfutat Lutheranos.

Exech. 33.

DIVI BASILII MAGNI

Epistola ad alium monachum lapsum.

DVplici timore mens mea percellitur tui causa. Aut enim mores quidam incondolentes antegressi ac lacessentes me in crimen odij erga homines coniiciunt. Aut rursus condolere volentem, & ad affectus emolliri, malè afficiunt. Quapropter & exarare volens has literas, manum quidem torpentem, ratiocinationibus neruosam feci ac firmaui. Faciem vero ex concepta propter te tristitia malè affectam, alterare non potui, tanta confusione mihi incumbente, vt etiam oris complicatio mihi confestim cadat, dum labia mea ad fletum conuertuntur. Hei mihi quid scribam, aut quid cogitabo in triuio impeditus? Si reuocauero in memoriam, priorem tuam vanam conuersationem, quando affluebant tibi diuitiæ & humirepa gloriola, horreo: quando sequebatur te adulatorum multitudo, & deliciarum voluptas temporaria, cum manifesto periculo & iniustis censibus. Et partim quidem regni timores suspicionem tuam de salute excitabant. Partim vero publici tumultus lares tuos concutiebant, & frequentia malorum mentem tuam conuertebat ad eum qui potest tibi auxilium ferre: quando paulatim meditabaris circumspicere seruatorem, mutantem quidem timores ad vtilitatem, liberantem autem ac protegentem te qui illuseras ipsi dum securitatibus licenter fruebaris: quando exercebaris ad mutationem morum venerandorum, & stercoribus comparabas periculosissimam opulentiam & domestico obsequio, & vxoris consuetudine abnegatis. Totus autem sublimis & ad transitum conuersus, velut peregrinus & erro, agros & vrbes permutans, ad Hierosolyma decurrebas. Vbi & ipse tecum conuersans, beatum prædicabam te ob athleticos labores, quando septenariis circulis ieiunus degens cum Deo philosophabaris, simul & hominum congressus pro ratione mutationis subterfugiens, quietem vero ac solitarios mores tibipsi adaptans, ciuiles tumultus declinabas. Sacco autem aspero corpus tuum compungens, & cingulo duro lumbos adstringens, toleranter ossa tua comprimebas. Latera vero per famem caua reddens, vsque ad spinæ partes sublaxa fecisti, & fasciæ quidem mollis vsum abnegasti, abdomen vero intus ad cucurbitæ medicæ similitudinem subtrahens, renalibus locis illud agglutinari cogebas. Vniuersam autem carnis pinguedinem euacuans, canales ac meatus sub ventre sitos strenue resiccasti. Ventre vero ipso per inedias contracto, costales partes velut quandam tecti eminentiam, vmbilici partibus vmbram offundere fecisti. Et contracto toto organo per nocturna tempora confitens Deo, lachrymarum riuis barbæ pilos madefactos adæquabas ac demulcebas. Et quid opus est me singula recensere? Reuoca in memoriam quot ora sanctorum osculo excepisti: quot sacra corpora amplexus es: quot pij homines manus tuas velut immaculatas confouerunt: Quot serui Dei velut cultum exhibentes ad genua tua confugerunt, eaque complexi sunt. Et horum omnium quis finis, quis? Adulterij rumoris calumnia, sagitta velocius peruolans, aures nostras sauciat, acutiore stimulo viscera nostra perpungens. Quæ tam artificiosa præstigiatoris versutia, ad tam pernicioſum cursum te perduxit? Quàm perplexa diaboli retia constrictum te, ad virtutis actiones immobilem reddiderunt? Vbi sunt meæ narrationes de tuis laboribus? Perierunt. At enim fortassis iustum est nos rumori fidem non habere? Et quomodo non ex manifestis, etiam ea quæ hactenus obscura fuerunt in fidem suscepimus? si confugientes ad Deum animas horrēdis iuramentis astrinxisti ac concluſisti, quando obseruatè quod supra, est, & non redundat, diabolo attributum est. Itaque simul etiam periurij pernicioſi sponsor fuisti, & corrupto exercitationis charactere, vsque ad Apostolos & ipsum Dominum turpitudinem transmisisti.

χαμαιρεπὲς δοξάριον.

Calumnia quouis telo pernicioſior.

Dedecore

Dedecore affeciſti caſtitatis gloriationem. Vituperaſti temperantiæ profeſſionem, facti ſumus captiuorum tragœdia. A Iudæis & Græcis per actus ſcænicos repræſentantur res noſtræ. Diſcidiſti ſtudia monachorum. Sinceriores ad timorem ac formidinem perduxiſti, ita vt adhuc admirentur diaboli potentiam. Indifferentes ad proteruitatis æmulationem tranſtuliſti. Diſſoluiſti quantum in te fuit Chriſti
Ioan. 16. gloriationem, *Confidite* dicentis, *ego vici mundum*, & mundi principem miſcuiſti patriæ craterem infamiæ. Reuera ad opus perduxiſti prouerbium, Velut ceruus ſagitta ictus in hepar. Sed quid nunc? Non cecidit fortitudinis turris, ô frater, non vituperata ſunt conuerſionis medicamenta: non concluſa eſt refugij ciuitas. Ne in profundo malorum permaneas. Ne vtaris teipſo homicida. Nouit erigere colliſos
B Dominus. Ne fuge procul, ſed ad nos recurre. Suſcipe rurſus iuueniles labores, ſecundariis virtuoſis factis humirepam ac ridiculam voluptatem diſſoluens. Reſpice ad finis diem, quæ ita ad vitam noſtram appropinquauit, & noſce quomodo de cætero Iudæi ac Græci ad pietatem ac diuinum cultum compelluntur, & non in totum abnegabis mundi Saluatorem, ne te horrendiſſima illa ſententia
Luc. 13. comprehendat, Nempe, *Non noui vos, quinam ſitis.*

S. PATRIS BASILII MAGNI
AD VIRGINEM LAPSAM
Epiſtola.

IOAN. CVRTERIO *interprete.*

Ieremi. 9. OPortune iam Prophetæ verbis mihi licet exclamare & dicere: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & lugebo vulneratos filiæ populi mei?* Hos enim quamuis altum occupet ſilentium, animique graui ac letali vulnere prorſus conſopiti, ipſo iam doloris ſenſu ablato, iaceant: non ſiccis nos oculis tamen caſum tantum decet præterire. Si enim qui bello in corpore vulnus acceperunt, luctibus infinitis dignos cenſet Ieremias: quid ad iſtam animorum calamitatem dicturum fuiſſe putatis? *Vul-*
Eſa. 22. *nerati tui*, ſcribitur, *non ferro vulnerati: nec mortui tui, bello*
1 Cor. 15. *mortui*. At peccatum graue, mortis reuera ſtimulum, &
Pſal. 119. 4. Maligni ardentes ſagittas, quibus animas ſimul cum corporibus barbarico more populatur, lugeo. Nec parum profecto diuinæ leges tantum in terris ſcelus intuitæ ingemuerint, quæ vetare ſemper & inclamare non deſierint;
Exod. 20. olim quidem: *Non appetes vxorem proximi tui*: Nunc autem
Matt. 5. ipſis Euangeliorum verbis: *Omnis qui coniectis in mulierem oculis ipſam appetit, iam in corde ſuo mœchatus eſt.* At ipſam nunc Domini ſponſam, cuius caput Chriſtus eſt, ſecurè mœchantem licet intueri. Ingemiſcant verò & ipſi beatorum
Num. 25. ſpiritus. Phinees quidem zelo æſtuans, quòd ſibi nunc et-
E iam arrepto in manus iaculo, in corporibus ipſis ſcelus vl-
Matt. 14. ciſci non licet. Ipſe deinde Ioannes cognominatus Baptiſta, quòd non poteſt cœleſti relicta conſuetudine, ſolitudinis ad ſcelus arguendum ſe recipere; & caput potius, ſi quid pati neceſſe ſit, quàm inſectandi libertatem amittere non queat. Immò potius præſens nobiſcum, licet mor-
Gen. 14. tuus, non aliter quam felix ille Abelus, adhuc loquitur,
Matt. 14. clamat, aitque: *Non licet tibi iſtam habere*, altius quam tum in Herodem, nunc Ioannes vociferatur. Ioannis enim corpus neceſſitate quidem naturæ ad fines à Deo aſſignatos
2. Tim. 2. perductum eſt, & tacet lingua, ſed ſermo Dei non alligatur. Hunc enim, qui ob violatas tantùm conſerui nuptias,
F ne mortis quidem metu tacere voluit; quid facturum, ſi ſacroſancto Domini thalamo tantam inferri contumeliam videat, arbitramur? At quoniam excuſſo diuini illius coniugij iugo, poſt deſertum etiam immaculatum veri regis thalamum, infami te & impia iſta labe contaminari turpiter paſſa es, nec habes iam quo criminis atrocitatem depellere, vel grauitatem eleuare queas: audes pedem con-
Prou. 18. 3. ferre, & (quia in malorum profundum delapſus impius deinceps nihil curat amplius) te quicquam cum vero ſponſo pactam eſſe pernegare, nihilque neque promiſiſſe vnquam, neque virginem te eſſe (quæ ſigna tamen virginitatis multa partim acceperis, partim edideris) clamitare. Me-

A mineris obſecro egregiæ illius profeſſionis, quam Deo & Angelis, hominibuſque ipſis intuentibus profeſſa es. Memineris præclari cum ſacro virginum choro commercij, Dominicique conuentus, & ſanctorum Eccleſiæ, & auiæ iam affectæ quidem in Chriſto ætatis, ſed robuſtæ adhuc & virtute florentis, & matris etiam cum illa decertantis, nouiſque & inuſitatis laboribus vſitata ſoluere contendentis, ipſum etiam ſororis robur non abſimile, quæ illud partim imitata, partim ſuperare ſtudens, virginalibus prærogatiuis maiorum laudes exſuperat, teque ſororem, ſicut antea arbitrabatur, ad ſimile certamen vita & verbis prouocat. Horum inquam memineris, & Angelici circum Deum cum illis tripudij, & vitæ in carne ſpiritualis, & cœleſtis
B in cœlo conuerſationis. Memineris & dierum ſtrepitu carentium, & noctium lumine ſplendentium, & hymnorum ſpiritualium, & ſuauis pſalmodiæ, & ſanctarum precum, & dilectionis, & lecti intemerati, & virginalium egreſſionum, & ſobrię menſæ. Vbi vero tua illa formę dignitas? Vbi præclara indoles? vbi quæ virginem decet, veſtitus tenuitas? vbi pudore contractus rubor? vbi ille denique, qui inedia & vigiliis collectus pallor effloreſcit in vultu, & ſplendet quauis coloris bonitate gratioſior? Quoties fundendis precibus, quo tibi ſtaret ſine labe virginitas, & lacrymas fortaſſe fudiſti? Quot ſæpe ad ſanctos viros, quibus tuo nomine orari poſtulares, non vt humanis nuptijs,
C nedum turpi iſta libidine potireris, ſed vt Chriſto Domino non excideres, literas dediſti? Quot ab ipſo ſponſo munera ſenſiſti? Quid rurſus honores illos, quorum tibi per ſuos auctor extitit, recenſere neceſſe eſt? Hinc tibi cum virginibus conuictus, egreſſus cum eiſdem, virginum ſalutationes, virginitatis encomia, fauſtæ virginum precationes, literæ tibi denique, tanquam ad virginem datæ. At modica iam auræ ſpiritus illius accepta particula, qui ſemel attractus filios incredulitatis exercet, omnia inficiari, & pretioſiſſimas poſſeſſiones illas cum momentanea voluptate, quæ ad tempus fauces delectat quidem, ſed fit tandem felle amarior, gladioque ancipiti acutior, non dubitaſti.
Eſa. 1. 21. Ad hæc, quis non iſta lugens dixerit? *Quomodo facta eſt me-*
D *retrix vrbs fidelis Sion, quæ olim æquitatis plena inſtitiam coluit, nunc autem parricidas excipit!* Quomodo verò non Deus ipſe eorum aliquem qui noſtra ætate Ieremiæ ſpiritu ducuntur, non ita alloquatur? *Vidiſti quid in me admiſerit virgo Iſrael.* Ier. 18. 13
Ego ipſam mihi deſponſaram, in fide, in incorruptione, in iuſtitia, *Oſee 2. 19.
in iudicio, in miſericordia & miſerationibus, ſicut per Oſeam Prophetam prædixeram. At ipſa induxit alienos, & me viuo immortali coniuge, adultera euaſit, nec cum viro alieno miſceri veretur. Quid vero nuptiarum ille diuinus auſpex Paulus, illéque adeo vetus, & nouus hic, quo mediatore & doctore, paterna domo relicta Domino tradita & coniuncta es? Annon vterque ad tanti mali ſenſum, ſe in
E quem verebatur metum incidiſſe dixerit, qui te vni viro virginem caſtam, vt Chriſto traderet, deſpondiſſet, ſem- 2 Cor. 7.
pérque veritum eſſe, ne ſicut Eua ſerpentis aſtu ſeducta Gen. 3.
eſt, ita & tu aliquando ſenſus tui ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, corrumpereris? hinc eſt quod te Domini ſponſam infinitis munire & conſeruare præſidijs conatus ſum, & docui, ſolam quæ cœlibem vitam profiteretur, ea quæ
2 Cor. 11. Domini ſunt meditari, *vt corpore ſimul & Spiritu ſancta ſit, Do-*
* Edito de vera virginitate libro. *minoq; placere* valeat. Oſtendi præterea quanta eſſet * virginitatis dignitas: nec te Domini templum appellare, quo propenſioni tuæ alas adderem, teque ad Chriſtum euehe-
1 Cor. 3. rem, dubitaui. Metum mali rurſus, ne labi te patereris, addidi: & eum quiſquis ſit, qui Dei templum violet, Deo pœ-
F nas daturum non reticui. Adieci tandem & precum mearum ſubſidium, vt ipſum corpus integrum, ipſaque anima, ipſe denique ſpiritus Domino Ieſu Chriſto adueniente culpa tibi vacarent. At iſta tuo nomine fruſtra deſudaui omnia, & mihi tum iucundi illius laboris iam factus eſt amarior finis, eamque me poſthac lugere neceſſe eſt, à qua lætitiæ materiam petere debueram. Ecce enim Eua ipſa à ſer- Gen. 3.
pente decepta es grauiùs, quæ non mentem ſolum tibi corrumpi, ſed cum mente & corpus etiam paſſa es, horrendumque illud (quod vereor quidem dicere, tacere tamen non poſſum) admittere. Æſtuat enim tanquam ignis in oſſibus meis, nec labanti iam & fracto vndique animo ferendi

1. Cor. 6. rendi vires superesse patitur. Ergo membra tua, quæ Christi fuerant, scorti membra effecisti? hoc vnum in omnibus nulli conferendum flagitium. hoc nouum & inauditum in
Ier. 2. 10. vita facinus. *Transite ad insulas Cethim*, ait Propheta, *& videte, mittite in Cedar, & considerate diligenter si huius simile factum: si gentes mutauerunt deos suos, nec ipsi tamen dij sunt.* At virgo gloriam suam mutauit: nec ei proderit quicquam, sed gloria in dedecus abibit. Obstupuere cœli super hoc, ipsaque terra inhorruit vehementer. Duo, eaque grauia, admisit virgo. Me verum & sanctum piarum animarum sponsum reliquit, & ad virum impium, sceleratum, vitæque breuitati, atque adeò interitui obnoxium, stultum, animæ denique simul & corpori exitiosum defecit. A Deo Saluatore suo recessit, & membra sua, vt impuritati & nequitiæ sub-
Matt. 18. seruirent, addixit. Mei oblita amatorem suum secuta est. At illi viro fuerat satius suspensa ad collum mola asinaria, in mare proijci, quam in Domini virgine offendisse. Quis adeò petulans & demens seruus, vt in Dominæ lectum audeat irruere? aut quis tam flagitiosus prædo, vt Deo consecrata donaria, non anima tantùm carentem supellectilem, sed viuentia corpora, eaque intus ad Dei exemplar animam effectam habentia, tangere audeat? Quem à sæculo vnquam, vrbe media, luce meridiana etiam, Imperatoris imagini stolidorum & spurcorum pecorum species ausum af-
Deut. 17. 19. fingere audiuimus? Violato quis hominis coniugio duobus aut tribus testibus adhibitis citra commiserationem morti traditur. Quanto maiore pœna dignus, qui Dei filium conculcare, qui consecratam eidem sponsam constuprare, qui virginitatis spiritum labefactare non dubitauit? At illa vo-
Gen. 39. luit, inquit, nec vim, si negasset, intulissem. Enimuero & perditæ libidinis Ægyptia mulier, formosi Iosephi hera, eiusdem amore insaniuit, nec libidinosæ tamen furor virtutem mouit temperantis: immo ne cogentis quidem manibus ad scelus adductus est. At illa decreuerat, inquit, nec iam virgo remanebat: & ab alio violata fuisset, etiam si noluissem. Atqui filium hominis tradi oportuit: sed væ illi per
Luc. 24. Mat. 18. quem tradi contigit. Et scandala etiam esse necesse est: sed
Ier 8. væ per quem occurrent. Ad hæc, num qui labitur, erigi rursus, & qui auertitur, reuerti potest? Neque enim vt quisque cecidit, statim trudendus est. Quare auersione impudenti virgo auersa est, cum præsertim Christum sponsum Ieremiæ voce sic loquentem audierit? Et dixi apud me
Ier. 8. 22. postquam ipsa scortata est: reuertere: nec reuersa est: *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus ibi? Quare non addita medela filiæ populi mei?* Multa rursus in sacra Scriptura ad morbi istius depulsionem remedia, multa salutis aduersus
Ioan. 11. Matt. 10. Eccl 12. 17 Luc. 5. 11. Luc. 15. interitum præsidia inueneris. Habes de morte & resurrectione mysteria: de vltimo illo & horrendo iudicio, de pœnitentia, de peccatorum remissione decreta: habes & infinita illa resipiscentiæ exempla: drachmam, ouem, filium illum qui re omni cum scortis absumpta perditus resipuit: mortuum denique, eumque vitæ restitutum. His vtamur ad mali profligationem auxiliis: his animæ nostræ medeamur. Ante oculos tibi vitæ diem extremum (neque enim sola æternùm victura es) propone. Propone inquam vitæ iam tibi contractos & in angustum redactos spiritus: ipsam mortis horam: ipsam vrgentis Dei sententiam: & properantes Angelos, & in his vehementer perturbatam animam, scelerumque conscientia & grauitate afflictam: ad huius etiam vitæ commoda miserabiliter conuersam: longæ denique peregrinationis illius ineuitabilem necessitatem. Finge animo, & tibi extremum vitæ communis terminum describe. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, cum Angelis suis* (veniet enim nec latebit) *cum venerit*, inquam,
Matt. 25. Heb. 9. Heb. 2.

A *vt viuos & mortuos iudicet*, singulis pro meritorum ratione relaturus: cum tuba illa magnum quid & horrendum personans ab ipso seculorum principio dormientes excitarit: tum qui præclara gesserunt, in vitæ quidem, qui mala au- Ioan. 7.
tem, in damnationis resurrectionem prodibunt. Recorda-
re diuinæ illius visionis, quam intuitus aliquando Daniel Cap. 7.
ita iudicij formam nobis ante oculos ponit. *Intuebar*, inquit, *quousque throni positi sunt, & sedebat antiquus dierum, cuius tanquam nix album fuit indumentū, capillus eius tanquā lana munda: rotæ eius ardens ignis: igneus fluuius ante ipsum voluebatur. Millies mille ministrabant ei, & decies mille myriades eidem adstiterunt. Iudicium consedit, & libri aperti sunt.* Quæ malè, quæ rectè, quæ palam, quæ clam admissa, aut dicta, immò etiam ani-
B mo tantum agitata, omnia confertim omnibus tum Angelis tum hominibus apertè recludentur. Deinde, quales eos esse, qui improbè vixerunt, necesse est? Vbi illa repente tot spectatorum oculis patens, omnique aspersa dedecore anima latebit? Quali verò corpore infinita illa & intolerabilia verbera subibit, cui subsit nunquam moriturus ignis, perpetuoque vermis vlcisens, & inferni profundæ hor-
rendæque tenebræ, & amari luctus, & modum exuperans Matt. 8.
vlulatus, & ploratus, & stridor dentium, illaque alia grauia Luc. 13.
& infinita, quibus neque post mortem liberari, neque aliqua vel arte, vel solertia plectendi vim amaram eludere conceditur? At ista modò licet effugere: & quamdiu licet, nos ipsi à lapsu (ne quando & salutis nostræ spem contin-
C gat abiicere) recolligamus. Si à malis recedimus, Iesum Christum habemus, qui in mundum venit, vt peccatores saluaret. Agite adoremus, eique aduoluamur, & coram Luc. 5.
Domino qui fecit nos lacrymas fundamus. Ad pœnitentiam nos Verbum prouocans clamat, & ita auribus obtundit: *Accedite ad me omnes qui laboratis & peccatis onerati estis, & ego vos reficiam.* Salutis via est, si volumus. Mors quidem absorpsit facta superior: sed Deum scito ab eorum facie, quos pœnitet, omnem rursus absterssisse lacrymam. Verax Dominus in omnibus verbis suis. Non mentitur qui dixit: *Si fuerint peccata vestra tanquam purpura, niue reddam candidiora.* Esa. 1.
Si tanquam coccinum, lanæ in modum albere faciam. Morbum tuum magnus ille animarum medicus sanare paratus est.
D Huius illa est, huius inquam dulcis & salutaris oratio: *Non il-* Mar. 2.
lis medico qui valent, sed qui male habent, opus est. Non veni vt iustos, sed vt peccatores ad pœnitentiam vocarem. Quis tibi igitur, cla- Luc. 3.
mante Deo, vel defensionis vel excusationis locus iam relinquitur? Cupit te Dominus vulneris tui dolore liberare, lucemque de tenebris ostendere. Te bonus pastor ijs reli- Luc. 15.
ctis ouibus, quæ non aberrarunt, quærit. Si das teipsam, pro sua in homines beneuolentia, humeris propriis acceptam, velut ouem deperditam, tollere protinus non dedignabitur. Stat pater, tuumque ab errore in vitæ viam reditum expectat. Redi tantum, & accedentem longe ante præuertere, Luc. 15.
tibique in collum suauissimis amplexibus irruere, animæ deinde tuæ, postquam veteri homine eius operibus spo-
E liauerit, stolam primam restituere, & annulum purgatis mortis sanguine manibus inserere, pedes item à via mala ad Euangelij cursum reuocatos calceis munire, gaudij denique & lætitiæ die propriis angelis hominibusque denuntiato, omni ratione salutis tibi redditæ solennitatem celebrare videbis. *Amen enim dico vobis*, ait, *quia gaudium coram Deo futurum est, peccatore vno pœnitentiam agente.* Quod si eorum quisquam, qui sibi stare videntur, te assumptam criminetur, vel bonus ipse tuo nomine pater his verbis causam tutabitur: *Exultare* Luc. 15.
decet & lætari, quia quæ mortua erat filia mea, vita restituta est, & quæ perierat, inuenta. Quoniam eum decet gloria in secula seculorum. Amen.

DOMINO

DOMINO VENERABILI
ATQVE OMNI CHARITATIS OFFICIO
SVSPICIENDO PATRI GABRIELI,
AMBROSIVS CAMALDVLENSIS
S. D.

PROLIXVM satis librum sancti BASILII Cæsariensis Episcopi viri profecto grauissimi, de vera integritate virginitatis *inscriptum ex Græco conuerti. Quippe amœna ipsius operis frons, atque honestissimus titulus ad perlegendum primo, tum etiam ad transferendum me facile impulerat. Neque verò ab inscriptionis gratia cætera dissentiebant: verùm pulcherrimo vestibulo reliquę structuræ partes respondebant. Tanta enim diligentia patronus ille pudicitię, adeò insignis Virginitatis decus componit: ornat, instruit, tanta cura tuetur: armat, munit, denique vigilantia insidias omnes præcauet: detegit, aperit, vt meo quidem iudicio nemo vnquam eam rem egerit diligentiùs. Licet enim permulti, imo ferè omnes Ecclesiæ magistri, tum Latini tum Græci, virginitatis insigne summis extulerint laudibus, atque ad eam seruandam plurimis ingenij sui, præclarisque monumentis hortati sint: nullus tamen ita examussim cuncta prosequitur. Id sanè traducendi onus, & si virium mearum modum excedere non ignorabam: quia tamen perutile fore arbitratus sum, promptè, libénsque subij, passus tanto viro aliquid, immo verò plurimum de eloquij duntaxat venustate detrahere, quam quidem imitari velle, facilius fuit, quàm posse fœlicius: dum pręclaram eius, ac necessariam, saluberrimámque doctrinam Latinis auribus traderem. Tibi vero pater optime id opus, tuóque nomini dicandum fuit: vt eximio in me amori tuo, & officio meo aliqua ex parte satisfacerem. Accipies gratè pro tua humanitate munusculum ab ingenio, sed tibi planè deditissimo, animoque in te gratissimo profectum: atque intentius leges. Inuenies profectò, non ambigo, in illo gratię plurimum, dum familiare illud tibi, pretiosissimúmque virginitatis monile tanto muniri studio, tantáque celebrāri laude perspexerit, vt maiore certè nequiuerit. Venerationem tuam Christus Deus noster omnipotens quietam ac tranquillam æuo longiore tueatur, Domine venerabilis ac desiderabilis pater.*

Patronus continentiæ & tuendi pudoris Basilius.

ETSI ad oram sui codicis doctus vir in Germania adscripserat hunc *de Virginitate* librum singularem Magni illius BASILII legitimum partum non videri, magna styli diuersitate inductus: & B. Hieronymus in Catalogo, ac Suidas inter quatuor Basilios, Ancyranum Episcopum *de Virginitate* scripsisse affirment; tuemur tamen ac retinemus, vt tanto dignum Præsule, opus, quando & de eo ipso argumento frater eius Gregorius, Nyssæ Episc. & S. Chrysostomus postea scripserint, quæ omnis omnino mirabitur ætas.

B. P. BASILII MAGNI
ARCHIEPISCOPI CÆSARIENSIS
IN CAPPADOCIA.

De vera atque integerrima virginitate,
AD LETOIVM MELITENSEM EPISCOPVM LIBER.
AMBROSIO CAMALDVLENSI interprete.

CVM plurimi ex his, qui immortalem sponsum nostrum Christum familiarius ambiunt: quosque ad considerationem veræ honestatis cœlestis vulnerauit amor: varias intra sanctam Ecclesiam * honestatis species à plerisque studiosè arripi, atque exerceri cernerent: & hi quidem virginitatis laudes, alij autem eorum merita qui ieiuniis, vigiliis, † & reliqua sancti propositi austeritate corpus affligunt, descripsere: quidam item illorum magnanimitatem admirati, qui propter Dominum substantias suas vendunt, vt illum nudi expeditique sequantur: eorum præconia prolixo sermone prosecuti sunt. Verum hi omnes non quo pacto singula eorum, quæ prædiximus, arripienda sint, docere opus esse arbitrati sunt: laudes solas ad profectum, incitamentumq; virtutis sufficere existimantes.

* τοῦ καλοῦ.

† τῆς χαμευνίας, humicubationibus.

A EGO autem tibi Episcoporum vnanime Letoi, non virginitatis laudes, non substantias vendentium merita, non præconia ieiuniis macerantium corpora scribere, sed quid horum quodque sit, & qua ratione apprehensum ad veram virtutem conferat, lucidè pro modulo meo promere instituui. Neque id sanè vt te iam pridem veteranum Christi militem doceam, neque vt * ad huiusmodi considerationem pulchritudinis speculandam tibi * virtutum differentiam constituam: sed vt, dum singula cuiusmodi per naturam sint explico: non eos tantum, qui tuo instituuntur exemplo, ac per te iam veri boni affectum conceperunt, totisque animæ sinibus hauserunt: verum & cæteros, qui ista lecturi sunt, salubriter moneam. Quibus dum veluti in tabella pictam ostendimus veræ virginitatis imaginem: ea quoque * quo modo, vnde, quibusve * virtutis coloribus ornetur, diligen-

* ὥσπερ ἐν εἰκόνι.

* naturarum.

εἰκόν.

* τοῦ καλοῦ.

diligentissimè inspiciendum prębeamus: & sic vnumquemque securius, ac certius, quàm cupit, virtutis speciem arripere quanta possumus intentione doceamus. Magnum enim re vera quiddam, ac præclarum virginitas est, quæ, vt totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat: sed cum incorporalis animæ propria & præcipua sit, eius pretiosissima * integritate corpora quoque incorrupta seruantur. Anima enim veri boni desiderio imagineque susceptа, ad ipsum veluti penna quadam pudicitiæ sanctitate subuehitur: ac simili simile, hoc est, incorruptibilem Deum inuiolabili puritate colere omni studio intenta, corporis virginitatem * ad eius, quod per se bonum est, obsequium veluti ancillam ducit. Eam vero sociam, assistricemque tranquillissimam ad Dei contemplationem adesse sibi iugiter cupiens, obstrepentis illi voluptates corporis quàm longissime fugiat. Et earum quæ sub ventre sunt, voluptatum continentiam corporalis integritatis obsequiis mancipans, hanc ipsam suæ virginitatis pedissequam facit. Ita fit vt alia quidem omnia scilicet ciborum abstinentia, & reliqua sancti propositi austeritas, quæ fluentibus per corporis sensus contra carnis integritatem voluptatibus obstat: ipsaque virginitas carnis illius gratia seruetur. Hæc autem ipsa ob aliud nihil quam propter seipsam affectu intimæ pulchritudinis exerceatur. Sic autem fidelis anima virginitatem suam ab omni sordidæ cogitationis labe puram, immaculatamque custodiens, ad id prouehitur: vt similitudinem incorruptibilis Dei in se, veluti in speculo mundissimo, ipso iam gratiis suis suauissimi radij in morem illi influente, speciem & laudem suam consequatur. Quoniam igitur virginitas vera, sicuti præcedens sermo signauit, & procedens apertius, vberiusq; docebit: inuiolabilis animæ pulchritudinis, per quam & corporis elaborantur bona, propria, ac peculiaris est: plurimi vero solo virginitatis nomine illecti, nullam veræ integritatis curam habent: necessariò (vt reor) tantæ sanctitatis coronam rapere instituentibus acclamare proviribus, & quæ sint agenda dictare aggredimur: ne per ignorantiam principale bonum negligentes, omne vitæ tempus in ancillæ seruitute consumant, ac per id, quod nunquam eius dominam colere opportunè studuerint: etiam corporis integritate minimè interioris virtutis ornata pulchritudine, post plurimos labores turpiter excidant. Vt igitur singula, quæ ad veræ virginitatis speciem conferunt, clariùs perspiciantur: age cuinam destinationi intendens virgo suam exerceat virginitatem, diligentius inspiciamus. Ita enim per singulos ipsius motus, siue ad propositam contendat destinationem: siue aliud proponens, & se ad aliud dirigens, principali intentione frustretur: veluti in meridiana luce intuentes, vera profectò quæ sit virgo noscemus. Principio igitur vt sese fœmina ad marem per naturam habeat, si ita placet, paulò altius discutiamus, vt & virginitatis destinationem liquidius animaduertere possimus. Paucis nempe ex primis animantibus, veluti ex quibusdam primitiuis seminibus, cum implere mundum conditor instituisset, cuiusque speciei animantium, veluti radicem quandam, corporalis animalis formam à principio condidit. Eam vero in marem ac fœminam, à rationali animante vsque ad omnem mutorum speciem scindens, ac fœminam masculi segmentum ac partem, quippe ex illo sumptam, esse constituens, stimulum cuique parti † flagrantemque cupidinem mutuæ coniunctionis natura inseruit. Hac ergo ratione discissa ab se ardentibus amoris copulis sibi inuicem iungens, coniunctione huiusmodi omne animalium genus ex præcedentium seminibus pullulans per secula multiplicat: *Crescite*, inquiens, *& multiplicemini, & sic replete terram.* Sic autem mundum omnem * ex vno Adam humano genere, innumerisque gentium varietatibus cum proposuisset implere: & ex quolibet itidem brutorum genere, quadrupedum, serpentium, volatilium, aquatilium, omnigenûmque animalium formis innumeris refertum apparere voluisset: maris quidem potestati fœminam subiicit: masculum vero blandissima fœminæ voluptate demulcet. Atque hanc quidem masculi de latere sumptam, vt partem toti, ex quo sumpta est, obtemperantem esse, eiusque imperiis parere decernens, masculum vero sumptam de se fœminam ardenter appetere, & eius persequendo congressum, ad seipsum per huiusmodi copulam proprium recipere membrum, naturali necessitate constituit. Hunc igitur in morem ex vno duos, atque iterum ex duobus vnum, masculum & fœminam sapientissimè molitus, non solum hanc corporis copulam per eum quem prædiximus modum, ipsorum propriam finxit: verum & ad id genus, quod ex huiusmodi coniunctione amoris facibus accenderetur: ingentem eis infudit affectum. Atque ita * masculum quidem actiuum (vt sic dixerim) quippe prius conditum, passiuam vero fœminam, vtpote ex maris euulsam latere, naturaliter condidit. Ac ne summo ad sui generis stirpem affectu acta mulier, quippe passiua sine adiutorio relinqueretur: ita fœminam effinxit, vt esset masculo tota voluptatis illecebra, violentisque stimulis ad ferendos fœtus ad illam pertrahit virum, non vtique ad marem fœminam, sed hunc (vt diximus) voluptate constrictum ad ipsam ducens vinctum atque captiuum. Sicut enim secretissima naturæ in magnete lapide nouimus, non ipsum ad ferrum duci, sed ad se potius ferrum attrahere: ita & fœmineum corpus aduersus masculum ineffabilem accepit vim, per quam fermè dixerim ignorante anima, quæ in ipso est, viri corpus vltro ad concubitum pertrahit: ita infirmiori animanti conditore auxiliari instituente, vt voluptate sua masculum mulcens atque deliniens, * non solum ad liberorum procreationem: verum & ob ipsius coniunctionis ardorem, ipsius auxilio niteretur. Propter hoc denique relinquet, inquit, homo patrem suum & matrem: non fœmina planè, sed vir, ob insitum libidinis stimulum ad fœminæ concubitum properans. Et adhærebit, inquit, vxori vir, non vxor viro, & erunt duo in carne vna. Huiusmodi vero potentiam aduersus dominatorem suum infirmiori sexu creator largitus, ipsam quoque effigiem, ac speciem fœminei corporis molliorem effinxit: vt & tactu, & aspectu, & motu, teneritudine denique, & delicata agitatione membrorum, & inspiciens, & inspecta, masculo esset * voluptatis illecebra, quocumque se verteret vndique sese illius sensibus ingerens. Hac igitur vi ob eam, quam prædiximus, causam nostris corporibus insita, virgo æqualem quidem eiusdemque substantiæ animam & viro & mulieri inesse considerans, cæterum in vtroque sexu pro varietate affectionum * hanc molliri in fœminam, illam in virile robur euadere, simulque ex corporum, quibus alligatæ sunt, cupidineo congressu innumeras perturbationum species percipere animas cernens, hanc quidem ab omni affectione corporis secernere, iugiter in animum inducit: habitum vero illum excidere, qui sibi per naturam inditus est ad marem, sese à corpore ad veram speciem suam conuertendo, profitetur. Hanc autem pergere * virtutis viam omni studio intendens, non iam ipsam conditionis suæ proprietatem & habitum quem ad virum habet intuetur, sed insitæ sibi animæ incorporalis ad incorporeum Deum propinquitatem acutissimo circumspicit oculo, & amoris intimi & spiritalis longè clarius lucentem, ac suauius ardentem faculam in se accendens, gloriosis pro illo sudoribus sese exercere iugiter cupit: nudamque se, ac sine vllo omnino sensu voluptatum eius, in quo viuit, corporis pro viribus curat ostendere. Quoniam igitur diuinum profectò quiddam, ac præcipuum immaculatæ animæ insigne virginitas existit: masculorumque ac fœmineorum corporum is est, quem diximus, ad inuicem habitus, virgo, quæ nullam fœmineæ voluptatis labem ex corpore patitur, & omnia carnis vitia, omnemque perturbationem animi ab se prorsus eliminans purissimam se Deo sistere, quem amare profitetur, tota animi intentione conatur: manifestum est, quod *violentorum præmium cœlorum regnum esse* non ignorans, vt proposita destinatione fruatur: vim inferre naturæ suæ debeat, neque eam tantum superare voluptatem, quæ in eiusmodi ita effecto corpore concubitus illecebram suggerit: verum contra omnem voluptatis speciem fortiter constanterque persistere. Voluptas enim, cum vna generaliter sit, veluti fons quidam à carne profluit, atque in quinos sensus, veluti in riuos quinque distributa, per hos ad sensibilia ab intimis fluit,

quorum

Virginitas Deo hominem reddit simillimũ.
** Virginitate.*
Corporis integritas virginitati famulatur animæ.
** ac sue ipsius pulchritudinis obsequium.*
Aggressio operis.
Collationes.
† ὄισρον ἀρρην.
Gen. 2.
* δι' ἑνὸς.
Simile elegans ex collatione magnetis.
* incantãs.
Ephes. 5.
* μαλαγμα ἡδονῆς.
* τὴν θηλυνομένην. τὴν ἀρρενωμένην.
* πρὸς τὸ οἰκειον καλόν.
Matth. 11.
ἀλληγορικῶς omnia hæc, sed eleganter.

quorum quilibet per propriam organi sui feneſtram fluentum ſuum ſenſibili, quod offenderit, vehementer immittens, quicquid propinquum fuerit correptum, ad ſe pertrahit: carnaliq́ue limo adimplens ac torrentis inſtar: è contra rurſus ab exterioribus per eaſdem feneſtras in carnis æſtus celerius refluens animã perturbationum fluctibus quatit, atque in profunda demergit. Quo circa ſancta virgo ſenſuũ feneſtris cuſtodem admouere rationem, eorumq́ue ad exteriora progreſſum nequaquam eis trãſitu libero paſsim permiſſo, moderatum & quietum efficere omni ſtudio curabit: ne ſcilicet ſi ad quæ velint, effundantur, ſupernatantem ſibi interdum animam fluctibus agitent, & ad ſua vitia pertrahant. Studeat item & ab exterioribus inuectum in eam denuo fluentum anguſtis [vt ita dixerim] aditibus colare, atque in illam omni purum labe transmittere, ne carnali cœno inundans, quod vitioſo traxit affectu, ipſam totam ſordibus ſuis agitando perturbet. Non igitur oculorum acies ad omnia paſſim inſpicienda viſibilia pandenda eſt, ne omnem quoque figurarum atque formarum ſpeciem ſine diſcretionis examine hauriens, ad earum poſtea turbetur imagines. Verum apertis ad ea, quæ vitæ vſu neceſſariò inſpicienda ſunt, corporeis oculis, animæ omnino claudet obtutus, eoſq́ue ad veri intuitum luminis & eius, quæ ex illo inſinuatur, pulchritudinis conſiderationem etiam eatenus clauſos, peruigili aperiet ſtudio. Ne auditum quidem temere, & indiſcuſſe verbis omnibus accommodabit: cæterum ad ea, quæ mala ſunt, & noxia: ipſum veluti † ad peſtẽ quãdam putidi, ac pernicioſi amnis obturabit. His vero quæ ſunt optima, emanantq́ue virtutis puriſsimos latices, tota intentione ſubijciet. Guſtum itidem ad ſuauia & dulcia ſemper inhiantem ratione frenabit, & ad ea, quæ ſunt neceſſario ſumenda, moderabitur. Tactum vero, vt ſenſuum omnium pernicioſiſſimum, & ſæuiſsimè blandientem, ſenſuſq́ue reliquos in ſua ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatũ, & perturbationibus minime peruiũ, ſemper quàm maxima poterit cura, ſeruabit. Hic enim, toto cum ſit diffuſus corpore, per omnem illius ſuperficiem, non eam ſolum, quæ apparet extrinſecus, verum & quæ altius recõdita eſt, ad vitioſos contactus aduerſus animam ſęuè dominatur. Porrò manibus ad vſus noxios præcipuè nitens, his veluti quibuſdam circunſeptus armis, feruẽtius per horum inſtrumentorum conſenſum omnes qui inciderint, capit. Ne aſpectũ quidem blanda ſeductione ſua immunem abire patitur, ſed eum dum ad horridas ferè tetraſque figuras turbat, atque confundit: ad leues autẽ, & quæ venuſtiore facie, adiecta coloris gratia, ad fallendum formatæ ſunt, perfundit atque delinit, potentiam ſuam per illum ſatis inſinuat. Auditum item, dum vocibus aſperis & duris, offendit: mollibus vero per inſpirantem leniter aërem profundè demulcet, quod ſui muneris eſt, ad voluptatis opus per hũc etiã perficit. Superfluum eſt de guſtu loqui, qui, cum huius omnino contubernalis ſit, ad ingratos quoſque liquores, frontem contrahit atque triſtatur: ad eos vero, qui ſunt ſuauiſsimi, lacunas ſuas inexplebiliter aperit. Nam de genitalibus membris quid me dicere neceſſe eſt? vt ſcilicet inditam eis ad ſerendos fœtus vim, ſuis omnino pharmacis vinciens, conſenſu horũ lenitudinis, quæ in tactu eſt, ad voluptatem ſuam vinctum captiuumq́ue hominem ducit. Per tactum igitur quendam (vt ſupra declaratum eſt) & aſpectus ad voluptatem animam fallit. Iactis enim luminũ radijs, veluti quibuſdam incorporeis manibus, quæcumque voluerit, eminus tangit: & quæ corporeis manibus attingere in poteſtate non habet, ea oculorum iactibus paſſiuè complectens, per eas, quas impreſsit animo, formas corpus omne ad inuectas imagines voluptatis æſtibus iactat. Auditus itẽ par hanc ſuauitatem vocis attingens, eius ope animam in laſciuiam ſoluit, atque, vt breuiter dixerim, ſenſus omnis, quemadmodum corpus commune eſt, in quo dominatur: ita & eius tactum nactus communem, per hunc ſenſus ſingulos ad ſuam quemque ſuauitatem ducit, ac per omnia totum in tactu conſtitutum corpus noſtrum ad voluptates omnes variè impellit. Ergo, cum in ſenſibus reliquis, tum in guſtu præcipuè, ac genitalibus membris tactus dominatur, iſtiq́ue ita connexi ſunt, vt catenæ in morem alter ex altero pendeat: atque ex eis alter adminiſtratur, alter verò

Ratio quinque ſenſuũ cuſtos eſto peruigil.

Oculorum moderatio qua.

Aures quomodo ſepienda.

† πρόσλιγα βυσσώδες γεύματος φύσιν.

ad illationẽ ſaporis grauiolentis. Guſtus & Tactus.

A miniſter efficitur. Porrò ſimul omnes ad reginam ſuam voluptatem ſenſuum operationem per iactũ tranſmittentes, magis ac magis animam inquinant perturbationibus ſuis, & corpori vehementer affigunt. Cum itaque virgini propoſitum ſit, animũ omni corporeæ voluptatis labe purũ, integrumq́ue ſeruare, neceſſariò tactum, vt eius inquinationis, & affictionis autorem ab anima præcidere omnibus modis debet: vt vehiculo tactuum per alios ſenſus exciſo, illorum quoque vna fomenta ad proprias cuiuſque voluptates pro viribus auferat. Quid ergo illud eſt, quod animam in primis ad tactum corporis inquinat, & quodammodo corpus efficit reliquorumq́ue ſenſuum voluptates multis modis germinat? Tactus ſcilicet, qui in guſtu eſt, quique corpus ad coitum paſsiuè titillat. Ex his præcedit guſtus ille tactus, ſequiturq́ue cõcubitus. Nam per guſtus tactum, ad ingluuiem vẽtris iugiter voracitate delinita, impinguatur corpus. Ipſum vero feruentibus in imis receſsibus humoribus lenibus concitatum libidine ad concubitus tactum impatientiſsimè fertur. Quocirca quæ congreſſus huius voluptatem virginitatis propoſito ſuperare inſtituit: prius eius, quę in guſtu eſt, ſuauitatis, quippe quæ illi fomenta miniſtrat, victricem ſe oſtendat neceſſe eſt. Ex rationali namque, & irrationali parte, iuxta gẽtilis phyſiologiæ rationem, hominem veluti Centaurum quendam creator effingẽs, ſuperiori parti à capite vſque ad pectus humana forma inſignitæ, reliquũ corporis ab vmbilico, & lumbis, equina ſubiecit effigie, quæ ad ventris voluptates brutorum inſtar prona atque ad concubitus effrenate procliuis eſt. Neque enim ab irrationabili parte per luxũ rapi ratione præditam voluit: ſed à rationali potius rationis exortem ad vſus neceſſarios regi ſapientiſsimè ſtatuit. Huius denique indultæ ſibi diuinitus poteſtatis gratia ſi quando rationalis pars peruerſo ordine ipſa non regit: ſed ab irrationali potius regitur, improperat aurigæ ſermo diuinus, cur ſe ad irrationalis voluptatẽ peſſimè à ſua dignitate deiecerit, dicens: *Equi inſanientes in fœminas facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui adhinniuit.* Atq; alio in loco ab vmbilico, & lumbis irrationalem hominis partem dominari aduerſus animam ſignificans: *Ecce*, inquit, *virtus eius in lumbis eius, & poteſtas eius in vmbilico ventris:* Ventre enim diſtento epulis, neceſſe eſt ea, quæ ſub ipſo ſunt, mẽbra ex humoris redundantia in profundo feruentis ad propria & naturalia officia moueri. Quippe ſuperior venter ſuppetit illis incentiua libidinis. Ceterùm voracitas principio materias ac fomenta eius ardoris inſtillat. Ante omnia igitur aduerſus guſtum virgo tota intentione pugnabit: fonteſque voluptatum ventris, & impudicitiæ fomitum inde manantium à principio caſtitatis ſtudio & ardore ſiccabit: ne dum virginitatem ſeruare proponit, guſtui ſe immoderatè proſtituens, caſtitatem ſuam alia fruendi voluptate deuicta ſenſim, dum neſcit, amittat. Virginem enim eſſe & guſtum virginis conuenit: nulliq́ue gula ſuauiter oblectanti illecebræ peruium. Integram ſe & in hac parte, atque inuiolabilem ſancta virgo cautè ſeruabit: corpuſque, vt ſeruire queat animæ in his, quæ ſunt neceſſaria victui, moderabitur prudenter, ac reget. Neque enim expedit, dum nimis obſeruat ne guſtus voluptatẽ rapiatur, manãteſque ex ventre voluptates per ciborum abſtinentiam frenare pergit: contrà ita corpus atterere, vt inualidum iam, inutileq́ue reddatur. *Ne declines enim*, inquit, *ad dexteram ſiue ad ſiniſtram.* Sicut enim guſtui ad omnes paſſim cibos liberè frena laxare, ob ea, quæ prædiximus, noxium re vera ac pernicioſum: ita neceſſaria illi alimenta negandõ, corpus infirmum atque inualidum reddere, irrationabile prorſus ac ſtultum eſt. Extrema enim quæque [vt ait ſapiens quidam] ac per id inæqualia periculoſa ſunt. Nam ſicut per ciborum abundantiam laſciuiens equus noſter aurigam quacumque vult, peſsimè præcipitem fert: ita & per nimiam propoſitum impedit virtutis iter. Quemadmodum denique aurigæ non expedit, equum ita affluenti ſaginare præſepio: vt illius laſciuis motibus, inordinatiſq; lædatur: & quo ille voluerit, circunferatur, dum feruidis eius ac nimijs viribus nequit obſiſtere: ita neque virtutis viam cum eo pergere inſtituenti, conuenit ex nimia neceſſarij victus indigẽtia vires eius omnino deijcere, ne perpetuis infirmitatis incõmodis preſſo, alligatus inextricabiles

Virginitati tuenda ſcopus præſcriptus.

Phyſiologica ſed & elegãs ὁμοίωσις.

Ierem. 9:

Iob 40. 11:

Guſtus fons voluptatũ.

Virgini adſit & virginalis guſtus.

Diſcretio neceſſaria vel virgini maxime.

Deut. 5.

Γνώμη ex collatione

A ſimili petita βεβαίωσις

ipsius causa labores subire cogatur: fit enim ferè vt dũ prorsus lapsum erigere iam ad cursum nequit, nec dimittere illũ naturali coniunctione permittitur, per inseparabile consortium semper ei condolere, ac circa eius curam laborare compellatur: & ex eo quod ad capessenda spiritalia exercitia congruo careat robore: dum currere, ac pugnare dissuescit, multum iam quæsitæ pridem peritiæ amittat. Quoniam igitur innatum nobis vehiculum, neque nimis laxando frena, neque rursus immodicè illa retinẽdo, ad virtutis cursum producere oportet, idcirco & corporum status, & habitus, & ciborum qualitates solerter explorare conueniet, vt valido quidem, ac vegeto corpori, naturaliq; calore abundanti frena immittamus: ac per inediã, frigidioresque cibos redundantiam illam caloris arceamus, ne vel lautioribus escis naturalem pinguedinem augentes vel vini licentiore vsu feruorem insitum magis magisq; succendentes, ignem igni, iuxta veram illam gentilium sententiam adijciamus. Itaque & robusto per ætatem & naturali nimio calore æstuanti, purissimos ex fonte latices modicè submini-stremus, vt ardentes naturæ flammas contraria aquarum vi restinguamus: atque ad mansuetudinem insita nobis ratione temperemus. Porrò senili iam & frigescenti, cibi potusque adiumentum ad sustentandas vires ingeramus. Neque vero sola escarum quantitas vbique probè metienda, sed & qualitas in primis sapienter discernenda est. Nec enim solam exteriorem earum faciem inspicere, sed quam habeant intrinsecus reconditam penitus vim, prudenter explorare conueniet. non solum enim legumina, seminumque nonnulla, verùm & olera pleraque sunt, quæ monacho quietum vitæ gubernaculum tenere cupienti, contra ac se habet communis opinio, pro noxijs vitanda sunt: quippe quæ carnis receſſus intimos pungunt, & pruritus, titillationesque excitantia, non minus corpora nostra perturbant, ac secreta vi sua inquietant: quàm quæ consensu omnium fugienda censentur. Quocirca nec sale passim, atque indifferenter vtemur: sicuti fieri apud pleroſque comperimus, qui per immoderatam continentiam pulmenta omnia repudiantes hũc solo cum pane vice condimentorum omnium sumunt. Non intelligunt, qui sunt eiusmodi, salem cum sit per naturam fecundus, ac per acrimoniæ vim corpori prurigines excitet, plus cæteris ad libidinem, coitumque prouocare. Quòd si in eis quoque sumẽdis, vtine proposito excidat, maximam oportet aurigam adhibere rationem: multo profectò magis † ea pomorum genera distinguere conuenit, quæ apertè noxijs vlla ratione sunt proxima. Itaque omnibus in locis cibus, qui sit ad victum necessarius, solerti ratione inquirendus condimentorumque elaboratæ blanditiæ vt voluptatis illecebræ repudiandæ. Si enim panis confirmat cor hominis, non opus est vltra cibum vitæ necessarium huiusmodi † liquamina temerè admittere. Ne salem quidem, qui panis condimentum est quantitate parem cum pane sumemus. Nam si nemo ferè est, qui condimenta eis rebus, quarum condimenta sunt, æqualia pondere in cibum sumat: quis iam erit, qui plus huiusmodi liquaminum ac condimentorum, quã principalis cibi sumere non erubescat? Quòd si fiat: non iam ista panis erunt condimenta, sed horum panis gustusque iterum aurigam, dum nescit, alia ratione per obsoniorum † varietatem fallet, atque ad voluptatem clam pertrahet: inueniet-urque quod fugit, denuo per abstinentiam persequi. Igitur vt in corpore, veluti in tetrachordo, vt breuiter dicam, harmonia optima sit [ex quatuor enim elementis humo, aqua, aëre, & igne corpora nostra consistunt] fracto quidem alimentis necessarijs auxiliabitur: vegetiori autem, ac valido caute illa, & prouide subtrahet: exercitijque spiritalis instituto vires eius immodicas franget. Neque vero quantitates modo insiti nobis calidi & frigidi, verum & qualitates sicci atque humidi probè discutiet. Et illis quidem duce ratione, vel augere, vel demere, has item vel intercidere, vel per spiritale exercitium remittere: easque partim immutare, partim vt per naturam sunt, seruare pro viribus studẽs, ita demum omni amota dissonantia tetrachordum corporis nostri, congruum re vera, atque consonum ad concentum veri boni, animæ aptabit. Hæc interim de gustu propter eos, qui se ad sanctæ virginitatis, imò ad virtutis totius exercent cursum, tantisper dixerimus: ex quibus id quoque simul ostendimus, quia sicuti corporis aduersus animam vires ad virtutis acquisitionem impedimento sunt: ita è contra infirmitas, cum nequeat corporale instrumentum prõptis animæ desiderijs obsequi, virtutis intercipit cursum. Neque enim plus carnis sarcina pennas animæ ad infima deijcit, quàm imbecillitas corporis, dum iugi ad id curandum occupatione distenta non permittitur ad cœlestia vt cupit euolare, nec solum ob eam molestiam virtutum acquisitione priuatur, sed & partas iam, dum impedimenta infirmi corporis pugnare, seque ad sacra certamina exercere dissuescit: sensim, dum nescit, amittit. Sicut enim venter pinguis, nõ quia ita naturaliter affectus est, sed in quẽ pinguedo per gulæ intemperantiam affatim fluxit: perturbans & impinguans animum, non gignit sensum tenuem: ita & qui per imbecillitatem nimiam fuerit exilis, & gracilis, in emortuo corpore tenuem quoque iam genitum prorsus extinguit. Illud etiam dictum non simpliciter hos quidem vitandos esse cibos: hos vero temere ad satietatem vsque admittendos, verum & quantitatem sobriè vbique metiendam: quæ, si excedat frugalitatis modum: idem solet, quod noxia quæque operari, & qualitatem cautè discernendam: quæ, nisi solicitè discutiantur, non minus habet virium, quàm quæ apertè sunt noxia, rationemque prorsus esse honorandam: vt in cœlestis exercitij studio ratio nos, non temeritas agat. Quòd si *proximum tanquam nos ipsos diligere iubemur:* ac per eius mandati vim illi qui ait: *Nudus eram, & operuistis me: esuriens, & refecistis me: infirmus, & visitastis me:* in membris suis studiosè semper assistimus: † mandatum profectò non implet: qui cum alteri curet assistere, atque opem ferre, seipsum infirmantem immaniter necat. Constat enim quia falsò diligit proximum, eiusque prospicere commodis pergit, qui seipsum diligere nescit. Et qua tandem ratione mandatum ille iustè implere dicitur, qui causam cum famulo corpore integrè ac iustè non iudicat, ceterum subiugandi obtentu illud se castigare professus, indiscreto potius impetu pessimè consumit ac perimit? Quomodo enim iam Domino seruiet, quòd ipsum Dominum, eius quam ab ipso pertulit, violentiæ ministrum accepit? Quo item pacto Domino suo ad fratrum beneficentiam seruiet, quod cæteros ad huiuscemodi ferenda beneficia idoneos, ad sui curam seruos attrahit? Non iam enim Domino ad virtutis ministrabit opus, sed attritum morbo reliquis omnibus erit beneficentiæ occasio: miserum habens omnium iudicio Dominum, propter assiduam & ærũnosam circa se curam: seruumque miserabilem, ob eius insanabilem cædem. Nam profectò neque Dominus vllam iam operum suorum rationem habiturus est, illius curæ perpetuò deditus: sed nec adeò miserabili conditione constrictus, quomodo ab eius coniunctione liber euadat consiliũ inueniet: neque seruus misericordia & cura potitus, congruas ad seruiendum Domino vires recuperare iam poterit, sed cum alter alteri morbi incurabilis occasio sit, vtrũque defectus rationis inextricabilibus carceris * nodis adstrinxit, qui meritò & à magistro certaminis, & à spectatoribus omnibus carpitur: ignominiaque notatur, quod scilicet ad cursus cœlestis certamẽ adscriptus, dum sine ratione cursum instituit suum: non modò nihil eorum prudenter exercuit, quæ ad huiusmodi stadium conferunt: verum & illum iniustè deiecisse, qui sibi ad cursum seruire debuerat: & se vnà stolidissimè dum nescit, euertisse deprehensus est. Quocirca necessariò his, qui adipiscendi veri boni studio corpus macerare pergũt, iterato dictabimus. *Ne declines ad dexteram, siue ad sinistram.* Sicut enim in gulæ intemperantiam declinare graue ac periculosum est, ita per nimiam abstinentiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutile reddere, omni profectò ratione caret. Neque enim abstinere à voluptatibus gulæ, per se expetendum est, sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quòd si illud, cuius gratia ciborũ abstinentiã eligimus, per immoderatã negligamus inediam: cõtrà atque instituimus, agimus. Nã fracto contritoque instrumento, neque Deo inhærere per lectionis & orationis studium possumus: neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Igitur & corporis cura necessariò habenda est, non ipsius gratia: sed vt seruitio

Perfiat in metaphora inuitans ad temperãtiã.

Virgini etiã vel sale magna tẽperie cur viendũ. Salis esu prurigo ciet-ur.

† ψῶν ἀχροδρύων. *Vitanda cõdimenta vt illecebræ voluptatis.*

† προσϕάγημα.

† ψῶν προσϕαγημάτων. *Harmonia corporis simili confirmatur.*

Ανομοίωσις *ex collatione.*

Luc. 10. Matth. 25.

† ὑποκρίνεται τὴν ἀνιολήν. Γνώμη. *Macerandũ quidẽ corpus sed moderata temperie.*

Deut. 5. & 16. Γνώμη *à cõtrarijs.*

Corporis nempe organi ad spiritualia sanitas tuẽda.

Metaphora elegans à stadio cursorum.

seruitio illius ad Philosophiæ studia vti possimus. Impossibile est enim, nisi famulatū corporis ad philosophiam obtemperantē habeamus, vel diuinis lectionibus operam dare: vel mēte in corpore ęgro lāguēte, orationi conueniēter insistere, vel omnino quicquam eorū, quæ ad philosophiam conferunt, in nostram sociorumque vtilitatem operari. Idcirco
1. Cor. 9. *castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo.* Insurgere enim aduersus Dominum per carnis vires, ac petulantiam gestiens, per continentiæ flagella coërceo, dominatumque recognoscere cogo. Non enim ita, inquit, ferio vt immoderatis illud vulneribus conteram, & inutile iam ad seruitium faciam: sed ea tantummodo ratio castigandi corpus est, vt seruituti subijciam, & Domino obsequi ritè compellam. At vero qui seruum ita per inediam subijcit, vt non solum ad ministerium Domini fiat inutilis: verum nec sibiipsi sufficere possit: quid aliud, quàm serui sui se famulum fecit? Necesse enim est corpore iam inualido ad seruiendum, ac per infirmitatem tabescente, contra illi seruire Dominum, dum semper circa infirmitatis eius curam versatur attonitus, nec iam exercitationis antiquæ meminisse præ huiusmodi occupatione permittitur, sed in serui sui obsequio vitæ tem-
Matth. 6. pus omne consumit. Non itaque simpliciter *carnis prouidentiam* faciendum non esse definiuit, sed addidit, *in concupiscentijs.* Oportet igitur concupiscibile carnis, atque ad vitia voluptatesque procliue, per continentiæ exercitia frangere: quod vero eius virile est, atque ad acquisitionem virtutis
Rom. 5. necessarium, prouida consideratione seruare. *Esca enim nos non commendat Deo. Neque enim est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto:* propter quæ ciborum quoque abstinentia cum ratione suscipitur. Nam si ipsam per se ciborum abstinentiam discutias, inquit, *neque si non comedamus, deficimus, neque si comedamus, abundemus.* Neque enim, qui non comedunt, ob id duntaxat plus aliquid comedentibus de virtute habent: neque qui comedunt, ex eo minus aliquid comedentibus habere putandi sunt: si modo illorum virtus interior æqualis sit. Oportet igitur ad animæ virtutem intentione directa, cuncta exercitia corporis aggredi, quæ, cum perbona non sint, eius tamen boni, cuius gratia arripiuntur ornata ministerio bona, & honesta fiunt. Denique ne boni huius ministerium infir-
1. Tim. 5. mitate corporis impediretur: *Vino*, inquit, *modico vtere propter stomachum tuum, & tuas frequentes infirmitates.* Sicut enim feruenti per ætatem, & valido vegetoque corpori minimè oportet (vt diximus) ignem igni addere: ita neque frigescenti per infirmitatem, vel iam per ætatem gelido, plus adhuc frigoris perniciosè congerere. Cęterum quemadmodum illic naturalem carnis ardorem, fomenta extrinsecus subducendo consumimus, ita consumptum laboribus, & iam per ætatem, aut morbum ferè extinctum, admotis cibi potusque adiumentis necessarijs, reparabimus. Quippe & in corpore pacis cura, & ratio habenda est: cum infirmitati quatuor illa, ex quibus compacti sumus, omnibus in locis assistant: ne, si aliquando superet quod in nobis est, aut frigidum aut calidum, aut aliud quodlibet ex quatuor: bello & incongruentia ex infirmitate, vel ex libidinis ardore manantibus, animam impleat. Sed hæc de vno tantum sensu, gustu scilicet, pro virginitatis tuendo instituto moderatè sunt dicta. Transeundum vero iam & ad sensus reliquos, vt veram virginem, sicuti proposuimus, videre possimus. Non ignorent igitur hi, qui veræ virginitatis ancillam per abstinentiam ciborum, & cæteros labores sancti instituti virginem seruare pergunt, fieri posse, vt huiusmodi corpore sit virgo, non anima. Sufficit enim & aspectus, qui animæ turpium rerum impressit imagines, & sermo lasciuior in aures cum voluptate delapsus, animum impudicitiæ ratione corrumpere. Veretur denique † amicus sponsi, eiusque feruens æmulator, ne forte corrumpantur, non corpora eorum, qui desponsati sunt Christo, sed mentes. Quocirca necesse est virgo animam longe maiore obseruet cura, quàm corpus: vti ne hanc alibi sine custodia passim dimittat, sed omni custodia seruet cor suum, vt neque per vocem profluens sermo auditorem demulceat ad voluptatis illecebram: neque rursus extrinsecus in aurem ab alio inuectus, ipsius cor ad concupiscentiam molliat. Eadem illi aspectus quoque ratio habenda est, vt videlicet non sit eius mol-

Γνώμη ex collatione contrariorū

Nō corporis virginitas mox animā efficit virginem.

† ὁ νυμφαγωγός, pronubus.

A lis obtutus, ne intuentibus voluptatis contra se emittat indicia: neque emissum forinsecus oculi iactum se patiatur attingere, ne hoc veluti ignito iaculo in corde percussa, ad voluptatis inflammetur imagines. Eris enim, inquit, quasi † ceruus iaculo percussus in iecore. Cæterum concurrentem aspectui suo alienum obtutum oportet ab animæ arce-
† ὡς ἔλαφος τρῶσ- re liminibus, intuitumque suum pudicitiæ indicem exhibe-
ματι πε- re cernentibus. Quippe & palpebrarum curiosior motus πληγὼς ἐν solicitare, atque ad eam voluptatem vel solus inflammare τὸ ἧπαρ. solet: quæ animam vel maxime concutit. Nam cum hausta *Metaphora.*
luminibus formæ obtutus passiuè defixerit, atque in anima voluptate mollita ceræ instar, conspectæ speciei imagines
B pressérit, quamuis ille abeat, seorsumque sit, qui huiusmodi formas impressit: insignita animo conspecti species, quod suum est, semper operatur: animamq; imaginibus ludit. Idcirco virgini principio quidē summopere cauendū est, ne cuiquam infigat obtutus: vel certe, si defixisse contigerit, figuras animo altius infigi molientes à se contraria virtute reijciat, ac penitus arceat: vt nullā corporis speciem diuturnis consuetudinis obiectaculis formet. Quòd si fortè cōtingat clam animæ corporeas imprimi formas, eas perpetua rerum honestarum memoria omni studio in seipsa delere cōtendat: corporeas quidē illas veluti ceræ inscriptas animi ad meliora ac diuina conuersione abolendo, sanctarumque rerū imagines elaboratis meditationibus ac speculationibus
C illarum vice inscribendo. Sin vero iniectas in animo, ac si in sigillo infixas durare permittat, necessariò iam circa insignitam speciem occupatus animus alia bona omnia, & honesta negliget: atque ad impressæ altius speciei imaginem semper attonitus eiusce fruitionis desiderio fœdè iactabitur. Nec sanè quicquam ei proderit, quæ est eiusmodi: corpus seruare incorruptum, cum anima ad iniectas sibi per aspectum corporalis amoris illecebras prostituta vitietur. Metu enim aut pudore antiquam exterioris virginitatis gloriam cum simulatione retinens, eaque nudari infame plenumque dedecoris cēsens, eam seruare vel inuita conatur. Cæterum incorporeis manibus hunc iugiter, quē amat,
D amplectens, insitum medullitus animo secum semper, & vbique circunfert, & quæ corporaliter exequi, ne deprehēdatur erubescit: ea perpetrare cogitatione non metuit. Quā profectò iam ne corpore quidem quispiam ritè dixerit virginem. Nempe enim, cum is quem amat, ipsi inseparabiliter in mente iungatur, necessariò iam corpus quoque animæ perturbationibus congruit, ac motibus mentis vitiatæ consentiens, vna cùm Domina sit prostituta, corrumpitur: & per visum, & in somnis amatoria somniante illa, ipsū simul eisdem imaginibus luditur. At vero vbi perturbatio eiusmodi occupauit, obsēditque animā: superflua iam est ciborum abstinentia, & reliqua carnis afflictio, quando non iam equus equitem impetu suo præcipitem fert, sed eques
E ipse potius vi passionis intimæ equum stimulis libidinosæ cōmotionis exagitat. Sicut enim fieri in plerisq; cernimus, vt corpore iam senio fracto, ac pene resoluto, mens tamen præteritæ luxuriæ consuetudine languida, vltra ætatis vires corpus ad voluptatis imaginem concitet: ita & in his, quorum mentes vulnerauit, igneum cupidinis iaculum, emortuum quoque præ spiritalis exercitij studio corpus, animus ad suas concupiscentias irritat, non à corporis robore ad animam penetrante passione vitiosa, sed ipsa potius anima corpus nequiter ad officia sua incitante. Si igitur aspectus adeo pernicioſi ignis materia efficitur, audiamus monētem scripturam ac dicentem: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ* Prou. 2.
innuant iusta, neque te palpebræ rapiant, neque capiaris oculis tuis.
F Quod si iuxta eā, quam supra exposuimus, naturæ rationem tactus quidem est oculorum ad corpora iactus, & sicuti cum in eos, qui morbo tenentur, oculorum obtutus diutius figimus, morbi ipsius consortes efficimur, cōtraq; cum his, quæ aciem naturaliter innant, infigimus luminū radios: secretissima naturæ vi inde proficit noster intuitus, ita profecto & cum voluptatis indicijs inijcimus oculos: animus voluptatis morbo fit saucius: sicut etiā cum veris bonis intendimus, magna in anima per oculos emolumenta suscipimus. Est autem sanè iniquum & indignum, præterquam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem, quæ manu cōtrectare nō audet, ea iactu oculorum indifferēter attingere.

Γνώμη ex collatione

Qua animo virginitatem amisit, nec corpore virgo est.

Contagium per oculos hausium.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Dux enim & præuius, ac pronubus (vt ita dicam) oculorum iactus est eius, cuius manus ministræ sunt, tactus. Porrò hic ipse, qui per manus fit; illi qui per amplexum, concubitūque peragitur, feruenter obsequitur. Quæ igitur non euitauit luminum iactum, quantum in se est, ne manum quidem tactum polluta vitabit. Enimuero quæ huiusmodi amatorio tactu fuerit innexa, nunquam à sordida inquinatione munda reperitur. Sicut enim cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus: impossibileque est eum, qui ignem tetigerit manu, illæsam illā ab eius incentiua operatione seruare: cæterum aut bullæ repente tactum consecutæ turgescunt, ac dolorosa per feruorem & inflammationem vlcera mox rumpenda minantur, aut iam quoque facta in manu acria visuntur vlcera: ita possibile non est, eum, quem ignis amor attigerit eiusmodi tactum innocuum inuiolatumque præferre, sed aut simili ratione bullæ per tactum manus cordi clam subrepūt atque intumescunt: diraque amoris perturbationes feruētibus, & æstuantibus, incontinentissimisque agitationibus pariūt, ac peccati vlcera continuò rumpenda minuantur, aut animum totum in intimis iam grauiter exulceratum indicant. *Ignis enim ardens*, inquit, *est in omnibus mēbris.* In quem verò superuenit: eum à radicibus perdidit. Itaq; quoniā in membris ōnibus ignis hic ardet, his qui corpus adustione liberū seruare instituunt, membrorū omnium contactus cautè vitandus est, ne ardentē ignis operationem in membro per tactum, nō in ea solum parte, quam tetigit, sed in toto corpore, atque in anima ipsa suscipiāt. Si enim dum caudā quis tantum serpentis attingit, caput, magna licet corporis prolixitate disiunctū, ad caudę tactum repente conuertitur, & si digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur, & vitiosus profecto contactus, etiāsi manu tātum fiat, à capite tantum vsque ad extremos vngues ad consensum voluptatis pro eius, qui tetigit, nutu pertrahit corpus. Ac sicuti lapis in aquā cisternæ cōiectus, non solū adiacentem aquæ partem, in quam cecidit, agitat: verum orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit: ita & lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animā, velut in vndam purissimam vehementer iniectus, alias post alias quasi in profundo cogitationes amatorias excitat: ipsāque totam eius qui fecit imaginem sauciam fluctibus agitat. Quocirca summo studio oportet virginem aspectus vocisque blanditias vt pestiferæ, ac perditæ voluptatis illecebras à sensibus suis quàm longissimè arcere: & aurem quidem intus castissima cogitatione, oculos verò cautissima auersione munire. Non ignoret sanè prudens virgo, si huiusce lenocinia per aspectus atque aurium transitum in animā semel irruperint, fore vt manu quoque accedente adiutrice ad irritamenta voluptatis opus suū omnino cum tēporis progressu perficiāt. Sicut enim cū legione militū vrbis custodiæ, præfectus miles, dum domum sibi ad manendum per gyrum circuiens quærit: & aut vi excluſus à ianua, aut arte aliqua à Domino domus eluſus, se aliorsum conuertit: aut occupato primo ingressu facile ad interiora penetrat, quippiam ex armis illic suis, lanceam scilicet aut galeam, clypeumve deponit: ac licet sociorum gratia egressus foris interim esse videatur: potestate tamen intus est, obq; id, quod ex armis suis ibidem posuit: propriam suique iuris, ac sociorum, quos paulo post secum introducturus est, iā fecit domum: ita profecto & voluptatis ac peccati miles atrox domum tibi per circuitum quærens, aut à primo aditu excluſus aliorsum vertitur: aut anticipans facilem per sensus ad intima transitum, & aliquid armorum suorum, id est, vel aspectus lanceam per oculos eminus vulnerantem, vel galeā, sermonem scilicet voluptatis opificem per aures penetrātem, vel manuum tactum instar clypei cuiusdam corporis totum ad voluptatem concitantem in anima virginis ponens, & si foris esse videatur, peccati perpetratione nondū inquinato corpore, potestate tamen intus est: per arma ibi depositā vitians mentem: & propriæ iam voluptatis aliarūque perturbationum domicilium præcipuum animā, quæ horum quippiā susceperit, faciens. Obstruendus est igitur primus per sensus satelliti carnis ingressus: sensusque ipsi vt ianuæ ac fenestræ cordis seris ac vectibus vndique firmandi atque muniendi: ne per aliquem illorum versutus ascendēs, mortem, quæ contubernalis eius est: secum vnà introducat. *Mors enim*, inquit, *ascendit per fenestras vestras.* Reuera enim sensus fenestræ animæ sūt: quibus anima siue vt pudica mulier, exteriorem sensuum lucem ad considerationem vtilis cuiusque rei, eas modicè casteque aperiens, haurit: aut attonita ad exteriora quæque ac noxia curiosè spectāda, velut impudica meretrix prospicit ad oblectamenta lasciuiæ: ceruicem malè contorquens: ac per hos suauia, & læta hauriēs. De fenestris enim, inquit, ædium suarum prospiciēs quemcunque viderit stultorū filiorum, adolescentē mentis impotem: ea loquitur, quibus iam propter lenocinia sensuum se ipsam totam ad lasciuiam atque impudicitiam soluit. At verò quæ pudica est, intus in corde veluti in domo sedem statuens, atque inde sensus cogitationesque dijudicans, si quid vtile, virtutique congruum, & omnium perturbationū labe purum influat introrsum suscipit: si quid autem inutile, atque à virtute alienum, hoc extra fenestras suas obseratas prudentiæ manibus sapienter excludit. Non itaque conuenit ei, qui peccata concubitus superare proponit, huiusmodi periculorum implicari atque inuersari lapsibus. Nam & vocis & luminum tactus ad eum, qui per manus fit, occultè progreditur. Hique simul omnes sibi inuicem catenæ more connexi, eius, qui in congressū fit, contactus pronubi efficiuntur. Non igitur solus carnalis copulæ tactus virgini virgo seruandus est: verum & genus omne multiplicis tactus, ex quo species omnis per sensus virgini nascitur, integrū, atque incorruptum diligentissimè seruare debet: vt emissas eminus scintillas per oculos & vocē, ac reliquos voluptatis indices motus contrarijs pudicitiæ extinguēs flatibus, & eam, quæ ex hisce succenditur, flammā vnà prudēter extinguat: imò ne initio quidē voluptatis incētiua suscipiat: & nūquā penitus in carne ardētē flammā voluptatis admittat: virgo igitur sit virginis & auditus, & visus, & tactus denique motusque omnis. Ornanda itē est veræ virginitatis tota pulchritudo: vt neq; si adsit, gloriari naturali specie appetat: neque si desit, illā sibi cultu exteriore conquirat. Turpe enim profectò est, & incongruum virgini, atque ab ea quam profitetur, integritate prorsus alienum, aut traditis sibi ad speciē ab autore ornamentis gloriari: &, vt dixi: corporalē pulchritudinē ostentare, pluresq; carnis post se amatores trahere, ac solicitare ad cōmunē lapsū: aut, si careat naturali specie, quæ intuētibus irritamētū voluptatis est, ornatū extrinsecus quæsitum sibi studiosè admouere. Neque enim prior illa pudicam versare cogitationē deprehenditur, quæ in autoris opere, velut in suo gloriatur: atque in id certamē, in quod ne inducatur, à Domino per orationē petit: Ne nos, inquiēs, inducas in tentationē: dum post se trahit amatorum greges, sponte seipsam & apertè compellit: Ne secunda quidem castum possidet pectus, dū quā non accepit in corpore voluptatis illecebrā: eam formis coloribusque fucatis cōtra seipsam exprimere nititur: vtraque vero, dum nescit, traditū à Deo munus præter destinationis suæ propositum violat: speciosa quidē, quia pulchritudinem animæ per corporis speciem inquinat: quæ vero deformitatē corporis, præsidiū seruandæ virginitatis acceperat, quòd hāc in sui perniciem adulteris fucis traducere in speciem summa improbitate molitur. Contra vero oportebat illam temporalē spernari pulchritudinē: eaque non ad impedimentū decoris intimi, sed ad congerie atq; adiumētū vti, & amatores corporis ad animā tota intentione trāsferre. hāc vero, vt qua nihil minus ex his, quæ veraciter bona & honesta sunt, esse adepta: eam quæ putatur deformitas, vt tentationū quietē, tranquillitatēq; spiritualis vitæ, ac viaticum insenescibilis decoris amplecti. Æternis quippe frui, atque immortalibus bonis, tanquā proprijs virtutibus, æqua hæc ratione cū priore decertat, corporalium quoque priuilegiorū nihil illa suo tēpore minus habitura. Cuius autem rei gratia mortalē illæ persequantur ornatum, anceps sententia est. Nam, si quidē, vt virginitatis opitulentur instituto: ei quod profitetur repugnāt, dum per eiusmodi ornatum plures cōtra se aucupes irritant. Sin verò † vt formosæ videantur: profecto ratione caret, si eis fruituræ non sunt, à quibus opinionē affectatæ pulchritudinis expetūt, eam curā solicitudinēque suscipere. Quòd si, vt his etiam fruantur, quibus placere studeant, in

baratrum

Ομοίωσις elegans.

Psal. 77.

A simili argumentum.

Simili docet sensuum continentiam.

A simili itidem argum.

Ieremi. 9. Sensus, fenestræ animæ ex collatione.

Scopus quē virginalis ornamenti.

Virgini corporis cultus qui vitandus.

† διςτὸ ἐναντίον. *A contrario.*

baratrum se delapsas apertissimè nouerint, ac pro virginibus meretrices continuò habendas. Nisi fortè gemina concupiscentia distractæ trahuntur, vt scilicet & externis amatoribus exatiari cupiant: dumque id consequantur, faciem concupiscentiæ communis illecebram efficere studeant, & intimo se amatori verecundiæ, ac metus reseruent causa. Neque enim possibile est puram & simplicem esse talium conscientiam, quæ exteros amatores ad corpus arte & compositione pelliciunt, & sponso intimo ex dimidio placere volunt. Neque iam erit voluntas earum atque sententia sibimet æquabiliter consona, quæ veluti in confinio posita ad amorem interni amatoris, externique scinditur. *Nemo enim duobus Dominis seruire potest. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit,* exteriorem scilicet, cui per ornatum placere quærit, & interiorem *alterum contemnet*. Quæ vero * *innupta est: ea, quæ Domini sunt, sollicitè curat, quomodo placeat Domino: sicuti & nupta curat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro*. Et diuisa est, & mulier, & virgo. Nempe enim possibile non est & interna curare quomodo placeant, & foris ad spectatorum voluptatem veluti in scena comi & exornari. Verum vt is, qui in sole magistrum alloquitur, non magnopere curat intueri vmbram manuum ipsius motum consequentem totiusque formæ lineamenta imitantem, sed totus ex ore præceptoris pendet: ita & virgo nihil penitus † lineamenta corporea, formosa illa sint, an informia, curans, sed illa & quæ illorum sunt irridens, & ad præceptorem sponsumque suum tota intentione conuersa, hunc semper in luce candidissima per vitæ conuersationem alloquitur: *sollicita quippe est quomodo placeat Domino*: placet autem, si se illi talem iugiter offerat, qualem ipse fingere voluit. Non solum igitur ornari virginem non decet: aut impudicis luminibus fucatam formam ad lenocinium voluptatis ingerere, sed amore puritatis intimæ, naturalem quoque pulchritudinem pro viribus obnubere, ac dedita opera extinguere. Quia enim, iuxta superiorem rationem, † blandimentum cupidineæ voluptatis est fœmina, & masculo lasciuioribus oculis ad se inspiciendam illecebram naturaliter suggerit, ac liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi instar efficta est: mēbrorūque insinuata mollicie, ac toto prorsus corporis habitu, & motu ad seductionē formata voluptatis (non modò enim loquēs mulier & intuens, verum sedens quoque & incedens, ob insitam sibi naturaliter aduersus masculum vim, hunc ad se eminus † attrahit, nō secus, ac magnes lapis ferrum) idcirco summa ope contendat virgo necesse est, ne vllis voluptatis laqueis irretiatur. Imitetur itaque vocem obtutumque virilem, incessuque & omni prorsus habitu ac motu corporis voluptatis illecebrā vitet. Non se patiatur sancta virgo (id enim repetens iterum iterumque monebo) subijci carnalibus curis: neque in suam aliorumque perniciem carnalia ornamenta conquirat: sed ad firmam se, atque constantem virtutis speciem pudicis gestibus virilique robore subrigat. Ita enim fœmineam in se voluptatem perimet, suæque iam conditionis ac naturalis ad virum habitus prorsus oblita, pudicè assuescet castèque procedere. Neque enim passim, licenterque procedet: nec nisi quæ virgines conseruat necessitate cogatur, aliorum se domibus ingeret. Verum motus omnes suos ad interni arbitri nutum ac regulam dirigēs, moderatore processuum suorum mandato Domini semper vtetur, ac ne incongruo tempore progrediatur, competentem sibi diei partem cautè seruabit. Neque enim quia scriptum est, *infirmus eram, & nō visitastis me: &c.* cœlesti salubrique mandato ad dissolutionem suam, ac probrum abutetur, vt horis quibuslibet temere prodire præsumat: & improbe atque intempestiuè per vicos omnes volitando discurrere, intuendamque se cūctorum oculis petulāter inferre, nec bonum Domini mandatū non cōpetenter vsurpans, ad sui ipsius reprehēsionem malè inuertet, neque vsquā omnino sine ratione prodibit. Cęterū habita diligenti ętatis suæ ratione, non temerè progredietur, sed intra annos adolescentiæ posita ad ecclesiam tantum, ne tum quidem sola & incomitata procedet. Quod si ex mandato Domini aliò fortasis ire cogetur: id quoque significabit comitibus propositi sui atq; custodibus grauibus fœminis. Neq; enim temerè † gregalem esse virginem decet, quę nuptiarum vincula fugit, neq; passim quò velit incedere, quasi ideo renuerit virum: non vt immortali sponso semper assideat, sed vt in potestate habeat quocunq; velit malè libera & vaga discurrere. Nempe enim virgo non ideo viri connubia respuit, vt vitæ arbitro ac teste careret: siue vt zelotypia libera vbilibet versaretur vt vellet, sed vt voluptates carnis partusque dolores, & laboriosissimam curarum secularium molem ærumnosamque solicitudinem fugiens, sub iudice & teste Deo, virtutis zelotypo vitam suam ad incorruptionem disponeret atque dirigeret. *Deus enim*, inquit, *æmulator sum*: zelans eum scilicet, qui meam in vobis speciem corrumpere atque adulterare molitur. Nam si abiecto viri iugo, & ei vitæ, ad quam condita est, curę scilicet domus, & generationi filiorū inutilis, & virginitati quam profitetur, probro futura erat, atque ex eo prorsus summam passura iacturam, quòd & animam improbis cogitationibus, & corpus lasciuis motibus inquinet: præstabat illi profectò coniungi viro, qui se moderaretur ad vitā, eiq; commodū adiutorium ad curā domesticæ rei in recompēsationem regiminis sui vicissim persoluere: educare liberos, & ad successionem generis, & ad solatium senectutis, atque vna saltē ex parte propter zelotypiā viri, quantū fas est, Deo seruare se virginem. Eas quippe, quæ per vicos ac domos libere volitant: indisciplinatas esse, non virgines, veritatis sermo denuntiat. *Otiosæ enim addiscunt circumeuntes domos.* Non solum autem otiosæ, sed & nugaces & curiosæ, loquentes ea, quæ non decet. Quòd si viduam quæ viri iam experimentum cepit, virorumque in oculis versari consueuit, indecens est linguam ac pedes passim mouere, ne prædictis criminibus teneatur obnoxia: longè sanè indecētius est virginem, quæ verecundiæ ad virū nunquā exuit tunicam, honestam ac pudicam nō seruare linguam, gressumq; suū ea diligentia non moderari, vt nunquam illum nisi ad vsum necessariū atq; vtilē proferat. Illa namque tantū loqui virginē decet, quæ audientiū animos iuuare possint, & per sermonis puri veritatē atq; rectitudinē ad intelligentiam diuinarū rerū vbertim instruere atque exornare: fluentū quippe sermonis, quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index ac testis est. *Ex corde enim exeūt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.* ex quibus fructibus arbor agnoscitur. Vera igitur virgo, ex morum puritate tanquam ex vitreo fonte, sermonem suum lucidum, omnique inquinationis agitatione purum effundere trāquille debet: qui non modò nihil noxium aut subdolum, & quod sensum ad voluptatem demulceat, importet: verum ne otiosum quidem ac ratione vacuum, atque ideo rationali anima indignum. Omne denique verbum, quod ex virginis purissimo hauritur fonte, veluti incorruptionis poculo implere auditoris animam debet: eam ipsam à qua proficiscitur, itidē recreaturū. Talem itaque se exhibeat virgo, dum loquitur: si quando tamen loqui opus erit. Diligenter enim obseruandum est, cui, quomodo, & quando eam loqui deceat. Nam neque passim quibuscunque obuijs conuenit, sermonem virginis fluere, neque rursus his qui sunt digni veneratione, insolenter & inuerecundè nudari: neque, si careat vtilitate, contra propositum ac præter dignitatem virginis fundi: neque, si qua hunc vtilitatis ratio ex ore virgineo necessariò efflagitauerit, eius rei gratia liberius, quàm virginali pudori conueniat, ostētandi causa profluere. Verum vbiq; & personæ, & vtilitatis, & tēporis diligens illi ratio habenda. Cūq; necessario loquendum erit, multo pauciora, quàm audiet, referet. Namque & natura loquendi, audiendiq; modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam vnam nobis effinxit: quasi & duplū disciplinæ causa audire debeamus, & ad ea quæ rogamur, sesqualtera proportione contractum referre sermonem. Castigata itaque locutione prudens virgo vtetur: cumque tempestiuè quempiam oportuerit alloqui, multo audiet plura, quàm dicet. Omnisque sermo eius, cum procedet ex labijs, solam vtilitatem audientium feret. Aut, si interrogandum fuerit, instruendi animi gratia, sobriè ex ore ac verecundè prodibit. Aliàs verò intra cordis sui secreta cubilia quiescet: id iugiter atque plus alijs orans: *Pone Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*. Atque in hunc modū qs suū orationibus muniet. Nec minori sanè studio aures obstruere curabit, nequicquam in eas malum ac noxium influat: auditumque suum mente ac ratione frenabit: in auris ac linguæ quiete Domi-

num

Matt. 6.

* *1. Cor. 7.*

Argumentū à simili.

† τῶν τοῦ σώματος εἰδώλων.

1. Cor. 7. 32.

† μάλαγμα ἡδονῆς ἄρρενι ὕλην.

† μαγγανεύει. *Collatio fœminæ ad magnetem.*

Virgo mandatum Dei præstituat sibi auriga in omnibus.

Matth. 25.

† οὐ γὰρ ἀγελαίαν δεῖ τὴν παρθένον.

Melius est nubere quàm non viè seruare virginitatē

1. Tim. 5.

Custodia linguæ. Γνώμη tralata à fluento & fonte. *Matth. 15.*

Aures duas & linguam vnam. cur homini natura indiderit.

Psa. 140. 3.

Ibid. 4. num assiduè deprecans: *Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Enimuero illud longè absurdius est, & his quæ dicta sunt, merito censetur indignius, atque à virginali instituto prorsus alienum: virginem non solum hirundinis in morem volitare per domos, sed & nuptiarum ministram ac pronubam fieri. Honorabiles quidem nuptiæ in omnibus: verum alijs ea cura, non virgini competit. Neque enim illi expedit, propositi sui relicta semita, in triuijs seculi vulgaribus turbis passim misceri. Alia *Γνώμη.* est enim via nubentium, alia semita virginitatem profitentium: Et diuisa est virgo & nupta. Recedat igitur virgo à *†τῶν γαμικῶν ὑποθέσεων* †nuptialibus curis: immo ne causa quidem sit alijs nubendi, sed alijs, quibus institutum est carnales ambire sponsos, eiusmodi studia relinquant. Illæ ad ea concilianda connubia, si ita videbitur, vacent: sancta virgo quæ cœlestem sponsum flagrante charitate suspirat, si pio nubendi amore detinetur, cœlesti potius sponso immaculatas atque integras virgines iungere studeat: laborent illæ circa mortales thalamos: ista cum prudentibus accensa lampade circa immortalem sponsum festina tripudiet: illum sequens iugiter, atque ad virginitatis gloriam ei & sponsas alias copulans. Est enim re vera inuerecundum, plenumque dedecoris, cum soleant quæ antequam vitæ coniugalis molestias planè perspicere per ætatem possent, præuentæ sunt connubijs, innuptas, vt huiusmodi curarum experimenta fugere nitantur, summa cum beneuolentia hortari, proponentes immortalis sponsi gloriam: quantaque sit illarum dignitas, quanta & in præsenti & in futuro seculo felicitas, quæ illi desponsari meruerunt, admonentes, atque ad virginitatem omni studio tuendam, eas prouocantes: virginem è contra carnalis coniugij pronubam fieri, atque huiusmodi negotijs addici. Contra sanè quàm ille (vt mihi quidē videtur) sentire se, per ea, quæ gerit, insinuat. Namque virginitatis professione præuenta, pudotis causa se ad eam componit vel inuita. Affectu tamen susciens nuptias, ac pœnitens ea se voluptate priuatam, ex ijs quæ agit, quanto earum in intimis flagret amore, nō mediocriter indicat: quasi nubentibus apertissimè ostendere intendens, congratulari se illis, quòd huiusmodi voluptate *1. Cor. 7.* fruituræ sint. Cum itaque virgo & vita & instituto à nupta diuisa sit, non ignoret quænam se agere vtiliter deceat, vt integram atque illibatam per omne opus virginitatis pulchritudinem seruet: ne passim se atque indecēter effundens, per ea quæ gerit, castitatis propositum violet. Sed enim quæ vera virgo est: ea quam diximus diligentia in locutione, silētio processuque se obseruabit. Oportet quippe illam nō indiscusse, neque solam, sed iuxta eam quam præfiximus, normā cum mulieribus ætate prouectis, & vitæ præditis integritate, procedere. Neq; vero vsquam in vicis & plateis, vbi turpium flagitiosorumque hominum conflari cœtus consueuit, sacra virgo cernetur. Verum captata congrua processionis hora, talē se & habitu & incessu & toto corporis mo- *Virgini quā olim delatū sit, velut Dei simulachro. Simile elegans.* tu exhibebit: vt qui illi fortè obuij fuerint, ac si viuum Dei simulachrum aspicientes, faciem ad reuerentiam atque ad admirationem sanctitatis inclinēt: honestæque virtutis admoniti, mentem pudicam & sobriā referant: venerantur, inquā, aspectū virginis, atque (vt dixi) tanquam diuinæ imagini reuerenter de via cedāt. Quemadmodū deniq; satyrorū cōspectæ imagines risum intuentibus mouent: ac sicuti aliæ mœstiores effigies cernentium & animū, & faciem tristiū imaginationibus confundūt: & sicut nihil horū, cum mouetur, intuentium faciem in suum traducit affectum: sed quod in immota imagine aspicitur: in illa immobili forma cernentiū animos mouet atque ad sui imaginem dirigit: ita & virgo castitatis imago, imo ipsius virtutis effigies etiam conspecta solum, ad Dei considerationē humanos mox conuertere, ac mouere debet affectus. Feriatur itaq; impudicus quisq; animo ex aspectu virgineo pulcherrimæ castitatis admonitus: reminiscatur quisque protinus Dei, dum eam cernit effigiē, quæ se ad eius perficienda mandata semper exercet, atq; vt breuiter dixerim, omniū aspicientiū virginem, & affectus, & animus ad virtutis transferatur amorē, omnes ex allocutione eius grauitatem & compunctionē animo referāt. Nullus tanquā satyri, aut voluptatis delicatam ac pictam faciem intuens effundatur ad scelus: ne & illi probrum, & simulatæ virginitatis aspectu, & sibi maioris interitus causam ex contubernio virginis imprudentis acquirat. Diuinæ igitur imaginis (vt ita dixerim) prominente figura sese virgo omni genere virtutis exerceat, atque à seculi curis faciat prorsus alienam. Ita enim à corporis voluptatibus animam segregans, animumque totum ad amorem cœlestium intentissimè dirigens, omnia, quæ in mundo sunt, iucūda calcabit: nec modo feret his, quæ dulcia putantur & suauia, non perfrui: verum & earum perpetuas ærūnas miserabitur, quæ temporalibus his molestisque voluptatibus addictæ sunt. Nēpe enim eius quæ nupsit, multiplices (vt sic dixerim) mortes, quas illa in dies patitur, è regione considerans, sibi ipsi profectò propositoque suo gratulabitur. Nam quæ mortali connubio coniuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque altera adiecta, geminam in vna anima ex coniūcto sibi corpore sollicitudinem necessariò sustinet. Nec iam vnius tantum corporis la- *Coniugij molestiæ.* borat gratia: sed in vna (vt dixi) anima, & ad suum, & ad viri corpus curandum iugiter intenta diuiditur: vbi vero filios post cubiculi solēnia, & secreta commercia, parturire atque in lucem edere cœperit: per vnumquemque nascentē animo scinditur: & præsentibus tristibus nascituri cura semper adijcitur. Ac siquidem virum bonum blandumque nacta fuerit: perpetuò ne moriatur, metu viduitatis, incommoda, cruciatusque iam sustinet: diram quandam, & immitem curam, & præsente illo & absente, propter insperatos casus, animo indesinenter excipiens. Sin verò contrà, duro, & immiti fuerit coniuncta, tota quidem vita illi cruciatus est: & cum pudicitiæ ratione neutrum queat eligere: id est, nec viri mortem, propter viduitatis angustias: nec vitam, ob molestiam incommodumque conuictus: ancipiti atque ineuitabili malo, acerrimisque doloribus semper atteritur. Inde vbi filios edidit: aut ad bonam illi frugem euaserunt: & maiores ex illorum absentia dolores iugiter tolerat, quàm parturiens tulerat, aut malos euasisse considerat, & maius ex ea procreatione liberorum, quàm si permansisset sterilis, opprobrium sustinet. Sæpe antequam prædicta experiatur incommoda, vna & sponsa, & vidua efficitur, ac sine liberis in viduitatem delapsa, nec vxor iam, nec virgo, nec mater est. Sic profectò omnibus, quæ putantur læta coniugij simul *Ænigma in viduam infœcundam.* amissis, breuissimo voluptatis sensu, irrecuperabilem virginitatis perdidit florem: coniugijque tantum experta solum est, quantum illi satis esset ad dignoscenda viduitatis incommoda. Quòd si relicta vidua pupillos enutriat filios: eius, quem ex viri morte perceperat mœroris iuge illos monumentum cernit, & semper in lacrymis, semper in gemitu, semper in sollicitudine educandorum lugens, nullum præterito malo solatium inuenit. Præterea & propinquis, & famulis, & filiorū curatoribus, ipsisque postremo etiam filijs, vbi virilitatis annos attigerint: cunctisque omnino se vexari volētibus ad prædam miserabiliter expositа, doloris, luctusque tragœdiam, vitam suam omnium ingeret oculis. Et quid plura persequi necesse est? Dominum sibi cum dote infelix mulier coëmens virum, ancilla pro libera efficitur: breuissimæque voluptatis gratia naturali libertate se priuās, ianuam sibi ineffabilē dolorū, perpetuique mœroris per huiusmodi connubiū aperit. Manet enim immota maledictionis aduersus illā prolata sententia: quæ per omnes nuptias veluti epithalamium ita canit: *In doloribus paries filios,* & ad virū conuer- *Gen. 3.* sio tua, & ipse dominabitur tui. At verò prudens virgo iu- *Virginitatis cōmoda ex collatione nuptiarum.* gum huiusmodi seruitutis abijciens, & tota intentione ad Dominū currens, vnà dolorē quoq; qui ex maledictione intentabatur, abrupit. Effugit quippe partus angustias: effugit mortalis viri miserum iugum: simulque incommoda omnia quæ ex nuptijs prouenire monstrauimus. Effugit item peccatorum omnigenū inextricabiles nexus: & retia vitæ præsētis euasit. Effugit ante omnia carnis cōmercij corruptelam, & integra tota atque illibata anima quæ & corpore sancta, æterno regi se læta despondit: nec iam ad mortalem virum conuersionē suam fieri patitur, sed frugi perseuerans, se in vitæ constantia & honestate corā Domino semper exercet. Quippe coniugij finē corruptionē & iniurias esse cōsiderans, ex ipso fine tota nuptiarū tragediā prudēti ratione colligit: declinansque primā tristiū causam, manantē quoq; ex ea pressuram simul effugit. Idcirco quæ innupta est, cogitat solicitè quæ Dñi sint, quomodo placeat Domino. Que *1. Cor. 7.* autē nupsit, quæ sunt seculi, solicitè curat, quomodo placeat viro:

viro: & diuisa est & mulier & innupta. *Et virgo solicitè curat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Cum illa igitur, quæ secularia cogitat mortali scilicet coniuncta viro: curas cogitationesque partitur, eique seculares rerũ corruptibilium solicitudines linquens, sibi immortalium & incorruptibilium quæ sponsi sui familiares ac propinquæ sunt, seruauit. Quocirca nihil eorum quæ sæculi sunt, curare deprehenditur: ne videatur occupasse alterius partes. Sed curis omnibus secularibus libera, purissimo & quietissimo animo se ad sponsum suum tota intentione conuertit. Neque enim † ποριστικῆ τῇ δυνάμει viri sui dissidens † viribus circa vitæ necessaria, vt prior illa turbatur atque distrahitur, sed ipsius & summę in se charitati & sufficientibus ad omnia viribus freta: nihil aliud quàm vt illi placeat curat, per quæ hanc ipsam placendi sibi curam, eximiam eius ac semper ampliorem in se beneuolentiam attrahit. Quid autem est placere virginem Deo, nisi naturalem speciem suam virtutibus exercitij spiritualis coruscam semper ostendere, & eam iugiter integram intemeratamque seruare? Velle itaque placere Deo, nihil est aliud quàm laudabilem seipsam ac beatam & ei similem pro viribus facere. Verum enim quæ sic cogitat quomodo placeat Deo: non illi, cui placere quærit, per eam curam lucrum comparasse, sed sibi magis per hoc studium decorem incorruptibilem atque immortalitatem acquisisse deprehẽditur. Porrò si adeò sunt eximia virginis lucra & per eam quã suscipit curam cogitãs quomodo placeat Deo sibi ipsi prodest, efficiturque beata, minimè profectò conuenit vt quæ mundi sunt, cogitare vnquam inueniatur. Necesse enim est, vt eo ipso curam & cogitationem placẽdi Domino negligat: quo ea quæ sunt seculi cogitat, arguaturque rectori suo, gubernatorique diffidere. Neque enim possibile est & illi cõfidere, tanquam ad omnia sufficienti & secularium rerum distendi curis, sed si solicita est, quomodo placeat Domino scire profectò debet, quia & ipse in nullo licet obnoxius, quomodo sponsæ suæ placeat, curat. Nam si mortalem virum vitæ suæ præsidem atque custodẽ nacta mulier, suæ circa illum curæ & obsequij præmium, ipsius in omnibus gubernaculum & regimen vicissim recipit, quanto magis quæ Deo gubernationem sui tota fide permisit, & cum illo simul viuere semper eligit, copiosissima suæ circa illum curæ præmia, ipso sibi per omnia prospiciente, suscipiet? Habet autem fidei pignus ex ipsius præcedente prouidẽtia. Si enim cum necdum sibi placere quæreret: tantam erga illam ostendit charitatem, vt se pro ea promptè ac libenter offerret, vt eam suo sanguine sanctificaret: multò sanè magis placere sibi cupientis curam habiturus est: & cum his quæ sibi ad veram & æternam vitam conferunt: mortalis quoque vitæ stipendia illi prouisurus. Non autem vltra vrgentem necessitatem indulgebit delicijs Domini spõsa, neque vt voluptati studens mulier, superflua minusque necessaria requiret. Neque enim vel illi dare conuenit quæ sponsæ charitatem intercipiant ad voluptates corporis se cõuertentis, vel sibi ea expedit accipere quæ sensum suum à spirituali occupatione atque ab amore intimo auocent. Verum ea tantum quæ seruandæ vitæ sufficiant, prudenter expendens, nihil amplius inquiret. Neque vero vnquam per necessariorum indigentiam, etiamsi experiendæ dilectionis eius eam conteri sinatur inedia, pusillanimis effecta murmurabit, sed omnia credens, omnia sperans, omnia sustinens, ei quem diligit tota animi intentione coniuncta, & verissima charitate affixa, etiam dum in exteriore homine agit, emortuo iam, & quodammodo sensuum officio priuato: iugiter absque distractione vlla ipsius pascetur immortali alimonia, pulchritudineque satiabitur. Fit sæpe vt qui mortalem ardet & corruptibilem speciem, non modo pecunias, omnemque substantiam amoris gratia largè profundat, sed cibum etiam & somnum & vestem & habitum & omnem existimationem, corpus denique ipsum & corporis vitam dum solo põtiatur amore, contemnat: parietes item & domos, omnesque medios obices audacter ascendat: contra ipsos denique distractos gladios feratur insaniens: ac nisi solito cultu incedẽs perfrui amore possit, obmisso eo, vilissimo & inhonesto habitu præter dignitatem suam vt solam sequatur amorem, cum voluptate etiam serpendi molestiam ferret. Ita fermè & qui Deum veraciter diligit, ac solicitè illi placere quærit, non solum pecunias & opes vt amato satisfaciat & mandatis illius obtemperet negligere & aspernari debet, verum vt cibum necessarium, & somnum & exteriorem habitum, seculique fœdam profectò & inanissimam gloriam, corpus ipsum denique vitamque corpoream vt cœlesti amore saginetur, tota intentione contemnere. Parietes præterea carnalis propinquitatis & parentum domos omnemque medium mundum transilire, & ad martyrij gladios, si se præstet occasio, perniciter currere, ac nisi consueto habitu viuens, amore æterno frui possit: ignobiliorem assumere plurimaque mundi improperia cum voluptate tolerare iustissimè optabit, vt diuina, si ita dici liceat, insania sapienter insaniens, eo qui verè & summè amabilis est pro affectus sui desiderio fruatur. Huiusmodi profectò amatorem ad se de terrenis perturbationibus euocans hic ipse qui tam suauiter salubriterque diligitur, ait: *Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi.* Ille vero † vt quod cupiebat aspiceret, promptè libenterque sequebatur, & amoris gratia errare iucundè tolerabat, dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Nouerat ille vtique quoniam qui amat patrem aut matrem plusquam eum qui verè bonus est, frui illo non meretur. *Et qui non renunciat omnibus quæ possidet: adhuc autem & animæ suæ amicus & amator Domini vocari dignus non est.* Quocirca germanum in illum charissimumque affectum ostendere cum vellent hi, qui ea tantum quæ illius sunt, cogitare pergebant: Ecce, inquiunt, nos omnia dimisimus & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Dignumque illis amoris erga se præmium, iam tunc insinuans, dixit: *Amen amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Et omnis qui reliquerit domum aut agros aut fratres aut sorores aut vxorem aut filios, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Reuera iustum ac rationabile fuit, vt qui opere amorem erga illum suum omni vitæ suæ tempore, puram, inuiolatamque monstrassent: præmia sudoribus digna reciperent. Huiusmodi amore flagrantem, seculares opes & mortiferas suauitates atque delicias contemnere virginem decet, temporalemque gloriam & fastum & speciem corporis, perniciosasque calcare blanditias, ac proposito firmissimo Dominum sequi, ista secum perpetua meditatione voluentem: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* Sic profectò omnia, quę seculo deditis præclara censentur, qualia ea quisque appellare voluerit, & fœda & ridicula existimabit, vnumque solum bonum suum ambiet: atque illud intentissima mentis acie cernet. Quippe & sponsus amoris erga se illi præmia referens, siue illa ancilla sit, siue ignobilis, siue paupercula & obscura, atque in seculo penitus abiecta, consortio eam suo, & communione nobilitãs, cœlorum reginam facit, nec solo hanc munere immortalitatis honorat: sed exteriore etiam amictu, tanquam spõsam suam accuratissimè ornato componit, & vario. Cuius admirans gloriam hymnorum cœlestium cantor ad sponsum ait: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate:* vt quæ nunc pannosa seruilique habitu vilis habita est, in cœlestibus regnis regina & nobilis & honesta, ornatu vario regi adsistere inueniatur. Perquàm vero iniquum & indignum est, cum sponsus nimia vi amoris impulsus, nobilitatem & diuitias spreuerit, ignominiaque calcata, extremam quoque sit perpessus inopiam, vt nos illius paupertate ditaremur: sponsam immortalitatis consequendæ causa, nolle pro se mortuo paria reddere, sed affluere delicijs, & in lasciuiam solui, & seculo configurari malle, ac renuere cum illo pauper effici, & humiliari, qui propter se factus est pauper: vt ad proprias diuitias diuinitatis remeãti illi, quæ pauperi pro se effecto paupertatis accesserit consors, diuitiarum quoque, & regni in cœlis socia inueniatur. Despiciat ergo prudens virgo quicquid oculis carnis aspicitur, quantumlibet id apud plerosque præclarum esse iudicetur: imo ne initio quidem dignetur aspicere, sed excessu quodam diuino, qualem ille passus est, qui in extasi dixit:

† ὡς ἂν δύναιτο ἐπόθει ἰδεῖν, ἀλγητεύειν.

Gen. 12.

Rom. 8.

Luc. 22.

Quæ virgo aspernari debeat Christi gratia.

Matth. 19.

Psal 72.

Psal. 44.

Eodem hortatur. Christi exemplo.

Collatio.

Psal. 115. *Omnis homo mendax*, à sensibus atque à conseruis excedens, nudo, & expedito animo amoris sui beatissima satietate fruatur. Caueat ne aut aspectum aut motum aut sermonem suum affectu nimis pudico in quempiam ferat: motusque omnes & animi, & corporis in sponsi sui seruitium redigat. Vbique enim ille eius intuetur cor: & motus omnes diligenter explorat. Nulla igitur ex parte mœchari conuenit virginem, non lingua, non aure, non oculo, non tactu, non vllo denique sensu, multoque minus animo: sed corpus quidem veluti delubrũ quoddam, aut sponsi thalamũ aptissimè instruere atque seruare: animam vero in hoc ipso vt spõsam nitidam ac purissimam sponsi amplexibus iũgere: diligẽter enim ille omnia rimatur & discutit: non ea solum, quæ mortalibus patent obtutibus, sed quæ in intimis animi recessibus latent: † ipsiusque oculos nulla peccatricis conscientiæ latebra vnquam effugere poterit. Nam illæ quidẽ quæ mortalibus viris copulatæ sunt, quoties ad id nequitiæ proruperint, vt adulterij scelus perpetrare gestiant, virorum ingressus, atque exitus solicitè obseruant, aspectusq; illorum, & aures callidè, quantum licet, custodientes, adulterinis & verbis & nutibus aures atq; oculos ad impudicã voluptatẽ furtim ac latenter exsatiant. At vero Domini sponsa, cum eius neque obtutus, neq; aures, neq; præsentiam queat effugere: omnia in eius oculis gerit. Quapropter scire oportet virginem: quod siue sola aliquid loquatur, in sponsi auribus loquitur: siue sola quippiã agat, hoc ille diligenter intuetur: siue cogitet quicquam, hoc in ipso cordis motu citius ille cognitum & exploratũ habet. Faciet enim, inquit, quispiam in abditis, & ignorabo? Et quomodo *qui plãtauit aurem, nõ audiet? Aut qui finxit oculũ, non cõsiderat? † Qui corripit gẽtes, nõ arguet? Qui docet hominẽ sciẽtiam*, iste quo pacto non omnia agnoscet: *cuius omnia nuda, & aperta sunt oculis*? Idcirco homo peccati pro iniquitatis merito cæcatus, & seipsum fallens, dicat vt vult. Tenebræ operuerunt me & parietes in circuitu meo, quis me videt? Quæ vero sponsi candidissimam lucem semper in suo pectore susscipit: dignè pro ea quæ sibi debet inesse sapientia, per singula ita † exclamabit: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Probet igitur intuitum suum Domini sponsa: &, siquidem sponso suo gratum esse agnouerit, tunc iã illum plena fiducia moueat. Sin autẽ illi minus placere perssenserit, non se fallat, nec, quia nullus hominum videt, illum etiã latere se putet. Eadem ratione sermonem quoque suum, cogitationemque dijudicet: membrorũ quoq; itidem, ac digitorum per singula motum. Etsi illi placere peruideri, secura ista iam moueat: sin aliàs, eius vt supernè spectantis reuereatur semper obtutus. Si enim solicitè cogitat, quomodo placeat Domino: nihil eorum præsumere debet, quæ illi non placẽt. Quòd si, quia nullus hominum videt, fuerit vel verbo, vel nutu fortasse procacior, maximè quidem eo ipso accusatrix est sui, quòd ipsa cogitatione dum latere se putat, conscientia tamen intus arguente mordetur. Deinde apertè deprehenditur ad sponsi sui cæcutire dignitatem. Incorporeus enim ille cum sit, & susurri, & aspectus, & cogitationum atque intentionum cordis testis intimus atque arbiter semper adsistit: auersaturque eiusmodi fallacem simulatamque sententiam & voluptatem. Et idcirco in primis fucatam virginitatis speciem, & habitum odit: quòd quæ eiusmodi est, hominum oculos fallat: sponsamque se illi iugiter exhibere putetur: cum neq; sponsa ipsius, neq; hominis apertè sit vxor: sed hæc profecto, dum opinionem virginitatis per exteriorem habitum ab hominibus captat, in oculis sponsi adultera est, ac præter adulterij scelus, quo in sponsum suum peccat: impiè in eum contumeliosa est, quòd hominum plus esse verecundam, quàm ipsius faciem iudicat: quando ante illorum oculos, ne existimationem suam fœdet, indecens aliquid agere non audet, sub eius autem obtutibus, qui sẽper præsto est, sine vllo pudore gerit omnia. Quasi igitur præsente sponso, & inspectante omnia, & audiente, virgo se habebit in omnibus. Neq; ideo quæ Domino displicent perpetrare cauebit: quòd adsit vel vnus quem sui criminis conscium habere vereatur: per quẽ prodi timeat scelus. Non, etiam si vir non adsit, sed mulier aut puella aliqua ex ancillis quicquam eorum præsumet, quæ vel ad ornatum, vel ad amorem humanum pertinentia, Domino displicent. Verum sola quoque nullo prorsus hominum teste, nihil quod sponso suo indignum sit, agere vlla ratione patietur. Etsi enim adsit nemo, ipsa tamen sibi virgo adest, debetque præ omnibus seipsam reuereri. Neque enim quæ reueretur cæteros, seipsam reuerentia indignam iudicabit: verum (vt diximus) seipsam primum, conscientiamque suam reuerebitur: etiam si valde sit sola, deinde astantem sibi custodem angelum. *Angeli enim eorum semper vident*, inquit, *faciem patris vestri qui in cœlis est.* Neque vero conuenit vt angeli eius, cui credita est cura ac custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo: atque in primis virgo, quæ hunc ipsum castitatis suæ veluti paranymphum, custodemque habet. Præ cunctis autẽ ipsum sponsum suum reuerebitur, sibi vbiq; assistentem, ipsiusque patrem & Spiritum sanctum. Quid per singula pergam? Ipsas angelorum infinitas multitudines, & vnà sanctorum patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret. Etsi enim oculis carneis minimè conspicui sunt: incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt. Et hac ergo ratione si latere virgo plures quærit, longè hos magis, qui tanti ac tales sunt, quam homines reuereri merito debebit: Et quia multitudinis pauescit obtutus: hos autem vitare impossibile est, qui sunt infinita multitudo: nihil vnquam indecens faciet, aut à proposito suo alienum. Hæc igitur, atque huiusmodi, dum viuit, secum semper intentissimè cogitans, vndiq; seipsam inuiolabiliter muniet: Memoriaque repetens quia *oportet nos manifestari ante tribunal Christi*, non modò quicquam turpe agere, sed & cogitare formidabit. Mens quippe nostra pictoris in morem, in anima, veluti in tabula cogitationes vt placuerit format. Cumque ob gratiam liberi arbitrij † sui iuris, ac libera sit, & nusquam ob incorpoream naturam suam, naturalemque libertatem angustetur: sed quantam cupit, loci latitudinem semper inueniat: quæcumque velit, facile cogitationibus pingit. Inde quemadmodũ pictor, cum in gurgustio aliquo tabulam historiæ varietate repleuerit: illã repente in mediũ proferens ablatis velamentis omnibus, multitudini spectandã proponit: nec iam quæ picta sunt, interpretari opus habet: sed spectatoribus omnibus futuro quoque tempore picturam vt sese habet, inspiciendam noscendamque permittit: ita ferè & mens post vitæ exitum, sublato velamento corporis quo animæ tabula obtegebatur, quam per omne vitæ tempus varijs cogitationibus pinxit, quæque in intimis recessibus fuerant picta: cunctis cernenda producit in lucem, videreq; in promptu est animæ tabulã historiæ varietate plenã æquè ad intuendum cunctis expositam. Si igitur diuinæ quædam ex lectionibus sacris, cogitationibusque probis expressæ cernantur historiæ: laudibus omnibus & mens quæ pinxit, & animæ tabula quæ picturam susscepit, dignissima censetur ab omnibus: ita vt præ dignitate picturæ, summaq; pictoris industria & arte, amoueri à spectaculo auellique non possint: cunctis per singula picturæ pulchritudinem, figuras, diuinamque picturarum rerum formam admirantibus, & eximium pictorẽ illum, quòd ritè vita vsus sit, & sub hoc amictu corporis die noctuque huiusmodi picturas præter omnium spem venustiore manu, & arte animæ inscripserit tabulæ, laudantibus. Sin vero turpes atq; indecoræ picturæ illæ visæ fuerint, probro atque irrisione dignissimus pictor ille iudicabitur, cum fortè cõtra quam sperabatur priusquã velamen animæ amoueretur: submoto corporis tegmine, cuncta repente deformia, fœdaque apparuerint. Vbinam quæso tunc se iste recipiet, quando ex collatione alterius, inter cogitationes se inuicem accusantes, seu defendentes, à cunctis iudicabitur? Vbinam inquam animæ tabula illa statuetur, quæ spectantium oculos historijs obscœnis, omnique mõstruosa specie impleuit? Sicut enim qui maculas habent in corpore, priusquam veste nudẽtur, opertas, ac plurimis ignotas ferunt: sæpe vero pretiosissima ornati veste, cum fortè intrinsecus quoq; formosi ac venusti ex illo exteriore cultu putarentur, exuti tunica, nudiq; in balneo conspecti, contrà quam putabatur, ridiculi, atque innumeris maculis fœdè insigniti corpus, cõtinuo apparuerunt: neque iã obscurum esse potest, nudato sub omniũ oculis corpore, vbinã, qualis, quãtaq; sit macula, sed simul atq; nudata est, intuentium

† οὐκ ἄνθις μιχευομένη λάθοι τοῦτ' τὸ ὄμμα.

† ὁπαιδεύων.

† ὁπιφωνεῖται.

Nihil non apertum ac peruium interno iudici.

† ὁ ἀφιστὰς μὲν ἀπ' ἐλεύθερος ὁ αὐτεξούσιος ὤν.

A similitudine petita βεβαίωσις.

tuentium sese oculis aperit: ita & nos, cum velamen carnis exuerimus: neque subducere maculas animæ, neque operire vlla ratione poterimus: cæterum sub omnium obtutibus nudi atque conspicui quæ prius corpore quasi veste cõtecta minimè habere putabamur: ea nudata se omniũ oculis ingerẽt, nullusque iã vel negationi, vel defensioni erit locus: quando ipsa cernentur opera in suo autore conspicua. Non enim confusè, aut summatim & indigestè res ipsæ cernentur: sed singula per partes vt sese habeant, veluti in pictura noscentur. Exempli causa, quomodo ad patrãdum quisq; adulterium properans è lecto surrexit: quibus passibus incedens vsus est, † quo motu corporis, lentiore ac concitatiore: quem habitum, dum progrederetur, assumpsit: & qua ex parte irrumpens, vxorem alienam violauit: quo item ordine huic mulier ad nefarium opus se substrauit. Hæc, inquam, omnia, veluti in tabula per partes diligenter expressa cernentur. Neque ea solum quæ in apertum opus prorupere, verum & quæ sine effectu operis in animi tabula inscriptæ fuerunt cogitationes. Neq; enim nihil est cuiuslibet rei cogitatio in anima impressa atque formata. Quippe nihil est aliud imaginaria pertransiensque cogitatio in anima, quàm pictura imaginationis coloribus, & magnitudinibus, figurisque suis, quas in ea mens pinxerat, scripta. Et sicut qui artem exceptoriam didicit, notarũ omnium figuras & nomina, signaque octadum & tetradum memoriter tenens, cum necesse fuerit quæ dictantur excipere manus officio quæ in memoria inscripta erant, in tabulis digerit, & aliæ quidem ex notis stylo signatæ cernuntur: aliæ vero necdum insignitæ manu, animo tamen inscriptæ seruantur: ita & anima, cum cogitationes per corpus exequatur; alias in operis ducit effectum: quas vero necdũ opere impleuit, in se insculptas reseruat, easque etsi non actu corporeo, intra se tamen nutu voluntatis exequitur. Sicut enim corporis officium est, corporaliter aliquid exequi: ita opus animæ est, cogitationibus vt vult placatas sibi & gratas imagines fingere. Idcirco & cogitationis peccata, non vt phantasiæ simpliciter, verum vt consummata opera in anima merito iudicanda creduntur. Vt enim manus, licet notas signare desistat; notarum tamen figuris tota anima vbique inscripta est, quam profectò exutam corpore si quis inspiciat, videbit hisce notulis totam prorsus insignem atque descriptam, ita & nos cum exuerimus corpus, omnis nostra cogitatio veluti in pagina scripta apparebit. Quemadmodum vero qui non didicit notas earũ neque formas in anima scriptas habet: qui autem dicit, etsi eas manu minimè signauerit, arte tamen atque disciplina impressas animo, illarum tenet imagines: ita & qui peccatum non cogitat, eius neque imaginem inscriptam habet animo: qui vero illud cogitatione formauit, etsi in opus nequaquam prorumpat: animo tamen cogitationis suæ seruat imaginem, veluti in tabula apertè descriptam. Verum enim sicut is qui notas didicit, si illas scribere obmittat, sensim animo labuntur: ita vt processu temporis nullius iam octadis figuram, aut locum, aut nomen reuocare in animum queat: ita & qui iniqua cogitauit, si eiusmodi neglectis cogitationibus ad vtiliores alias animũ transferat, seque ad eas exerceat: procedente tempore priores illas memoria eliminans, ex animæ tabula perpetua obliuione delebit. Quippe memoria † nihil est aliud quam figura impressa cogitationũ in anima, veluti pictoris arte collocata. Et quomodo fieri potest, vt earum cogitationum pœnas non demus, quarum hactenus formas memoria versans, in anima, veluti in tabula viuas intuentibus monstrat? Itaque ne turpibus figuris animæ nostræ tabula plena inueniatur, memorias malarum cogitationum perpetua obliuione deleamus: bonarumque memoriam illarum vice formemus, ne qui nunc interim corporis operimento contecti deliteſcimus, vbi id postmodũ deposuerimus, fœdati maculis, ac præter eam quæ de nobis in hoc seculo manauerat opinionem, turpes & exprobrabiles cunctis videamur. Fortassis enim hoc sit quod ait Apostolus: Quorundã hominũ peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium: quosdam vero, & subsequuntur. Quæ enim manifesta omnibus sunt, quibus intuentes quique siue ad blasphemandum prouocati, siue ad imitandum, pessimè scandalizati sunt, procedunt. Occulta vero & quæ clam & absq; arbitris admissa sunt, non ideo, quia ignorantur ab hominibus, impunita remanent, sed eos inseparabiliter sequuntur, vt & seipsa & patratorem suum ostendant eatenus ignorantibus omnibus, ipsumque iusto iudicio tradant. Ita à suis sceleribus intercipietur infelix, dum & à manifestis præcedentibus ad iudicium trahitur, & ab occultis perpetuo se subsequentibus actibus impellitur. Ipsum denique sensum suum exponens Apostolus, in consequentibus ait: Similiter & bona opera coram hominibus lucentia, *vt videntes glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*, manifesta sunt: & quæ se aliter habent, celari non possunt. Oportet enim nos manifestari qui nunc ignoramur, cuiusmodi operum simus, ante tribunal Christi qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit occulta consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, quando recipiemus vnusquisque propria corporis sui, prout gessit, siue bonum siue malum. Non autem reticenda est & alia intelligentia, quę prudentem virginem aduersus imminentia bella copiosius possit instruere. Sicut enim sanctum, atque admirabilem Paulum, dum adhuc esset in corpore, alia quidem præcesserunt opera: cum plurimi ex his, qui propter doctrinam & conuersationem eius perfecti euasere: in æternam illum vitam præcedentes, sudorum præmia, quos pro illis pertulit apud iustum iudicẽ Deum illi parauerunt: alia vero solutum carneis vinculis, & iam cum Christo regnantem vsque ad hanc diem consequuntur, eorum scilicet qui per eum in sacris epistolarum eius monitis se ad virtutem exercentes, laudes semper ac præmia præclaro illi duci & præceptori optimo hinc transmittunt: si è contra alia quidem præcedunt peccata eorum, qui pessimis sermonibus & operibus læsi, atque impediti à virtutis tramite, in infernum præcesserc; supplicia suæ damnationis autoribus illic paraturi: alia vero etiam sequuntur, eorum scilicet, qui post ipsorum mortem per summam nequitiam & exempla pessima quæ mundo reliquere, dum eos imitari pergunt, maximè læduntur. Nam sicut hodie quoque beatus Dauid ad veram religionem, & ad Dei cultum, prouidentiæque agnitionem mundo perutilis est, & qui propter illum in religione proficiunt: hinc iam ex rectè factis suis consequentes ei transmittunt laudum voces: ita & Marcion & reliqui hęreticorum dogmatum duces, quia per eam peruersitatem doctrinæ, quam mundo inuexere, maximè nocent. Cuncti, qui salutis suæ damna per eos in hac vita perceperunt, autores proditionis suæ, etsi dudum vita functos atrocioribus illic supplicijs tradunt. Si enim *qui scandalizauerit vnum ex pusillis huiusmodi, morte dignus iudicatur*: profectò qui tam multos per vitam reprobam quòd pernicioſorum operum mundo exempla reliquerit, aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scandalizat: post mortem quoque omnium qui sui causa pereunt, dignissimè ac iustissimè mortis reus habebitur: per singulos eorum qui sui causa hic seu vulnerantur seu moriuntur, autore etiam vulnera mortemque suscipiente. Porrò si iuxta hunc sensum alij præcedunt actus, alijque subsequuntur: & sicut qui ex nequitia sequuntur, maiori supplicio huiusce perditionis autorem per singulos eorum qui pernicioſa vel doctrina, vel vita pereunt, tradunt: qui vero à virtute subsequuntur, maioribus & dignioribus præmijs per singulos eorum qui inde salutis emolumenta quæsierunt, & à sceleribus conuersi sunt: huiusmodi magistrum donant: & virgo igitur habet in alterutram virtutis, vitiorumque partem actus quosdam partim præcedentes, partim subsequentes. Atque infelix illa quidem, quæ præter delicti proprij supplicium ex aliarum etiam ruina, quibus offendiculum ac lubricum posuit, acrioribus semper supplicijs traditur. Sed illa sane felicissima & beatissima, quæ præter coronas proprias, per singulas earum quæ quoniam ex imitatione sua profecere, coronantur: ipsa quoque post mortem in æterna vita coronis semper nouis redimitur. Igitur *si nihil est opertum quod non reuelabitur*, propter omnes quas prædixi rationes; virgo: & cum sola est suimet, ne peccet, curam sollicitam habebit: nec modo hominum vitabit obtutus, verum longè dignius suos, angelorumque vbique cuncta spectantium reuerebitur. Idcirco enim *debet*, inquit, *mulier potestatem in capite habere propter angelos*. Non decet virginem etiam cum sola domi est, ideò quòd nullus adsit hominum, passim licenterque nudari. Multum enim habet illecebræ (vt idem

† ὅπωσγε συγκεχραμμένος τῷ σώματι.

Similc. τύπους ὁλάδων καὶ τετράδων.

Collatio corporis & animæ.

Θμοίωσις *elegans.*

† μνήμη, *memoria quid.*

1. *Tim.* 5.

Collatio.

Eadem prorsus de Ario Ambr. & Thom. Aquinas de Manichæo 4. sentent.

Quid vel ad hæc dicturus es miserrime omnium Luthere? Matth. 18.

Matt. 5.

Matth. 10.

1. *Cor.* 11. Ἐξουσίαν ἔχειν.

idem sępius replicem) multumque roboris natura fœminea ad omne quod sit masculini generis contra se attrahendum. Neque vero idcirco solum oportet se obseruare solicitè ac dæmonum fraudes quæ nobis iugiter insidiantur, habere suspectas, sed & propter verendos omnibus angelos, *potestatem*, inquit, *habere debet*. Vir enim cum angelicæ quodammodo sit dignitatis, nudo capite cognatæ confidens naturæ cernatur. Mulier vero cum per naturam viro longè inferior sit, † potestatem habeat in capite. Atq; ex eo quod potestatem habere dignoscitur, subiectionem suam, qua præstătiori subest, honestissimè præferat. Ideo, inquit, natura ipsa crinibus iam tunc à principio mulieris caput operuit: eo ipso admonēs, non decere mulierem non modo vllum mēbrorum cæterorum, verum ne caput quidem temere indifferēterque nudare. Et quoniam solæ absentibus viris id attentare cōsueuerunt, ideo dignitatem aliam præstantiorem viris adiecit, dicens: propter angelos qui & vbiq; præsentes sunt & omnia quæ geruntur, inspiciunt. Reuereatur ergo omnis mulier, sed virgo in primis angelos etiam cum domi sola nullis viris arbitris residet. Et cum corpus necessariò curandū erit, & capitis vittas & singulatim cætera cōstringēs, id opus celeriter exigat, & quantum fieri potest operiat mēbra, non solum suos angelorumque oculos verens: verum se vt in suæ exercitationis domicilio ad verecundiam studiosè semper exercens. Quòd si neque cum sola est, nudari sine ratione permittitur: quanto minus fratribus in Christo præsentibus? Et pudore igitur & tunica seipsam pudicè ac verecundè componet, nec solùm nihil membrorum quæ operta sunt, violari vlla ratione permittet, verum summa se cura & obseruatione circunteget, vt non solum ipsa illæsa atque illibata permaneat, sed & qui eam intuentur, nullam ex eius aspectu læsionis materiam capiant. *Videntes, enim,* inquit, *filij Dei filias hominum quod pulchræ essent, deuoluti sunt ad eas.* Sufficit quippe vel modicè nudata pulcritudo Dei quoque filios ad voluptatem emollire, & quasi homines eius causa morientes mortales, ostendere. Quocirca minimè oportet vt suæ tantum innocentiæ solicita, eorum, qui lædi possunt, salutē aspernetur, verum omni ex parte & sui ipsius inuiolabile seruare propositum studeat, & se intuentibus emolumētum vitæ, non mortis propinare venenum. Etsi enim ipsa castitatis suæ fidit instituto: *prouidendum tamen,* inquit, *est, ne ponat fratri offendiculum aut scandalum.* Ita igitur virgo, cum & sententia & figura & motu & habitu & sola & cum cæteris ad placendum sponso suo salubriter se accommodare didicerit, tunc iam amicos quoque sponsi purè atque innocenter alloquetur. Neque enim hac interim separatione illam vt homines execretur, inducimus, sed diuini oris effigiem dignis virtutum coloribus à capite vsque ad pedes ornare pro viribus nitimur: atque ita demum instructam ad domesticos fidei securè producere: vt & sermone & habitu & Domini sponsa reuera comprobata, prodesse colloquentibus possit. Sic itaque loquatur sponsa: verecundè scilicet, idque tantum cum famulis sponsi: seruetq; vbique dum loquitur, pudicam sobrietatem. Oportet enim eam simplicitati columbæ serpentis miscere prudentiam. Quia enim corporibus inclusæ animæ sibi inuicem apertè & nudè colloqui de virtute non possunt: instrumentis corporeis ad vocem, atque ad aspectum accōmodatis, vti necessariò coguntur. Et qui animæ colligatæ corpori pulchritudinem intueri non potest: aut admota aure eius verba percipere corporis motum in quo illa est, videt: eiusque vocem per linguæ officium audiens, ex hisce nuncijs eius speciem æstimat. Neque vero vox sola siue aspectus, animæ formam veluti in speculo indicat: verum & amictus viri & risus & pedis incessus, de illo sæpe numero vera renunciat. Sed plerique minus cauti, dum libenter musicum audiunt sensim eo deducantur, vt non iam musicum, sed visibile instrumentū diligant, per quod petita musici modulatione fruuntur. Atque ideo necessariò summa exactissimaque diligentia obseruandus est virgini auditus & visus, ne clā fortè & ipsi subrepat, vt pro loquente anima instrumentum, per quod illa sibi loquitur, diligat. Est enim vehementer astutus is, qui affectum boni in nobis summo studio malignè deprauare conatur, furari quippe bona nostra studia & desideria intendit, suaque illorum vice callidè nobis insere-

† Ἐξουσίαν ἔχέτω.

Gen. 6.

Rom. 14.

Δεῖ γὰρ αὐτὴν ἀκεραίαν μὲν εἶναι ὡς περιεφάν, φρόνιμον δὲ ὡς τὸν ὄφιν.

Docet similia, quæ vitanda virgini sint.

re. Ita denique & quibusdam cum verba de virtute fieri audirent, atque huiusmodi loquenti animæ afficerentur, ex auditu iugi & aspectu clam subreptum est, vt animo imprimerent lineamenta corporea, & voce auditum lasciuè mulcerent, nec iam animam quam prius diligendo ex hominis ore pendebant, sed corpus ipsum bonorum animæ ministrum peruerse nimis atque improbè amarent. Proxima enim & veluti contiguis ianuis gentiles quoque aiunt vitia esse virtutibus. Quælibet denique virtutis ianua simillimam in vitia ferētem vtrinque speciem aperit, vt qui ad virtutem ingredi nititur, eius primum ianuæ adsistens, dum hac se pulsare arbitratur: aperta sibi hinc, aut inde altera ex vitiorū ianuis, deceptus maxima similitudine, ingrediatur veluti virtutis domum: deinde cunctis eius errorem irridentibus, ipse quoque & tempore & experimento commonitus, discat non solum ab ea se virtute cuius aliquando ianuam pulsare videbatur, esse remotissimum: verum ne limina quidem eius vnquam attigisse, neque ipsi ianuæ, vt prius videbatur, adstitisse saltem, aut pulsasse. Hoc modo denique eos qui audentes ad virtutem esse cuperent, fallens, temerarios arguit: qui vero temeritatis probra metuerent, eos timidos ac pusillanimes prodidit. Et qui misericordes esse studerent, ad vitia malè molliuit: qui vero misericordes esse renuerent, immites immanesque declarauit: ita & qui charitatis pulchritudinem sequuntur, eos falso dilectionis nomine, vel ad voluptates corporis, vitamque cunctis execrabilem deijcit, vel eiusce probra & opprobria pertimescentes odisse fratres, & absque vllo boni sensu persistere facit. Rursus itaque *ne declines ad dextram seu ad sinistram*: ne fortassis errore seductus in † aliquam ex vitiorum portis deuoluaris, sed mediam & regiam incedas virtutis viam. Et vbique diligenter intuens quomodo cautè ambules, non vt insipiens, sed vt sapiens: quoniam in medio laqueorum ambulas, & super pinnas vrbium transis: cautius prouide ne forte dum negligis, inijcias in laqueum pedem tuum, neu ruens à muro ciuitatis nostræ malè pereas. Diligere igitur oportet eos qui ad sponsum inuitant, sed ita diligere vt charitas ipsa ordinata, non confusa sit, ne fortè sponsi famulos, dum iugiter illis aures admouet, de sponso verba facientibus, perinde ac sponsum quandoque diligens, quantum in se est, vna & sponsi dignitatem tollat, & ministros eius, dum eos pari cum Domino dignatur honore, iniurijs ac probris afficiat. Iam enim quædam minus cautæ, minusque prudentes, non æquè sponsum ac ministros, sed ipsos amplius peruersa charitate, impiè, dum non aduertunt, dilexerūt, ac sponsi iam, cui se desponderant, penitus oblitæ, famulorum eius sponsæ totæ factæ sunt, imo nec seruorum eius sponsæ sed alienorum fœdissimæ vxores euasere. Sponsus enim noster carnalem nullum ministrum habere cognoscitur, sed omnes spiritu viuentes. Porrò quæ non spiritum ministrantium sponso, sed carni se summa indignitate desponderunt, & illos à sponsi alienos ministerio, & se non ministris eius, verum alienis seruis desponsatas, liquidò comprobant. Et hos itaque cautè diligenterque dum loquuntur obseruent: atque serpentem clam ex collocutione corporalem consuetudinem prudenter abscindant, id imprimis cauentes, ne illis vt sponsi familiaribus plus æquo confidant, neu illos ad indecens aliquid sensim † nequiter molliant, neue seipsas ex destinatione proposita ad voluptates carnis indignè deijciant. Sed enim diligere oportet proximum: scriptum quippe est: *Diliges proximū tuum sicut teipsum.* Illudque sponsæ suę sibi admodum gratum præceptum Dominus tradidit. Ita sanè, nihil abnuimus. Diliges, inquit, & *in quantum vni istorum facis, mihi sponso tuo facis.* Sed puram, non vllius affectionis labe inquinatam oportet esse charitatem, nec decet nomen falsæ charitatis insequendo, veræ dilectionis dignitatem ac meritum tollere. Quamdiu enim charitatis ad sponsum tuæ gratia diligere deprehenderis fratres, & ad eum, & ad illos integra seruasti charitatis iura: vbi vero eos non sponsi gratia, sed propter se ipsos diligere ex consuetudine cœperis, dilectio tua & erga illum corrupta prorsus efficitur, falsamque nō veram habes germanamque charitatem. Sancta enim charitas carnis non tangitur vitijs. Est autem sponsa Domini non irrationalis, vt præ consuetudine carnis dignitatē suam atque honestatē demittat ad corpora, sed sanè rationalis, totaque plena sapientia. Prudēter itaque seipsam

Vitia virtutibus sūt proxima.

Attende commenta diaboli.

Deut. 5.

† ἐπάνω ἐπάλξεων πόλεων διαβαίνεις.

Sponsus nullum habet carnalē ministrum.

† ἀποσφάλασαι.

Luc. 10.

Matth. 25.

Charitas nullius indecoræ affectionis labe inquinetur.

seipsam pro merito singulis quod est sui iuris impartiens, librat, ac ministros quidem sponsi rationabiliter illius gratia honorat: ipsum vero non istorum causa, quoniam sibi de illo verba faciunt, sed propter seipsum ardentius diligit. Sed & si quis illius amator est, hunc pro affectu ad illum eximio socium existimat: qui vero illum amare negligit, eum si blandiatur, nō iam intuetur vt proprium, sed ex ipsis maxime blanditijs suspectum habet, quod sponsi negligens, cui ipsa pro viribus vacat simulato sponsi famulatu, illicit eam: dumq; illi vt sponso placeat, opem ferre videtur, ad se amorem eius iugi familiariq́ colloquio transferre nititur, ac sub ministri nomine, & habitu, horrēdo sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur: hinc denique plurimæ blando charitatis nomine, paulatim ex ea consuetudine ad carnis delapsæ vitia meretrices, adulteræ, nec solum à fœdere sponsi cœlestis, verū & à legitimo mortalium toro alienæ prorsus deprehensæ sunt. Cum enim virginitatem Domino professæ sint, carnali postmodum voluptate malè blāda delinitæ, ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Non ignorant huiusmodi, quāuis ignorantiā simulāt: quæ spōsi dextrā & fœdera præuaricata sit, eā nec illius vltra esse sponsam quem nequitiæ dans manus, dereliquit: neq; eius vxorem per vllas leges dici posse, cui se deserto sponso, libidine incitata coniunxit. Tunc enim legitimū constat esse connubium, & secundū diuina iura institutum, cū non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adiumenti necessarij, prolisque causa fuerit huiusmodi facta coniunctio. Ita fiunt *honorabiles nuptiæ*, quando rationem coniugij non præit obscœna voluptas: sed iacto secundum leges diuinas sancto fundamento, matrimonium necessariò sequi voluptas ipsa concubitus, *vnamq; carnem duos facere* deprehenditur. † Quia enim præcedens animæ ratio, animas apertè necessitatis ratione coniunxit, merito ita vnitas carnis quoque cui alligatæ sunt, vnitas sequitur. Porrò si animæ initio aliud proponant, & caro postmodū ad voluptatē prona, naturali feratur impetu, atq; animas sibi alligatas, vt affectioni suæ obsequantur, inducat: carnis tūc vitium secutæ animæ huiusmodi congressum execrabilē reddunt. Quod enim opus neque ratio quæ animæ inest, neque lex iusta præcesit, id profectò vt iniquum à conscientia dānatur. *Idcirco mulier*, inquit, *alligata est legi, quāto tempore vir eius viuit: sin vero mortuus fuerit, libera est, cui vult nubat, tantum in Domino.* Vide quòd nō simpliciter dixerit, nubat, sed adiecit *in Domino tantum*. Nam & quæ per mortem viri, liberam cōsequitur nubendi facultatem, nō tamen ea libertate potita, vtcumq; nubere debet; sed tantū in Domino. Quid est autē in Domino nubere? Non autē vt vile mancipiū voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi: sed iudicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ideo enim & matrimonij necessitatem creator in natura constituit. Sin autem ita se habet res, non se fallat qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Coniugium quippe illi in peccatū reputabitur: primum quidem quia pessimum coniunctionis huius fundamētū voluptatē iecit, præuaricationisque malum: deinde quia causa non esset libera, neq; enim est mortuus vir eius, vt cui vult nubat, viuente immortali viro, merito censetur adultera, quæ mortalem hominē ob carnis vitia Domini thalamis intulit. Nam quod solenne, legitimūque connubium sponsus ille occuparit, & virginitatis habitus & fœdera & cōuenta cum illo, & præterea processus ipse testatur. Huiusmodi quippe nobilitata viro processit in publicum. Si enim paternis ædibus non prius virgo progreditur quàm legitimo fuerit coniuncta viro, vt eius & Domini, & vitæ suæ ducis ac moderatoris titulo inscripta, paterna iā prodeat domo, & virgo igitur ea ratione processit paternis thalamis, vt inscripto sibi sponso legitimo, eius iam titulis honestata, & sub ipsius constituta regimine procedat in publicum. Sin autē processionis eius illi testes sūt, qui procedentē viderunt, & ijdem profecto testes erunt, cui coniuncta, & cuius titulis inscripta viri, paternis laribus processit in medium. Porrò si connubium istud & processu & testibus, cunctis deniq; indicijs illustre, & apertum est, nec est vir eius mortuus: mœchatur quæ huiusmodi admittit scelus, viuente viro semper adultera. Imò quia fruendæ voluptatis causa impudicè lasciuit, meretrix: quia vero viuit eius vir, nefario scelere probatur adultera. Nec sanè video qua ratione, imo quo sacrilegio ipsa pro immortali viro Dei filio mortalē hominem in malum suum ambire præsumat, ante viri oculos in ipsū impuris ac nequissimis semper amplexibus impia: quo item furore homo ille cubile Domini conscēdere, & violare non metuat: nempe ex rebus humanis eiusmodi flagitiosorum supplicia conijcere & æstimare facile possumus. Quæso quo cruciatu digna censeretur mulier quæ nobili coniuncta viro, seruo suo seipsam violādam impudicè substerneret: ac seruum insidiosè nequiterq́; Domini toris inueheret? Quo item seruus ille damnandus examine, qui Dominæ suæ Dominiq́; cubili se cōcitatus libidine adeo petulanter immiscuit: sed enim vafræ istæ quid faciunt: quæ tantum impietatis contra seipsas per carnis flagitia admittere non timuerūnt? Non modo non lacrymantur, aut ingemiscunt vt vel lacrymis remittāt peccatū suum, mitiores q; suscipiant pœnas: verum virginitatem quoque quam antea professæ fuerant, abnegāt. Quippe virginitatis limites trāsgredi, vt voluptatibus inseruiatur, turpissimum esse, plenumq; dedecoris non ignorantes, huiusmodi negatione, maiore scilicet scelere, virginitatem solari sese arbitrantur amissam, homines misere & infeliciter eligūt, sub quibus ad excusationem prēuaricationis abnegent quod fuerant ante pollicitæ: nec Dominū metuunt, cum quo fœdera castitatis inierant, cuique dederant dextras, eo quòd in malorum profunda deciderint. Ignorant miseræ quia apud Deū & apud homines contra se crimen exaggerant, cum hi quidem ex præcedēte, cunctisq; cognito virginitatis instituto, quod se illæ professas esse negant, vesaniam summamque impudentiā auersentur, atque oderint: Christus vero præter violata virginitatis fœdera huiusmodi negationem, quam vice pœnitētiæ patrocinium criminis sumunt, acrius ac seuerius suo illo iudicio vindicet. Itaque ne specioso charitatis nomine, virgo in hoc peccati baratrum corruat, charitatem puram, omniq; mortali affectione liberam sumat: neq; enim prolapsę ad voluptatē quicquam ad excusationē proderit vmbra, solatiumq; connubij: neque viuentē virum sub prętextu coniugij non soluta circunuenire, aut fallere poterit, qui mortalem hominem post eximios illos, quos ab eo perceperat, honores, impiè per adulterij nefas in honorem prætulerit. Nec sanè incongruè his quæ sunt eiusmodi, illud Apostolicū aptari potest. *Quoniam cum † fornicata à Christo fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt*, non coniugium, sed adulterium malè consummantes. Nullus itaque seruus ad id impietatis erumpat, vt sponsam Domini contingere audeat. Nullus adeo insanus, ac sacrilegus sit, vt immaculatam hostiam impudicis manibus tractet. Nemo in tantum audacię, temeritatisq; prosiliat, vt eiusmodi vltionem sacrilegijs impēdere cōsiderans, non vasa inanima ex auri argentiq; materia elaborata, sed animata ipsa, & viua donaria, latronis more profanis manibus temerare, atque incestare præsumat. Imò vero nullus adeo impius, atrox, impurusque, vt non inanimata templi vasa, sed ipsum Domini templum, virgineum scilicet corpus, ipsamque omnium pretiosissimam animam in templo Dei, sacratissimi donarij vice locatam libidinis facibus barbarica immanitate succendat. Verum etsi sponte sua se virgo sponsi fœdera transgressa substernat, cunctaq; simul, & templum, & donaria, & charitatem spōsi, cōmunionemq; ac societatem regni pernicioſæ voluptatis gratia confundere atque calcare nitatur: noli huiusmodi ad scelus vti, neq; te peccati communione commacules: nam & eximius ille Ioseph Dominæ suæ amoris magnitudine ebriæ ac penè furiosæ seipsum ad impudicitiam minime permisit. Quòd si te renuente alij se virgo in matrimonij cōsortium tradiderit, illa pœnas sceleris luat, tu teipsum mundum atq; integrum serua, ne sceleris impij in Dominū particeps fias. Oportet, inquit, filium hominis tradi: vę autem illi, per quē tradetur, vtile illi esset, si natus non fuisset. Nónne de illa pari ratione iudicabitur, quæ virginitatem antè professa, postmodum pœnitens, fruendæ voluptatis gratia, mortali se viro immūda cōiunxit, & si dixerit: oportet me viro coniungi in matrimoniū, quēadmodum oportebat filium hominis tradi, verum, væ illi per quem illa sponsi fœdera transgressa suam impleuerit impura libidinem.

Iam olim etiam voto se obstringebāt virginitatem professura.

Gen. 2. 1. Cor. 6. † ἓσεσθε γὰρ ὁ ἓν ψυχῆ λογισμὸς τὰς ψυχὰς πρελαβών.

Rom. 7.

In Domino nubere quid.

Solemne inibatur votum & professio.

Argumen. à maiori.

1. Tim. 5. † καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ.

Virgo Christi vas animatum.

Gen. 39. Exemplo δόγμα cōfirmat.

Eadem hæc in epistola aduersus eā quæ excide-rat.

Matt. 19. *Vtilius fuerat* (audeo dicere) *homini illi, non esse natum*, quàm so-
cium tanti in Dominum flagitij damnari. Non audis quo-
niam *qui dimissam duxerit, mœchatur.* Etsi enim, inquit, pro
culpa dimissa est, viuit tamen vir eius. Quid ergo dimissam
perturbas? cur illi spatium non das, vt & de his agat pœni-
tentiam, quorum gratia dimissa est? & vir à se dimissæ pœ-
nam emendationemque miseratus ad se rursus proprium
reuocet membrum? quid emendandi se spatium præripis,
viuente viro sic dimissam ducens? Permitte, inquit, aut ad
viuentem virum remeare meliorem factam mulierem: aut
certe cum neque vidua, neque vxor sit, pro remissione culpę
qua peccauit in virum, semper pœnas dare. Tu cur antequã
peccatum suum, pro quo dimissa est, planè intelligere possit,
eam ad coniugium rapiens, impudentiorem ad scelera dein-
ceps facis? nempe viuente viro alienam adulteras cõiugem,
† ξυκολον δὲ, ὅπερ ἔφην, πρὸς τὰ ὀφθῆ συμβιώσει παταίσματα τὰ ἀπόπτωσις ἀσκῶν. † facilemque illi ad nequitiam reditum, vt dixi, per connu-
bium pandis. Si autem qui dimissam à mortali viro ducit,
adulter atque impius est: qui immortalis viri sponsam nun-
quam dimissam violare præsumit, multo profectò funestius
adulter atque impius erit. Itaque etsi illa pessima se muta-
tione deijciat, ad carnis vitia vltro deuoluta, tu tamen eam
noli tangere: viuit enim eius vir, neque illam dimittere vult,
permitte vt se inspiciat vnde sit lapsa, vbinam iaceat, digerat
vitium, diluat amorem carnis, consideret diligentius indul-
to spatio cuiusmodi crimen admiserit, quantumque molita
sit sceleris. Redibit prorsus ad sponsum suum: si enim Chri-
Ioan. 8. stus *lux est & resurrectio, & incorruptio, & vita*, &c. quæ nobis à
patre per ipsum indulta sunt bona, quę se à Christo dimouit,
quid aliud quàm de luce ad tenebras, à vita ad mortem, ab
incorruptione ad corruptionem, à resurrectione ad inferni
& mortis maximum ac periculosissimum casum se detorsit
infelix? Quæ cuncta considerans, cuiuslibet malorum pro-
fundum sint, exhorrescet peccati caliginem confusionis
mœrorisque plenissimam suauitatemque lucis, in qua prius
erat, amplius sitiet. Mortis quoque terrorem & corruptio-
nis ingratam putredinem intuens, vehementius rursum ad
vitam ex his immortalitatemque resiliet. Inferni etiam con-
spiciens grauissimum lapsum, indultam sibi à Domino re-
surrectionem carnis amplectetur & gratius. Neque enim
ita erit insana, vt ne tempore quidem admonita eam non po-
nat amentiam, mortalique immortalem non præferat spon-
sum. Quid igitur infelicis anticipas lapsum? quid conside-
randi peccati tempus intercipis? quid consilij spatium tollis?
cur non dimissam à Domino ducẽs, non virum te, sed adul-
terum impie Domini cubile violando manifestas? intacta sit
ergo omnium manibus virgo, quæ Dei pretiosissimum,
egregiumque donarium est. Immaculatam se & corpore &
cogitatione custodiat, & sic securè iam fratres in Christo al-
loquatur. Quippe ad hoc ipsum illam Dei famulus diligen-
2. Cor. 9. ter informans: *Volo*, inquit, *vos omnes prudentes quidem esse in bo-*
2. Cor. 11. *no, simplices autem in malo. Aptaui enim vos vni viro virginem castam*
Vide Augu- *exhibere Christo.* Timeo autem ne forte sicut serpens seduxit
stinum de Euam in astutia sua, ita corrumpantur intelligentiæ vestræ à
hoc loco, simplicitate, quæ est in Christo. Ante omnia igitur oportet
17. q. 1. Nuptiarum virginem cogitationes suas puras inuiolatasque seruare, ani-
bonum. ma quippe perdurante incorrupta, corpus quoque impol-
lutum immaculatumque seruatur. Porro si pessimis cogita-
tionibus contaminetur anima, quantumlibet corpus per-
manere incorruptum videatur, non tamen munda eius cen-
setur integritas, cum sordibus cogitationum inquinata vi-
tietur. Diligere itaque debemus, verum cum ratione pru-
dentique iudicio dilectionis tenendo mensuram. Dilectio
1. Cor. 7. enim nil agit turpiter. *Et solutus es ab vxore, noli quærere vxo-*
rem. Est autem planè iniquum & indignum, vt qui se his
nexibus soluere studet, falso charitatis nomine seipsum
ex consuetudine voluptatum vinculis implicet, vt iam iux-
ta professionis votum nec animo nec corpore possit esse
solutus. Nec enim anima eiusmodi soluta est quæ circa
affectiones consuetudinis terræ & obscuræ occupatur: ne-
† τοῖς τῶν γάμων τι- que corpus quod curarum nuptialium sibi inuexit vincu-
μήμασιν ἀνοήτως ἐμπλέκε- la. Nam etsi matrimonium nomine non est, sollicitudo
σθαι. tamen eius iniecta coniugij, corporalium curarum ser-
uos, quibus se irrationabiliter alligauerunt abominabiles
facit. Perquam vero absurdum est, vt quæ virginale per-
sequuntur institutum, † nuptiarum sensus mente & co-
gitatione pertractent, fingentesque se cura & prouidentia
sponsi contentas esse, curatores homines probro suo mere-
tricum more perquirant. Enimuero tu, si illum amas qui ve-
rus ac spiritualis amator est, cætera debes omnino negligere,
libentissimeque tolerare cuiuslibet extremæ licet pau-
pertatis angustias, dum eo quem amas, perfruaris, ne remis-
sius laxiusque viuendo, & quæcunque sunt ad id necessaria
captando ab hominibus, diuino amore turpiter excidas.
Quæ enim in delicijs est virgo, viuens mortua est. Non er-
go blasphemetur bonum virginitatis vestræ nomen, imma-
culatæ charitatis obtentu carnalibus affectionibus vitijsque
violatum. Neque enim est charitas affectio simulata siue be-
neuolentiæ imago voluptati subdita, vel affectus animi ma-
lus, verum quieta dilectio, carnalium proprietatum pertur-
batione libera, passionumque omnium tranquillissima pax
& sanctificatio in spiritu sancto. Quod si charitatis causa
frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem am-
bulas. Noli dilectione tua destruere opus veræ charitatis,
neque falsi nominis charitate fratrem tuum perdas, pessima
illum suspicione scandalizans, pro quo Christus mortuus
est. Si quis te viderit habentem scientiam veri boni in ido-
lio recumbere, ac pro vera & pura integritate simulachrum
eius mulcere blanditijs, nónne conscientia eius cum sit in-
firma, inquinatur, ædificabiturque ad idem scelus præsu-
mendum? Sic autem peccantes in fratres & percutientes
eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis. Idcir-
co *si esca fratrem meum scandalizat, non manducabo carnem in æter-* 1. Cor. 8.
num, ne fratrem meum scandalizem. Nunquid non habemus, inquit, 1. Cor. 9.
potestatem manducandi & bibendi: nunquid non habemus potesta-
tem, sororẽ mulierem circunducendi? Sed non sum, inquit, vsus hac
potestate: bonum enim mihi est magis mori quam vt glo-
riam meam, virginitatis scilicet, vlla inquinet affectio. Tri-
bus ergo Leuitica seorsum & vxores eorum seorsum. Ne-
que sanè, per ista quæ dicimus diligere fratres prohibemus,
verum omnes quasi vterinos amare permittimus, & ipsos
tamen qui sunt eodem progeniti vtero, diligendos cautè *Et erga fra-*
consulimus. Verendum quippe est, ne ex consuetudine no- *trem cauta*
stra atque confidentia sumpta occasione peccatum operetur *sit virgo.*
in nobis omnem concupiscentiam: sufficit namque peccatũ
& per tactum fraternæ manus & per pacis ac dilectionis
osculum, sensum carnis ad sua molienda opera latenter ex-
citare, & concupiscentiæ oculos sicuti Adæ post voluptatis
gustum amplius ad malum aperire. Non ergo vel vtero eo-
dem genita soror iugi fratris tactui, & osculis se assuefaciat,
ne per assiduitatem exorta in intimis passio suo tempore in
actum prorumpat, maximè, cum ex venusta corporis forma
amoris faces in eorum oculis magis magisque succenderit.
Nempe enim & ab huiusmodi flamma * externæ quoque * *Hoc est, externaGẽ-*
sapientiæ ratio retrahens, * *formosorum*, inquit, *oscula cauere* *tium doctri-*
oportet, non secus, quam animalium venenatorum morsus: diffundi- *na.*
tur enim venenum ex osculo per omne corpus: quocirca *sa-* * *Huius*
lutate inuicem, inquit, *in osculo sancto*, quodam quasi spiraculo *dicti me-*
osculi carnis in Spiritus sancti purissima flagrantia inuicem *nit Laert. &*
sibi ista iungentes. Nec sanè, arbitror, culpandi sumus, qui in *Stobæus.*
id diligentiæ pro munditia virginali munienda venerimus: 2. Cor. 13.
nisi enim prædictum facinus vexilla sua in eiusmodi perso-
nis, ætate quoque nostra erexisset, digni fortasse non immé-
rito apud plerosque putaremur querimonijs exagitari, quòd
ad hoc vsque sermonem nostrum nudare ausi essemus.
Quòd si omnem peccati speciem etiam contra matres & fi-
lias per voluptatem carnis innouare præualuisti, sicut &
Amnon † fratrem per sororis violationem perpetuo dede- † אטבזי
core ante notauerat: digni (vt reor) reprehensione non *primogeni-*
sumus, qui pro seruanda virginei candoris specie, sponsam *tus Dauidis*
Christi ista quoq; cautione præmunire curauimus. Est enim *ex Achinoã*
grauis ac vehemens insita masculinis corporibus aduersum *Iezabelitide.*
fœminas flagrantis concupiscentiæ vis. Omnia iudicia men- 2. Reg. 13.
tis euertit, omnemque separationem sub iugum mittit, ac
sponte sua (vt ita dixerim) obsistente & ratione intima sibi
inuicem ista connectit. Nam fœminę quidem fœminea tan-
gentes corpora, & mares item masculina, nihil ferè ex eo cõ-
tactu ad sui incitantur concupiscentiam, nisi quis fortè ex
eius memoria, quam vt appeteret, vi naturalis instinctus
acceperit: irritatus per ardorem illum, quem ad fœminam
propriè acceperat, contra naturæ iura, in alienum quo-
que habi-

que habitū libidinis frena relaxet. Porrò fœmineum corpus masculum attingens, aut contrà masculum fœminę quamlibet hac animæ illis insitæ ratione moderentur, ad congressū tamen mutuo latenter incitātur, ac veluti stuppa si stuppam contingat, igniſque rursum rutilans flammantem ignem fumum ex se minimè excitant, stuppa vero si ignem odorata fuerit, protinus inflammata succenditur, neque opus est vllo adminiculo, vllóve foris insufflante, vt ex ea ignis effulgeat: sed simul atque illum attigit, mox in apertas flammas erumpit: ita & fœmineum corpus masculum tangens, non multo labore neque inflammante ad concubitum amore opus habet, sed cum naturali ad se inuicem rapiātur ardore, simulac se contingunt, scintillam voluptatis fumantem intrinsecus sentiunt: vnde scriptum est: *Alligabit quispiam ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburet? aut ambulabit quisquam super carbones ignis, & pedes eius non ardebunt: ita non erit innocens qui mulierem tetigerit.* Quòd si pro sponsa sua seipsum tradidit Dominus, vt eam sanctificaret mundans aquæ lauacro & *exhiberet ipse sibi eam gloriosam nō habentem maculam aut rugam*, aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta corpore & spiritu sollicitè curare debet virgo *quomodo placeat Domino, vt sit sancta corpore & spiritu*, neque ita alia cauere debet, vt illa licitè præsumere se arbitretur, sed omnes penitus occasiones quæ illam maculare seu fuscare possint, à se longè cohibere, vt sit sancta corpore, dum ex eo ad animam nihil inquinationis importat: & spiritu, dum nulla hunc mala cogitatione perturbat. Non solum enim à corpore ad animam perturbationes transeunt, verum ab anima incipientes corporibus interdum etiam exhaustis, neque subministrare valentibus imaginaliter perinde ac per corpus fiant, in mente consumātur. Sicut enim qui aquam permiscēt oleo, vtriusque gratiam crebra agitatione confundunt, & olei quidem lucidam speciem limosa aquæ proprietate perturbant, aquæ vero naturam olei admistione commaculant: ita & qui animam corpori per vitia perturbationesque commiscent, vtrinque quod habet vtile & ad vitam necessarium demoliuntur, animamque lucidam ac nitidam carnalium voluptatum limo perturbant, & corporis munditiam atque nitorem hac ratione miscētes, inutile hoc ad vitæ officia ostendunt: verum sicuti cōfusa illa ad inuicem atque turbata vim gratiæ naturalis amittunt, ea vero turbatione sedata, vt quieuerint à se dirimūtur, & vnumquodque in suam naturam se ad seipsum colligens redit, atque oleum quidem purum ac nitidum supernatat aquæ: aqua vero perlucidum illi vehiculum præbet: ita & anima & corpus cum perturbationibus ex se nascentibus inuicem miscentur, ex ea agitatione mutua vtriusque natura confusa violatur, vbi vero in propriam naturam disiuncta remearunt, anima auri gæ in morem, illustrem speciem suam supernè micantem insinuat corpori: corpus autem vt per naturam graue merito illius, dignitatique subiectum vehiculum illi ad vitæ vsus necessarios præbet. Si quid igitur huiusmodi in se contingere virgo peruiderit, neque passionibus carnis animæ turbabit lucem: neque his quæ ab anima initium sumpsere, confundi decorem suum patietur: verum vtrumque suo in loco & ordine & vsu per quietem custodiens, pacem partibus sapienter impertiet, tranquilleque & animam & corpus secūdum naturam agere assuefaciens cōstantem, ex vtrisque cōgruam concinnamque speciem purissimam præferet, animæque quidem candidam lucem à fluctibus omnibus atque turbinibus quietam iugiter seruans, & corpori speciem omni voluptatum cœno puram perpetua exercitatione custodiens: corpus namque gulam & ebrietatem euaporans, voluptatesque concubitus aduersus animæ speciem profert, at contra anima æmulationem, & iram, & simulationem, & inimicitias aduersum corpus insipienter agitata producit, & fit plerumque vt cum vitiorum carnalium metu, ieiunijs ac vigilijs, & reliqua vitæ austeritate corpora ad passiones suas emortua reddiderimus, animæ tamen perturbationes in corpore mortuo circunferamus: vt inde iam quantum à perfectione remoti simus appareat. Alterum quippe sine altero si impleatur, imperfectum ad virtutem veram opus arguitur. Neque enim si corporis vitia per ieiunia, vigiliasque absciderimus: animam vero motibus proprijs ex zelo & hypocrisi & perturbationibus cæteris agitatam negligamus, conferre ad virtutem aliquid corporis exercitationē arbitramur.

Γνώμην confirmat simili.

Prou. 6.

Epheſ. 5.

1. Cor. 7.

Collatio admodum elegans ex contrarijs.

Neque item anima suis purgata vitijs, si corpori ad voluptates ventris reliquasq; delicias liberas habenas permittamus: remota etiam fornicationis immunditia, perfectam ad virtutem vitam nostram probare poterimus. Verum enim qui virtutis cursum omni vitiorum labe purum festinat ostendere, is necesse est animæ virtutibus adijciat, & corporis bona & his quæ per corpus assiduæ exercitationis labore peragit, virtutes animæ concordes ostendat. Neque enim verax & sine simulationis fuco vita esse potest, nisi animæ & corporis membra congruentiam adinuicem & concordiā habeant: fieri enim equidem non posse puto, vt aut animæ adipiscamur bona, nisi absint vitia corporis, aut corporis bona consequamur, nisi virtutes animæ ante præcedant. Oportet autem animam ipsam sibimet consentientem, consonum sibi aptumque corpus accipere, atque ita demum vtrisq; anima scilicet & corpore ad vnum cursum æquabiliter se obtēperanterque mouentibus, perfecta monstrabitur beata vita. Virgo igitur quasi aquę oleum puram animam corpori semper insidentē habeat, eiusq; lumine subiectum regēs corpus, nihil ex carnalium vitiorum, fere nihil ex voluptate turbidū purissimo decori animi admisceat: ieiunijsque ac spiritali exercitio feruores ex eo emanantes salubriter cohibens, luti eius plurimam partem continentiæ operibus exhaurire festinet. Ita nihil ex animæ vitijs, nihil ex zelo & hypocrisi, nihil ex insipientia turbidum corpori communicabit, sed animum indignatione omni & omni iracundia omniq; vitiosa concupiscentia liberum lucidum ac limpidum in vita præfert. Porrò si a perturbationibus remotum ac tranquillum præse ferre debet humanum instrumentum quòd ex anima constat & corpore, & vtrunque in sua seruare natura quietū, suum perficiens munus, operæpretium est vt quemadmodū fluentes in corpus per ventrem turbidos excluſit riuos, ita & eos qui in animam influunt obseruet atque auersetur. Sic denique durabit vtrumque in sua natura quietum & imperturbatum, alioquin dum vitia confunduut animum, virgineum decus intemeratum, sicut oportet, enitere non poterit. Imò præter id, quod nihil ex corporali exercitatione proficiet, fœditatis plurimum in anima ex perturbatione vitiosa apparebit: licet enim carnalium passionum limū à corpore in animam euaporantē spiritalis exercitij studio ad naturæ necessitatem veluti ad regulam & libram restringat & contrahat: si tamen animæ perturbatur vitijs, nihil ei carnis munditia proderit, cum in ea sponsus ob pertubationū strepitum & tumultum accumbere, ac requiescere non possit. Imò & sibi plurimum quæ est huiusmodi nocuit, quid spōso cœlesti placeat ignorare conuicta, & inuestigare dissimulās: atq; ita ex rationis inopia cogitationumq; peruersitate corporalium quoque exercitiorum ac laborum mercede se priuat: nam si vt seruetur inuiolata pulchritudo animæ integrū corpus castumque seruamus, superflua iam erit & inutilis integritas carnis, anima per vitia innumera corrupta atque pereūte. Quorum enim corpus peccati instrumentū diabolus accipit, per id ipsorum animabus insidias & necē parat: quorum vero carnem inuadere per continentiā & vitæ maximam austeritatem non permittitur, horum sæpe nudam sine corpore animam nactus, per eas quas in illa gignit, perturbationes, sua desideria perficit. Eiusmodi profectò sunt quæcunque vigilijs, ieiunijs, chameunijs * & reliqua corporis vehementi exercitatione ipsum à carne sua effugātes iræ & simulationis, & indignationis, & zeli ac liuoris agitatæ turbinibus illum in animæ sinibus fouent. Quanto autē corpus inferius est dignitate quàm anima, tanto minus est vitiū quod per corpus admittitur, quàm quòd per nudam perpetratur animam: nam ibi quidem necessarius & naturalis cibus atque appetitus ad gulam seu fornicationem per adiunctas sibi voluptates corpus omne titillat, hic absq; vlla corporali voluptate sola peruersione voluntatis vitia in animā influunt. Enimuero si soli animi vitijs corrumpi virginem constitit, cauenda illi omnino est omnis *perturbatio & furor, & contentio*, & cætera quæ dixit Apostolus: sed inuidia in primis. Quiddam enim simillimum & qui amat, & qui inuidet, patitur. Nam sicuti amantis cum sua concupiscentia frustratur, & animam & corpus corpus consumit amor: ita inuidētis quoque & animā & corpus liquefacit inuidia. Eadē enim ratione & qui amant cū suo fraudātur desiderio præ amore:

Perſtat in priore Metaphoræ ſimilitudine aquæ & olei.

Γνώμη κατ' ἐνεργείαν.

* *Chameunia, humicubationes.*

Gal. 5.

Collatio amantis & inuidi.

& inuidi quoque dum sua concupiscentia inanes remanent, A
A simili βεβαίωσις. præ inuidia, & corpore simul & animo tabescunt. Nec secus
planè quàm cereæ patiuntur imagines, quæ noctu à cerarijs
effictæ igneis postea solis radijs liquefactæ soluuntur: illæ
enim quamdiu eas nocturnæ cõtinent tenebræ, compactã
in vmbra atque ad nocturnas auras figurã sicuti effictæ erãt,
superficie tenus solidam ac fortem interim præferunt. At
vero iam rutilante sole, itineriscque sui cursum peragente,
quando cætera illius virtute nutriuntur, luceque fruuntur,
liquefactæ illæ & formas vnà & figuras & habitus, illudque
superficiale robur amittunt: confusisque omnibus vanescũt:
ita ferè & inuidi, quàmdiu sub diaboli tenebris veluti in no-
cte ad inuidiæ consultant opera, solidas interim cogitatio- B
nes & figuras ac formas sicut ab inuidia formatæ sunt sibi
inuicem videntur ostendere: vbi vero studiosus quisque &
industrius ad virtutis opera solis instar matutinus effulserit,
cæteri quidem virtutum vitam, Deoque placitam & gratam
conuersationem admirantur, atque ad amoris intimi agni-
tionem ab eo illustrati virtutis nutriunt semina: qui vero in-
uidia tabescunt, illum in modum solis inuictum, Deoque
charissimum ac virtutibus clarum cernentes, & magis magi-
sque conspicuum tanquam cerei (vt dixi) & corporum for-
mis & animis inuidiæ plenis repente liquescunt atque defi-
ciunt. Serenum igitur oportet esse virginis animum ac diui-
nis cogitationibus, veluti ex quodã purissimo fonte stagnã-
Metaphora. tem, tranquillum, pacificumque durare, vt neque inuectis C
extrinsecus per aures verbis agitetur, neque irruentibus
per oculos formis à statu illo suæ quietis fluctuans deuiet:
ita veluti in lucidissimo speculo & suam speciem & sponsi
pulchritudinem intuens, illius amore carius ac germanius
exatiabitur. Quocirca necesse est virginem in hoc aquæ spe-
culo nullam aliam intendere faciem, ne illam quæ prius
inerat, ipsa continuo subrepens deleat. Non, inquam, vel ira
vel tristitia, vel quibuslibet perturbationibus alijs eam om-
nino iactari decet, ne alienas imagines inesse animo ex ea
agitatione demõstret. Sed eodem semper modo diuino pla-
cidissimè perfusa gaudio, tranquillam se ab omnibus passio-
num fluctibus seruet, nulliusque in se nisi sponsi solius D
præferat speciem, vt solus ille in ea propriam cernat imagi-
nem, solamque anima ipsius formam in speculo suo ha-
beat lucentem, eiusque pulchritudine ornari iugiter appe-
tat. Idcirco præmuniens ipsius animam Deus, sacro illam
Eccles. 10. eloquio instruit, dicens: *Si spiritus potestatem habentis ascen-*
derit super te, locum tuum ne dimiseris, ne scilicet ascendente po-
testatiua cogitatione, imago illa veluti nacta locum in spe-
culo, obsistente nemine, peccati ei insinuet speciem, im-
pleatur Christi facie tota virginis anima: nullusque omnino
in ea locus vacet quo ascendens otiosa cogitatio inueniat
vbi sua & seipsam speculetur. Nullius igitur (vt breuiter di-
xerim) absentis, nullius præsentis hominis speculum sit vir-
ginis anima, nisi sancti sponsi sui: nulla prorsus in eo alia quã
sponsi insp iciatur forma. Nullam aliam ob rem speculum
animæ studiosè ipsa detergat, nisi vt ille huic suæ pulchritu-
dinis irradians speciem, illam beatissimam faciat. Nã si mor-
talium quisquam huic inhæreat speculo: necessario iã omni-
no circa huius occupata formã, sponsi facie sensim se abduce-
Collatio ex Apostolo. 1. Cor. 6. cente atque dilabente illum nusquam intuebitur. *Sicut autem*
qui adhæret meretrici, vnum corpus est: ita & qui adhæret Domino,
vnus spiritus est: dum & corporis purgatur vitijs, & animam
in diuinæ imaginis excellentiam transfert. Neque sanè si vir-
ginem ad veram integritatẽ prouocantes, mortalis interim
spõsi vtamur exẽplis, vllam ei nuptiarum carnaliũ cogitatio-
nem inijcere intendimus: verum ex carnalis connubij copu-
la, coniunctionẽ rationalis animæ cum Deo Dei verbo sa- F
pienter ostẽdimus. Sicut enim corporũ cõmunione cõiugij,
voluptate, affectibus, corruptione concubitus per cõspira-
Explicat inductam collationẽ. tionẽ ad actum vnũ fiunt: ita & rationalis anima maritali cõ-
sortio ad Deum verbũ virtute & incorruptione & vera trã-
quillitate perfruetur: vt his freta muneribus, per veracẽ con-
sensum, quo ad sanctificationem ex eo verbo sibi proueniẽ-
tẽ nititur, purissima fiat. Quocirca quæ Christo per virgini-
tatis professionẽ copulata est, tanquã sapientiæ ac verbi Dei
sponsa, sapiens ac prudens sit necesse est, vt omni stultitiæ &
insipientiæ nota iugi diuinarum rerũ meditatione longius
exposita, sapientiæ cui coniuncta est, ornetur pulchritudine.

Cum enim cæteris qui beati esse student, tum sponsę Christi
in primis cõuenit operationes animæ quæ per sensus fiunt,
ab exterioribus ad interiora conuertere, ac sponso in intimis
thalamis vt Deo Dei verbo perpetua dilectione sociari, cum
eo colloqui & in eius die noctuque lege meditari, & his qui-
dem quæ ad sponsum ducunt, Lege scilicet & Euangelio: &
si qua his consona sponsi decorem exponunt oblectari: san-
ctisque intelligentiarum fœtibus, sapientem ac rationalem
magis ac magis semper euadere, donec æternam sapientiam
sibi penitus iungat, vnumque cum eo cui inhæsit effecta ex
corruptibili fiat incorruptibilis: ex imperita prudens ac sa-
pientissima tanquam verbi cui inhęsit costa, atque (vt breui-
ter dicam) ex homine mortali immortalis Deus, sicut ille cui
coniũcta est omnibus manifestetur. Sicut enim spõsus eius, *Collatio sponsi & sponsæ.*
thronos & dominationes deserens, illi rationi mortalitatis
adhæsit, vt vnum cũ illa misericorditer factus, sua illam glo-
ria & immortalitate donaret: ita & ipsa ei qui sui gratia exuit
principatus ac potestates & *seipsum à forma Dei ad serui formam* *Phil. 2.*
per nimiam amoris vim exinaniuit: immortalitatis ratione inhæ-
rere debet, vt in cœlestem quoque thalamum ad patrem ad-
scendenti coascendat. *Propter hoc* enim, inquit, *relinquet homo* *Gen. 2.*
patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in car-
ne vna. Quod exponens qui ad incorruptionem vitæ sponsã
Christo præaptare cupiebat: *Sacramentum,* inquit, *hoc magnum* *Ephes. 5.*
est, dico autem in Christo & in ecclesia: neque enim ideo descẽdit
Christus vt inhærendo sponsæ remaneret in terris, sed vt as-
sumens eam atque in meliora commutans, è terris ad cœlos
& ad regna æterna reueheret. Nempe quæ Christo despon-
sa est, non modo ad sponsalia lauacra Ioanne vtitur ministro,
sed angelos etiam habet, qui ascẽdenti ad patris solium epi-
thalamium canant: non modo igitur virgo vnione qua in-
corruptibili verbo coniũgitur, incorrupta perdurat, verum
illa quoque integritas postquam fuerit vnita perficitur. Non
enim in morem carnalis sponsi qui integram virginem car-
nali coniugio violat, & mulierem facit, animarum quoque
nostrarum sponsus incorruptam animam sua communione
commaculat: sed inquinatam potius à diabolo per volupta-
tes corporis nactus, eam ex muliere polluta immaculatam
virginem efficit: hanc denique mysticam desponsationis ra-
tionem ipse nos per prophetã edocet, cum ad spõsam suam
dicit: *Nunquid vt domum me vocasti & authorem virginitatis tuæ?* *Ierem. 3.*
Quasi diceret, & autorem incorruptionis tuæ. Sicut enim *iuxta* LXX.
autor ac princeps vxoris corrumpendæ est vir, ita incorrup- Ἀγομοίω-
tionis cuiusque nostrum autor est Dominus, qui cum nostrę σις.
inuiolatæ puritatis ratione sit Dominus, ipsam à principio
nobis indulsit, quem etiam incorruptionis nostræ Dominũ
oportet recognoscere, in eo scilicet manendo & inhabitan-
do. *In ipso* quippe *viuimus, mouemur & sumus,* vt eum quasi to- *Act. 17.*
tius virtutis & integritatis domum semper incolentes, non
excidamus eo quòd in ipso est illibatæ sanctitatis domicilio.
Sicut enim in his qui digni sunt, inhabitat & inambulat, ita E
rursus qui digni sunt in ipso habitant. Idcirco etiam postquã
nos à seculi negocijs curisque suscepit, ingressos iam in illũ
in ipso habitantes, ne ab eo excidamus, prouidè admonuit,
dicens: *Manete in me, & ego in vobis:* ita cum inter cætera mag- *Ioan. 15.*
num quiddam atque splendidissimum virginitas intelliga-
tur: regenerationis etiam atque incorruptibilis vitæ semen
esse quoddam purissimũ cernitur. Si enim *in resurrectione ne-* *Matth. 22.*
que nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli, efficiuntur filij Dei, &
hi profectò qui virginitatem seruant, angeli sunt: qui viuen-
tes in carne corruptibili moralium vitam illustrando tuen-
tur: angelique sunt, nõ obscuri aliqui, sed sanè illustres atque
nobilissimi. Illi enim carneis nexibus liberi, integritatem
suam in cœlis seruant, & loco & natura inuiolabiles & apud
summum regem omnium Deum constituti. At vero isti in
terra carnis illecebris & voluptatibus diu reluctãtes, ac dia-
boli tentamenta perpetua exercitatione vincentes, incor-
ruptionem angelicæ puritati parem virtute præcipua ante
creatoris oculos custodierunt. Qua in re virginum pulcher-
rimum statũ meritò quisque admirabitur, quo fœmineo ve-
stitę corpore, mollitiem sexus animique lasciuiam iugi exer-
citio virtutis repulerũt, virisque pares sicut etiam animo pa-
res conditæ sunt, per virtutem euaserunt: & sicut illi per sacri
certaminis labores ex viris in angelorũ ordinẽ transeunt: ita
& ipsæ paris certaminis gratia ex mulieribus ad eandem di-

gnitatem

gnitatem angelorum transferũtur. Quæ igitur in hoc seculo pares maribus animo sunt: & si per amictum fœminei corporis ad eam æqualitatem non adspirant, eas in futuro seculo per omnia æquales angelis virtutis merito inueniri certum est. Si enim quando non nubent, neque nubẽtur, angelis æquales declarantur quæ in hac vita studio id & labore consecutæ sunt: iam nunc profectò angelis pares se cunctis comprobarunt, dum maris ac fœminæ proprietates ad carnis copulam suapte natura tẽdentes, virtute absciderũt, animabusque nudis & expeditis cum hominibus in terra commoratæ sunt. Nempe enim nisi in fœmineo corpore per consensum voluptatis anima formetur ad vitia, non est iam masculus & fœmina, non est voluptas & perturbatio: sed *omnia & in omnibus Christus.* Mortificatis quippe corporibus, edomitaque voluptate quæ per naturam inest vtrique sexui ad se mutuo concupiscendum, sola iam anima in eis viuere per incorruptionis meritum cernitur. Ei sanè quæ huiusmodi est, sponsi famulum tangere tuto licebit: quãdoquidem in eius carne fœminea nõ viuit voluptas, humaniter itẽ ac syncerè susciptet fratrẽ, pedes eius iuxta præceptum Domini lauans, aliarumque rerum indigentem cura refouens, è mortuisque corporis manibus mortuum, quantum in se est contrectans corpus. *Quia enim mortificauit membra, quæ sunt super terram, viuitq; iam non ipsa, viuit vero Christus in ea.* Et quod nunc viuit in carne, in fide viuit, peragat sanè virtutis opera Christo solo in se viuente, & quæ sua sunt in ea operante, cum Christo vnà crucifixũ ac mortuum circunferens corpus: sic inquam sponsi mandata exequens, per omnem actum clariorem refert animæ speciem. Quando enim tangente corpore nullo affectu anima ad masculi commouetur imaginem, sed illud quodammodo insensibiliter tangit, voluptas in eo mortua permanet, cum non posit qui illam exterius tangit ad propriam eam excitare libidinem. Ita enim & cum ferueret persecutionis immanitas, electæ virgines * propter sponsi fidem ad illudendum impijs hominibus traditæ corporibus inuiolatæ durarunt, eo scilicet cuius gratia id perferebant, impiorũ conatus in earum carne irritos arguẽte, & integra earum corpora non sine prodigio & virtute diuina iugiter custodiente, aut si quæ etiam vim passæ sunt, non consentiente ad voluptatẽ anima, quia mortua corpora violari barbarica feritate putabant: integram atque incorruptã animam, nec alienæ libidini consentientem sponso suo & fide & virginitate inclytam maiore cum gloria & laude obtulerunt: voluit profectò Dominus dignanter ostendere, eas cum ipsius nominis confessione præsenti corporis honestati prætulissent, nec animas per negationẽ fuisse violatas, & corpore non consentiendo voluptati integras omnino euasisse. Nisi fortè qui per summam vesaniam iugulatam virginem violare pergit, eum quis mortuam quoque eo cõcubitu violasse fateatur, posset ille quidem eam cædere, sed nulla posset ratione corrumpere. Se quippe ipse corrumpit, ipseq; corrũpitur: virgo absente anima, inuiolata perdurat. Similes profectò sunt, quæ cum inter persecutiones casusque omnes illuderentur à viris, quidlibet quomodolibet passæ, ex ea mortificatione carnis integræ atq; incorruptæ perstiterunt. Præteritæ quippe exercitationis tempus eas aduersus huiusmodi pericula satis instruxit, cum viuentes in carne non secundum carnem militarent. Idcirco & reliquas ad eiusdem virtutis imitationem prouocantes, aiunt, spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Ostendant, inquam, quæ sunt eiusmodi per benignam susceptionem studium fraternitatis. Nam & Maria pedes Domini deosculãs, non vt viri, sed tanquam Domini osculabatur pedes, lacrymis quidem antiquam flagrantis concupiscentiæ voluptatem in se prudenter extinguens & consenescere faciens, affectuque egregio in Dominum & sanctis osculis spiritum animæ vehementer accendens. Viuebat itaque spiritu, cum & spiritu ambularet, & erga sponsum pro peccatis suis omnia cũ prudẽtia gereret. Cæterùm peccato erat mortua, quæ maris & fœminæ cogitationem in tactu pedũ osculisq; corporeis prorsus extinxerat. Tãgat, inquam, quæ huiusmodi est, si qua tamen talis est, mandatumq; Domini compleat. Et ea tamen quæ talis est tangens, vbiq; prudenter ac vigilanter attendat ne fortè dum iugiter tangit, paulatim in eam voluptas ex carne clã subrepat: sicque huiusmodi infecta veneno & ipsa (quod absit) dicere habeat: *Veniente autem voluptate, peccatum reuixit: ego autem mortua sum;* & inuentum est mandatum charitatis, quod ad vitam est ipsum, mihi in mortem. Si enim angeli quoque corruerunt: multo magis qui angelis pares euasere lapsum timere debent, ne fortè post parilitatem illam angelorum, quam virginitatis sibi exercitatione quæsierant, videntes filias hominum quia pulchræ sunt, ad ipsas carnalis concupiscentiæ instinctu deuoluantur, dicatque eis: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: Vos autem sicut homines morietmini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Itaque multo melius est virginem securitati suæ & intuentium scandalo cautè prospicere, ac prudenter consortia quæque vitare, atque interim inhumanitatis elogio apud plerosque notari, quàm ad voluptatem detrimentumque cuiusquam obtentu humanitatis & officij locum latenti subreptioni dare. Reliqua igitur aspernetur & negligat, & soli Domino semper intenta, angelicæ puritati parem castitatis pulchritudinem à præsenti seculo ad futuram regenerationis vitam hinc iam integram, illibatamque præmittat. Virginitas enim vitam nostram de corruptione ad sanctitatis gloriam colligit. Nam priores illi quidem homines ex pacis (vt dixi) seminibus fœderatis nuptijs orbem terrarum humanitatis fruge impleuerunt, hęc autem fata iam toto orbe per voluptatem connubij grana inter cœlorum horrea congregat. Hanc nempe fatorum in castimoniæ gloriam translationem significans Dominus dicebat: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem. Per totum enim orbem prius inhabitabilem post habitari cœptũ, plurimam segetem grauesque humani generis frugibus culmos, & flaueſcentes aristas per omnes terrarum tractus intuens Dominus, eiusce spicas colligendi tempus iam iam instare, atq; adesse probauit, ideo virginitas sciens quia sicuti naturalem ad mortalis vitæ progeniem per voluptatem coniugij humanitatis iacta fuerant semina, ita ad futurã vitã hinc iam vitæ nostræ semina oportet per castitatis munditiam ferere, ipsa per se pura, sanctæ integritatis semina ad incorruptibilem vitam agricolæ præparat: resecans validiore incorruptionis manu fœmineorũ corporũ ad masculina congressum, virtuteque inuiolabili clariorem speciem suam regenerationis seculo parans. Præoccuparunt denique virtutis opere virgines, quod in regeneratione per eam corporum mutationem, quæ in resurrectione continget, in ipsis Dei virtute perficiendum est: hic enim angelorum instar neque nubunt, neque nubentur, verum & virtute animæ & corporis integritate angelis æquales sunt. Porrò quod incorruptibilis vitæ semen è terris ad cœlum transferendũ singulari gloria, virginitatem Dominus noster esse voluerit, & incorruptionis honestati per integerrimam castitatem corpora nostra consuescere, ex eo in primis constat, quòd cum legi in omnibus obtemperauit solum coniugium tenuit. Oportebat enim vt qui ex intemerata virgine incorruptus etiam secundum carnem natus erat, nec coniugij quidem corpoream experiretur corruptionem. Cęterum à corruptis per iugalem copulam naturali integritati nostræ incrementa suppeditans, quemadmodum Adam præsentis vitæ semen per coniugij voluptatem fuerat: ita & ipse semen futuri seculi per virginitatis fieret integritatem, vt sicut illum per matrimonium serentem humanum genus, hominem in terrena vita secuti sumus: ita & Dominum per virginalem puritatem futurum seculum serentem, prudenter sequeremur. Quòd si non otiosè paradisum, primique Adam in eo conspicias vitam, inuenies profectò illum adhuc in paradiso constitutum opus non habuisse cognoscere vxorem suam. Post præuaricationem vero, mortisque sententiam, post paradisi amissionem tunc iam vxorem cognouit suam, vt vitæ postea mortalitatem prolis successione solaretur. At contra virgo eum qui ad paradisum reuehit sequẽs in illo, & cum illo iam inter paradisi delicias æterna amœnitate incorrupta lætatur, maledictum illud effugiens quo extra paradisum constitutæ mulieri dictum est: In doloribus paries filios, & cætera. Neque iam illic intelligere valet quomodo cognouerit Adam vxorem suam. Nec enim cum in paradiso esset, sed postquam inde fuerat eiectus, hoc dictum

Gal. 3. *Ioan. 13.* *Gal. 2.* ** Quales Tecla, Agnes, Agatha Lucia,* *Maria Magdalena Luc. 7.* *Argumentũ à maiore. Rom. 7. 2. Petr. 2.* *Gen. 6.* *Psal. 81.* *Metaphora Euãgelica.* *Collatio.*

Metaphora. dictum est. Neque vero nos idcirco ista dicimus, vt quasi virginitatem humano generi præcipiamus: sed his, quæ pretiosissimam illius margaritam emere instituunt, eius ex
1. Cor. 7. omni parte mundiciam insinuamus. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, quasi misericordiam consequutus à Domino.* Non enim humano generi Dominus per legem aut Euangelium virginitatis statuit leges: Nam qui vtrique sexui maris & fœminæ eum quem antè monstrauimus ob matrimonij necessitatem ad se inuicem habitum molitus est: eisque qui mortales ex immortalibus effecti fuerant, aliam, ferè dixerim, immortalitatem per successionem generis parauit, quique idcirco dixerat:
Gen. 3. *Crescite & multiplicamini, & replete terram*: qua tunc ratione de virginitate leges ponere debuit, cum vel ad supplementum eorum, qui in bellis mortem oppeterent, gignendo-
Exod. 21. rum multitudinem esse necessariam cerneret. Nempe enim in lege quam per Mosem dedit, liberorum procreatio benedictione quoque digna censebatur. Postea vero quàm suis vbique fructibus floruit mundus: tantaque multitudine hominum referta terra est, vt neque nascentium iam numerum capiat: adestque illud quod in aduentu Domini fore à vatibus prædictum est: cum hi scilicet qui eius monitis
Esai. 2. prudenter obtemperant, concidunt *gladios suos in aratra, & lanceas in falces*. Neque sumit iam gens contra gentem gladium, neque vltra bellare discunt. Iustissima ratione virginitas contrà atque hi, qui corrumpuntur per corpus ex corporibus verissimam integritatem germinat. Nec tamen (vt dixi) de virginitate tulit per Mosen Dominus legem, vtrumque sexum intuens, hominumque naturam. Neque hanc in Euangelio præcipit, sed assumpta Mosi lege, quòd illi ad
Exod. 20. perfectionis meritum deerat, edocet, dicens: *Dictum est: Non*
Matth. 5. *fornicaberis. Ego autem dico tibi, Non concupiscas, & cætera:* sedensque in monte à beatitudinibus incœpit aperire os. Percurrens quoque Mosi leges, & eas ad veræ virtutis prouehens culmen, cum ea quæ ad salutem conferunt, mandata docuisset, impleto doctrinæ cœlestis ministerio, de monte descendit: nusquam virginitatem inter veteris vel noui testamenti mandata constituens. Voluit quippe eximiæ virtutis meritum non iussionis necessitati obnoxium fieri: sed egregij ac singularis animi specimen atque indicium esse, dum sponte sua nulla imperij necessitate cogente, quod mandata omnia excellit, & supra humanæ naturæ modum
Collatio coniugij & virginitatis. est, desiderio affectuque virtutis efficeret. Coniugium quippe naturale est, vbi etiam lex conuenientia naturæ disponit. Virginitas vero supergressa naturam legis vinculis non tenetur adstricta, quæ incorruptionis excellentem virtutem creatori & autori legis iure pretioſi muneris offert. Idcirco Dominus quidem (rursus enim id repetam) nusquam de virginitate leges tulit. Permisit tamen vt, sicut ab incorruptione ad corruptionem præter naturam immoderata potestate vtens, homo defluxerat: ita rursus à corruptione ad incorruptionem naturam suam præstantiori voluntate vim sibi inferendo proueheret. Non, inquam, iubet, neque imperat hanc rem: excellens quiddam & supra
Virginitas quiddam est eximium & supra naturæ leges. naturam, supraque legem ac virtutis studio deditæ animæ propriam esse non ignorans. Cum enim audisset dicentem sibi: Non expedit nubere, volens illius excellentiam pandere: Non omnes, inquit, capiunt, Quem & diuus Apostolus sequens, ea quidem quæ sunt ad vitam necessaria, in epistolis mandat, Ecclesiamque singulis ordinibus quasi vnum corpus à capite (vt ita dixerim) vsque ad extremos vngues componit atque ornat. Cæterum de virginibus nihil ipse decernit, sed cum inde interrogaretur, imitatus est Domi-
1. Cor. 7. num, dicens: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo,* nusquam enim inuenio, neque per legem, neque per Euangelium hoc eximium sanctæ & singularis animæ meritum à Domino fuisse imperatum. Porrò sicut rogatus Domi-
Matth. 19. nus his qui se interrogabant: *Non omnes capiunt*, respondit, neque tamen magnitudinem ac dignitatem rei, modumque quo virginitatem quispiam assequeretur, tacuit. Sed
De virginitatis complexu, non præceptum sed cõsilium cur detur. inferens trinam eunuchorum speciem, ostendit: ita & ego, *& si præceptum Domini non habeo, consilium tamen do.* Quia enim supra naturam ea res futura est: meritò ab ea seruilis omnis iussio explodi debet: liberoque potius consilio agendum ac docendum, quo pacto possit is qui liber

A imperio, & sua sponte præstantior effectus est, naturæ suæ ad consequendam inuiolabilem integritatem vim inferre. Quemadmodum igitur Dominus virginalis absciſionis modos rogatus aperuit, & discipulus virginitatis intulit consilium, dicens: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo:* 1. Cor. 7.
consilium autem do, quasi misericordiam consequutus à Domino vt sim fidelis. Arbitror autem hoc bonum esse, propter instantem necessitatem, quia bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori, atque hoc vinculo antequam merita virginitatis agnosceres constrictus,
noli quærere solutionẽ. Solutus es ab vxore: noli quærere vxorem. Quasi dicat: Ne ligari quæras hoc vinculo. *Si autem & vxorem ducas,*
non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccat. Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi; aperientes sibi per coniugij copulam
B dolorum officinam. *Ego autem vobis parco. Hoc autem dico fratres: Tempus iam breue est.* Regiones enim * *albæ sunt, & iam iam ad* * Ioan. 4.
messem flaueſcunt. Vt *& qui habent vxores, quasi non habentes sint:* 1. Cor. 7.
non autem qui non habent, sint quasi habentes. Sicuti profectò quidam faciunt, qui cum ex virginitatis voto vxoribus careant, ac si eas habeant se agentes, virginitati contumeliam faciunt. *Et qui flent, sint tanquam non flentes: & qui gaudent,* Ibid.
tanquam non gaudentes: & qui emunt, quasi non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, quasi non vtantur. Præterit enim figura huius
mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino. Qui vero vxorem
habet, sollicitus est quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori. Et
C diuisa est mulier quæ nupta est, *& virgo, quæ innupta est, sollicita*
est quæ sunt Domini vt sit sancta & corpore, & spiritu: quæ autem nupsit, sollicita est quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Hoc autem ad
vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & intentè facit seruire Domino absque vlla distractione. *Si quis autem indecorum virgini suæ putat, si prætereat*
nubendi tempus, & ita fieri debet: quod vult, faciat, non peccat, nubat. Sciat tamen quia magis mortali viro & mundo placere, quàm Domino fruendæ voluptatis gratia elegit. *Qui autem*
statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem
suam, bene facit. Igitur qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit. (Melius est enim nubere, quàm vri.) Et qui non iungit, melius facit,
D hanc Domino mortalis viri vice despondens. At vero Dominus his qui coniugij molestiam didicerant, & quod solui facilè non posit, vxoris vinculum ægrè ferebant, dixerantque: *Non expedit nubere. Non omnes,* inquit, *capiunt verbum hoc: sed* *Matth. 19.*
quibus datũ est. Sunt enim † spadones, qui ex vtero matris ita nati sunt: † εὐνοῦχοι.
quicunque scilicet naturæ beneficio ad cõcubitus illecebras absciſi connubia respuunt & aspernantur. Et *sunt eunuchi, qui* *Primi exsecti, naturæ prærogatiua.*
ab hominibus facti sunt, doctrina, diligentique custodia ad virginitatis obseruantiam inducti: sicut & illa, quæ à patre virgo seruatur, de quo dictum est: *Qui autem iudicauerit in corde suo* *Secundi spadones.*
seruare virginem suam, bene facit. Et sunt spadones, qui seipsos absciderunt propter regnum cœlorum: qui etiam cæteris præstantiores *Tertij, propter regnum Dei.*
E sunt, quia cum neque naturæ ad castitatem tuendam nitãtur auxilio, neque ab hominibus, quorum sub ditione sunt, spe præmij alliciantur, ipsi semet propter regna cœlorum ad virginitatis præclarum certamen exercent, coniugiumque & simul omne seculum eius seruandæ causa contemnunt, regnumque cœleste cum sudore, glorioſisque laboribus capeſsunt. Nam qui ex vtero matris eunuchus est vt per naturam castus, nihil operis proprij potest in specie sanctæ virginitatis ostendere, naturæ (vt dixi) bonitate non castitatis affectu, aut studio connubium tenens. Ita & qui absciſsus ab hominibus est, dum obseruatione iugi virginitatem seruare compellitur, huiusce sanctitatis gratiam non esse sui meriti, verùm se obseruantium indicat. At vero
F qui seipsum instinctu gratiæ spiritalis absciſit, præcipuumque ac singulare opus per continentiam, & ardens ad cuncta exercitium munus suum fecit, hic suis non alienis rectè factis in cœlesti regno honestus & clarus est. Illud præterea notandum, quòd verbum Domini ad eunuchos apud Esaiam resumens spadonum differentiam Dominus tradit, nihil à doctrinæ suæ more deuiando. Sicut enim per Mosen non mœchandum, simpliciter iubetur: in Euangelio autem quomodo non sit mœchandum, quique seruandus modus Dominus explicat: ita & per Esaiam eunuchos fieri: in euangelio, quo pacto fieri oporteat, nec vnam, sed trinam esse eunuchorum speciem intelligendam,

ligendam, veritas docuit: vt illic generaliter eunuchus, hic etiam distinctè, & per species nobis designetur. Nec sanè repugnāt superiùs expositis quæ modò dicimus, neq; enim de spadonibus in Esaia leges tulit, aut imperauit eiusmodi abscissionem, sed quibus digni sint præmijs præclari & optimi eunuchi, prædicauit. Iuuat autem verba ipsa diligenter

Esa. 56. inspicere: *Hæc dicit Dominus eunuchis. Qui custodiunt sabbata mea, & eligunt quæ ego volo, & retinent testamentum meum, dabo eis in domo mea, & intra muros meos locum nominatum meliorem filijs, & filiabus: nomen æternum dabo eis, & non deficiet.* Non ergo his, qui casu aliquo simpliciter eunuchi sunt, huiusmodi promissio fit: sed qui custodiunt, inquit, sabbata mea, & eligunt quæ ego volo. Sabbatum vero non in opere, sed in operis cessatione † intelligitur. Vult itaque sabbatizare virginem, vti ne virginitatem operando custodiat, sed absque motu operis integritatem inuiolabilem seruet. Quasi Dei simulacrum, inquit, ex anima & corpore virgo in terra formata est. Mysticè ergo sabbatizet, non pedem, non manum, non oculū, non aliud quodlibet membrorum, sed ne animum quidem ad corrumpendam naturalem pulchritudinem moueat, sed persistat vt præclara diuinæ maiestatis effigies solida, atque immobilis ad omnem imaginem, ad omnem tactum, semper ac iugiter in petra stans, ne quis siue per oculos, siue per aures, siue per alium quemlibet sensum subrepens, aut animæ in diras moueat figuras Dei, aut confusis primitiuis formis, suas ipsi pessimè ac licenter insculpat: sicque corrupta & obliterata animæ specie, corpus iam luteum ac materiale per illicitos tactus vbiq; probris & maculis repleat. Stet igitur immobile, stet fixum ac solidum simulacrum Domini, perpetuò sabbatizās, vt neque sui ipsius vitio motum vspiam nutet, aut in ipso motu dum fortè turbatur, aliquid naturalium lineamentorum collidet ac violet, neque ad externa manu agitatum furto florem naturalis decoris amittat. Fortasis hoc sabbatismo, quo pacto etiam virginitas acquiri possit naturaliter simul ac mirabiliter signat. Sicut enim exponens salutis nostræ commercium: *Ne*, inquit,

Rom. 10. *dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? hoc est Christum inde deducere: aut quis descendet in abyssum?* id est Christum *ex inferno, mortuisq; reducere*. Sed quid? Propè est, inquit, verbum in ore tuo & in corde tuo, neque opus habes quæ à te adeo remota sunt, cœlos scilicet aut abyssos perscrutari, sed eo quòd propè est, & tu vtere prompto adiutorio: si enim confessus fueris in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quia Deus ipsum excitauit à mortuis, saluus eris: ita fermè & de virginitate ait: Ne dixeris quomodo ascendam in cœlum, virginitatis meæ integritatem inde deducere: aut quomodo descendā in abyssum, vt eam dudum à diabolo corruptam mihi ipsi recuperem. Sed quid? Prope te est, inquit, & per naturā tecum nata virginitas. Neque igitur Maria transfretare vt eā acquiras tibi opus est, neque vastum & infinitū peruolare aërem, neque terrarum tractus hanc vestigando circuire, aut è terris euolare, cœlumque pro ea inuenienda lustrare, sed omissa (vt dixi) cura superflua huiusce locorum spatia, & interualla peragrandi, te ipsam vt te habeas, diligentius inspice, atque hanc in te per naturam opertam abditamque reperies. Quam si tecum & apud te permanere inuiolabilem cupis, perpetuum sabbatum celebra, hoc est, mane quod nata es. Ne manum moueas ad tangendum virum, neque plices explicita, neque soluta colligas, neque inuiolata membra alterius generis membris iungendo corrumpas, sed permane quòd es in cubiculo cordis, nihilque amplius inquiras. Apud teipsam sabbatiza, nihil operans quo id soluatur, quod in te per naturam est. Non te muros atque parietes, vt virginitatem reperias, transilire necesse est. Ista quippe si egeris, fortasis & virgo esse desistes. Porro in cubili, si hoc sabbatum celebres: integram te purissimamque custodies, sicque facilè inquam virginitatem, rem omnium pretiosissimam, amplissimumque patrimonium habitura es. Non enim impendens aliquid vel noui quippiam gerens, hanc tibi vindicare & acquirere poteris, sed immaculata virgo quod nata es, permanens optima semper omnibus clarissimaque videberis. Cæterùm si hoc amittas patrimonium integerrimæ castitatis, quamuis illa omnia facias quæ dixi, cœlumque ac terras & maria & abyssos, immensumque aërem peruagata fueris: nulla hoc omnino ratione recuperare iam poteris. Quo enim pacto quod corruptum semel est, iam incorruptum fiet? Qua ratione quæ cognouit virum, quasi quę non agnouerit existimabitur? Quomodo quod penitus concupiscentia & voluptate & perturbatione vulneratum est, quasi alienum iam erit à vulnere, cum signa corruptionis in anima, & corpore impressa iugiter maneant? Pœnitētia quidem peccatum relaxari certum est, verum quæ corrupta est, quasi ea inuiolata perstiterit, redintegrari omnino non valens, dum viuit, lugebit. Quocirca quoniam hæc pretiosissima omnium est, maximaque possessio, hisque qui hanc fuerint adepti, reposita sunt gloriosissima præmia, doctrinæ Domini obtemperantes, ea ratione sabbatizare studeamus: quam à principio sermonis nostri ad finem vsque suggessimus, impollutamque, & ab omni macula intactam assiduè naturalem diuinæ effigiei seruemus pulchritudinem. Non solum autem, inquit, sabbatizet virgo, verum & ea eligat, quæ volo. Quid autem æquè, ac incorruptionem Deus velle putetur? Quam profectò ex collatione corruptelæ iugalis huiusmodi sabbati celebratione, sancta virgo eligens atque seruanda mandata testamentum Domini tenens, accipiet ab ipso, atque intra muros eius locum nominatum meliorem filijs & filiabus. Non solum enim sabbata mea custodientibus eunuchis & eligentibus quæ ego volo, verùm & testamentum meum tenentibus ea dabo, quæ dicta sunt. Meminisse itaque testamenti sponsi sui die noctuque virgo debet, quod ille pro ea, & pro eius integritate moriens edidit, ipsiusque testamenti & mortis, quam ipsius gratia susceperit: seipsum enim pro illa tradidit, vt eam sanctificaret, memoriam assidua secum meditatione voluens, testamentum ipsius iugiter teneat, id est deleri, aut irritam, inanemque fieri non sinat consummatam in ipsius morte salutis suæ causa dispensationem, qua scilicet prospiciens ipsius libertati, eam suo redemit sanguine, redemptamque non modo libertate honorauit, verùm sponsam quoque sibi aptans reginam facere, præcipua gratia & excellenti pietate dignatus est. Ideò teneat ipsius testamentum, hoc est (vt planius dicam) dotale quoddam ipsius erga se testamenti conscripti legitimè, constantisque coniugij iugiter teneat † ad stipulationes, fœderaque coniunctius esse illi immaculatam in omnibus exhibens, vt dignè pro sponsi merito hic viuens, illic etiam bonis ab ipso sibi præparatis perfruatur. *Custodientibus quippè sabbata mea* (rursus enim id repetam) *& eligentibus, quæ ego volo*, inquit, *ac tenentibus testamentum meum dabo in domo mea, & intra muros meos locum nominatum meliorem filijs & filiabus*. Ne enim videantur vt steriles & infœcundi abiecti esse & ignobiles, ita, inquit, familiares & amici mei erunt, vt in domo mea & intra muros meos maneant. Præterea tanto apud me honore digni habebuntur, vt quæuis filiorum ingenuitas non possit cum illis de dignitate contendere: dabo enim eis, inquit, locum, non solum habitationis, sed promotionis etiam ac dignitatis, vt omnibus perspicuum sit, ipsos vltra succesionem liberorum, dignitatis excellentia nobilitari. Et quid amplius de mysticis aut eunuchis dicam? Nomen æternum dabo eis, quod supra nepotum illis progeniem sufficiet, nec vnquam deficiet. Hic enim carnales filij parentum subeuntes nomen, sicuti vitam illorum extinctam senectute succedendo rediuiuam reddunt, ita nomen quoque, quod morientibus parentibus deficiebat, in seipsis exsuscitant, qui cum hoc modo præcedentium vitam ac nomen aliquamdiu suffectione prolis instaurauerint, & ipsi tamen conditione mortali processu temporis omnino deficient, sine nomine genus relinquentes. Quod autem à me præter locorum priuilegia datur eunuchis nomen, pro omni succesione generis (dicam rursus) illis perpetuò sufficiet vt & ipsi, & omnes intuentes, ab euentu & exitu rei nominis excellentiam confiteantur, quod sit profecto melius filijs ac filiabus, quorum vitio sæpè contingit, vt execrabilis sit tota progenies, & confusionis loco, & peccati nomine. Pro humano enim, inquit, nomine angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet, vt cœlum & cœli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, atque in cœli pulcherrima sede, hoc est, in domo mea intra septa habitantes, non angelorum iam naturam tantum, ac dignitatem perpetuæ

שבת † *enim* requies, cessatio.

Vel hinc eluceſcit ſanctimonia Baſilij.

Nouè interpretatur illud: Ne dixeris in corde tuo. *Rom. 10.*

Virginitas ſemel amiſſa non redintegratur.

Sabbatizandum quo pacto ſit virgini.

† τὰ ἐταιρεῖα

Eſai. 56.

Attende præmium eunuchiſmi myſtici.

successionis accipiant, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes, verum & locum inter angelos habeant illustrem, atque insignissimum, nomenque pro eximiæ virtutis splendore indelebile: Muniantur ergo vndiq; virgines, ac se obseruent summa diligentia, ne sicut à terra & hominibus in cœlestem, angelicamque dignitatem ascenderunt, ita è contra ab angelis & cœlis in terram pessima ruina delabantur. Vidi enim ait, eum qui aliquādo in cœlis coruscabat, vt fulgur de cœlo cadentem. Cuius, rei gratia, modis se omnibus seruare debent. Talibus itaque præmijs digni inuenientur in regno, sacri ac spirituales eiusmodi eunuchi. Eisdem vero muneribus ne illi quidē fraudabuntur, qui in ætate puerili tyrannica manu violenter absciſi sunt, si in ea quam in corpore non sponte pertulerunt, constituti voluntaria postmodum scipsos absciſione castrauerint, vt sabbatizēt ab omni omnino vitio, & ea eligant, quæ Deus vult & mandatorum eius testamentum teneāt. Quippe animi virtute nequaquam inuenti infœcundi locum habituri sunt in domo Domini, meliorem filijs & filiabus. Neque vltra lignum aridum pro infœcunditate carnis existimandi sunt: sed vt virentia arbusta plurimis iustitiæ fructibus omni ex parte redimiti. *Plantati enim,* inquit, *in domo Domini videbuntur, in atrijs Dei nostri florebunt.* Non itaque (dicam enim iterum) leges de virginitate Dominus tulit. Sed eam rem liberi arbitrij ac voluntatis munus esse volens: quibus præmijs donandi essent, qui naturam hoc mysticè absciſionis modo transcenderent, ostendit. At vero qui non intellexerunt quod dictum est: *Et sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum,* scipsos nimis improbè mutilauerunt ipso suo opere impudicitiæ se ac lasciuiæ ex obliquo insimulantes. Nam qui carnalis arma voluptatis, ne munus suum exequerentur abiecit, per ipsam suam incontinentiā indicat, se quidem ad concubitum, ardoremque libidinis esse procliuem. Abiectis autem armis illis iam non quia nolunt, sed quia non possunt impudici esse, virginitatem seruant. Enimuero diuina lex non actum modo, sed voluntatis sententiam damnat. Omnis enim non qui opere admisit adulterium: sed *qui vidit ad cōcupiscendū iam mœchatus est.* Porrò membrorum genitalium absciſio maiorem in oculis, ita absciſi, adulterinæ concupiscentiæ flammam inesse criminatur, quòd is diffidens à libidine se posse continere, id absciſit, cuius ministerio flagrantem cupidinem in opus producturus erat. Imò cum sciret eo non amoto se impudicitiæ daturum manus, ea quidem absciſione instrumentum libidinis sustulit, ne lasciuire per corpus videretur. Cæterùm impudicitiæ non abstulit flammam, sed animo, desiderioque luxurians, incontinenter per omnem concupiscentiam assidueque mœchatur. Accusat quippe ipsius incontinentiā conatus improbus. Idcirco huiusmodi post absciſionem impudiciores meritò quisque appellauerit. Cum enim se continere non possint, metu ne deprehendantur in opere nefario, vtque licenter iam sua prout volunt libidine exatientur, serui quippe voluptatis nolunt effectum operis ad habitum sibi & perpetuum voluptatis vsum impedimento esse, quo minus in posterum & semper voluptate fruantur, præciso fœdæ actionis argumento libere iam ad coitus, petulanterque lasciuiunt. Sicut enim qui districto gladio thorace instructum quempiam impetit, etsi thorax fruſtretur ictum, homicidiumque prohibeat, homicidæ tamen supplicio tenetur obnoxius: quique in nudum gladio fertur, etsi quouis casu gladius illi excutiatur de manu, homicidij reus iure iudicatur. Neque enim opus tātum, sed & voluntatem iudicat lex: ita profectò, & qui armatus genitali membro fidei lorica instructam adoritur, & si fruſtra conatus illam vt cupit, violare non possit, quasi tamen violauerit dignus supplicio censetur. Et qui nudam itidem nactus, voluntate in opus fertur: quamuis absciſione genitalium amissis armis eam violare non possit, quasi tamen corruptionis author reus sceleris iure iudicatur. Qua in re & illa non iniuria impudicitiæ simul rea deprehēditur, & probro subijci vnà meretur. Nam quo pacto repulsuram credimus imminentem sibi ab impudico & incæsto plagam, cum sine armis fidei sit: vbi enim aduersus illum, qui naturalibus armis instructus est, pudicitiæ tuendę causa fortissimè repugnat, castitatis certamen in aperto est: Vbi vero armis destitutus est vir, illaque liberior affectione vitiosa videndam se illi & alloquendam largius præstat, cunctisque voluptatis fluit illecebris, incerta quidem eius pudicitia est: complures tamen ab omnibus aduersum se impudicitiæ sententias refert. Verùm ista quidem de his qui vnà cum testibus genitalia quoque absciderunt. Nam qui ad virilitatis annos cum genitalibus iam per ætatem ad coitū idoneis peruecti, solos postea testes absciſindunt, eos aiunt acrius atque ardentius inflammari libidine, & ad concubitū impatientissimè ferri. Neque id solum, verùm tutò iam, vt sibi videtur violare quascunque potuerint. Aiūt enim absciſis inferius testibus, qui à lumbis ac renibus reliquo genitali membro semē administrant, oppilari statim superiores poros: feruēte vero in renibus obscœna libidine, atq; ita semen exspumante, inflammari quidem ad id emittendū virum, cumque feruens in intimis id effundere nequeat, eo quod sibi ad concumbendum reseruauit, armari, atque ad actum prosilire nefarium. Ita absciſionem testium illecebram ad fallendam mulierem astutè machinatus impudicius illi iam flagitiosiusque miscetur. Nam is quidē, qui naturalia integra habet instrumenta concubitus, excipientibus supernè partis testibus semen, illudq; fundentibus emisso iam semine alleuiatus, concupiscentiæ flagrantis remittit ardorem.* Is autem qui non habet vnde quod intrinsecus prurit euacuet, vix extinguit libidinis æstum, quoad (vt ferunt) huiusce rabiem fatigatio soluat. Attestātur his quæ dicimus non solùm naturæ ratio, verùm & plurima ætatis nostræ documenta, sicuti quodam summæ reuerentiæ viro, canicieque ac vitæ meritis ornato referente didicimus. Aiebat enim confessam sibi esse mulierem, eunuchum cui illa à Domino siue à viro suo credita fuerat, quasi virum impudicè sibi commiscēri solitum. Præsumebatque, vt ait, actum turpitudinis ipsa sua infœcunditate ac seminis priuatione securius. Neque hic solum sed alius quoq; nobis vnanimis haud quaquam facilè mentiri solitus, retulit virginem quandam Ecclesiæ canonicam sibi cum eiulatu nuntiasse, quòd in cubiculo ipsius eunuchus fuerit, qui illam vitioso complecteretur affectu, totusque toti affusus cum non haberet quo posset concupiscentiæ suę satisfacere dentibus vtebatur ardentem in carne concubitus rabiem morsibus indicans. Atque ob eam quam diximus absciſionis illecebrā, quòd ignara & imprudens rei esset, tentatione implicitam virginē. Vbi vero eius nepharios conatus animaduerterat, execratam esse hominem. Neque eā huic solum, sed & alijs plurimis inquinatissimam illius aduersum se concupiscentiam cum lamentatione prodidisse certum est. *Duorumq́, hominum testimonium verum est,* ne & alios plurimos citantes testes in re præsertim ingrata prolixiores simus. Danda tamen nobis (vt reor) venia, qui ista non tantum præmuniendæ virgineę integritatis gratia diximus: sed vt plurimos eiusmodi eunuchos, qui nomē illustre cōsecuti sunt in Ecclesia, coërceremus. Constat enim profectò dæmonis artem & inuentionem id opus esse. Nam quos prior ætas apud gentiles prodidit, eos modo apud nos quoque prodijsse monstratum est, castitatisq; nomen & tunc apud illos & modo apud nos huiusmodi absciſione contra naturæ iura inuenisse. Est enim vehemēter astutus is, qui fidē nostrā in Dominum circumuenire & fallere nititur, & sub honesti specie vitia inserere malignissimè quærit: quod ipsum ex præteritis animaduertere in promptu est. Sicut enim per quæ putabant se Deum cognoscere, per ea maximè gentiles eū ignorare fecit (mundus enim opificis sui index propositus cum sit, illi à visibiliū specie non vt decebat ad conditorem sese erexerūt, neque eius pulchritudinem glorificauerunt: sed coluerunt & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori) & sicut vnde oportebat Christum agnoscere: inde in primis illum ignorari, molitus est de scripturis scilicet prædicantibus Christum ignorationem eius hæreticis intelligentijs callidus ingerens, sicuti idem Christi fide vbiq; conspicua, Incredulitatem ac negationem eius malignè inserere nititur, ita & sub mysticæ absciſionis nomine, castitatisque velamine impudicos atque impuros efficit. Neque his igitur passim, ac liberè congredi virginem decet. Nam si fœminæ fœminas dum in eodem cubili amanter amplexentur, feruente in intimis cupiditate sæpe ex mutuo contactu cor-

Quid virgine vitandum.

Psal. 91.

De illis, qui seipsos castrauerunt.

Matth. 19.

Non opus modò lex damnat nefarium, sed voluntatem quoque.

Matth. 5.

Βεβαίωσις à simili ducta.

* *Quod παραδοξον videri poterat adstruit testimonio fideli.*

Attende quanta tēptigine vel eunuchi pruriant,

Deut. 17.

Eunuchi.

Eunuchismus quādo commētum est diaboli.

Simili confirmat γνώμην.

ctu corporum ad ea corpora, quæ vt appeterent in suæ conditionis acceperunt, memoriam irritant atque inflammant (solet enim qui peccati legem in nostris membris posuit, melius latenter irrepere, atque ex amica fœminarum ad inuicem gratáque voluptate, carnalem maculam impudenter elicere) quanto magis masculina corpora licet illa eunuchorum sint: cautè vitanda sunt virgini. Sit* enim ille licet eunuchus: vir tamen per naturam est. Sicut enim cornutus bos & si illi præcidantur cornua: non tamen sublatis cornibus equus efficitur, sed absint licet cornua, bos tamen est: ita & masculus abscissis genitalibus omnibus, ea tamen mutilatione sua, mulier effectus non est: sed masculus, vt est à natura conditus permanet. Ac sicuti bos recisis cornibus, sic quoque furore cornu petit (ceruicem quippe incuruans, & caput ad feriendi impetum formans, gaudet intentare minas) ac sæpius ea parte capitis ferit, qua cornibus antea fuerat armatus, satisfacitque furori per actus imaginem (ita enim afficitur correptus iræ impetu: non vt casso feriens vulnere, sed vt prius ictu cornuum scindens ac diuidens:) ita & masculus quamuis abscissus genitalia, vitiosa tamen concupiscentia masculus est. Quocirca & ipse se ad actum fœditatis similiter formans, amorem spirat incredibilemque vesaniam: immò & ad coitum feruens, etsi ea parte non violet fœminæ turbulentus incumbens, ipse tamen ac si corruperit, satisfeceritque cupidini, ita sceleris imagine affectus est. Eam vero ad peccatum vehementius irritans, totum quidem corrumpit animum, corpusque ad corruptionis actum inclementer instigat. Quapropter prudens virgo si intimam virginitatem suam seruare inuiolabilem cupit, huiusmodi contuberniа atque colloquia (sunt quippe homines) non passim admittat. Nam etsi admonitionem Sirach vt integrati virginis prospicientem suscipimus: *Quasi eunuchus, inquit, amplectens virginem & ingemiscens.* Nimirum quia quod vult agere, non valet, & alibi: *concupiscentia eunuchi est virginitatem adolescentulæ auferre.* Etsi enim matrem, inquit, ob infœcunditatem non facit: cupit tamen illi florem virginitatis adimere. Neque igitur pudicitiæ ratione laudare conuenit huiusmodi abscissos, quia neque equos quod cornu non impetant, laudamus: sed hos quidem, nisi calcitrent laudamus, boues vero non cornupetas, mansuetudinis gratia suscipimus. Non enim quo quisque non potest, sed quo cum possit non ad iniuriam vtitur, admirationi habetur. Quòd si putant abcissionem genitalium aliquid ad pudicitiam atque innocentiam animæ conferre posse: eruant & oculos, plurima præter rationem salutis intuentes. Præcidant simul & manus & pedes, & aures penitus obstruant, ne quid horum peccati instrumentum fiat. At id quidem stultum & irrationabile est, & insaniæ furorisque plenissimum, peccati causam non aliter auferri posse arbitrari, nisi vndique circumcidantur membra omnia ea ratione qua diximus, truncique in morem inutile omnino iaceat corpus, quando sic etiam ex præcedentibus imaginibus delusa mens peccet. Permittentes itaque corpus ita manere vt effectum est, membra omnia castissimæ rationi moderanda iuxta quod superius diximus ac regenda tradamus, bonumque opus nostrum non necessitatis, sed voluntatis munus faciamus. Non autè de omnibus simpliciter eunuchis quæ præmissa sunt, diximus: sed de his qui* vt sibi facultas fieret mulieribus licenter ac liberè, quantum vellent congredi, seipsos libidinis impatientes abciderunt, ac de omnibus omnino qui fœminarum familiaritate persequuntur, easque sibi summo studio conciliare pergunt. Scimus enim quia sicut sancti viri castè atque innocenter mulieres tãgunt, ita & spadones, qui post abscisionem illam, quam in corpore inuiti pertulerant, voluntariè iam se ac flagrantissimo puritatis amore castrarunt, cum mulieribus purè atque innocenter conuersantur. Cæterùm diligentiæ simul integritatisque seruandæ gratia cõtestamur, quia sicut viri, qui mulierum familiaritatibus gaudent, meritò suspicionem aduersum se turpitudinis concitant: ita & eunuchi qui cum mulieribus assiduè morantur, idque præcipuè studeant, vt ab eis nunquam diuellantur, cõtra seipsos suspicioni locum præbent. Nam qui fœminis nõ quomodolibet indifferenter, sed auidè congrediuntur, non sine ratione cum sit cogitatio humani cordis semper in deterius prona: plusquam viri iudicio quorumcunq; fugillãtur.

Quippe cum illis præsto sit operis nefarij facultas, effectum sceleris antè oculos pingens, eos ruinæ metus à voluntatis peccato coërcet, his autem cum non adsit ius implẽdi quod volunt: ipsa sua impotentia audaciores ad fruendum concupiscentia effecti peccatum voluntatis in se magis ac magis exaggerant. Nemo autem reprehendat, cur alloquentes virginem plusquam conuenire fortassis videretur virgineo pudori, in speculatione ac discussione masculini sexus aliquanto diutius immorati sumus. Primò quidem, quia nulla tam æui rudis virgo est, quæ sensu vigeat corporis, quæ aliquid eius sexus ignoret, cuius euulsa de latere est. Nam quamdiu quidem inualida atque immatura sunt ad naturalem actum corporis membra: lex quoque peccati feriata est, & ignorantiam fortasse dixerit quispiam naturalis operis inesse interim membris, & si quàm maximè sua sponte natura ad munus proprium currit, sicut in mutis animantibus cernimus, quę duce atque instigante natura protinus feruntur ad coitum: infantesque pueri in ipsa imbecillitate membrorum virilem imitari concubitum sæpè deprehensi sunt. At vero vbi pubescere cœperint, atque ad id munus ad quod facta sunt, esse per ætatem idonea, peccati lex continuò subrepit, membris singulis sua officia suggerens, & legis membra contra legem mentis instructa in aciem proferens, & vnumquemque hominem per mẽbra peccati lege captiuãs. Nullumque prorsus membrum est, quod cum lege magistra nitatur, ignorantiam eius ad quod effictum est peccati possit obtendere. Verùm & labia norunt ad quid amantibus accommodata sint, & ad quem vsum instituta. Et membra singula, sexus quoque alterius membra non minus quàm se ipsa per naturam norunt. Nam si naturam illorum vsumque ignorarent, ne actum quidem ipsorum & officium profectò concupiscerent. Itaque non sumus rei criminis, si quod erat virginibus cognitum, licet silentio id premeretur necessariò tempore admoniti discussimus atque aperuimus. Deinde etsi illæ ignorabunt ingenium masculi, ne ipsa eis ignoratio peccati esset illecebra, non sine ratione illarum securitati constantiæque prospicientes vt se per naturam habeant, inspeximus & explicuimus, vt quemadmodum simplices sicut columbæ sunt, ita etiam serpentis imitatæ prudentiam omnem, suæ integritatis iniuriam, omniaque pericula propellant, atque ex his quæ diximus cautiores ad obseruandum seipsas diligentioresque reddantur. Præterea quoniam hoc opere nostro virginitatis mũditiam in commune tuendam, instruendamque suscepimus, sicuti virginibus beneuolentiæ, ita & maribus officij debitores sumus, eaque ratione quemadmodum illis quid sit noxium, quid vtile ostẽdimus, & istis itidem necessariò ostendendum arbitrati sumus, ne abscisionis illius quam suprà discussimus illecti nomine contra quam molirentur efficerent: verum quid sceleris ex improba genitalium abscisione sequeretur agnoscentesque à Domino suscipi mereatur eunuchus, non ignorantes & ex vera illa abscisione proficerent animo. Et qui eiusce carnali abscisioni vel dederant vel daturi videbantur manus, hoc sermone nostro cohibiti, inde se prudenter auertant. Vera igitur virgo si tanta cum diligentia quantam præmisimus, se obseruauerit, ab omni quidem conatu masculi mundam iugi se obseruatione custodiet, sed & cum fœminis dormiens, secum semper commorabitur, fixumque animum habebit in cœlo, & illum à corpore totum penitus remouens: ipsa quoque cum Apostolo dicet: *Scio me ipsam siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio: Deus scit, quia rapta sum in paradisum, & audiui verba arcana.* Omnino enim vigilantissimum eius in se amorem supernè de cœlis intuens sponsus, vtque ex tenebris non occasionem sceleris, sed sacrũ otium vberiorisque ad eum familiaritatis & amoris materiam sumit. Id lucrata ex nocturnis tenebris quod sensus nulla extrinsecus agitatione turbatur, sponsique intus illustrata lumine illius lampadem per totam noctem in occulto componit: ipsam meritò rapiet vsque ad tertium cœlũ & in paradisũ Dei, & ea sibi loquetur verba, quæ adhuc in corpore viuentibus esse dicuntur ineffabilia: sed illi planè quæ ad id profecit vt nesciat vtrum in corpore an vero extra corpus habeant vitam, effabilia mysteria fient: quo sanè in statu omnem virginum chorum inueniri cupiens & orans, atque obsecrans ad ea præcauenda quæ virginitatis pulchritudinem inqui-

Eunuchus sis licet: vir tamen natura: per simile.

Eccl. 30. 21.

Eccl. 20. 2.

Eunuchismũ dãnat, qui sit tuẽdæ castitatis gratia.

Simili confirmat.

Quæ viros concernant ad tuendam pudicitiam.

Simile quid proditũ legitur de Origene.

2. Cor. 12.

Quem doctrina Basilij scopum obseruarit, simili docetur.

nant, ista prosecutus sum, non vt ex eorum inspectione discamus quomodo oporteat ad ea quæ sunt noxia prolabi, sed vt lubrici modo præcepto discamus quo pacto inde resilire conueniat: neque enim eis qui medicinæ student venena & noxia quæque ac morbida, ideo discenda proponunt magistri, vt eos his vti hortentur, neque vt notione nocentium mentem ad malitiam acuant, ac pro medicinis pestis atque pernicies humanæ vitę innotescant, sed vt quænam sint quę naturalem virtutem nostram perimant, scientes ea obiectis contrarijs viribus præcaueant, & incidentia fortè corporibus arte ac disciplina tollant. Tres igitur viæ cum sint secũdum trinæ illius abscisionis siue exsectionis rationem, quas ad virginitatem ducentes Dominus nobis ostendit: Qui potest, inquiens, capere capiat, quam vult quisque eligat; grata quidem & accepta Deo est, & quæ per vnam ex duabus prioribus incedit, sed illa profecto beatior quæ per præstantiorem currit: omnes tamen quacunque tandem via ad hãc properẽt, id æqua ratione curent: vt sint immaculatæ in via, vt omni labe omniq; macula purã sponsam sponso coaptantes, largioribus ipsius gratijs glorioſius in cœlo perfruantur. Ista tibi ô sacrum caput ad considerandam veræ virginitatis honestatem pro tempore scripsi, non tantum ex diuinis libris, sed iuxta sapientissimum Paulum, qui nos *omnem intellectum captiuare vult in obedientiam*: Christi ex gentilium etiam literis, omnes Christi discipulos ad continentiam hortari, atque inducere cupiens. Nam & gentium sapientes cum variam voluptatis speciem atque aduersus eam pugnam nostram fabulosa nobis fictione signarent, hydram vniuersam in carne voluptatem, serpentem ferum ac multiplicem, qui in palude moraretur naturæ rationes perscrutando finxere, eiusque quod simpliciter abscinderetur caput, tria pro vno efferre tradiderunt: quod vero cauterio præcisum esset, occidi penitus, nec plura pro eo pullulare sapienter docuerunt. Voluptate namque vniuersa in carnis limo, à materialique natura veluti in paluſtri loco, instar horrendi illius serpentis semper incubante, ac per vnum quemque sensum quasi vnum quoddam, caput ex intimis singularem scilicet, aut visus aut gustus, reliquorumque voluptatem proferente, multipliciter si ad satietatem suauitate illius perfruẽdo vnumquodque caput velimus abscindere, non magis quod videbatur, abscidimus, quam pro vno plurima per hunc abscisionis modum pullulare faciemus. Sin vero continentia veluti cauterio elatum caput excideri-mus, id prorsus ita perimemus vt vltra germinare non possit. Qui enim voluptatẽ gustus aut eius suauitatem saturitate cupit extinguere, non tam illam interimit, quàm fruendo cupitis intemperatiorem semper ad id quod malè cupit, effecit. At vero, qui mortiferæ suauitati non indulgendo, continentia non secus atque igne hanc excruciare pergit, eam fraudando cupitis inefficacem & inualidã, atq; igne cõsumptam omnino patefecit. Enimuerò illa ratio & futilis atque inanis est, imò verò & iniurioſa, & continentiæ vitanda studioſis, quæ prorsus definit, quod promptum ac paratum & in potestate sit, ad id concupiscentiam lentius irritari. Nam iacet quidem (vt sic loquar) gustus voluptas ad illud, cuius fruendi habet potestatem. Cęterùm intemperanter potestate eorum quibus frui vult, vti semper edocta insatiabilis ea potestate sua ad concupita omnia multimodis agitur. Quãobrem non ita præcidere vnumquodque voluptatis caput, sed suauitati eius non indulgere per abstinentiam conuenit. Sed enim diuina lex vitulum pro sacerdotio apud sapientissimum Mosen immolari mandans per membra hostiæ quæ incendebantur, sacræ exercitationis modum naturali ratione subindicat, quæ fibram iecoris non iecur totum & adipem qui ventrem operiret, non ventrem ipsum: renum vero non solum adipem, verum ipsos quoq; cum adipe renes incendi in holocaustum iubet. Iecoris quippe quod concupiscentiæ instrumentum est, iuxta quod & de eo, qui concupiscentiæ fuerat telo percussus, dicitur: *Eris quasi ceruus spiculo percussus in iecore*. Veluti fibram, singularem scilicet peccati concupiscentiam, in qua & fel inuenitur incendere: reliqua vero felle ac pessima cupiditate liberam ac puram ad appetenda bona quæque, & honesta seruare secundum naturam integram conuenit. Porrò ventris quod superfluum est, vnde pinguiore & hebetiore euadimus sensu, auferre decet, solumque quod est necessarium seruare. In renibus vero non adipem solum ingẽtem obscœni liquoris copiam exspumantem ad libidinem, verum & renes ipsos expiare ac sanctificare naturaliter omnino iubemur. Significat profectò per hæc sermo diuinus, & necessarium victum nobis esse amplectendum; & concupiscentiam studioſius ad meliora transferendam, & castitatis munditiam tota intentione sectandam. Quia enim possibile non erat absque cibo viuere, escarum receptaculum ventrem scilicet nudum absque vllo omnino gulæ vitio relinquens obsidentem illum adipem rectissimè tollit. Rursus quia itidem erat impossibile, boni nos aliquid habere, nisi naturalem concupiscentiæ vim ad illud ambiendum haberemus, improbam cupidinis speciem quasi fibram iecoris cum felle præcidens, probabile concupiscendi genus ad virtutes appetendas purum innocuumque reliquit. At vero in renibus, quia neque ad vitæ necessaria vt venter, neque ad concupiscendum vt iecur necessarij sunt, solamque & vnicam cõcubitus concupiscẽtiam, capiunt, non horum solum adipem, sed ipsos quoque ignibus tradit. Nempè enim sine renibus, id est, sine coniugio in terris viui potest: virginitatisque vita, nullo inferior angelis ad perpetuam gloriam hinc iam exerceri. Quibus profectò omnibus id nobiscum agitur, vt omni sapiẽtia eruditi & instructi aduersus voluptatem totam quasi contra † multorũ capitum hydram sapiẽter stemus, neque sub specie excidendi emergentia assiduè per sensus capita ad pullulationem plurimorum ea semper iteremus. Verùm summa tolerantia laboris atq; continentia præcipua fortiter illa incendamus, corporaque nostra hostiam sanctam placentem Deo, tanquam vitulum pro sacerdotio studiosè offeramus, & modo quidem prauam concupiscẽtiam veluti fibrã iecoris, modo superfluitatem cibi, quasi adipem, quo vẽter operitur, modo totam simul concupiscentiam coitus, veluti renes vnà cum adipe semen illis ministrante diuino continentiæ igne consumamus, vt iuxta propositam virginitatis destinationem omni praua ac turpi concupiscentia, omnique voluptate superiores euadentes, per continentiæ sacra certamina proposito certantibus præmio, immortalitatisq; corona digni inueniamur, per Iesum Christum, per quem est patri gloria cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

Collatio. 2. Cor. 10.

Gẽtium fabulæ de hydra paluſtri & tricipite.

† τὴν πολυκέφαλον ὕδραν.

Continẽtia cauterium.

Ἀλληγορικῶς hæc. Leuit. 3.

Hepar siue iecur cõcupiscentiæ organum. Prou. 7.

HOMILIA B. BASILII,

Qua docetur, quo pacto ammittimus, quomodove recuperamus imaginem Dei, & de vera virginitate:

RAPHAELE VOLATERRANO *interprete.*

HOmo quum ad imaginem Dei creatus semel extiterit, ab ea tamen per peccatum decidit, pulchritudinem ac præstantiam suam inquinauit, animam demum per prauas cupidates pessundedit. Nam quum Deus noster hominum vera sit vita: quisquis Dei similitudinem destruxit, vitæ vtique perdidit familiaritatem, & vsum. Enimuero qui extra Deum agit, in beata vita degere non potest. Igitur in pristinam gratiam ac planè in imaginem diuinam à qua per peccatum alienati sumus, rursus per pœnitẽtiæ redintegrationem facilè redimus. Qui enim nullum patitur delictum, seque perseuerantem in rebus aduersis, & nullis cedentem tentationibus inconcussa mente ostendit: hic demum in anima sua Dei similitudinem recipit: ex quo vitæ beatæ particeps efficitur. Talis namque studij adiutrix est virginitas ijs qui secundum proportionem huius participes sunt virtutis. Non enim virginitatis seu castitatis gratia solum à gignendis liberis abstinere: sed vita omnis, Christianæ modestiæ accommodata virginitatem habere videtur. Nam & sermone lasciuire, & oculo licentiore vagari, & auditu inhonesto labefactari, & corde per cogitationem prauam contaminari, & præter modum in cibo, potuque se inuitare: à propria pudicitia & temperantia excidere fuerit. Qui enim sese in omnibus vitæ partibus incorruptum continentemque custodierit: is verè perfectum virginitatis munus est adeptus. Vt autem id adipiscamur, omni studio ad Dei redire similitudinem conandum, ac nobis

Virginitas vera. γνώμη.

γνώμη.

ac nobis continuò attendendum, ne promissione ac spe tã-
Confirmat τῷ παραδείγματι. ta indignum aliquid admittamus, ne in Ananiæ crimen in-
cidamus. Ei namque ab initio, possessionem suam retinere
licebat: semel autem concessa, in proposito consistere de-
buerat, nec ad dolos ac fraudem confugere. Ex quo pœnas
subitò dedit, ac talem Domini contra se indignationem mo-
uit, cuius minister Petrus erat, adeò vt ne pœnitentiæ locũ
inueniret. Igitur cuique ab initio quod vitæ genus cupiat
modò concessum, hoc inire ac optare licet: siue in matri-
Votiua professio Exemplo confirmatur. monio, seu cœlibem agere. Quando verò se Deo semel au-
thorauit per vitæ continentiam ac perpetuam castitatem,
hoc detrectare non licet: nec aliter quàm aliquod munus,
aut hostiam Deo sacram sese illi custodire, ne reos sacrilegij
nos Dominus decernat iudicio: si dicatum ei corpus rur-
sus rebus prophanis, & communis vitæ ministerio sordida-
uerimus. Dico autem hanc animi constantiam, & hoc pro-
positum non solum in ipso castitatis & abstinẽtiæ voto fir-
mum, ac perpetuum erga Deum esse oportere, sed in omni
quoque prauo inordinatoque affectu: quum semel vitam
cœpimus spiritualem, protinus obseruandũ, vt & cæteris
debilibus exemplo, simus, & ne inconstantiæ, leuitatisque
Attendite hæc Lutheni & Zuingliani. accusemur. Melius enim viam veritatis & iustitiæ nõ cog-
nouisse fuit, quàm ab ea itinere * medio per intemperan-
tiam auerti. Ita namque & inuidia, & iniuriarum memoria,
& mendacium, & superbia, mentis euagatio, aliena ab ho-
nestate locutio, in orando Deo oscitatio, somnusque ac va-
na desideria, in obseruandis mandatis negligentia, vestium
ornatus exquisitior, oris splendor & cultus, sodalitates, de-
nique gestus omnis præter officium & decorem hæc om-
nia vsque adeo cauenda sunt ijs, qui Deo virginitatem, hoc
est fidem, animam, vitam, factaque omnia sua dicarunt, vt
vnum ex ijs neglectum reliquorum gratiam sit aptum ma-
gnopere lædere. Omnia namque ex priuata libidine ac cu-
piditate admissa animæ puritatem inquinant, & ad beatam
vitam iter impediũt. Hæc itaque spectare oportet in primis
eum, qui se ad aliquam vitæ perfectæ formulam reducere
quærit, vt nullo modo vas inutile ac affectibus proprijs ob-
Collatio. Επιφώνημα. noxium se præbeat. Nam quicunque vitæ spirituali addictus
aliquantulum se ab humo leuauit, ac humanis se posteà vi-
tijs contaminauerit: similis erit pelli pardaleæ: cuius pilus
inter album ac nigrũ vtriusque coloris stigmata commix-
ta retinet. Viam namque veritatis ignorasse præstat, quàm
sub ea semel arrepta per inconstantiam deficere.

Admonitio ad filium spiritualem, Incerto interprete: *nec Græce est edita: siue Basilij est, seu potius Latini hominis posterioris ævi.*

AVdi fili admonitionem patris tui, & inclina aurẽ tuam
ad verba mea: & accommoda mihi libenter auditum
tuum, & corde credulo cuncta, quæ dicuntur, ausculta. Cu-
pio enim te instruere, quæ sit spiritualis militia, & quibus
modis regi tuo militare debeas. Intentissime ergo audiat
sensus tuus, & animam tuam nullus prægrauet somnus, sed
ad vigilandum excita eam, & ad studiũ intelligendi sermo-
nem meum. Verba enim ista sunt ex me, sed prolata ex di-
uinis fontibus. Neque enim noua doctrina instruam te, sed
ea quam didici à patribus meis. Hanc enim si immiseris in
cor tuum, in pace dirigẽtur itinera tua, nec approximabit
ad te vllum malum, sed procul abscedet à te omnis aduersi-
Militis Christi & saculi comparatio. tas animæ. Si ergo cupis fili militare Deo, illi soli milita-
bis. Sicut enim qui militãt regi terreno, omnibus iussis eius
obediunt: sic & qui militant regi cœlesti, debẽt cœlestia cu-
stodire præcepta. Miles terrenus quocunque loco mittitur,
paratus ac promptus est, neque se vxoris vel liberorũ gra-
tia excusare audebit. Multo magis miles Christi sine aliquo
impedimento regis sui debet imperio obedire. Miles ter-
renus contra hostem visibilem pergit ad bellum. Tecũ ve-
rò hostis inuisibilis quotidie præliando non desinit. Illi
contra carnem & sanguinem est dimicatio, tibi vero
aduersus spiritualia vitia in cœlestibus, eluctatio. Ille
contra carnalem hostem carnalibus armis vtitur: tu vero
contra spiritualem hostem spiritualibus armis * indiges. ** vtens. Ephes. 6. 1. Thess. 5.8 *& Charitate.*
Ille in prælio galeam ferream gestat, sed tua galea Christus
sit, qui est caput tuum. Ille lorica ne vulneretur indutus est,
sed tu pro lorica sis fide * Christi circundatus. Ille contra
aduersarium suum mittit lanceam & sagittas: tu contra ad-
uersarium diuina eloquia iaculare, & percutiẽs eum verbis
Propheticis * dicito; *Dominus mihi adiutor est, & ego deridebo inimicos meos.* Ille donec pugna geritur, arma à semetipso non
proijcit, ne ab aduersario vulneretur: ita & tu nunquam de-
bes esse * securus, quia tuus hostis hoste illius est astutior. ** inermis.*
Illius quidẽ hostis ad tempus dimicat, tuus vero hostis quã-
diu in stadio vitæ huius consistis, tecum pugnare non cessat.
Illius arma laboriosa & grauia sunt ad portandum; tua vero
arma volentibus portare suauia ac leuia sunt. Ille cum supe-
rauerit aduersarium, ad domũ coniugis ac liberorum reuer-
tetur. Tu vero hoste prostrato in illud cœleste regnum cum
omnibus sanctis intrabis. Ille pro labore terreno terre-
num accipit donarium; tu vero pro spirituali labore cœ-
leste recipies præmium. Cœleste enim donum expectet
monachus, qui terrenos actus à semetipso proijcit, *ne implicet se negotijs sæcularibus militans Deo.* Difficile namque est ser-
uire duobus Dominis, nec potest quisquam seruiens mam-
monæ spiritualia arma portare, sed iugum Christi suaue ac
leue à semetipso repellit ac proijcit: & quicquid graue & o-
neroſum est animæ suæ, hoc ei videtur suaue ac leue. Istius-
modi vir à proprijs armis vulneratur, & cum diligit pericu-
lum, incidit in mortem. Tu autem considera cui Regi te ad *Io. Chrysost. Hom. Regis & Monachi comparati.*
militandum probasti, & quanto superius est rege terreno
imperium cœleste, tanto præcellentior est gradus excellen-
tiæ tuæ terreno milite. Turrim excelsam construere cogi-
tas, præpara ergo tibi sumptus ad structuram, vt cœptum
ædificium ad perfectum deducas; nequando prætereuntibus
venias in risum, & gratulentur de te inimici tui. Hæc
turris non ex lapidibus construitur, sed ex virtutibus ani-
mæ: nec auri, nec argenti indiget sumptibus, sed conuersa-
tione fideli. Nam terrenæ opes plurimum ad ædificandum
impediunt. Vnus profectus sit tibi fili, si Domino vni seruire
desideras: ne alicui in vita tua placere coneris, nisi illi soli:
nec occupes in diuersis * rebus animum tuum, sed abscinde ** occasionibus.*
à te carnalem amorem, ne à te Dei timorem excludat. Omne vitium expelle ab anima tua, vt virtutes animę conquirere possis. Audi igitur quæ sit *Virtus animæ* & quã maximum *Anima virtus.*
ei conferat lucrum. Virtus animæ est diligere Dominum & odisse illa quæ non diligit Deus. Virtus animæ est patientiã sectari & ab impatientia declinare. Virtus animæ est castita-
tem tam corporis quàm animæ custodire. Virtus animę est
vanã gloriam contemnere, & omnia caduca calcare. Virtus
animæ est humilitati studere, & tumorem superbiæ abomi-
nari. Virtus est animæ veritatem amplecti, & omne men-
dacium fugere. Virtus est animæ iram cohibere, & furorem
reprimere. Virtus est animæ pacem diligere, & inuidiam
execrari. Virtus animæ est ab omni stultitia declinare, & sa-
pientiam diuinam amplecti. Virtus animæ est omnem vo-
luptatem carnis subijcere mẽti. Virtus animæ est auaritiam
spernere, & voluntariam assumere paupertatem. Has igitur
virtutes facile poteris obtinere, si secularium rerum curas
neglexeris, & caducis ac terrenis rebus cœlestia præposue-
ris, & si voluntas tua in laudibus Dei fuerit occupata, & iu-
dicia eius die ac nocte impensius meditatus eris. Eris autem *Psal. 1. Dilectio Dei.*
tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, & om-
nes fructus spirituales oriẽtur ex te, & ex seruo amicus vo-
caberis Dei. Ex tota igitur virtute tua dilige Dominum, vt
in omnibus actibus tuis placeas illi. Si enim qui coniugium
contraxerit, festinat placere vxori suæ, multo magis mona-
chus omnibus modis debet placere Christo. Qui diligit
Dominum, eius præcepta custodit. Deus enim non se vult
verbis tantummodo diligi, sed ex corde puro & operibus
iustis. Qui enim dicit, diligo Deum, & mandata eius non *1. Ioan. 2.*
custodit, mendax est. Huiusmodi enim vir fallit semetip-
sum, & à semetipso seducitur. Deus enim non verborum
sed cordis inspector, & diligit eos qui in simplicitate
cordis seruiunt ei. Si terrenos parentes cum tali af-
fectu diligimus, qui in tam paruo tempore pro nobis su-
stinuerunt

stinuerunt laborem, nonne magis nobis cœlestis amandus est? Nam & circa nos quod fuit eorum obsequium, Christi est beneficium, qui omnium dispensator optimus est, Nam antequam nasceremur in hoc seculo, parentes nobis sua prouidentia antea præparauit, quorum obsequio nutriremur. Sed & matris vbera tunc lacte replentur, quando infans fuerit natus: ergo magis omnibus diligamus Deum, qui & nos & propinquos nostros proprijs manibus finxit, & cuncta bona quæ erga nos geruntur, quotidie eius beneficijs adscribamus. Nam & parentes nostros quasi propria viscera diligamus, si accedere nos ad seruitium Christi non prohibent. Si autem prohibent, nec sepultura illis à nobis debetur. Christus diligendus est super parentes, quia non tribuunt nobis parentes ea quæ Christus tribuit. Et quis beneficia eius congruenter enarret, vel quantum nobis tribuit & quotidie præbendo non desinit? Videns enim Deus innumeris peccatis nos obnoxios, non despexit sed liberauit, nec cum alienati ab eo in diuersis erroribus vagaremur in præcipitium mortis, nos duxit, sed ad vitam perpetuam reuocauit. Et cum ingrati beneficiorum eius fugeremus ab eo, vt pater clementissimus exquisiuit nos, & cum in sede sublimi sederet nostri gratia descendit ad terras, & in tanta humilitate venit vt seruilem formam assumeret: & qui in pugillo suo continet orbem terrarum, pannis in præsepio inuolutus est. Et qui cœlum palma metitur, non habuit vbi caput reclinaret. Cum esset dives pauper est factus vt nos ditaremur in illo: & qui in nubibus venturus est ad iudicandos viuos & mortuos, iudicium hominis pertulit & cum sitientibus sit fons æternalis, cum sitisset postulauit aquam à Samaritana muliere. Et qui in carne propria nostram esuriem saturauit, esuriuit cum tentaretur in eremo. Et cui ministratur cum patre ab angelis, hominibus ministrare dignatur, & manus eius per quas virtutes plurimas operatus est, pro nobis confixæ sunt clauis, & ori eius per quod salutarem doctrinam annunciauit hominibus, pro cibo fel dederunt & qui nullum læsit vel nocuit cæsus & opprobria pertulit, & cuius nutu omnes mortui resuscitati sunt, voluntate sua mortem crucis sustinuit. Et ideo hæc omnia passus, vt nobis vitam æternam donaret. Et cùm nobis immensa beneficia præstet, nihil exigit à nobis, nisi vt templa nostra impolluta ei seruemus, vt semper in nobis habitet, & nos permaneamus in illo. Non postulat à nobis aurum aut argentum, vel quicquid huiusmodi. Nam & si fuerint nobis ista, dispertiri egentibus præcipit. Nos ipsos quærit, nos desiderat, in nobis requiescere cupit. Accedamus ergo ad eum & copulemur in affectu eius, & nosipsos amemus & proximos. Qui diligit (inquit) proximum, filius Dei vocatur. Qui autem è contrario odit, filius diaboli nuncupatur. Qui diligit fratrem suum in tranquillitate est cor eius: fratrem vero odiens tempestate maxima circundatus est. Vir benignus etiam si patitur iniuriam, pro nihilo ducit. Iniquus etiam proximi actus contumeliam arbitratur. Qui charitate plenus est, sereniſsimo vultu procedit. Vir autem odio plenus ambulat iracundus. Tu autem fili benignitati stude in vita tua, & proximum tuum habeto tanquam vnum ex membris tuis. Omnem hominem iudica fratrem tuum. Memento quod vnus artifex ac verus est qui condidit nos, non moueas cuiquam scandalum in vita: & non quod tibi vtile est, sed illi, facito. Quod tibi accidere non vis, nec ei cupias euenire. Si eum videris in bonis actibus conuersantem congratulare ei, & illius gaudium tuum dicito; & si aliquid patiatur aduersum, compatere ei, & illius tristitiam, tuam deputa. Omnem malitiam expelle ab anima tua, & odiorum flammæ non comburent cor tuum. Contra impotentem aut subiectum tibi noli iracundia commoueri, sed tanquam tuum membrum proprium eum habeto in omnibus. Ne diligas fratrem tuum simulato corde, nec eum labijs osculans ex alia parte insidias facias ei. Dolosus enim vir pacifica verba profert ex ore, & in abdito mentis supplantare proximum suum meditatur. In his ergo operibus ad iracundiam prouocatur Deus. Puritas enim quæ placet in conspectu Domini, respuit omne quicquid simulato corde efficitur. Tu autem omnem simulationem longe fac à te, & ne cupias supplantare proximum tuum neque mordere aut laniare

Christus amandus.

2. Cor. 8.

Proximus diligendus.

membrum tuum. Quod etsi quandoque, vt homo, iratus fueris, vltra solis terminum non producas iracundiam tuam, sed & reconciliare ad pacem & deprime omnem furorem ab anima tua. Qui enim amplectitur pacem in mentis suæ hospitio mansionem præparat Christo, quia Christus pax est, & in pace requiescere cupit. Vir autem inuidus omnibus modis execratur. Vir pacificus in tranquillitate est semper cor eius. Inuidus autem similis naui cum iactatur à fluctibus maris, Homo pacificus securam possidet mentem. Inuidus autem in perturbatione est semper, qui autem sectatur pacem tutus est semper vndique ac munitus. Nam inuidus, vt lupus rapax, insanit inaniter. Pacificus est vt vinea honesta abundans fructu copioso. Inuidi autem opus indigentia ac miseria detinetur, & quantum pacificus gaudens in Domino delectatur, tantum inuidus tabescens ad nihilum redigitur. Ex abundantia lætitiæ pacificus homo dinoscitur. Ex vultu marcido & furore pleno inuidus demonstratur, pacificus homo consortium angelorum merebitur, inuidus homo particeps dæmoniorum efficitur, & sicut pax secreta mentis illuminat: ita inuidia occulta cordis obcæcat. Pax enim effugat & perturbat omnem discordiam. Inuidia autem iracundiam cumulat. à splendore autem pacis effugatur omnis caligo, & vbi obsederit inuidia, ibi obscuritas & exteriores tenebræ. Sectare ergo fili desiderabile nomen pacis, vt fructus pacis possis acquirere, & execrare inuidiam ne malorum fructibus replearis. Rationabile namque animal creauit te Deus vt possis discernere inter bonum & malum, vt quæ sint optima eligas & inutilia respuas, omnia examines, quæ sint bona teneas, ab omni specie mala abstineas. Fili patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, vt velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, vt in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem. Patientia grandis est medela animæ. Impatientia autem est pernicies cordis. Per patientiam enim expectatur futurorum bonorum spes, & quod non videtur, quasi quod videtur amplectitur. Astute in omnibus te serua fili, vt videas Dominum in gloria consistentem. Ab omni pollutione mundum sit cor tuum, & ne des inimico aditum eundi ad te. Ab aspectu nephando auerte oculos tuos: & ne delecteris pulchrarum vultibus fœminarum, ne per talem oblectationem vltima exoluas supplicia. Memento cui dedicasti membra tua, & ne commisceas illa meretricibns. Reflecte amorem ab amore mulieris, neque ab amore Domini te amor excludat. Noli minima contemnere, ne paulatim diffluas in malo. Non te simules simpliciter accedere ad virginum domus, nec velis cum eis vti longis & otiosissimis fabulis, ne per plurimas sermocinationes, vtrorumque mens polluatur. Noli fili grauiter ferre sermones meos: nec stultum arbitreris eloquium meum: sed crede mihi & gratanter accipe verba mea. Si ad fœminarum domus importunè accesserit clericus, vel monachus: & virgo patiatur huiusmodi introire ad se, statim immutant pristinam dignitatem: & quod Domino polliciti sunt, sua voluntate amittunt. Nec enim poterunt huiusmodi mansionem in se Domino præparare: sed desolabuntur vt lignum aridum. Nunquid virginitatem Dominus extorquet inuitè? Hoc enim munus voluntariè Christo offertur in propria voluntate. nec enim licitum est profanari aliquid quod Domino promissum. Non peccabis homo si non voueris votum, si enim vouisti, iam ne facias moram reddere illud, quod Dominus quasi suum requirit illud à te, nec pollutione vult misceri membra tua, quæ sibi iam dedicata sunt. Vide ergo ne te seducat corporis pulchritudo, & decorem animæ tuæ amittas. Ne improbo oculo tuo intuearis speciem mulieris, ne intret mors per fenestras tuas. Non aperias aures tuas ad perficienda verba earum: nec concupiscas nequitiam in anima tua. Mulieris carnem non velis tangere, ne per tactum eius inflammetur cor tuum, & spiritu tuo labaris in perditionem. Sicut enim fœnum proximans igni comburitur: ita qui tangit mulieris carnem, non euadit sine damno animæ suæ, & licet corpore castus euaserit, mente tamen & corde corruptus abscedit. Dic mihi, quæso fili, quid

Patientia bonum.

Fœmineus aspectus.

Virginitas voluntaria.

Votum religiosum.

Hierem. 9. 21.

Mulieris contactus.

quid sunt profectui animæ amare carnis pulchritudinem? Nonne sicut fœnum cùm à feruore ætatis percussum fuerit, arescit, & paulatim pristinum decorem amittit? Similis est etiam species humanæ naturæ, succedente sibi senectute omnis decor pristinus deperit: & quos in amorem sui antea concitabat, postmodum odio eorum afficietur. Nam cùm interuenerit mors, tunc penitus omnis pulchritudo delebitur, & tunc cognosces quia vanitas, quod antè inaniter diligebas. Cùm videris totum corpus in tumorem & fœtorem esse conuersum, nonne intuens maximo horrore concuteris? Nõne claudis nares tuas, non sustinens fœtorem durissimum? Vbi est postmodum omnis illa oblectatio? Require si est aliquod pristini decoris vestigium. Vbi est suauitas luxurię & conuiuiorum opulentia? Vbi sunt blandimẽtorum verba, quæ corda simplicia molliebant? Vbi sunt sermones dulces qui amaritudinem amantibus infundebant? Vbi est immoderatus risus & otiosus? Vbi est ineffrenata & inutilis omnis lætitia? Velut fluxus aquæ transiens nusquam comparuerunt. Hic est finis carnis pulchritudinis, quam amabas. Hic oblectationis terminus corporis. Reflecte igitur animum tuum ab his obscœnis amoribus, & omnem amorem conuerte ad splendidissimã pulchritudinem Christi, vt radij fulgoris eius illustrent cor tuum, & omnis obscuritas caliginis expelletur à te. Hæc pulchritudo diligenda est fili, quæ lætitiam spiritualem amantibus consueuit infundere. Hic decor omnibus modis amplectendus est, vnde nobis serenitas tranquillitatis adquiritur. Deuitemus pernicioſas pulchritudines, ne omniũ malorum genera in nos irrogentur. Multi enim admirantes mulierum species à veritatis via naufragauerunt. Plerique ornamentis earum oblectati, perniciem animarũ suarum perpessi sunt, & à perfectionis fastigio in profundum inferni demersi sunt. Caueto ergo fili species per quas plurimos cernis perijsse, quæso ne bibas poculum vnde multos perspicis interisse. Ne percipias cibum quem edi in aliorum perniciem videris. Ne incedas iterum, quo naufragium perpessi sunt plurimi. Deuita laqueos, per quos captos cæteros senseris. Postula tibi à Domino cor prudens & peruigilem sensum, vt non ignores fraudes & astutias inimici, & in retia eius non incidat pes tuus. Sapiens non corporis decorem desiderat, sed animæ. Insipiẽs homo specie in carnalibus ornamentis amplectitur; sapiens vir comptam mulierem respuit. Stultus vero concupiscens eam miserabiliter supplantabitur. Vir prudens ab imprudente fœmina auertit oculos suos. Luxuriosus autem vir intuens eam soluetur vt cera à facie ignis: tu autem caue omnibus modis species pernicioſas ac falsas pulchritudines, quia deturpatur anima si earum decorem attendas. Christus non in corporis decore, sed in animæ delectatur. Illa ergo dilige fili, in quibus delectatur Christus: & ne pecuniarum cupiditati te subijcias. Ab omni auaritia declina cor tuum, vt non condemneris sicut adulter & idolorum cultor. Noli amare mãmona, ne offendas ei cui membra tua & mentem pariter dedicasti. Ne petas ea quæ te auocant & separant à Domino. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cœlestes. Multi cupientes aliena, & à suis priuati sunt. Alienatæ sunt à nobis seculi huius facultates? At nostra possessio regnum cœlorum est. Noli appetere aliena, ne à tuis fias extraneus. Quotidianum victum sufficere tibi contentus esto: quicquid superfluum est proijce abs te tanquam propositi tui impedimentum. Ne cupias fieri locuples, ne in tentationes incidas, & in laqueos diaboli. Caueto *auaritiam*, quia *radix omnium malorum* ab Apostolo nominata est. Pecuniarum cupidus iam animam suam venalem habet. Si enim inuenerit tempus, pro nihilo perpetrabit homicidium: & sicut qui effundit aquã super terram, ita est ei effundere sanguinem proximi sui. Plerique per auaritiæ ardorem in mortis periculum inciderunt. Propter auaritiam Saul alienus à Domino effectus est, & ad extremum de culmine regali expulsus est, & ab inimicis suis peremptus est. Et Achab propter auaritiam inuasit vineam Naboth: & huius rei gratia in prælio vulneratus defunctus est. Dominus noster & Saluator à corde Pharisæorũ volebat pecuniarum amorem excludere: sed quia illi erant cupidissimi, salutaria eius monita deridebant. Nam & illum diuitem cùm Dominus vocans ad regna cœlorum facultates suas vẽdere præcepisset, auiditas intrare non permisit. Et Iudæ pectus auaritiæ ardore exarsit, vt Dominum largitorem sibi cunctorum bonorum in manus traderet impiorum. Auarus enim vir inferno similis est. Infernus igitur quantoscunque deuorauerit, nõ dicit satis est: sic etsi omnes thesauri terræ confluxerint in auarum, non satiabitur. Alienum te facito fili ab hoc vitio, & voluntariam paupertatem libenter assume. Noli esse desidiosus & piger, sed labora manibus tuis, vt habeas vnde tribuas indigenti. Secundum pusillanimitatem tuam mediocriter porrige. Tantum enim expetitur à te, quantum tibi fuerit creditum. Nemo enim exigit à te, quod ipse minimè possides. Eleemosyna cum iniquitate acquisita abominatio est coram Christo, sed acceptum est illi quod fuerit fideliter acquisitum. Fili nõ habet hanc artẽ misericordiæ bonũ. Sũt enim nonnulli qui diripientes aliena, præstare se eleemosynam simulãt. Et cùm alios premunt, alijs misereri se fingunt. Sed Dominus non delectatur in operibus eorum, & simulationem cordis eorum execratur ac respuit. Tu autem licet exiguum de tuis laboribus porrigas, hoc gratum est & acceptum corã Domino. Nec te velis iactare, cùm porrigis eleemosynam indigenti, & illo cui fœneras, ne te arbitreris esse meliorem. Sed in omnibus tuis operibus humilia te coram Domino: quia non erit gratum Deo, quicquid efficitur cum superbia. Quod autem fit humiliter, acceptum est ei. Fili præ omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, vt ad perfectionis fastigium possis conscendere. Cùm iustæ institutiones non aliter nisi per humilitatẽ impleantur, & multorum temporum labores per superbiam in nihilum deputantur. Vir humilis, Deo est similis, & in templo pectoris sui gestat eum. Superbus autem cùm sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis verò licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. Superbus autem homo, & si decorus videatur aspectu, est clarus, sed tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, & per hos incessus & motus dignoscitur eius superbia, & ex verbis eius publicabitur leuitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, & virtutibus, quibus alienus, se prædicare gestit. Non se patitur cuiquam esse subiectum, sed semper primatum cupit, & ad maiorem gradum se conatur immergere. Et quod ex meritis obtinere nõ potest, ambiẽdo festinat. Ambulat semper tumens, vt vter vacuus & inanis. Et sicut nauis absque gubernatore, cùm iactatur à fluctibus, ita & is circunfertur inter omnes actus suos. Humilis è contrario respuit omnem honorem terrenum, & vltimum se esse iudicat omnibus hominibus. Nam etsi mediocris appareat in vultu, eminens apud Dominum intuetur. Cùm consummauerit omnia mandata Domini, nihil se fecisse testatur, & omnes virtutes animæ suæ celare festinat: sed diuulgat Dominus omnia opera ipsius, & profert in medium & mirificat gesta ipsius, & exaltabit & clarum faciet eum, & in tempore precum suarum quod postulat impetrabit. Et tu fili cùm accesseris ad precandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu eius, ne postules quicquam quasi ex gratia meritorum tuorum, & si est tibi etiam conscientia boni operis aliqua, cela illam, vt te silente multipliciter & restituatur à Deo, & peccata tua citò produc in medium, vt deleat Dominus illa, cùm confessus fueris ea. Nec te velis iustificare, cùm ad orandum accesseris, ne sicut Pharisæus ille exeas condemnatus. Memento Publicani vel qualiter pro se orauerit, & æmulare eum, vt veniam peccatorum tuorum inuenias. Nõ clamore vociferaberis cõtra eum qui occultorum est cognitor, sed clamor cordis tui pulset aures eius. Ne lõgitudinem verborum protrahas ante eum, quia nõ in multiloquio, sed ex mente purissima placabitur Dominus. In tempore orationis omnem malitiam cordis proijce abs te, & remitte si quid habes aduersus proximum tuũ. Est deniq; quoddã genus serpentis, quod cùm vadit ad bibendum aquam antequam accedat ad fontem euomit venenũ. Imitare ergo huius serpentis astutiam & omne venenum amarissimum proijce ab anima tua. Remitte conseruo tuo centũ denarios, vt tibi dimittatur debitum, decem millium talentorum. Et qualem cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga cõseruum tuum. Quodcunque opus inchoaueris, primò inuoca

Pſal. 36.

Pulchritudinis in morte interitus.

Ioan. 13.

Prou. 30.

Epheſ. 4.

Eleemoſyna.

Humilitas, ſuperbia contraria.

Superbus qualis.

Orandum quomodo.

Luc. 18.

Serpens venenum ante potum euomens.

Matth. 18.

Cibi parſimonia. Diuitiæ, laqueus diaboli. Auaritia.

1. Tim. 6.

3. Reg. 21.

Matth. 19. *Mar.* 10. *Luc.* 18.

uoca Dominum & ne desinas gratias agere cùm perfeceris illud. Quære Dominum & inuenies eum, nec dimittas cùm tenueris, vt copuletur mens tua in amore eius. Hoc stude in vita tua vt orationem puram offeras Deo. Cogitationes non conturbēt cor tuum, nec in diuersis locis vel rebus rapiatur mens tua. Memento enim te fili sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit & abdita mentium nouit. Vigilāter ergo adsiste in cōspectu Domini in tēpore orationis vel psalmorū, ne te opprimat sōnus animę tuæ, & ne dissonans sit sensus & lingua, sed consonantia sint, & vtraque proferant verba. Sicut impossibile est *seruire duobus Dominis*, ita nec duplex oratio poterit ascēdere ad Dominum, nec tibi vllum tempus fili otiosum vel vacuum transeat. Tam in diebus quàm in noctibus vigilare te cōuenit, vt imminentem tentationem facilius effugere possis. Si enim cogitationes sordidæ conturbauerint cor tuum, & si te coarctauerint, quod est illicitum perpetrare, per orationes ac vigilias depelluntur ab anima tua. Oratio munimentum grande est animæ. Per orationes purissimas omnia nobis quæ sunt vtilia tribuuntur à Domino: & cuncta quæ noxia sunt, proculdubio effugantur. In tempore psalmodiæ sapienter psalle fili, & spirituales cantus vigilanter cane coram Domino, vt virtutem psalmorū facilius possis acquirere. Omnis namque duritia cordis eorum dulcedine molliatur, tūc dulces habens fauces, gaudensque cantabis: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo.* Sed non poteris sentire hanc dulcedinem, nisi cum summa vigilātia ac sapientia cantaueris. Fauces enim (inquit) escam gustabunt, sensus autem verba discernit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo pascitur ac nutritur. Sed in his omnibus vigilijs sanctis indiges fili. Hæ sunt namque vigiliæ inutiles, per quas læditur, & deperit anima, cùm vigilauerit quis circa cogitationes turpissimas, vel ad gerendum cōtrarium aliquid vel ad perpetrandum facinus. Sed tu talibus insiste vigilijs, vt possis effici sanctus in omnibus actibus & moribus tuis. Conuenit te vigilare, nequando oppressus somno placere hominibus gestias. Præter quàm Domino soli ne studeas placere alteri. In omne opus quod cogitas facere, cogita Dominum primum: & si secundum Dominum est, quod cogitas, diligenter examina. Et si est rectum corā Deo, perfice illud. Si verò aduersum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua. Quotidie actus tuos discute curiosius, & si te peccatis obnoxiū censeris, ad pœnitentiam cito confuge. Nolo vt protrahas peccatum tuum de die in diem: sed si quid cogitaueris male, in Deo pœnitentiam age: & velociter de corde tuo seca illud. Ne velis dicere non est grande hoc facinus quod cogitaui tantummodo, quia in conspectu Domini manifesta & aperta sunt omnia. Ne vt spinas ac tribulos in te crescere sinas cogitationes malas, neque tanquam minima negligas ea. *qui enim spernit minima, paulatim * desluet.* Noli spernere morsum serpentis, ne venenum eius conspergatur in cor tuum. Abscinde virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices. Scito quod cor tuum ager est Domini, excole eum cœlestibus disciplinis, & non sinas zizania seminari. Si igitur taliter vigilaueris, facile poteris ascendere ad perfectionem. Ad vigilandum autem multum ieiunium proderit. Sicut enim miles plurimo onere prægrauatus præpeditur, ita monachus ad vigilias cum escarum largitate torpescit. Non enim possumus vigilare cum fuerit dapibus venter noster onustus, sed oppressi somno, vigiliarum fructus amittimus, & maximum detrimentum animæ nostræ acquirimus. Vigilijs ergo copula ieiunium, vt cunctis animæ virtutibus florere possis, & caro tua subiecta sit animæ tuæ, & ancilla tua famuletur dominæ suæ. Ne præbeas vires corpori tuo, ne bellum aduersus spiritum exerceat, sed semper subiecta sit caro spiritui, & obtemperet iussis spiritus. Noli incrassare ancillam tuam, ne contemptui habeat dominam suam, sed & in omnibus eius obsequijs mancipetur. Sicut enim equis sunt frena imposita, ita ieiuniorum frena imponamus corpori nostro. Nam quemadmodum auriga si equorum frena laxauerit, rapidissimo cursu cum eo in præcipitia deferuntur; ita & anima si corpori suo non imposuerit frenum, vterque ad inferni præcipitia deuoluuntur. Esto peritissimus auriga corpori tuo, vt per tramitem rectam possis pergere viam. Escæ enim plurimæ non solum animam, sed & corpus nostrum plurimum lædunt. Sæpe enim per ciborum auiditatem stomachi franguntur vires, nec non abundantiam sanguinis & cholerarum ægritudines plurimas per escarum largitatem perpetimur. Sicut enim ista animæ & corpori contraria, ita medelæ sunt vtriusque temperata ieiunia. Quantum vero possumus mundi delicias & ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flamma guttam aquæ quæramus, nec refrigerium consequamur. Fugiamus ebrietatem, ne in retia luxuriæ incurramus. Vinum enim nobis Dominus ad lętitiam cordis non ad ebrietatem creauit, non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas postulat. Et Apostolus Timotheo *modico* præcipit *vti vino: & hoc propter dolorem stomachi & propter eius frequentissimas infirmitates.* Ne igitur nos quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem deputemus. Plurimi namq; maximam per vinum debilitatem contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam dignitatem qui primum gulæ non temperauerunt ardorem. Plerique per vinum homicidium perpetrauerunt, nec ipsi mortem recusauerunt. Alij per vinum à dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas quàm manifestissimus dæmon. Ebriosus putat se boni aliquid agere cum per præcipitia deuolutus fuerit. Per vinolētiam armatur os ad maledicta, & conuitia proximorum, & immutatur mens, & lingua balbutit. Quæso quid minus habeatur quàm dæmoniū? huiusmodi enim vir cū se putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis cum auidis faucibus properat vt glutiat escam, & repente hamum inter fauces reperit, hostem: vel sicut aues cum per escam capiuntur in retibus, ita ebriosus intra se vinum susćipit inimicum, quod intra eum morās impellit se ad omne opus fœdissimum. Homo rationabilis ab irrationabili bestia capitur: tu autem in omnibus exhibe te sobrium, vt te sobrietas in omnibus castū exhibeat. Sed caueto hoc fili, ne per ciborū abstinētiam, mergaris in superbiam, & ne infleris aduersus eos qui ieiunij tui mensuram non valent obtinere, ne quando videaris escis carnalibus abstinere, & vicijs pectus tuum replere. Grandis namque est confusio animæ, quæ cum sibi subiecerit carnem, ipsa fit subiecta vitijs. Quid prodest ventrē ab escis vacare, & animam passionibus obruere, vel carnis amorem vincere, & in corde liuoris stimulos machinari? Verus enim continens tam à corporis quàm animæ se passionibus abstinet, quia in vtrisque substantijs homo constare videtur. Nulla est enim perfectio in vna parte esse sublimem, in alia esse prostratum: in vna parte fulgere, & in alia vitiorum caligine occupari. Qui enim castus cupit esse corpore, castus debet perseuerare & spiritu: quia nihil proderit castum esse corpore & mente corruptum. Ciuitas si fuerit forti cōpage solidata in se, ex alia vero destructa, aditū ad se hosti præbebit. Et nauis si fuerit forti cōpage solidata, & vnam in se tabulam habuerit perforatam, repleta aquarū fluctibus, mergetur in profundum. Verus enim continens, cūcta quę vana sunt spernit, nec vllam gloriam sectatur humanā: furorem iracundiæ reprimit,* exercitationē despicit; potius sustinet detrimentum, quàm dissoluat vinculū charitatis. Non detrahit cito proximo, nec libenter audit detrahentem. Cupit semper declinare à vitijs, & ad virtutes animæ semetipsum instigat. Talem te & tu exhibe fili cùm velis exercere ieiunium, & cùm te abstinueris, abstine & linguam tuam ab illicitis verbis. Omnem blasphemiam longè fac à te, nec superflui sermones procedant de ore tuo: quia & pro otiosis verbis in die iudicij reddituri sumus rationē. Nec ad maledicendū quempiam asuescas linguam tuā, quæ ad benedicendum & ad laudandum Dominum creata est. De quibus ignoras rebus in conuentu noli proferre sermonem, sed opportuna verba procedant à te, cùm opportunū tempus inueneris, vt te audientibus cunctis gratiam prębeant. Ab omni vaniloquio tempera linguā tuam, ne quando qui audiant, horrescentes obturent aures suas, & sit tibi confusio coram omnibus. De quibus molestiam non pateris, noli contendere acriter, nec te consuescas consuetudine pessima, quia mos qui longo vsu fuerit confirmatus non paruo labore vitatur. Noli dissolutis labijs risum proferre: amentia nāque est cum strepitu ridere, sed subridendo tantummodo

Matt. 6. Luc. 16. — *Assidue precandum.*

Psalmodia.

Psal. 118.

Verbum Dei. Vigilia sancta.

*Ecclesi. 19. * decidet.*

Ieiunia.

Temperantia in esu.

Vini vsus.

1. Tim. 5.

Ebrietas.

Vinum est hamus.

Castitatis officium.

** F. execrationem.*

Lingua refrenanda.

Risus vitandus.

tantummodo mentis lætitiã indica. Nec in modum paruuli iocari velis assiduè: quia non conuenit ei qui ad perfectionem nititur iocari vt paruulus. Esto *in malitia paruulus*, & vir perfectus in sensu. In quibusdam te exhibe senem, & in quibusdam te exhibe paruulum. Paruuli namque est ludere, perfecti vero viri lugere: sed præsens luctus lætitiam generat sempiternam. Iocus autem remissam efficit animam, & negligentem erga Dei præcepta, nec delicta sua potest ad memoriam reuocare. Sed obliuiscens ea non se instigat ad pœnitentiam, & ita paulatim ab omnibus bonis priuabitur. Nullum enim habet accessum cordis compunctio, vbi fuerit immoderatus risus ac iocus. Vbi vero fuerint lachrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur qui secreta mentis illuminat, & vitia cuncta exurit. Tunc auiditate cœlesti anima flagrans, Christi amori copulatur, cum in terris degens de cœlestibus & supernis iugiter meditatur, calcat sæculi voluptates, & ad præmia se futura extendit, nec vlla sæculi cura ab amore eam segregat Christi, sed vt figura quædam inter homines versari videtur, & tota eius conuersatio de cœlestibus intelligitur. Mors illi præsens tanquam vita ipsa est dulcis. Cupit *dissolui, & esse cum Christo*, quem in carne viuẽs intra suum portauerit templum. Vide ergo quantum lucrum adferant fletus & lachrymæ, & quantam perniciem præbet risus ac iocus. Qui enim ridere hic delectatur, postmodum flebit amare: qui autem hic lugere voluerit, gaudebit in posterum. Nam & Saluator noster beatos appellat lugentes, & qui nunc lætantur, flere eos dicit in nouissimo. Non te ergo delectet puerilis iocus, sed lectionum spiritualium cantus. Non te soluant in risum verba inania, sed proferant ex te gaudij risum perfectorum virorum virtutes, vt ad eorum spectaculum vitam tuam moresque componas. Perfectus enim ille dicitur non qui in ætate, sed qui in sensu semper perfectus. Non enim tibi obest puerilis ætas, si fueris mẽte perfectus: nec senilis tibi proderit ætas, si fueris puer sensibus. Nam & Dauid cum puer esset, & perfectum cor haberet in Domino, in regem electus est. Et Saül cum senili ætate esset perfectus, quia in se malitiã perfectam habuit, de culmine regali expulsus est. Vetustissimi iam erant presbyteri, qui Susannã violare conati sunt: quos Daniel adhuc paruulus detecto eorum scelere condemnauit. Et Dominus noster ingressus Hierosolymam à paruulis collaudatur. Nam & arbor licet sit multorum annorum, si fuerit infructuosa abscinditur: si autem nouella fuerit fertilis, colitur vt magis proferat fructus. Perfectorum verò virorum consortio fruere, & contubernio abstinentium delectetur anima tua, & à colloquiis eorum ne auertas aurem tuam. Verba enim vitæ sunt verba eorum: & incolumitas animæ iis qui ea libenter attendunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita sanctorum doctrina à sensibus tuis expellit tenebras. Talium virorum quæso ne deuites consortia, vt eorum monitionibus mens tua erigatur ad cœlum & fluxam sæculi gloriam pro nihilo possis despicere, & virtutes animæ haurient sensus tui. Deuita viros, quos erga mandata Dei vides negligentes, quia mortui sunt virtutibus, & videntur viuere passionibus, quia lætantur in propriis voluntatibus, & gaudio carent diuino. Cum huiusmodi viris nec sit tibi vlla commistio, nec velis cum eis sermocinari assiduè, nisi poteris solummodo ab erroris itinere reuocare eos. Cæterum si non vales, deuita vt publicum hostem, sæpe enim per vnam ouem morbidam grex totus polluitur, & modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit. A tali enim fermento Dominus tibi attendere præcipit. Fermentum hoc nequissimorum hominum doctrina intelligitur: nam etsi in habitu quis videatur esse clarus & nobilis, non tantum ex verbis, sed ex fructibus homo comprobatur. Denique quia plurimi callide vitia sua celare festinant & apud quosdam videntur esse mirabiles, sed floribus amissis fructus qualis est ostenditur.

1. Cor. 14.

Lacrymæ.

Philip. 1. 23.

Matth. 5.

Perfectis vtendum.

A Cum verò intra sinum suum serpentem seruauerũt, à tactu morsu eius intumescunt, & palam omnibus fiet, quia *nihil occultum est, quod non reuelabitur*. Si quis tibi intulerit mala, ne velis irasci ei, aut retribuere illi, etiamsi possis: sed dole potius pro eo quia Dominus irascitur ei. Qui enim patienter pertulerit mala, in futuro coronabitur, qui vero intulerit mala, in die mala vt reus damnabitur: nec pro carnalibus damnis frangatur animus tuus, nec vigorem patientiæ tuæ res emolliant caducæ, sed time potius damnum, si à proposito tuo retardaueris, & quando te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam citò conuerti ne confundaris. Qui enim hic pœnituerit, in nouissimo non pœnitebit. Clementer enim Dominus ad pœnitentiam confugientes suscipit. Et ne Misericordia Domini fretus peccatis peccata adiicias: Nec velis dicere, donec viget ætas mea, carnis cõcupiscentiam exercebo, & postremo in senectute malorum meorum pœnitentiam geram: pius namque est Dominus & multũ misericors, nec vltrà facinorum meorum memorabitur. Noli taliter fili cogitare, quia summa stultitia est hoc in mente apud Dominum concipere, cum & impium sit talem licentiam à Deo expectare quempiam. Noli inquam sic cogitare, cum nescis qua die moriturus sis. Quis enim nouit hominum diem exitus sui. Non enim omnes in senectute priuabuntur hac luce: sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrabunt, & in quibus actibus vocabitur homo, in iisdem necesse est reddere rationem. Nemo enim *in inferno confitebitur Domino*. Sed nec tu cuncteris ad pœnitentiam conuerti. Semper ante oculos tuos versetur vltimus dies: cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas peruenire, & cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis aduentu, vt facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis. Semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, vt ipsa te ad virtutis viam prouocent. Esto natura talis in operibus bonis qualis es futurus postmodum. Omnia terrena quæ possides in cœlestes mansiones transfer, vt cum illuc fueris profectus, fruaris bonis cœlestibus. Bonorum operum sumptus tibi in itinere præpara, vt incunctanter libenterque cùm vocatus fueris, pergas ad Dominum tunc cùm carnis vinculo anima tua absoluta fuerit, mox in occursum tuũ angelorũ chorus occurret. Omne sanctorum agmen instuis miscebitur complexibus, & te ad adorandum verum iudicem perducent. Tunc tibi fiet pax per gyrum & summa securitas, nec timebis vltra iacula ignita diaboli. Non tibi terrorem incutiet barbarorum immanitas, nec formidabis hostes ferociſſimos, qui cupiunt animas iaculari, non corpora, non ferrum, non ignem, non faciem truculentam tortorum, non famem, non sitim, nec vllam ægritudinem carnis, nec metues inuidiam hominum, nec insidias malignorum, nec verba venenata mulierum luparum, nec vltro aduersabitur caro contra spiritum tuum, non timebis periculum maris, nec vllos casus aduersos: sed hæc omnia sedabuntur. Cum anima tua abiecerit sarcinam carnis, tunc Spiritus sanctus tribuet tibi in cœlestibus mansionem, cui paulò antè intra corporis tui hospitium feceras mansionem, & lætus gaudensque expectabis diem iudicij futuri, in quo singulorum animæ recipient merita pro suis operibus, & frustra tunc peccatores & impij pœnitebunt, fornicatores & adulteri vlulabunt, nec vllam requiem poterunt æternam inuenire. Rapaces & auari flebunt amariter, nec malorum suorum veniam consequentur, in luctu maximo detinebuntur. Omnes qui carnis suæ voluntates consecuti sunt, in mœrore & fletu maximo in sempiternum erunt, quia vitiis & passionibus seruierunt. Et cum hi omnes pro suis criminibus gehennæ ignibus mancipentur, iustis sempiterna præmia tribuentur à Domino, quæ *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Dominus diligentibus se*.

Matth. 10. Luc. 8. Tolerantia in malis.

Psalm. 6. Pœnitentia.

Beatitudo cœlestis.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

EPISTOLÆ SANCTI PATRIS

BASILII MAGNI

GREGORII ITEM NAZIANZENI

COGNOMENTO THEOLOGI,

ac Libanij mutuæ Epistolæ

PER GODEFRIDVM TILMANNVM RECOGNITÆ.

LECTORI.

EPistolas S. Basilij omnes, Lector, repræsentamus & quidem simul, προφάδην antea dispersas. B. verò Gregorij Theologi segregauimus, extra eas quas ad Basilium dedit, vel certè vtriusque sunt causa missæ. Cæteræ in Nanzianzeni Operibus Lutetiæ longe sunt & felicius, & vberius, quàm à Germanis editæ, ac Latine redditæ à Iac. Billio Prunæo, Abbate doctissimo, qui & Notis ad Græcos fontes, vt omnia, rectè illustrauit; Epistolis ad Libanium adjecimus & ad Julianum παραδάτην aliquot Græce nunquam hic visas, vt eas edidit Lugduni Bat. Bonau. Vulcanius cum Theophylacto Simocatto. Quatuor item Basilij addimus vt Da. Heschelius ex Augustano codice, cum Phrynico euulgauit: nec huius Basilij plures esse in membranis Epistolas apud nos ignoro, sed quas Græce primum edi necesse sit. Nam & Libanij epistolas prope trecentas ἀνεκδότους penes me seruo, sed ad varios extra Basilium missas, Themistium, inquam, Aristænetum, Maximum, & Julianum Imp. & cæteros. Personarum Jndicem ad calcem addemus. Fruere mi Lector.

EPISTOLÆ MAGNI BASILII

AD S. GREGORIVM THEOLOGVM,

De vita in solitudine agenda,

GVLIELMO BVDÆO INTERPRETE.

EPISTOLA I.

Orditur epistolam ab homœosi.

SIc tuam epistolam agnoui, vt ij facere solent, qui amicorum liberos ex similitudine in ipsis conspicua agnoscunt. Nam quod existimare te ais, magnopere non referre, habitum structuramq; loci, ad ciendum in animo tuo desiderium vitæ nobiscum agendæ, antequam compertum quidpiam habeas de modo & ratione vitæ nostræ, tuus hic est profecto animique tui sensus, qui huius mundi bona prorsus nihili esse ducas, præut est beatitudo, quam reconditam in diuinis pollicitationibus habemus. Equidem scribere ad te non sustineo præ pudore, qui in hoc extremorum finium recessu interdiu noctuque agito: tametsi enim vrbicas occupationes pro derelicto habui, vt sexcentorum malorum causas, me tamen nondum ipsum etiam habere pro derelicto quiui. Similiterque illis affectus sum, qui nauigãdi insolentes, nausea perditè afflictantur. Namque illi magnitudine nauigij offensi, tanquam vehementius succutientis, in lembum aut nauiculam cum transilierint, sic quoque non secius à nausea laborant, nimirum molestia ipsos ac bile quò transierint cumque comitantibus. Huiusmodi igitur quiddam nobis contigit, qui domesticas perturbationes quoquò circumferentes gentium, vbique locorum perinde versamur in tumultu, quare non magnopere adiuti sumus ab hac solitudine. At verò quæ facta à nobis oportuit, vndeque auspicandum fuit ei, qui vestigiis hærere voluit, eius qui nobis salutis viam præiuit (si quis, inquit, ponè me venire vult, abiuret semetipsũ, & tollat suam ipse crucem, & sequatur me) hæc ferè sunt. Iam primum mentem pacatam habere conueniebat. Vt enim oculus continuò circumactu versatus, & nunc horsum illorsumque deflexus, nunc sursum deorsumque erectus vicissim ac depressus, exactè cernere nequit, sed obtutu incumbere in rem visam eum oportet, si quidem conspectum rei perspicuum facturus est: hunc in modum mentem humanam sexcentis mundi curis distractam, euidenter cernere veritatem vix est vt euenire possit. Atq; ei quidem, qui nondum coniugalibus vinculis adstrictus est, † rabidæ cupidines, & impetus effrenes, amoresq; incessunt perditissimi. Coniugio autem mancipatum curarum agmen excipit, in orbitate desiderium prolis, vxoris custodia, domestica procuratio, seruilium officiorum constitutio, damna ciuilibus in contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negociationis alea, agriculturæ labores, vnaquæque dies suam adfert animo caliginem. Iam verò noctes diurnas curas excipientes, per easdem rerum species imposturam menti factitant. Quarum * rerum vna demum cautio est, si ab omni se mundo abdicauerit, qui hanc vitare molestiam instituerit. Est verò secessus à mundo, non extra mundum esse corpore, cæterùm à consensu corporis, mutuaque affectione animum abrumpere, non ciuem esse, non domum possidere, non familiam, nihil proprium habere, non sodalitatis officia, non amicitiæ colere, prædia nulla, nullas facultates habere, negociis vacare, iurisgentium contractus humanasq; disciplinas non nosse. Ita se comparare, cor vt humanum aptum sit admittere disciplinam ex diuinis monumentis informatam. Est autem huiusce modi cordis cõparatio, cum eæ doctrinæ didiscuntur, quæ praua consuetudine sedem in ipso occupauerunt. Nam neque in tabulis cereis scribere possis, nisi prius literas induxeris quæ antè scriptæ fuerunt, neque animæ prius diuina placita accommodaris, quam anticipatas opiniones ab ea exemeris. Ad id autem assequendum solitudo grande operæprecium adfert, vtpote quæ perturbationes animi consopire solita sit, spaciumq; deinde indulgere, vi ratiocinationis ipsas stirpitus ex anima elidendi. Vt autem feræ † bestiæ blãda manu † permulsæ, leni certamine superantur, ita,

Nihil vita hac, præut est reposita nobis beatitudo.

Confirmat eleganti τῇ ὁμοιώσει.

Ἀνομοίωσις ex collatione.

† Λυσσώδεις ἐπιθυμίαι, ὁρμαὶ δυσχαθεκλοί, ἔρωτες, δυσίρωτες, θόρυβος φροντίδων.

* *Aggressio eius quod initio instituerat, nempe τῆς ἀναχωρήσεως.*

ἑτοιμασία καρδίας quæ vera sit, docet simili.

τῇ ὁμοιώσει solitudinem animæ esse commodam adstruit

† καταψηφισθέντα.

habet exemplar nostrum ἀκαλαφάχω: non καλαφυχθέντα. Pulchrè ergo Budæus.

ita libidines, iræ, pauores, mœrores, animæ venefica mala, consuetudine consopita, nec perpetuo irritamento efferata, eluctabiliora deinde vi rationis fiunt. Esto igitur locus aliquis huiusce modi, qualis hic noster, ita ab hominum congressu liber, vt à nullo extraneorum irrumpente assidua interpelletur meditatio. † Pietatis enim meditatio animam diuinis cogitationibus alit. Ecquid igitur beatius, quàm hominem in terra concentum angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis creatorem venerari? Exinde sole iam lucescente conuerti ad opera, nusquam sine oratione? denique canticis † tanquam sale condire actiones? siquidem hilarem alacrémque animæ æquabilitatem hymnica cohortamenta conferunt. Quietus igitur status animæ expiationis auspicatus est, cum nec lingua loquitur, quæ ad homines pertinent, nec oculi colorum nitores circunspiciunt in corporibus, nec concinnè accommodatas membrorum proportiones, cum nec aures animæ intentionem elanguescere faciunt, auscultandis ipsæ modulamentis distentæ, ad voluptatem ciendam accommodatis, nec facetorũ hominum ridiculis aut scurrilibus dictis, quæ res maximè comparata est frangendæ animæ intentioni. Quippe mẽs nec extrorsus dissipata, nec in mundum per sensoria diffusa, ad sese ipsa redit, moxque suopte nutu ad Dei notionem euadit. Quo fit, vt illo decore illustratus vndique intellectus, atque supernè illuminatus, naturæ quoq; ipsius obliuione capiatur, nec ad cibi iam curam demittat animã, nec ad amictus anxietatem. Quippe qui à terrenarum rerum cura immunis & feriatus, omne suum studium ad ea bona traducat, quæ magno † certamine quæruntur: id enim assequi conatur quo numeros omnes fortitudinis temperantiæque impleat, quo iustitiam, prudentiam, cæteraſque virtutes absolutè excolat, aliasque insuper, quæ sub hæc genera distributæ, virum studiosum commone faciunt, vt cuncta officiosè exequatur ad vitam rectè atque ordine instituendam. Maxima porrò viarum ad veri inuestigationem ferentium meditatio est scripturarũ diuinitus inspiratarum. Quandoquidem in his quum rerum agendarum præcepta reperiuntur, tum beatorum hominum vitæ memoriæ proditæ ac perscriptæ, tanquam simulacra quædam animata proposita sunt vitæ ad normam diuinam institutæ, iis quidem qui bonorũ operũ † exemplaria imitari cupiunt. Proinde in qua re quisque nostrum senserit se eo quod oportet deficere, in illo assidue incumbẽs, tanquam ab * officina quadam medicinæ, appositum suæ infirmitati medicamentum inuenire poterit. Ac temperantiæ quidem homo cupidus, historiam * Iosephi assidua lectione euoluat: ab ea enim edidicerit actiones temperantiæ plenas, cùm compererit eum ad habitum virtutis prouectum esse, nedum voluptariis in rebus continentia præditum. At verò in fortitudine instituetur lector ex historia * Iobi, qui vita in contrarium ipsi cedente, ac prorsus immutata, egens ex beato, orbus † ex pulchræ prolis parente, vnius dieculæ momento factus, non idẽ modo suiq; simillimus mansit, celsos animi spiritus ad extremum vsq; retinens, sed ne amicis quidem eius qui ad consolandum eum venerant, tandem ipsi insultantibus, dolores eius exacerbando, iracunde irritatus est. Rursus aliquis reputans quomodo magnanimus idem & clemens esse possit, ita vt animo quidem obsirmato aduersus peccatum, clementia vero vtatur erga homines: illic Dauidem inueniet generosum in bellicis facinoribus, clementem & placidum in inimicis vlciscendis. Talis erat Moses, ingenti ille quidem ira in illos insurgens, qui in Deum peccauerant: sed miti animo perferens illos, qui sibi obtrectauerant. Quemadmodum autem pictores, cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta eius transferre conãtur magno studio ad suum opificium: ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, veluti simulacra quædam spirantia & actuosa, sanctorum vitas respicere oportet, probaq; opera illorũ sua imitando facere. Iam verò orationes lectionibus succedentes, recentioremanimam vegetioremq; accipiunt, vtpote desiderio Dei iam flagrantem. Atqui est oratio illa bona, quæ compertam Dei notionem in animo ingenerat. Est verò Dei inhabitatio, insidentem intus Deũ memoria cõplecti. Hacq;

Metaphora. † ὥσπερ ἅλατι. Hymnorum vis quam efficax.

Sedata & indistracta mentis quot accedunt cõmoda.

† ἀγωνίων legit Bud. pro ἀθωνίων iuxta exemplar Hieronymi Spartani.

† ὅτου εἰκόνες ἔμψυχοι, vt spirantia simulacra. *Μεταφορὰ. * Argum. ab exemplo Ioseph continentiæ exemplar. * Iob fortitudinis. † ἅπαις ἀπὸ καλλιπαίδος.

A nos ratione tẽplum Dei efficimur, quando nec terrenis curis perpetuus tenor memoriæ interpellatur, nec improuisis perturbationibus intellectus tumultuatur: sed hæc omnia effugiẽs vir amore Dei præditus, ad Deum ipse secedit, tum affectus foras quatiens, qui ad intemperantiam prouocant, tum in iis studiis libenter versans, quæ ad virtutem ducunt. Atque imprimis quidem magno studio id comparandum habemus, scitè vt sermocinari possimus, vt † nec cõtentiosius percunctemur, nec affectantius respõdeamus, vt differenti non obloquamur, nec interfari atque interpellare gestiamus absurda ostentatione, factumq; præ se ferente, vt modum teneamus & sermocinãdi & auscultandi. Neque verò ad discendum verecundum esse oportet, nec ad docendum malignum, quod ab alio tute didiceris, nequaquam clàm habendum. cuiusmodi facere * mulieres improbæ solent, quæ ex aliis ipsæ quæsitos liberos viris suis tollendos subijciunt, patrem ementientes: autorem verò ipsum prodere grata cõmemoratione decet, verumq; ipsius scientiæ parentem. Vocis porrò intentio mediocritate temperanda est, vt nec exilior fallat aures, nec contentior odiosa radat offensione. Expendendum prius quid dicturus sis, atque ita demum edendũ & prouulgandum. At vero in congressibus comiter appellare oportet, atque in consuetudine suauem se præbere, non etiam voluptatem facetosis sermonibus aucupari: adhortationũ vero benignitate, clementiæ ac mansuetudinis opinio colligenda est. Nusquam acerbum se præbere conuenit, etiamsi obiurgatione opus sit. Plerumq; verò conducibilis nobis erit ea increpandi ratio, quam * Propheta secutus est, qui peccati reo Dauidi non à semetipso impegit damnationis modum, sed accersita persona vtens, iudicem illum ipsum in proprio crimine æstimando constituit. adeò præiudicio in sese facto, nihil ille deinde habuit, quod succenseret increpanti. Et consentaneus quidem fuerit summissis atque abiectis animis, tristis oculus atq; deorsum vergens, habitus neglectus, squalida coma, vestis sordida, adeò quæ lugentes cõsulto meditatoq; faciunt, ea suaptè animi spõte in nobis, & veluti habitu temerario, extitisse videri debent. Tunica cinctu oppressa sit corpori & adstricta. cinctus neque † muliebrem in modum ilia exuperet, neq; prælaxus fluxam tunicam efficiat. Incessus esto nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus vehemens insolenterq; incitatus, ne consternatos impetus animi significet. Vnum modò sit vestitus propositum, operimentũ vt existat, ab æstus frigorisq; iniuria corpus asserere aptum & idoneum. Colorum amœnitates ne exquirantur, nec opificiorũ deliciæ prætenues ac molliculæ. Etenim in veste pigmentorum lauticias consectari, perinde est, atq; si muliebrem comptum nobis accommodamus, quẽ magno illæ studio sibi aptare solent, accersitis lenociniis crines malasq; inficientes. Tunica sit eousq; crassa, vt alio opus non sit integumento, ad calefaciendũ corpus ea contectum. Calciarium esto precio quidem illud vili, sed quod vicem suam implere possit. Et vt semel omnia vno verbo complectar, vt in veste comparanda, rationem imprimis constare oportet vtilitatis: ita in cibo panis vsus expleuerit, id quo opus est ad alimentum: aquæ potus sedauerit sitim homini integræ valetudinis, quibus accedẽt ea pulmẽta, quę ex leguminibus ad vsus tantum necessarios facta, tuendę sunt integræ corporis firmitati. Inter epulandum hoccanere cõuenit, ne † helluantium speciem præbeamus, sed & constantiam, & mansuetudinem vbique retineamus, atque in percipiendis voluptatibus æquabilem continentiam, ne tum quidem porrò ita animis esse feriatis nos oportet, vt commentatione rerum diuinarum vacemus. Quippe qui alimentorum naturam, corporisque aliti opificium, argumentum habeamus, diuinas laudes exordiendi, vtique cum in mentem nobis venit, quomodo varia cibi genera corporum qualitati accommodata, ab eo sint inuẽta, qui omnia moderatur & regit. Porrò autẽ orationes antequam cibum sumimus, pro dignitate diuinæ benignitatis ineundæ sunt, cum earum quæ in præsenti nobis diuinitus conferuntur, tum verò earum quæ in posterum eisdẽ recõditæ sunt. Iam à corporum curatione rursus orationes, gratiarum actionem exequantur, iam acceptorũ ergo, atq; eò amplius eorũ flagitationem, quæ Deus nobis pollicitus

† ἐρωτᾷν μὲν ἀφιλονείκως, ἀποκρίνεσθαι δὲ ἀφιλοτίμως. μανθάνειν ἀνεπαισχύντως, καὶ διδάσκειν ἀνεπιφθόνως. * Simile ex collatione. Vox. Γνώμη.

* Propheta Nathan. 2. Reg. 12.

† Γυναικώδες γάρ.

Collatio.

† λυσιῴδη γαστριμαργίαν.

Hora vna præscripta sit sumendæ alimoniæ.

est. Denique cibi sumendi hora sit vnica & constituta, eademque semper per abitum reuertens, vix hæc vt curando corpori destinata, vna sit hæc è quatuor & viginti, quam tẽporis intercapedinem complectitur diei noctisq; vicissitudo. Reliquas autem horas mens cõmentando occupata sit, hominis quidem certè, qui menti exercendæ in solitudine se addixerit. Somni leues sunto, eiusque modi qui excuti facilè possint, ex naturæ vtique præscripto, ad victusque rationem appositi: id verò interim accurandum studioq; assequendum est, vt commentandis rebus arduis ipsi pascantur somni. Nam altiore † correptum esse sopore, sicq; esse veterno dissoluta hominis contemplatoris membra, vt interim pateat aditus visis absurdis obrepẽtibus, id certè instar est quotidianæ mortis. Atqui quod aliis diluculũ, id nox iis dimidiata est, qui se colẽdę pietatis studio deuouerint. Tum enim præcipuè otium animæ largitur nocturnum conticinium, cum neque oculi aspectus importunos, neque aures auditus obturbatores intro ad cor admittunt. Cæterum mens sola secum, cum Deoq; negocium habens, tum peccatorum suorum recordatione sese corrigẽs, fines ipsa sibi præscribit ad vitia auersanda, opem etiam diuinitus implorans ad ea adipiscenda, ad quæ magno studio incitata est.

† διακοπτόμενον.

γυμν.

Eiusdem Basilij ad eundem.

II.

NVnquam, quandocunque prudentiæ tuæ scripsi, clàm me fuit, quamcumque theologicam vocem talem esse, vt impar sit ad exprimendam mentẽ dicentis, & minor quàm quæ desiderio quærentis satisfacere queat. vnde fit, quòd sermo imbecillior admodum esse solet, quàm qui cogitationibus exprimendis sufficiat. Si ergo mens nostra infirma est: & mentem æquare nequit lingua, quid tandem nobis spem in his quæ dicuntur, reponere conueniebat, & non magis dicendi penuriam incusare? Verum licet hoc ita habeat, non tamen potui quod quęritur silentio præterire. Proditionis enim periculum & notam habet, si non promptum dederis de Deo responsum iis qui Dominum diligũt. Itaque quod ad ea quæ rogantur attinet, an sufficienter instituta sint, vel exactiore aliqua additione opus habeant: necessarium fuerit ad illorum institutionem & correctionem certum quoddam tempus decernere. Quòd vero in præsentiarũ admonendus es: obsecramus, quod & iam aliquoties fecimus: vt omnibus modis ipse veritatis patrocinio & qui menti tuæ diuinitus inditi sunt, motibus ad cõmendationem & constitutionem boni vtare: iisque contentus nihil à nobis amplius quæras, qui quoniam multo minores sumus nominis opinione, veritatis sermonem nostra imbecillitate magis lædimus quàm aliquid roboris veritati nostro patrocinio adiicimus.

Sermo mẽtis conceptione inferior.

Eidem. III.

VEnerunt mihi iam paulo antè abs te litteræ omnino tuæ, non tam propter manus characterem, quam propter ipsius epistolæ idioma. verborum enim habent modicum, sententię plurimum. Ad quas quidem non statim respondimus, propterea quòd peregrè abfuimus, & grammatophorus, cum vni familiarium epistolam reddidisset, properè migrauit. Sed nũc tandem per Petrum te alloquimur: simul & salutationis debitum reddentes & denuò scribendi occasionem & materiam exhibentes. Nullus autem planè labor est epistolæ Laconicæ, quales ferè sunt omnes tuæ quotquot ad nos perueniunt.

γραμματοφόρος litterarum bajulus sine tabellarius.

Ad eundem Gregorium Theologum.

IACOBO MYCRÆO *Interprete.*

IIII.

Psalm. 54.

VNde mihi alas columbæ modo adsciscam? aut quo pacto senium meum iuuenescet? vt ad vos me, viri charissimi, queam recipere, & flagrans meum erga vos desiderium exatiem, animique mei tristes curas apud vos deponam: & à vobis tribulationum solatium aliquod conse-

quar? Siquidem propter B. Eusebij Episcopi obitum timor nos inuasit haud mediocris, ne forsan qui olim Metropoli nostræ ecclesiæ præfuerunt, velint ipsam accepta occasione zizaniis Hæreticorum inficere, & pietatem magno labore hominum mentibus inseminatam, prauis suis disciplinis eradicare, eiusq; vnanimitatem in diuersa diuidere. Quod etiam in plerisq; ecclesiis factitarunt. Postquam vero Cleri literæ ad nos venerunt, adhortantes ne hoc tẽpore parum simus attenti: circunspiciens vndiquaque, vestræ, ô dilecti, tum rectę fidei, tum zeli, quo erga Dei ecclesias affecti estis, memini. Atque hac de causa misi dilectum verbi cooperatorem meum Eustathium qui grauitatem vestram incitet, vt strenue omnibus pro ecclesia laboribus occurratis, & præsentem aggrediamini, meumq; senium societate refocilletis, & vere Ecclesiæ decantatam pietatem instauretis, dantes ipsi nobiscum, si bonum opus vnà capessere dignati fueritis, pastorem ex voluntate Dei, qui populum ipsius rectè queat gubernare. Habemus enim ante oculos virum vobis non incognitum. Quem si dignemur nobis acquirere, magnam indubiè libertatem erga Deum possidebimus, & vocanti nos populo summum beneficium præstiterimus. Sed adhortor iterum & sæpe, vt omni mentis segnitie deposita, tempestatis periculum anteuertamus, anticipemusque.

περιεθόηθον.

Basilij Magni Eusebio Samosatorum Episcopo.

IACOBO MYCRÆO *Interprete.*

V.

QVomodo silentium in re præsenti queam agere? quin potius cum id sustinere non valeam, orationem quandam factis dignam inuenero, vt vox nostra non assimiletur suspirio, sed fletui, qui mali grauitatem abundè exprimat. Perijt nobis & † Tarsus ciuitas: atq; non hoc solum graue est, etsi intolerabile. Nam multo hoc grauius est, tantam ciuitatem, tam fœliciter agentem, vt Isauros, Cilicas, Cappadocas, & Syros sua opera in concordiam perduxerit, vnius aut duorũ hominum exitiali socordia pessum iri, dum nos cunctamur, consultamusq; & nos mutuo respicimus. Optimum igitur fuerit, iuxta medicorum sententiam, nimis autem multa mihi copia est eiusmodi exemplorum ex imbecillitate domestica. Medici, vbi doloris magnitudo excelluerit, stuporem ægrotanti conciliant. ita precandum, vt non animæ nostræ cum intolerabili dolore mali indolentiam experiantur. Quanquam miseri licet simus, vno solatio vti visum est, nempe ad tuam mansuetudinem oculos figere, & ex tui notione & memoria animi dolorem mitigare. Quemadmodum enim oculi vbi constanter splendida inspexerint, facilitatem quandam per hoc quod ad ceruleos virideſq; colores contuendos se recipiunt nanciscuntur: ita quoque animis nostris ceu blanda quædam cõtrectatio dolorem tollit etiam memoria tuæ mansuetudinis & diligentiæ, potissimumq; postquam considerauimus pro viribus tuis omnia te absoluisse: ex quibus abunde etiam nobis, si res integre velimus iudicare, nihil tua culpa periisse ostendisti, ac apud Deum † malorum prouidentiæ magnam tibi mercedem parasti. Cæterum te Dominus nobis & suis Ecclesiis sua solius gratia donet, in vitæ auxilium, & animarum nostrarum emendationem, digneturque nos rursus tuæ conuersationis auxilio refocillare.

† τάρσος, non θάρσος quod fiduciã significat.

A medicis ductum ὑπόδειγμα.

Ομοίωσις.

† καλῶν legit pro καλῶν.

Eidem. VI.

CVm iam gratia Dei, ac precum tuarum subsidio, paululum ex morbo conualuisse viresq; collegisse visus sim: in foribus adest hyemis inclementia dominos cohibens, & ne loco quidem moueri permittens. Nam etiamsi illa solito contigerit tolerabilior, mihi tamen satis impedimenti attulerit: vt non solum per meipsum iter ingredi: sed ex ipso quoque domicilio prospicere nequeam. Est autem neque hoc mihi modici momenti, quòd datur * per litteras cum pietate tua colloqui, & spe rescõsionum iam nonnihil recreationis percipere. Si vero & occasio fuerit, † & vitæ nos tempus non defecerit: nec pestis minus peruium iter reddiderit,

* Forte leg. διὰ ὁμμάτων pro διὰ γραμμάτων.

† ἐν τῆς ζωῆς ἡμῶν ἔτι λείποιλο χρόνῳ. Sic Augustt. cod.

reddiderit, potiemur forsan * votorum tuorum desiderio, teque intra ædes tuas complexi, quicquid otij dabitur huc conuertemus, vt eius quæ in te est sapientiæ præclaris thesauris abundè saturemur.

* Al. orationum διὰ τῶν σῶν προσευχῶν.

Basilius Magnus † Gregorio Theologo,

IACOBO MYCRÆO *Interprete.*

VII.

† In Græco est: τῷ αὐλῷ nempe ἐυσεβίῳ σαμοσάτων.

SI omnes ordine causas scriberem, quibus in hunc vsq; diem fuerim detentus, quantumuis etiam vehementer cupierim tuam erga Deum pietatem interuisere, infinitum historiæ campum explerē: morbos quidem alios alijs succedentes, hyemis odium, negotiorum † cōtinuitatem prætermitto dicere, vt quæ cognita tibi sint, & iam pridem significata. Nunc autem quod vnicum habebam vitæ solatium, matrem etiam hanc propter mea peccata amisi. tu ne me derideas, qui in hac ætate orbitatem deflere soleam, sed hoc scias me animæ secessum nequaquam ægrè ferre, cui quid in reliquis dignitate respondeat, non inuenio. Rursus igitur in morbum incidi, iterumq; in lecto decumbo, exiguis omnino viribus fluctuans, & propemodum in vnaquaque hora necessarium vitæ finem expectans. Porrò Ecclesiæ ferè vt corpus meum affectæ sunt, nulla quidem spe bona affulgēte, verum in deteriora rebus semper delabentibus. olim Neocæsaria & Ancyra visæ sunt habere successores eorum qui abierant, & hactenus conquiescunt. Sed neque ij qui nobis insidiantur, facere aliquid ira & sæuitia dignum hucusque sunt permissi. Atque huius rei causa tuis pro Ecclesijs legationibus palam id nos adscribimus. Quare non defatigeris pro Ecclesijs deprecari, & Deum reconciliare, & eos qui tuæ sanctitati subministrare dignati sunt, frequenter adhortare. Vale.

† μῆκος.

Basilius Magnus ad Eusebium Samosatorum Episcopum.

IACOBO MYCRÆO *Interprete.*

VIII.

QVo tandem animo fuisse me putas, cum tuas, ô vir pie, accepi literas? si enim sensum illarum respiciebā, cum impetu volui recta ad † vos volare. si vero ad corporis imbecillitatem, qua ligatus decumbebam, non solum sensi me non volare, sed ne in lecto quidem cōuolui posse. Nam quinquaginta his diebus æger decubui, quibus mihi sedulo adfuit dilectus & omniū studiosissimus frater noster & cooperator Elpidius. Multum enim febre consumptus, penuria nutrientis materiæ, arida hac carne, ceu lucernarū papyro circundatus, marcida longaq; ægritudine laboraui. Antiquum * vulnus huic accedēs à cibis me abstraxit, oculis somnum ademit, tandem morti & vitæ cōfinem me effecit, tantum viuere permittens, quanto ad dolorem sentiendum opus est. Itaq; & aquis vsus sum natura calidis, & quasdam medicorum curationes amplexus sum. omnia arguit iuuenile efficaxque hoc malū. vere iam præsente aliud accessit, subito autem inuadēs. Nullus adeo adamantinus qui ferre possit à quo diu vexatus, nunquam sic cōualui vt nunc. Cohibuit hactenus quo minus ad congressum complexumq; tuæ syncerę dilectionis venerim. Quali siquidem animi delectatione caruerim, noui & ipse, & si summo digito dulcissimo vestrę Ecclesię melle sim fruitus. Sed ego aliarū quoq; necessariarum rerum gratia desideraui te conuenire, deque multis tecum communicare, & multa discere. Non etenim veram hic & integram amicitiam assequi licet: aut si amicum inueneris, non potest similiter tuæ perfectæ prudētiæ, experientiæque, quam ex multis Ecclesiæ laboribus conciliasti, de re proposita ferre sententiam. Alia porrò non licet scribere. Quæ itaque tuto licet promere, hæc sunt. Senior Euagrius filius Pampiani * Antiochensis, qui quondam migrauit versus occasum cum Diuo Eusebio, redijt nunc à Roma, petens à nobis litteras eadem † illorum scripta ad verbum continentes vicissim retulit, quæ nostra non probantur à doctioribus qui illic sunt, & legationem quandam per viros fide dignos † iam adornare, vt coram occasio sit nos inspiciendi. Qui nostram doctrinam profitentur Sebastini, Eustathij improbatæ doctrinæ vlcus retegentes purulentum, petunt à nobis quandam Ecclesiasticam ipsorum † procurationem. Iconium ciuitas in Pisidia, iam olim post maximam prima, nunc vero & ipsa præsidet parti tanquam ex diuersis segmentis collectam proprię prouinciæ dispensationem suscepit. Ipsa enim nos vocat vt eos inuisamus, Episcopum creandi gratia. Nam Faustinus fato functus est. an igitur oportet non detrectare peregrinam curationem, & qualem oportet dare ijs qui dignitate pollent, responsionem, & quomodo ad Euagrij sententias me gerere, cupiebam præsens abs te doceri, quod non licuit per valetudinem. Porrò si nactus fueris aliquem breui ad nos venturum, dignare rerum omnium nobis scribere responsiones. Sin autem minus, ora mihi in mentem venire, id quod gratum Deo fuerit. In Synodo mentionem nostri fac, & tu quoque ora pro nobis, & populum assume, vt reliquos vitę dies & horas eousque dignissimus Deo, vt illi gratum fuerit inseruire.

† αὐλῶν ἐπιμελῶν. *Aug. lib.*

* Ita Froben. lege, Πομπηϊάνυ.

† ἀυτολέξει.

† ἀπὸ καλεπήγεσθαι. *August. cod.* ἤδη καλεπείγεσθαι.

Ad eundem. IX.

ET in nobis quoq; declarauit Dominus quàm non deserat sanctos suos, dum magna & potenti manu sua sanctitatis tuæ vitam vndique protexit. Nam propè simile hoc arbitramur ei, quòd sanctus ille in ventre ceti illæsus permansit: & quòd in igne adeò vehementi sine aliquo nocumento timentes Dei viuere potuerunt: quòd & pietatem tuam nobis vndique, vt audio, bellico tumultu circumfusam, incolumem conseruauit, & in posterum conseruabit: qui hoc potest præstare Deus: nobis, si vixerimus, peroptabilem istam faciem: aut alijs saltem, qui reditum tuum non secus expectāt quàm propriam ipsorum salutem. Persuasus namque sum: quòd propter lacrymas Ecclesiarum & gemitus illos quibus post te ingemiscunt omnes in vita te hominum amator Deus conseruaturus sit, donec gratiam suam impertiat ijs qui noctes atque dies opem ipsius implorant. Quæ quidem vsque ad dilecti fratris nostri Libanij Syndiaconi aduentum aduersum nos acta sunt: per ipsum in transitu sufficienter edocti sumus, quæ verò ab illo tempore gesta sunt opus habemus cognoscere. Interea namq; & maiores & grauiores illis locis afflictiones inferri audimus, de quibus siquidem possibile est velociter: sin minus, per religiosissimum fratrem Paulum Sympresbyterum ad nos reuertentem, vt petimus, edoceamur, quòd illæsa & incolumis vita vestra custodiatur. Quoniam verò * audimus vniuersum iter plenum esse latronibus & excursoribus: metuimus ne si in illorum manus incidat frater, illi nos causa mortis simus. Quòd si mediocrem tranquillitatem dederit Dominus, quemadmodum de exercitus transitu audiuimus, curabimus & nostrorum aliquem mitti qui vos inuisat, & singula quæ isthic geruntur annuntiet.

Ion. 1. leg. ἐν ἤθει. Dan. 6.

* Leg. ex *Aug. cod.* ὅτι πάνια λαῶν ἢ διεκλόρων πεπλήρωται τὰ τῆς ὁδοῦ ἐφοβήθημεν.

Ad Gregorium Theologum.

IACOBO MYCRÆO *Interprete.*

X.

OBtulit nobis etiam nunc Dominus occasionem, quò liceat te litteris per desiderabilem fratrem nostrum socium tuum Antiochum alloqui, téque adhortari, vt ea quæ facere soles, facias, tum pro nobis Deum preceris. Cæterum solatium quoddam longi discessus, ex litterarum tuarum colloquio accipiamus. Id primum & maximum adhortamur, vt si quis Dominum deprecetur, petat vt à peruersis sceleratisque hominibus liberemur, qui adeo populum deuicerunt, vt nil aliud quàm Iudaicæ captiuitatis res nobis repræsentent. Quanto enim impotentiores redduntur Ecclesiæ, tanto magis dominandi libido in hominibus augescit. Et hac tempestate Episcopatus nomen ad infelices homines vernarum filios deuenit, cum nullus ex Dei famulis seipsum velit contra ipsos introducere, vel ex deploratis, quales sunt quos nunc misit Anysius Euipij alumnus, & Editius Parnassenus, quem malum futuræ vitæ viaticum sibiipsi adsciuit Ecclesiarum præfectus. Hi nunc fra-

O ambition!

* Gregorium Nyssenum. trem * meum ex Nyssa abegerunt, & eius loco virum introduxerunt, imò potius mancipium triobolare. Hanc perniciem fidei ordinibus certatim probarunt. Et Doaris, oppido, pestilentem hominem, orphanorum famulum scilicet, qui quidem à propriis Dominis aufugerit, sed per assentationem impiæ mulierculæ (quæ prius ad animi sui libidinem Georgio abusa est, nunc autem hunc habet) successorem illius miserunt, miserandum Episcopatus nomen contumelia afficientes. Quis autem res Nicopolitarum, miseri † Phortani dignis suspirijs queat prosequi? qui prius veritatis patrocinium quoddam repræsentabat, tandem verò & fidem & seipsum turpiter prodidit, proditionis autem mercedem, nempe ignominiæ nomen adeptus. Nam ad Episcopatus fastigium, vt putat, per ipsos euectus est. Sed Deo gratia, cõmunis totius Armeniæ execratio factus est. Præter quod nec sibiipsis † timidũ aliquid fingant, neq; dignis cooperatoribus ipsis indigeant. Cæterum reliquas Syriæ res exactius & nouit & recensebit frater noster Antiochus. Occidentis autem statum ipse prius accepisti, cui Dorotheus frater omnia commemorauit: cui discedenti qualescunque dandæ sunt rursus epistolæ: fortasse communicabit viam cum Probo Sactesimo, qui magno studio orientem obambulat, & à singulis viris illustribus subscriptiones & epistolas apportat. Quæ igitur per ipsos litteris nunciare conueniat, vel quomodo scribentibus respondere, ipse plane dubito. Si offendes breui eos qui ad nos veniunt, dignare nos certiores facere. Mihi siquidem illud Diomedis subit dicere: *Ne preceris, quoniam*, inquit, *vir est improbus*. Nam proculdubio, cum lenius tractantur elati animi, solito insolentiores plerumque fieri solent. Etenim si Dominus sit nobis propitius, quali adminiculo indigemus? Sin autem ira Dei permanserit, quale nobis auxilium ab Occidentalium supercilio & fastu aderit? qui veritatem neque norunt, neque discere sustinent, verum falsis opinionibus præpediti, illa nunc faciũt, quæ prius in Marcello patrarunt: nempe cum ijs qui veritatem ipsis annunciant contendentes, hæresim autem per seipsos stabilientes. Ego sanè ipse absque communi litterarum figura volebam ad eorum antesignanum scribere. De Ecclesiasticis quidem nihil, nisi per ænigmata: quoniam nec intelligunt nostratium veritatem, neque viam qua possunt addiscere, amplectuntur. In vniuersum, hoc litteris volebam significare, non per afflictiones oppressis humiliatisque pœnam esse irrogandam, neque dignitatem æstimandam superbiam: quod etiam solum peccatum Deum inimicum reddere † sufficit.

† τοῦ ἁγλίᾳ φόβῳ leg. φρόντωνος.

† ἅλολμόν τι Frob. leg. ἀτόλμητόν τι διηγήσεται.

Apobthegma Διωμήδους.

† ἄρκον, leg. ἀρκοῦν.

Eusebio sodali.

XI.

CVm statim post discessum tuum ad ciuitatem veniissem quantum desperatione tui animo deiectus fuerim, quid attinet dicere ad virum, qui non habet opus verbis instrui, sed per experientiam similia perpeti nouit? Quanti enim mihi putas momenti erat omnium optimum videre circumplectique Eusebium, & memoriæ beneficio iterum ad iuuentutem redire, atque in mẽtem reuocare dies illos, quibus & domicilium nobis vnum, & focus vnus, pædagogus quoque idem, simul & recreatio, & studium, & deliciæ, & indigentia, & omnia inter nos ex æquo communia erant. Quanti me putas æstimaturum fuisse, si per tuam præsentiam licuisset his omnibus rememorando potiri, grauique hoc senio excusso iterum ex sene iuuenem factum esse videri? At horum me copia quidem fugit: per litteras vero prudentiam tuam videre, ac quantum datur vel hoc modo me ipsum solari, non est ademptum, propter præsentiam venerandissimi Cyriaci sympresbyteri, quem pudoris gratia vereor commendare, propriumque tibi facere per meipsum, ne forsan superfluum ac curiosum aliquid erga te committam, si tibi quæ sunt propria & peculiaria reconciliem. Verum id facio, quoniam me veritatis esse testem oportet, & ijs qui spiritualiter iuncti sunt, quàm maximè pro viribus gratificari. Quam inoffense vir iste, quod ad sacerdotium attinet, versatus sit, arbitror & tibi manifestum esse. Confirmo & ego cum nullam prorsus illius in sacerdotium offensionem inter eos cognoscam, qui nemini non manus injiciunt, Dominum non formidantes. Quanquam etiamsi quid ab ipsis designatum est, neque sic tamen reijciendus erat hic vir. Inimici vero Dei gradus eorum quos impugnant magis confirmant, tam abest vt de gratia spiritus quam habent, quicquam illis detrahant. Veruntamen, vt dixi, neque excogitari quicquam de hoc viro potuit. Itaque vt presbyterum innoxium, nobisque coniunctum, ac nulla non reuerentia dignum, tuo conspectu dignare. Quod si teipsum curaueris, nobis simul gratificaberis.

Attende Epistolarum missilium commoditatem.

Gregorij Theologi ad Nicobulum.

De Basilio Magno.

XII.

Hinc apparet hunc Epistolarum librũ editum esse à Gregorio Nazianzeno, post mortem Basilij.

EGo semper honoris gratia mihi *Magnum* Basilivm præposui,* contra atque illi videtur, & nunc quoque præpono, non minus veritatis quàm amicitiæ gratia. Quapropter antepositis illius Epistolis, meas subijcio, Cupio enim nos vbique alterum alteri coniungi, vt simul typum quoque alijs modestiæ ac submissionis exhibeam.

* *Id est, licet ille me sibi anteponat. Non quasi Basilius existimet Gregorium plus sibi tribuere, quam ipsi.*

Basilii Magni *Ad Sanctum Gregorium Theologum.*

XIII.

EGo, scribente mihi fratre Gregorio quod iam olim cupiat te nobiscum agere, imo addente, id tibi iam ipsi quoque certum esse, illud quidem ægrè credo, propterea quod toties decipior: istud verò & negotijs distractus expectare non potui. In Pontum vt redeam aliquando, vel præsens cogit necessitas, cui loco redditus Deo bene volente, vagari desinam. Vix namq; desperatis spebus hisce vanis, quas de te mihiolim conceperam, imò magis somnij, si verius quid dicendum est (laudo enim eum qui spes vigilantium esse somnia dixit) vt vitæ consulerem, in Pontum abiui, vbi locum mihi Deus moribus meis apprimè conuenientem ostendit, ita vt qualem sæpenumero per otium & iocum animo fingere solebamus, talẽ iam re ipsa videre liceat. Mons enim est sublimis, grandi ac tenebricosa sylua tectus, gelidis ac pellucidis vndis Septentrionem versus irriguus. Huius gradibus vbi ascenditur, planicies resupina substrata est, quæ montanis humoribus iugiter fœcũdatur. istam verò sylua sponte sua distinctis & omnifariis arboribus circumquaque complexa propè valli ac septi loco, cingit, ita vt illi collata etiam insula Calypsus, quam præ omnibus pulchritudinis gratia Homerus celebrasse videtur, modica sit. Etenim non multum illi deest ad hoc, vt insula sit, propterea quod vndique veluti munitionibus quibusdam elaborata & ornata est. Profundæ siquidem valles duabus illam partibus circumscindunt. Ex lateris verò præcipicio fluuius decurrens, & ipse continui & haud facilè superabilis muri vice est. Ex altero verò latere mons apertus & expassus, per cubitos ad Lunæ formam incuruatos, vallibus imminens, eam partem lateris qua ascenditur veluti muro quodam concludit. Est autem ingressus illuc vnus quem in nostra potestate habemus. Ipsam habitationem alia quedam cerũix sublime quoddam extrema sui parte collum extendens recipit, ita vt ipsa planicies conspectui sit aperta & exposita, & è sublimi circumlabentem fluuiũ despicere liceat, qui mihi videtur non minus delectationis exhibere, quam Amphipolitanis Strymonis cognitus amnis. Nam is quidem tranquilliore tractu circunstagnans, parum deest quin propter silentiũ & tranquillitatem fluuij nomen amiserit, hic verò fluuiorum, qui mihi noti sunt, velocissimus, ad vicinam petram parumper asperior est, ab illa refusus in vorticem quendam profundum aufertur: omniumque iucundissimum mihi spectaculum ipso conspectu, & sufficientissimum incolis vsum exhibet: simul etiam ineffabilem piscium multitudinem in vorticibus alens. Quid dicam

Ὑπόγραμμα siue Topographia.

καλυψοῦς νῆσος.

Strymon.

dicam de telluris exhalationibus? aut ex ipso fluuio ascendente aura? florum copiam, aut etiam canentium auicularum alius quisquam forsan admiraretur. Mihi vero animum istis aduertere non vacat. Quod autem potissimum de hoc loco referre possumus, hoc est, quod cum ad omne genus fructuum sit, propter situs commoditatem appositus: omnium mihi iucundissimum fructum quietem ac tranquillitatem alit: non solum propterea quod ab vrbanis perturbationibus alienus est: sed quòd ne viatorē quidem aliquem admittit, præter eos qui venationis gratia nobis subinde iungūtur. Nam præter ea quæ recensuimus, feras etiam, non vrsos, aut lupos quales apud vos sunt, absit, sed ceruorum & capreorum agrestium greges ac lepores, & si quæ aliæ sunt eiusmodi nutrit. Num igitur cogitas quantum periculi demens accersere voluerim, qui talem locum cum Tiberina, quæ barathrum est orbis, commutare contenderim? Ad hunc iam properanti ignosces. Nam prorsus neque Alcmæon, posteaquam Echinades reperit, errorem amplius ferre sustinuit.

Echinades.

Gregorij Theologi ad Basilium Magnum.

XIIII.

VTiussui tuo obtemperetur, partim quidem in nobis est situm, partim vero, &, vt puto, plus aliquanto in pietate tua situm est. In nobis est, animi votum, & promptitudo. Neque enim vnquam congressum tuum fugimus, sed semper cōsectati sumus, & nunc amplius desideramus. In sanctitate vero tua est, vt quæ nos impediunt dirigas ac disponas. Assidemus enim dominæ matri multū iam temporis ex infirmitate laboranti: & nisi cunctaremur illam in ambiguo deserere, præsentiæ tuæ fructum, quòd probè scias, non negligeremus. Precibus itaque matri quidem ad sanitatem, nobis autem ad iter obeundum, succurre.

Attende pietatem Gregorij erga matrem.

Eidem. XV.

PRomissis quidem, fateor, haud steti, vt tecum essem vnaque philosopharer; constanter adhuc amicitiam illā, & animorum connexionē (nec enim aptius occurrit verbum) Athenis cœptam, tum illic quoque seruatam professus. Fefelli autem non liberè, sed lege per legem deiicta; lege amicitiæ & mutuæ consuetudinis superata, per legem quæ præcipit vt parentes honoremus. Non tamen omnino fallam, si quidem hoc ipsum gratum futurū est. Partim quidem nos tecum futuri sumus: partim vero ipse nobiscum esse ne graueris, * vt sint omnia cōmunia, & amicitiam pari vtrinque iure colamus. Ita enim futurum est, vt parentes mœstitia non afficiam; & copiam tui obtineam.

* τὰ πάντα κοινὰ, καὶ φιλίας ὁμότιμοι.

Eidem. XVI.

NOn fero mihi Tiberinam exprobrari, & quæ hic sunt glaciem & hiemes, ô vir admodum expers luti, sublimis incedens, & tabulata pedibus calcans, pennate, excelse, & cum Abaridis iaculo delate, vt cū Cappadox sis Cappadociam fugias. An iniuriā vobis facimus, quod vos quidem pallescitis atque ægrè respiratis, ipsumque solem ad † certum modum accipiatis: nos contra saginamur ac saturamur, & loci angustia circumscripti non sumus? Sed ista vobis sunt. Deliciamini verò, & diteſcitis, ac in foro versamini. Hoc nō laudo. Aut igitur cessā lutea nobis exprobrare (neque enim tu ciuitatem condidisti, neq; nos hyemem) aut & nos tibi * pro luto cauponas offeremus, & quæcunq; turpia & improba ciuitates ferunt.

Scatet festiuis metaphoris, & argutiis, sed quæ in tralatione non eandem habeāt gratiam.

† Μεζείσθω *leg.*

* *Græcè venustius* παχλὸς *lutum,* κάπηλος *cauponem significat.*

Ad eundem. XVII.

TV quidem quæ nostra sunt dicterijs & salibus impetito & conuellito. Siue ioco id facias siue studio, nihil istud retulerit. Risu modo & puerilem in modum exatiare, & amicitia nostra fruere. Omnia tua nobis sunt iucunda, qualiacunque sint & quomodocunque habeant. Etenim & quæ hic sunt mihi cauillari videris, non vt cauilleris, sed vt me ad teipsum trahas (si ego tamen mentem tuam intelligo) quemadmodum solent qui flumina obturant vt alio transferant ac deriuent. Talia sunt perpetuo quæ nobiscum agis. Ego vero Pontum tuum, & * Ponticam istam caliginem, ac sedem exulibus dignam, & qui capiti imminent tumulos pariter & feras, fidem vestram probantes, subiectamque solitudinem admirabor. Murium ad hęc cateruam speciosis nominibus gymnasij, monasterij, ac scholæ ornabo. Syluas illas agrestium plantarum montiumque præruptorum coronam, qua non tam coronamini, quàm concludimini: aërem quoque modo dimensum ac solem desideratum laudabo, quem tanquam per caminum aspicitis, ô Pontici * Cimmerij Soleque priuati, & non semestri tantum nocte, quod de quibusdam * dici solet, damnati. Sed ne aliquā quidem vitæ partem non vmbratilem: vnam verò noctem diutinam per omnem vitam ac vere *mortis vmbram*, vt ex Scriptura aliquid proferam, habentes. Laudabo etiam *arctam illam ac strictam viam*, nescio an ad regnum vel ad orcum ducentem: tui vero gratia ad regnum ducat. Ipsam in medio planiciem quid vis vocem? An mentiendo vocabo eam Edem, ac † fontem in quatuor principia diuisum: vnde & ipse orbis irrigatur? An vocabo eam aridam ac siticulosam solitudinem, quam Moses quisquam, ex petra per baculum excusso fonte, mitiorem habitabilemque fecerit? Nam vbi petras quidem declinauit, ibi mox hiatus torrentis: vbi hiatus, ibi spineta: supra spinas vero præcipitium: supra præcipitium via præceps & vtrinque prærupta, viatorum mentem cogens & ad solitam cautionem exercens: Fluuius vero infernè resonat. Is tibi pro Amphipolitano Strymone * est, ac placidus, & non magis piscibus quàm lapidibus fœcundus, neque in stagnum aliquod refusus; sed in profundum vorticem præcipitatus. O sublime loquens nouorumque nominum architectè. Est enim magnus iste fluuius & terribilis, & eorum qui habitant supernè psalmodias superans. Præ his nullius æstimantur cataractæ & catadupa, tantum videlicet sonitus noctes atque dies auribus vestris suggerit. Asper quidem est, sed transitū negans: turbidus quoque, sed quem potare nequeas; cui hoc tantum humanitatis est quod mansiunculam vestram, torrentibus & tempestatibus irritatus non ad ima secum deturbat. Ista igitur nos Fortunatis insulis conferimus. Hęc vestra sunt qui adeo felices estis. Tu vero admirari noli anfractus illos lunares qui † gradus montis ascendendi in arctum magis constringunt atque intercludunt quàm cōmuniunt, neque verticem illum supra verticem imminentem, quod Tantali * vobis vitam efficit, neque delicatam ac mollem auram, tellurisque exhalationes, quæ vos animo deficientes recreant; sed neque canentes volucres, quę quidem canunt, sed famem: & circumuolitant, sed solitudinem. Accedit vos nemo, inquis, nisi qui venationis gratia accedunt. Adde, & vt mortuos vos inuisant. Ista modum forsan excedunt epistolæ, verum comœdia sunt minora. Tu si modestè ludum istum tuleris, rectè feceris; sin minus, plura addemus.

* *A simili* πονηρὰν ζωφροσύνην.

* *Cimmeria tenebræ, Adag.*

* *Qui sub mundi polis habitant. Psal. 18. & 87. Matth. 7.*

Genes. 2.

† Διαῤῥυμὸς *est: per allusionem ad* עדן *hortum deliciarum. Exod. 17.*

* *Macedoniæ fl. iuxta Amphipolim. Plin. lib. 4. ca. 10.*

† τὰ βάσιμα τῆς ὑπωρείας.

* *Tantali vita, Adag. & in Allegorijs Heraclides Ponticus.*

Παφλάζων.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

XVIII.

IAm quādo videris moderatè ferre ioca nostra, addemus & sequentia. Sit autem ex Homero procœmium.

* *Eia age, transgredere hinc, internos concine cantus,*

habitationem tecto carentem & foribus, focum frigidū & sine fumo, parietes igne siccatos ne luti stillulis conspergamur, intus Tantalici quidā & condemnati, in medijs vndis sitientes, & ad mensam illam miserā vnde nemo cibatur, licet omnium ciborum genere instructa sit, anhelantes: ad quam ex Cappadocia, non tanquam ad Lotophagorum penuriam, sed velut ad Alcinoi mensam, noui & ærumnosi naufragi vocati sumus. Recordor enim parum illorum ac iusculorum (nam ita nominabantur) quin & ipsi dentes in memoriā redeunt quomodo morsibus illapsi statim emergebant, sursumque veluti ex cœno quodam retrahebantur. Hæc ipse sublimius declamabis, cui ex * cognatis affectibus datur magnificè loqui: ex quibus nisi nos vere magna ac pauperum altrix (matrem tuam dico) tanquam portus quidam tempestate iactatis opportunè comparens,

Iocosa & hæc Epist.

* *Hom. Odyss. 9. pro* ἵππε *posuit* ἴσο.

* οἰκείων καὶ συγγενῶν.

liberasset, iam olim mortui essemus, Ponticæ fidei nō tam laudi quàm miserationi futuri. Quomodo transeo hortos illos nō hortos & ad holera minus idoneos, deinde & Augeæ fimum domo expurgatum, quo illos oppleuimus, quando luto vehēdo deputatum plaustrum, ego instar botryunculi, tu contra lamyrus audacter istis cerùicibus & manibus, quæ laborum adhuc vestigia retinent, (ô terra, & sol, † vir ac virtus. declamabo enim parumper) non vt Hellespontum * iungeremus, sed vt præcipitium complanaremus. Istis si nihil offenderis cū dicuntur, omnino neq; nos: si vero grauaris, quanto, quæso, magis ex ipsis rebus? Nos etiam plura omittemus alios reueriti, quorum, & quidem multorum voluptate capti sumus.

Collatio elegans.

† ἄνηρ. *fort. leg.* ἄνεμ, *aer.*

* *vt Xerxes, qui nauibus Europam Asiæ velut pōte coniunxit.*

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

XIX.

Γνώμη. QVæ hactenus de Pontica conuersatione scripsimus, ludicra fuere non seria. Quæ vero iam scribo vehementer seria sunt. *Quis mihi dabit,* vt pristinorū dierum afflictionem in quibus tecum iucundissimè vixi, vel mensem vnum ferre liceat? Quoniam res tristes, quæ sponte feruntur, coactis delicijs potiores habentur. Quis dabit mihi psalmodias illas, & vigilias, & ad precandum secessus, vitámque istam quasi † spiritualem & incorporalem? Quis fratrum, qui abs te in pietate instituuntur & in sublime eriguntur, vnanimitatem & concordiam? Quis virtutis certamen & acumen quod præscriptis modis atque canonibus stabiliebamus? Quis diuinorum oraculorum exercitium, inque illis cum spiritus moderamine inuentam lucem? Aut, vt minora & leuiora dicam, quis dabit quotidianas illas ac manuarias operas? Quis lignorum findendorum ac componendorum laborem? Quis latomias? Quis consitiones & irrigationes plantarum? Quis * platanum auream illam & eâ, quæ Xerxis erat, pretiosiorem, sub qua sedebat non rex delicatus, sed monachus ex labore defatigatus? quam ego plantaui, Apollo, hoc est, dignitas tua, rigauit: Deus vero incrementum honoris nostri gratia dedit, vt videlicet seruaretur apud vos exercitij & industrię nostræ memoria, quemadmodū in arca virga illa Aaronis quæ floruerat, seruata dicitur ac creditur. Ista optari quidem facilè possunt, apprehendi vero non ita facilè. Sed tu mihi adesto, & virtutem precibus tuis aspira, ac cooperare, & quem aliquando fructum collegimus conserua, ne paulatim vmbræ instar inclinante iam die euanescamus: quemadmodum ego te spiro magis quàm ipsum aërem, & hoc tantum viuo quod tecum viuo, siue præsens, siue absens per animi simulacrum.

Iob. 9.

† ἄυλον ζωὴν καὶ ἀσώματον.

Collatio.

* *Herodot. lib. 7. de Pythio Lydo, & Dario.*

1. *Cor. 3. 6.*

Heb. 9. 4.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

XX.

QVomodo nobis postremo loco sunt, & viles habentur, quæ tua sunt, ô diuinum ac sacrum caput? *Transilijt quodnam verbum dentalia septa?* Aut quomodo ausus es hoc dicere? (vt & ipse modica quodam cōfidentia vtar.) Quomodo animus ad hoc impulit? Aut atramentum scripsit? vel charta excepit? ô literarum studia, & Athenæ, & virtutum studiorúmq; labores. (Nam me scriptis tuis propè Tragœdum facis.) An vel nos, vel teipsum non agnoscis, cum oculis sis orbis, magnifica vox ac tuba, regiusque dicendi splendor? Súntne tua modica Gregorio? Estne quisquam, qui aliquid eorum quæ in terra sunt vspiam ita admiretur, vt te Gregorius? Anni tempestates Vere vno, & astra Sole vno decorantur: cœlum vnum complectitur omnia: ita vox tua omnes vna superat. (Siquidem aliqua mihi est talia iudicandi facultas: nec, quod non puto, vis amoris imponit.) Quod si hoc accusas, quòd te non satis pro dignitate admirer, quin accusas vniuersos mortales? Neque enim alius quisquam dignè satis admiratus est aut admiratur, nisi tu tuaque magniloquentia. (Siquidem fas est vt seipsum quis laudet, & hoc nobis studiorum ratio permisit.) Si verò propterea accusamur, quod te contemnamus, cur non eadem opera insanię prius arguimur? Sed id ægrè fers, quod philosophamur? Concede vt hoc solum * liceat dicere, quod & studijs tuis præstantius est.

Homericum est frequens

Basilij ἐγκώμιον.

* *Vel vt pace dicam tua, hoc quoque studijs tuis solum sublimius.*

Gregorij Theologi ad Basilium Magnum.

XXI.

LAudo procemiū epistolæ tuæ. Sed quid tuum non laudabile? Et tu captus es, quemadmodum & nos circumscripti, postquam ad presbyterij gradū coacti sumus. Quāquam ne ad hoc quidem vel studio incubuissemus. (Sumus enim inuicem alter alteri, fide digni testes, quòd quasi pedestrem & humi repentem philosophiam amplexi simus:) Verum satius forsan fuerat istud non fieri. Aut non intelligo quod dico, donec quid sua moderatione disponat spiritus, intelligam. At cum ita factum sit, ferre necesse est, vt mihi quidem apparet, idque maximè propter præsentem tempestatem, quæ multas nobis hæreticorum inuehit linguas. Nec pudore suffundēda est vel eorum spes, qui nobis fidem habuerunt, vel ipsa vita nostra dedecore afficienda.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

Inter Eusebium Cæsareæ Episc. & Basilium nescio quid simultatis intercesserat. Gregorius itaque ad concordiam hortatur.

XXII.

TEmpus hoc & boni consilij prudentiam exigit, & tolerantiam, vtque nobis nemo conspiciatur animosior, neq; multorum sudorum ac nec laborum opus breui collabatur. Quamobrem ista scribā, quæris? Deo dilectissimus Episcopus noster *Eusebius* (ad hūc enim modum de illo iam & sentiendum) admodum se nobis amicè accommodat, & velut ferrum igni, ita successu temporis emollitur. Et puto literas quoq; illius ad te venturas, quibus te sit & consolaturus & vocaturus, quemadmodū & mihi significauit, multique nobis fidem faciunt, quibus cogitationes illius probè cognitæ sunt. Præueniemus eum siue præsentes siue per literas. Imo primò scribemus, deinde præsentes agemus, ne pudore suffundamur, si tandē victi fuerimus; cū liceat obtinere vt bene & Philosophicè minores habeamur, quod & multi à nobis petunt. Facta est itaque reuera mihi fides, tam huius gratia, quàm propter occasionem temporis: quoniam hæreticorum coniuratio Eccleſiam peruagatur: partim eorum qui iam adsunt & turbas dant: partim eorum, qui, vt fertur, futuri sunt. Est autem periculum ne dissipaturi sint sermonem veritatis nisi velocissimè excitetur spiritus ille Beseleel sapientis artificis sermonum ac dogmatum. Quod si videbitur operæpretium, vt ipse adsim & coram ista peragam, & simul proficiscar, ne hoc quidem detrectabimus.

Ὁμοίωσις.

Exod. 31. & 35. Basilium hic intelligit.

Greg. Theologi ad Eusebium Episcopum Cæsariæ pro Basilio Magno.

XXIII.

QVoniam ad virum loquor, qui & mendacium detestatur, & ad deprehendendum illud in alijs, etiamsi astutissimis ac varijs labyrinthis intricetur, omnium acutissimus est, & præterea neque ipse artificio delector (dicendū enim est etiamsi importunius sit) ita quasi natura comparatus, deinde & per doctrinam formatus, hac de causa quæ in mentem absque vlla præmeditatione veniunt, scribo. Fiduciam hanc meam placidè susciпias, aut certè iniuria me afficies, si libertatem istam ademeris, mœstitiæque dolorem in meipso velut morbidum quid supputridum & carcinoma vix eluctabile, continere coëgeris. Gaudeo quidē quod abs te honore afficior (homo siquidem sum, vt quidam etiam ante me dixit) & ad Concilium Synodósque spiritales vocor: contumeliam vero honestissimo fratri *Basilio* illatā, & qua etiamnum à pietate tua afficitur, non fero. Nam illum & vitæ & doctrinæ supremæque philosophiæ socium ab initio elegi, & nunc quoque habeo: neque meipsum reprehendo in isto meo de illo iudicio (modestius enim arbitror ad hunc modum loqui, ne dum quæ illius sunt celebro, meipsum laudare videar.) Tu vero mihi videris,

ris,dum illum vilipendis, idem facere,atque si quisquam A
Collationes. vnius viri altera quidem manu caput demulceat,altera vero maxillam feriat: aut si fundamentis domus concussis parietes depingat, & quæ exteriora sunt exornet. Itaque si mihi quicquam habes fidei, hoc facias. Peto autem vt mihi obtemperes.æquum est enim. Si illum vt par est,colueris, vicissim & ab ipso coleris. Quod vero nos pusillos & ad pacem paratiores concernit, nos sequemur † velut corpora vmbræ. Neq; enim ita misere habemus,vt in reliquis quidē philosophari,& potiorem partē sectari: iuxta vero id,quod in doctrina nostra caput est,videlicet, dilectionem, cōtemnere velimus,præsertim erga virum & sacerdotem, & tantum,quem cùm vita tum doctrina canicie quoq;, omnium quos cognouimus optimum esse scimus, vt veritatis causa contristeris,nihil hinc minus reddêre celebrior. B

† ἐφέπεται legit Billius.

γνώμην.

Greg. Theologi ad Cęsareenses,velut ex patris sui persona.

Greg. pater duabus his Epistolis miro conatu hoc agit, vt Basilius Ecclesiæ Cæsarienſis Episcopus instituatur.

XXIV.

Gratia Spiritus non per tenuitatem officij minuitur.

SVm quidem pastor modicus & gregi exiguo præfectus, minimusq; inter ministros spiritus: gratia verò non est in arctum coacta, nec locis circunscripta. Quapropter & pusillis data est loquendi fiducia, præsertim cum & de publicis ac tantis rebus sit habendus sermo,& ijs qui tanta canicie præditi consuluntur, quæ fortè quiddam multis alijs prudentius habet. Cōsulitis non de leuibus aut vulgaribus rebus,sed talibus,quæ si vel bene vel male habeant,necesse sit & publicum statū vel isto vel illo modo habere.Est enim nobis sermo de Ecclesia,pro qua mortuus est Christus: deque eo,qui illam sit Deo administraturus &adducturus.Nā corporis quidem lucerna est oculus,quemadmodū audiuimus, non is tantum qui corporaliter videt & videtur:sed & qui spiritualiter considerat & consideratur. Ecclesiæ vero lychnus est *Episcopus*,quod vobis clarum est, etiamsi nos illud non scribamus. Necesse est igitur,vt, quemadmodū rectè agitur corpus si oculus sit purus: & peruerse,si sit impurus: ita cum Ecclesiæ præfecto, vtrolibet modo disposito, D
omnino simul vel periclitetur vel seruetur Ecclesia. Igitur cuiuslibet quidem Ecclesiæ, tanquam corporis Christi, habenda est ratio, maximè vero nostræ, quæ propè mater omnium Ecclesiarum & fuit ab initio,& nunc quoque est, & nominatur: quam Christiana respublica velut centrum suum circulus, vndique obseruat: non solum propter Orthodoxam doctrinam vbique ab initio prædicatam: sed & propter conspicuam illam concordiæ gratiam, quam diuinitus accepit. Quoniam igitur nos quoque ad istam de futuro Episcopo consultationem rectè ac Canonicè vocastis: detinemur vero & senectute & corporis infirmitate, siquidem & nos spiritu corroborati adfuturi sumus (nihil enim incredibile credentibus) id & E
quibusuis melius & nobis iucundius erit, vt & nobis nonnihil conferamus, & ipsi benedictionis consortes reddāmur. Si vero superante infirmitate abesse cogemur, quantum possibile est absentibus conferemus. Crediderim quidem & alios esse, qui vt Ecclesiæ apud vos præficiantur digni sint,vtpote ex vrbe tanta,tam sanctè & à talibus viris iam inde ab initio instituta: nequeo tamen quenquam eorum qui apud vos suspiciuntur, vni pijssimo filio nostro Basilio presbytero præferre (loquor autem tanquam coram Deo teste)viro & vita & doctrina syncero, & qui solus omnium maximè,quod ad vtramq; attinet,præsenti tempestati atq; inualescentibus hæreticorum nugis obsistere po- F
terit. Ista & sacerdotibus scribo & monachis,atq; illis quoque qui ex ordine sunt magistratus ac Senatorio, simulque populo omni. Quod si hoc complacuerit, sententiaq; mea obtinuerit, quæ ita integrè ac rectè habet. vt coram Deo prolata,& adsum spiritaliter atque adero, imò iam quoque manum isti negotio bona Spiritus fiducia præditus admoui. Si vero non hoc sed aliud quid placuerit, iuxtaque contubernia aut sectas & cognationes decretum fuerit, turbulentaque iterum manus ac vis, quod iustum est peruerterit, facite quod vobis ipsis visum fuerit,non quiescemus.

γνώμην.

Greg. Theologi altera ad Episcopos Cæsariæ, patris sui nomine scripta.

XXV.

Ir onia.

QVam iucundi vos,& humani, excellentique dilectione præditi estis? vocastis nos ad Metropolim, super Episcopo creando, vt puto, consulturi. (Istud enim inter vos agi sentio) neque tamen quod comparendum sit, neq; quid tractandum,ne tum quidem indicastis,cum tumultuarie compellatis nobis prorupistis, tanquam qui nec honorare nec præsentes nos habere, sed magis negligere decreueritis, vt ne ad inuitos quidem quicquam huius negotij deueniat. Vestrum itaque institutum tale quidem est, quod & nos feremus contempti: nostrum vero quomodo habeat indicabimus. Alij alios designabunt?iuxta suos quisque mores ac quæstum,id quod in huiusmodi causis plerunq; contingere solet.Nos vero neminem honestissimo filio nostro Basilio sympresbytero præferre possumus.Neque enim fas esset. Quem namque inueniemus, eorum quos nouimus,vel vita probatiorem,vel doctrina potentiorem,& vndique ad virtutis honestatem æquè instructum? Si verò viri huius infirmitas prætexitur, non athletam, sed doctorem designaturi estis. Et præterea quoque possibile est, vt infirmos ipse, si qui fuerint tales, & confortet ac corroboret.Si simul sententiam hanc nostram acceptaueritis, adero & operam meam impendam, siue spiritu siue corpore. Si vero causam hanc ex præhabitis conuentis & pactionibus egeritis, futurumque est vt contra iustum & æquum obtineat seditio,gratum erit quod contemnitur, vestrum interim sit hoc opus: pro nobis item orate.

In Episcopo designando non Athleticæ vires exigunt ur,sed Doctore digna virtus. Sic & Chrysost. Hom. 21. ad pop. Antioch.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

Narrat quomodo cum Philosopho decertarit, qui Basilium eo nomine impietatis arcesseret, quod Spiritus sancti diuinitatem non clare confiteretur.

XXVI.

EGo te & præceptorem vitæ & dogmatum doctorem, & quicquid bonorum quisquam proferre poterit,æstimaui,& ab initio, & nunc quoque æstimo: & si quis alius tua celebrat vel mecum hoc facit,vel in eo me sequutus est. Vsque adeo pietas tua me tibi † deuinxit, atque ita syncere tuus sum. Neque mirum hoc videri debet. Vbi namq; plus est conuictus & familiaritatis, ibi plus est & experientiæ: vbi vero plus est experientiæ,ibi & perfectius testimonium dari potest: & si qua est alia mihi viuendi vtilitas,illam amicitiæ tuæ & conuictus deputo. Sum itaque in istis hunc in modum affectus, & porrò talis ero. Quæ iam vero scribo, inuitus quidem scribo,attamen scribo. Tu vero istud in me haud ægreferes;alioqui & ipse admodum ægrelaturus sum, si fidem tibi non fecero, quod animo ista beneuolo ad te dico & scribo. Sunt qui nos arguant quamplurimi,quod in fide fortes non simus, quotquot scilicet (neque id immeritò) nostra communia nobis faciunt. Et alij impietatem manifestè opprobrant: alij ignauam timiditatem. Impietatem, qui nos nihil rectè dicere credunt: timiditatem vero, qui fugam ac subtractionem obijciunt. Quæ alij accusent, quid attinet dicere? Quod nuper accidit narrabo. Conuiuium erat.In illo aderant non pauci ex illustribus viris nobisque amicis. Inter illos vero aderat & vir quisquam & nomen & habitum religionis indutus. Nondum bibebatur, & sermo iam miscebatur de nobis (vt in symposijs fieri amat) atque fabulæ cuiusdam loco proponebamur. Cum omnes tua admirarentur, nosque tibi coniungerent, vtpote qui eiusdem philosophiæ studio teneamur,deque amicitia nostra & Athenis, deniq; quàm in omnibus vnanimes simus & concordes, dicerent: facinus graue † philosophus ille inferebat. Et quænam illa,inquis? Magno & feruēti clamore prorumpens; Heus aiebat, quàm estis vehementer mendaces & assentatores. In reliquis quidem laudentur isti viri, si videtur, neque ipse contradico:

† τοσοῦτον ἥδομαί σοι τῆς ὑλαθείας.

Calumniæ aduersies Basil. & Gregorium concinnatæ.

† ἡδύ τι πρᾶγμα.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

tradico: quod maximum vero est, illis non concedo. Quod ad Orthodoxiã attinet, vanè laudatur Basilius, vanè & Gregorius. Ille propterea quod fidem per ea quæ disputat prodidit, iste, quod illam simul prodidit, dum illius disputationes tolerat. Vnde hoc, aiebam, ô vane & propter arrogantiam recens quidam Dathan & Abiron? Vnde nobis appares dogmatistes? Quomodo teipsum tantorum virorum iudicem constituis? Ex Synodo apud Eupsychium Martyrem, *inquit, iam primum eius quod dixi testis aduenio (atque id ita verum erat) vbi Basilium Magnum dissentem audiui de Patre quidem & filio optimè ac perfectissimè, atque ita, vt non facilè alius quisquam ad eum modum dicturus sit: Spiritum verò male tractantem. (Et adiecit similitudinem. Perinde, inquit, atque fluuiorum quidam saxa prætercurrentes, fabulosam terram excauant.) Quamobrem aiebam, praclare vir? Tu quidem (ad me respiciens, aiebat,) apertè iam diuinitatem Spiritui adscribis. Et *quanam occasione, inquam, hoc dicis vel de me vel de meis sumpta, vt qui in Synodo magna hominum frequentia referta Spiritui diuinitatem differendo tribuerim, postea vero diuulgatum hoc intra me succinuerim nempe, *Vsquequo sub modio lucernã abscondemus?* Tum ille, sermonem tuum deliniabat, obscurè quidem & quasi per vmbram: veritatem verò non liberè proloquebatur, ciuilius magis quàm religiosius auditorem inuoluens, dicendique facultate versutiam obtegens, quod ego scilicet obscuro loco degens, ac multis incognitus, ita vt non solum quid doceam sed & an doceam plerosque lateat, sine periculo philosopher: alterius vero maior sit ratio, vtpote celebrioris & apud se, & apud Ecclesiam, & quicquid is dicat publicè ad populum dicatur: deinde quod plurima sit ipsius nomine contentio, quærentibus hæreticis nudæ voci ipsius quoque Basilij adhærere: quod is quidem ex Ecclesia sit eiectus, qui solus propè reliqua sit veritatis scintilla, & viuida quædam omnium circunquaque residuorum virtus & facultas: malum vero in vrbe radicetur, vnde & quasi ex carcere quodam Ecclesiæ in vniuersum orbem excurrat. Melius igitur est domi veritatem administrare, dũ nubilo isto tempore parum suspicimur, quàm manifesta illam & publica prædicatione subuertere. Nobis quidem nihil est etiam ab alijs dictionibus periculi, quibus hoc colligitur & adfertur, quod spiritus Deus agnoscatur. (Non enim in sono verborum magis quàm mente & sententia sita est veritas) Ecclesiæ vero plurimum adfertur detrimenti, quod per vnum virum propulsatur veritas. Institutionem meam tanquam vanam, & qua luderentur, non recipiebant, qui aderant: sed reclamabant etiam nobis, vt qui timiditatem magis quam veritatis doctrinam profiteamur. Multo namque satius nobis quod nostrum est per veritatem custodire, quàm & illud inutiliter amittere, & alienum non assequi, si veritatis dispensationẽ simularemus. Verum singula quæ & illi dixerint & ego audiuerim, quámque indignatus sim contrà nitentibus, idque præter mensuram & consuetudinem meam, longum fuerit si nunc recẽsere vellem, & fortè non necessarium. Ad finem vero sermonis, illos quidem ita repuli. Tu vero, ô diuinum ac sacrum caput, doce nos, quousque progrediundum nobis sit in adscribenda Spiritui diuinitate, & quibus vtendum vocibus, & quousque ista doctrina sit administranda, vt habeamus ista contra aduersarios. Ego enim si haberem opus ex te nunc hoc discere, qui & te & quę tua sunt omnium maximè cognoui, deque illis iam sæpenumero † satisfactionem & dedi & accepi, omnium vtique essem indoctissimus simul & miserrimus.

Num 12.

* De hoc Mart. Zozomenus lib. 5. Hist. Eccl. ca. 11. sub Iuliano interẽpto.

Ὁμοίωσις.

* Locus à Billio emendatur, & explicatur, ex Orat. Nazianzeni Os meum aperui, & ex Monodia. Matt. 5.

Basilius scintilla veritatis.

Ῥώμην.

† πληροφορίαν.

Basilij Magni ad Greg. Theologum.

Respondet Basilius superiori Epistolæ.

XXVII.

In Vroben. Gr. exemplari falso adscribitur Greg rio.

LIteras pietatis tuæ accepi, per venerandum fratrem Hellenium, quem & quæ ipse significasti eadem apertè narrantem quomodo cum audirem affectus fuerim, omnino nihil addubitas. Attamen quoniam dilectionem eam, qua erga te sũ, decreui quouis dolore superiorẽ reddere: accepi ista quoq; vt conueniebat: atq; oro sanctum Deum, vt reliquos dies & horas in eo erga te affectu conseruet, quo retrò lapso tẽpore præditus fui, in quo nihil nobis siue parum siue multum ab illo defeciſſe consci sumus. Quod vero ille de quo scripsisti, qui nuper vitam Christianorum tantopere inspicere cõtendebat, deniq; nonnihil autoritatis ex eo sperabat, si me contereret, & quæ non audiuit asserit: & quæ non intellexit disputat: nihil est quod mireris. Quin hoc admiratu dignum & paradoxon fuerit, quod ad ista auditores habet germanissimos mihi eorũ qui apud vos sunt fratres: & non solum auditores, sed &, vt apparet, discipulos quoque. Quanquam & præsertim paradoxon cum sit, quod talis docendi munus vsurpat, & quod tales auditores illum sustinent, quodque ego conuellor ac discerpor. Veruntamẽ ipsa tẽporum istorum catastrophe nos ita instituit, vt nihil eorum quæ accidũt molestè feramus. Iam olim enim ignominiosiora nobis, promerentibus ita peccatis nostris, accidere cõsueuerunt. Ego igitur, siquidẽ nullum dum fratribus istius, sententiæ meæ de Deo experimentum dedi, neq, iam necesse habeo vt aliquid respondeam. Quibus enim prolixitas temporis non satisfecit: quomodo breuis aliqua epistola satisfaciet? Si vero illa ad satisfactionem satis erit, pro nugis habenda sunt quæ calumniatores effingunt: veruntamen quoniam permisimus, vt ora infrenata, cordaq; rudia de quibuscunq; volunt loquãtur, & aures ad suscipiendum quiduis paratas habemus, fit vt non solũ quæ aliorum sunt nos, sed & alij quę nostra sunt suscipiant. Horũ hæc est causa, quam olim deprecabar, ne fieret: nunc verò defatigatus sileo, videlicet, quòd vnà non conuenimus. Si namq; cum secundum antiqua statuta, tum secundum eam, quam iã ecclesijs debemus, curam & solicitudinẽ, sępius per annum conuenissemus, ianuam certè calumniatoribus non aperuissemus. Tu vero, si videtur, vale istis dicto, huc te prouocari sinas, vt in præsenti mecũ certamine labores, mecũque sis aduersus eum qui nos impugnat. Si enim vel visus duntaxat fueris, confestim impetum illius, & qui cum eo ad peruertendas res patriæ cõspirant dissolues ac pessundabis: ostendesq; illis quod ipse cõuentus nostri per gratiam Dei autor sis, obturaturusq; omne os iniquum eorum *qui loquũtur aduersus Deum iniquitatem.* Quod si ita feceris, res ipsa declarabit, quis te ad ea quæ recta sunt subsequatur, & quisnã is sit, qui claudicet, & per metũ doctrinã veritatis prodat. Erit autẽ mihi perfacilis argumenti, an res Ecclesiasticæ proditæ sint, instruere verbis eos qui tantã tui rationẽ habent, vtut in pretio sunt isti homines, qui nondũ seipsos metiri ac moderari didicerunt. Propediem enim ipsa rerum gestarũ demonstratio sycophantias istas euidenter coarguet, atq; in lucẽ producet. Quapropter expectamus etiã futurũ forsan, vt pro veritatis doctrina plus aliquid tribulationis ferendũ sit: sin minus vel hoc omnino vt & ecclesijs & paternis sedibus eijciamur. Si vero nihil eorũ quæ speramus euenerit, non procul abest tribunal Christi. Ita si propter Ecclesias conuenire nos voles, paratus sum quocunq; vocaueris accurrere. Si * vero vt sycophantias dissoluam ac refutem, iam de illis respondere non vacat.

Psalm. 74. 6.

* Sin vt calumnias refutem.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

Purgat se de superioribus litteris missis, quæ illi mouere stomachum non deberent.

XXVIII.

HOc ipsum scilicet erat, quod quidem alius quisquam prudentiorũ suspicatus fuisset: ego vero vehementer stolidus ac demens, cũ ad te scriberẽ, nihil sum veritus. Cõtristarunt te literæ meæ. At, quemadmodũ ego assero, non fectè, neq; iustè: sed admodũ vanè ac frustra. Et mœstitiam dissimulasti quidẽ: occuluisti autem (quanquã istud sapienter feciſti) tristem vultũ pudore, quemadmodũ facies † larua quadã obtegi solent. Ego vero, si quæ scripsi, dolosè & animo maligno scripsi, non plus per mœstitiam tuam nocumenti accipiã, quàm per ipsam veritatẽ. Si vero animo simplici & ex familiari beneuolẽtia hoc feci, peccatis meis hãc tristitiã tuam, non affectui tuo adscribã. Veruntamen satius fuerat ista corrigere, quàm bene consulentibus succensere. Itaq; res tuas ipse curabis, qui & alijs eadẽ consulere potes. Me vero paratum, si Deus dederit, ac præsentẽ vnaq; certãtẽ & pro viribus adiuuantẽ habebis. Quis enim imbecillis erit? quis non fiducialiter aget, sub te & vnà tecum de veritate dicturus ac certaturus?

† ὥσπερ τινὶ προσωπείῳ.

Greg.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

Hæc Epist. cum duab. proxime sequentibus stomachosa & iurgatrix est. Nam Basilius diœcesim suam in Episcopatus multos partitus, Sasimis ignobili loco Gregorium sui amantissimum præfecerat Episcopum. Hinc iurgia ex ambitu.

XXIX.

NOn desines maledictis nos impetere, tanquam imperitos, rudes, ad amicitiam ineptos, & ne vita quidem dignos: propterea quod commemorare ausi simus quæ perpessi sumus. Non enim aliud quicquam est, quo te laudamus (ipse alioqui proferres) neque conscij nobis sumus quòd te malo, siue parum siue multum, affecerimus. Neque nobis ignosceretur. Nisi hoc tantum cognouimus, quod seducti sumus, serò quidem valde, cognouimus tamen, ac sedi Episcopali acceptum ferimus, vt quæ te subito sublimiorem nobis reddiderit. Et iam laboramus ex eo quòd causa tua nobis opprobratur, illamq; apud eos sustinemus, quibus res nostræ priscæ & iam præsentes notæ sunt. Hoc enim eorum quæ patimur summè ridiculum est, aut maximè miserandum, quod ijdem & iniuria afficiuntur & culpantur, id quod iam nobis quoque vsuenit. Culpant quidem alij aliud, & quisq; quodlibet pro sua sententia vel iusta quòd nobis irascitur: qui vero humanissimi sunt, illi objiciunt fastum & contemptum, & quod posteaquam vsui fuimus abijcimur, tanquam ignobilissima quædam vasa, quorum iam nulla est reputatio; aut fulcra illa quibus imponũtur curuæ testudines ædium, quæ posteaquam illæ stabilitæ sunt, tolluntur & contemnuntur. Istos quidem valere sinemus, & dicere, quicquid tandem dicant, *Licentiam † istam ac libidinem linguæ nemo cohibebit.* Et tu mihi mercedem obijce, beatas illas ac vanas spes, quas contra maledicos excogitas, quasi mercedis gratia nos vituperent, leues & ad talia paratos. Ego vero quod sentio aperiam. Nihil autem mihi indignaberis. Dicam enim, quæ & statim citra animi perturbationem breui tum sententia complectebar, non vsque adeò vel ira feruidus, vel eo quod factum est perculsus, vt excideri quid senserim, aut ignorem quid dixerim. Neque armaturam mihi comparabo, neque militarem artem discam, quam antea, cum opportunius esset (propterea quod passim omnes & armabantur & insaniebant,) non didici. (Nosti imbecillium morbos.) Neq; Martium illum Anthimum, quamquam intempestiuum & immaturum bellatorem, nudus, imbellis, & ad vulnera exhibitior excipiam: sed illum ipse, si ita lubet, impugnato: (Etenim plerunque fit vt etiam imbecilles necessitas reddat bellatores) vel quære eos, qui aliquando pugnarunt. Si quando multos * tuos apprehenderit, is qui angusta viarum obsidet, quemadmodum & Amalech Israëlem transitu arcens faciebat. Nobis vero pro omnibus detur quies. Quid enim opus fuerit pugnare, propter lactentes adhuc, & auiculas, idque peregrinas, quasi periculum sit animarum & ipsorum Canonum? Quid necesse est etiam illustribus Sasimis priuare Metropolim? Aut denudare ac reuelare mentis arcanum quod erat † contegendum? Attamen tu viriliter agito & confortator, atque omnia ad opinionem tuam trahito (quemadmodum fluuij ad se recipiunt torrentes) neque amicitiam neque consuetudinem honestati ac pietati præferens: neq; curans qualisnam ex isto instituto tuo videaris, sed vnius spiritus ductui obsequens. Nos vero hoc solum ex amicitia tua lucrifacimus, quòd iam amicis fidem non habemus, neque quicquam Deo præferimus.

Collatio.

† οὐδεὶς ὄφελος γλώσσης αὐτονομίας.

De hoc Anthimo Tyanorum Episc. in Monodia Gregorius. Γνώμων. *Respexit ad Achillis dictum lib. 1. Iliad.* οὐ γὰρ πώποτε, &c. *Exod. 17. Sasima paruum opidum, in quo à Basilio Gregorius Episc. prius fuit constitutus.* † συγκρύπτειν *Prob. cod. non* συγκύπτειν. *Ironia. Metaphora.*

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

XXX.

ARguis nos otij ac socordiæ, quod Sasimorum tuorum Præsulatum non occupauimus, neque vt addecet Episcopum, permouemur: neque quasi si in medium canum sit proiectus cibus quisquam, alius aduersus alium armamur. Mihi verò *maximum † negotium est ipsum otium.* Et vt aliquid commodorum meorum cognoscas, vsque adeò ad otiosam hanc tranquillitatem contendo, quasi omnibus lex quædam de ista magnanimitate lata putetur. Quod si nos nemo non fuisset imitatus, neque Ecclesijs iam vllum esset negotium, neque fides diuulsa propriarum quibusuis contentionum quasi quædam armatura existeret.

† μεγίστη πραάξις ἀπραξία.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

XXXI.

QVàm ferociter & equinorum more pullorum prosilis in tuis literis? At nihil est, quod admiremur te, quippe qui velis recens gustata gloria, ostentare nobis, quam sis gloriam nactus, vt hoc te pacto grauiorem reddas: quemadmodum solent pictores qui anni tempestates depingunt. Mihi vero si res Episcoporum narrandæ sint, & quæ continuerit epistola, ob quam indignaris, vnde cœperimus, quo progressi simus, & in quid desierimus, prolixius videtur quam quod competat epistolæ, & non magis Apologiæ quàm historiæ opus futurum. Vt vero breuiter declarentur ista, venit ad nos generosissimus ille Anthimus, quibusdam Episcopis concomitatus, siue tanquam parentem meum inuisurus. (Nam & hoc præ se ferebat) siue vt satageret quæ satagebat. Multa vero deque multis experiundi gratia venabatur de paræcijs, de Sasimis paludibus, de nostra electione ac manuum impositione, indulgens, postulans, minitans, in ius vocans, improbans, laudans, ambitus quosdam sibijpsi circunducens, quasi oporteret nos ipsum suspicere solum, deinde & nouam Metropolim objciebat esse maiorem. Quid vrbem nostram, aiebam, circunscribendo coarctas: cum nos illam & Ecclesiam, vt reuera est, Ecclesiarum ab initio quoque matrem faciamus? Tandem re infecta abiuit, plurimum minarum spirans, & Basilissimum nobis tanquam * Philippissimum quendam exprobrans. Num hac in re iniurij tibi videmur? Non puto. Considera & reliquam epistolæ partem, numquid habeat in quo nos tibi iniurij fuerimus. Conuocationem Synodicam objcebat ac depingebat nobis. Cum autem ego contradicerem, asserere mque rem istam contumeliosam esse; is secundo petebat, vt ego vos aduocarem de his rebus consulturos. Atque istud pollicitus sum, ne quod primum vrgebat fieret, totum in vestrum arbitrium collocans, an velitis ipsos in vnum cogi, idque vbi, & quando; quod sanè honorantis est, non contemnentis. Quoniam vero neque hic iniuriam intulimus, dicatur reliquum. Si hoc vobis per me discendum est, ipsam vobis Anthimi epistolam legam, quam cum in stagnum coniecta esset, nosque renuissemus interminatique essemus, ad nos scripsit, vituperans ac maledicens, & velut epinicion quoddam tanquam victis occinens. Iam quid rationis habet, quod cum illi renitar propter vos vobis displiceo, quasi illi obsequutus sim? At ista oportebat primùm, ô suspiciende vir discere, & postea non vituperare nos, si nihil aliud, saltem vt presbyteros. Si vero vehementer ostentabundè & contentiosè animatus es, atque gloriosè & cum fastu nobiscum disputare volueris, tanquam Metropolitanus micropolitanis, vel extorribus quoque, est & nobis supercilium quod in tempore opponemus. Est enim hoc cuiuis facillimum, & forsan consentaneum propius rationi.

Simile ex collatione.

Noua metropolis erat Tyana vrbs, cuius Anthimus erat Episcopus Metropolitanus factus. Vide Greg. in Monodia Basilij.

* *Oratores Athenienses Philippismũ mutuo objcere soliti.*

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

Basilio Episcopatum Cæsariensem gratulatur, eiq; causam exponit cur non quamprimum ad eum se conferat.

XXXII.

POstquam te sublimi throno impositum cognoui, & Spiritus obtinuit, vt lucerna candelabro publicè imponeretur, licet iam quoque antea non obscurè ipsa luceret, gauisus sum, fateor. Quid autem facturus non eram, cum Ecclesiæ corpus male habens talem aliquam Episcopi electionem efflagitare viderem? Accurrimus autem non statim, neque accurremus: nec tu ipse hoc expetes. Primùm

Simile Euangelicum.

Primùm quidem vt autoritatem tibi conseruem, & ne tui studiosos per insolentiam, & temeritatem congregare videaris, cuius te calumniatores forsan insimularent. Alterum vt mihi ipsi stabilitatem quandam ac vitam ab inuidentia liberam procurem. Quando igitur, inquies forsan, aduenies? & quousque tergiuersaberis? Donec scilicet, diuinitus iussus fuero, * *prætereantq; vmbræ* eorum qui iam irruunt, inuidiæque zelo accensi indignantur. Neque enim resistent amplius, sat scio, leprosi * illi, qui Dauidem Hierosolymis excludebant.

Metaph.
* *In prouerbium abijt.*
Psal. 143.
* *Heb. est cæci & claudi.*
2. *Reg.* 5. 8.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

Hortatur Basilium vt ærumnas excelso ferat animo.

XXXIII.

Causa erat Cappadocia in duas Metropoles diffecta.

AVdio te perturbari propter nouam illam rerum immutationem, negotiumque tibi fieri per fraudem ac consuetam curiositatem eorum qui rerum potiuntur. Nihil est autem quod admirer. Neque enim ignorabam istam inuidiam; & quod multi eorum qui circa te sunt, quæ sua sunt ipsorum, per te curant, ac pusillanimitatis huius scintillam accendunt. Itaque illud quidem non sum veritus, ne quid alienum à philosophia, vel quod te aut nobis indignũ sit in hisce rebus tristibus, designares. Sed arbitror me nunc potissimum Basilium meum cogniturum, illumque quam philosophiam mecum semper amplexus est, declaraturum iam, insultusque istos velut altos quosdam fluctus superaturum, ac reliquis perturbatis immotè perstiturum esse. Si vero videtur, & ipse adero, & consilij quicquam fortè communicabo. (Quanquam si pelagus aquam, & tu consultorem desideras.) Omnino autem vtilitatem aliquam & philosophiæ nostræ profectum præsens accipiam; vnà tecum contumelijs affectus, patientiæ me tibi socium præbebo.

Paræmia vetus.

Greg. Theologi ad Basilium Magnum.

XXXIV.

NOli mirari, si quid dicere videbor præter tuam vnius opinionem, nec id à quoquam dictum prius. Videris tu quidem mihi apud omnes obtinuisse hactenus viri existimationem, qui eo promouerit, vt suis ipse rebus solerter nouerit prospicere, solidique sit & constantis animi: attamen non pauca admodum & destinas animo & opere perficis simplicius, quàm cautius. *Animus* * siquidé quo purior est malitiæ ac liberior, hoc minus liberũ illi est, suspicionibus vt se accõmodet & acquiescat. Tale quid censeri potest, quod vel nunc se offert. Ad Metropolin vocasti nos. Quũque res ageretur ineundæ de eligendo Episcopo consultationis, ibi tu ad id persuadendum quam speciosо & apposito es vsus exemplo! Ægrotare te finxisti ac prælanguido corpore spiritum ducere, extremaque verba profari; & nostri tum tangebare desiderio. Cur id fieret, non satis perspectum habui, aut quid ei negotio præsentes collaturi essemus. Properabam vero, ob eam rem admodum anxius ac tristis. Quid enim mihi vita tua sublimius est? aut quid discessu è vita tristius atque acerbius? Et lacrymarum fontem profundebam, plorabamq; ac sentiebam tum primùm me haud philosophicè animatum. Ecquid * denique Epitaphijs non impleui? Postquam vero sensi ad vrbem concurrere Episcopos, cohibui impetum aduolandi: Admiratus vero sum, primum an nescires & ipse † decorum, complurium que linguas, quas cauere oportebat, quę omnium velocissimè syncerioribus calumniam struunt. Deinde, an non arbitreris eadem & nobis & tibi competere, quibus & vita & doctrinæ studium, atque omnia communia sunt: ad hunc modum ab ætatis initio diuinitus coniunctis. Tertio (dicere enim & hoc liceat) si putaueris eos qui religiosiores sunt ad huiusmodi electiones esse aptiores, id quod res est, non autem potentiores & multitudini gratiosiores. His itaque de causis † proram nauigij, quod aiunt, conuerti, & profisci recusaui. Tibi vero & ipsi, si videtur, consilium hoc meum probatum sit, videlicet, vt turbas illas, quę iam palam versantur, prauasque suspiciones effugiam. Pietatem vero tuam tunc videbo, quando & res tuas constitueris, opportunumque erit, vt & plura & grauiora obijciam.

Alienus à malitia tardius malitiæ acutium deprehendit. Qui à vitio liber est, ad suspicandum vitium segnior esse consueuit.

Exstant hexasticha Gregorij in Basilium Epitaphia.
† τὸ εὐσχήμον.
† πρύμναν ἐκρώσαμεν.

Prouerbiũ est.

Basilij Magni ad Maximum Philosophum.

VV. Musc. deinceps interprete.

XXXV.

ANimorum imagines reuera per sermones exprimuntur. Cognoscimus itaque te per literas, quantum, vt aiunt, per † vngues leonem: gauisique sumus, quod te circa primaria & maxime bona dilectionem videlicet erga Deum & proximum haud otiosè affectum inuenimus. Indicium autem accipimus istius quidem dilectionis, quòd in nos adeò humanus es & comis: illius vero, quod cognoscendæ veritatis studio teneris. Quod autem in his duobus sita sit vniuersa pietas, cuiuis Christi discipulo notum est. Quæ de rebus Dionysij scisciteris, venerunt quidem ad nos admodum illius multa: libri vero nondum adsunt: atque ideo nihildum misimus. Est autem hæc nostra de illo † sententia. Non omnia viri huius laudamus. Sunt, quæ prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum, quantũ nobis liquet, primus hominibus impietatis istius * Anomianæ, quæ iã passim obstrepit, seminaria præbuit. Causam verò huius non puto animi maliciam esse, sed quòd vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum similem æstimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus auersionem ita immoderatè illam retorquet, vt à medio aberret, & ad contrarium latus ramulum abducat. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus. Hic nempe dum impietati Libyanæ se opponit acriore impetu, minus prudenter sibi prospiciens, in malum huic oppositum præceps abijt, & quidem nimio contendendi studio: satis enim huic fuit, si argumentis doceret Patrem & Filium non idem esse subiecto personali, ac palmarium præsumptæ victoriæ ex hoste blasphemo, nimirum Sabellio, reportaret. Atqui is Dionysius, quod vnum expetebat, perspicuè admodum obtinuit, sed ex superfluo. Nam non solùm diuersitatem τῶν ὑποστάσεων, hoc est *personarum*, sed & τῆς οὐσίας, *essentiæ* differentiam constituit, potentiam filij imminuit, & ipsius gloriam immutat ac maiestatem. Hinc adeò contigit, vt malum permutarit malo atque aberrarit à scopo rectissimæ & syncerioris doctrinæ. Quò factum est, vt varius sit deprehensus & inconstans in conscriptionibus suis, & quidem tollit nunc τὸ ὁμοούσιον, *coëssentiale*, per ea quibus in recta constitutione τῶν ὑποστάσεων personarum scilicet, minus rectè vsus est: nunc contrà, admittit, dum respondet homonymo. Nec his cõtentus, & de Spiritu sancto voces edidit, quæ nulla prorsus sui parte competunt S. Spiritui, diuinam illi atque adorandam adimens maiestatem & eundem ad hæc inferiora deuexum creatæ adnumeret ac seruili naturæ. Vir igitur hic talis est. Ego contrà, si quid ipse sentiam, dicendum est, illud ὅμοιον κατ' οὐσίαν simile secundum essentiam, siquidem huic dicto adiunctum fuerit, ἀπαραλλάκτως prorsus citra vllam ipsius essentiæ variationem, eam ego amplector proboque vocem, vt quæ idem significet, quod τὸ ὁμοούσιον, id est *coëssentiale*, iuxta scilicet sanam acceptionẽ τοῦ ὁμοουσίου, coëssentialis, quod & Nicæni concilij Patres dixerunt, *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, & quæ similia sunt, quibus vnigenitum appellarunt, ac consequenter illud ὁμοούσιον induxerunt. Neque igitur aliqua vnquam variatio inter lumen & lumen, neque inter veritatem & veritatem, nec inter vnigeniti essentiam & eam quæ est Patris, excogitari potest. Si quisquam ita vt dixi acceperit, illius vocem approbo. Si vero quis ab ὁμοίου significatione, * ἀπαραλλάκτου abstulerit, quod Constantinopolitani * fecerunt, suspectam habeo dictionem illam, vtpote quæ gloriam vnigeniti diminuat. Nam & de obscuris sæpenumero similibus, & plurimum ab Archetypis distantibus, ὅμοιον illud intelligere consueuimus. Quoniam igitur dictionem ὁμοούσιον minus habere fraudis puto, ad eum modum & ipse adstipulor. Sed cur non accedis nos, optime virorum, vt præsentes de hisce rebus mutua colloquutione disseramus: & non necesse sit inani-

Γνώμην.
† ἐξ ὀνύχων λέοντα.

† *Basilij iudicium de Dionysio, non illo Areopagita. Vide Baronii Tom.* IV. *Annal.*
* *Anomianam, pestem vocat, quæ Christum ἀνόμοιον patri, id est,* non similem *secundum* οὐσίαν *dicebant contra Homousianos, de quibus infr. Epist.* 53. Ὁμοίωσις *ex Collatione.*

* *Id est, per omnia simile, non differens, non varians essentiam.*
* *Sub Macedonio.*

inanimatis literis fidem habere, qui alioqui nostra non admodum publico adaptare nouimus? Ne vero Diogenis illud ad Alexandrum & ipse nobis obijcias, *quod tantundem spatij sit huc à vobis, atque hinc ad vos.* Nos quidem propter infirmitatem fermè ad * morem plantarum eodem perpetuo loco detinemur; & quoniam in obscuro viximus, in primarijs bonis versamur. Tu vero qui & inualescis, vt fertur, & simul ciuem * orbis te constituisti, iustè feceris, si & huc ad nos, tanquam ad partem aliquam ipsius orbis tui concesseris. Licet enim & populi practicis vobis competant & vrbes, quibus virtutum exercitiū ipsis actibus ostenditis: ad contemplationē tamen & mentis energiam, per quam Deo coniungimur, commodè cooperatur silentij tranquillitas: quam satis multam & abundantem in solitudine velut agricolæ nobis cum ipsius gratia colimus ac metimus. Si vero omnino circa potentatus versandum est, contemnendique nos videmur humi iacentes, tuum erit vt alia scribas, atque hac via iucundior fueris.

Dictū Diog. Cynici apud Laertium.
* *Metaphora.*
* *Hoc est, vbique locorū patriā habere, vt olim solent Philosophi.*
Solitudo contemplantiū.
Allusio.

Basilii Magni *ad eundem Maximum Philosophum.*

XXXVI.

Per honestum ac bonum Theotecnum quæ circa venerationem tuam agantur accepi. Is mihi præsentiæ tuæ desiderium indidit, ita clarè videlicet animi tui characterem sermone depinxit: & vsq; adeo amoris erga te mei vim inflammauit, vt nisi & senio grauatus essem, & consueta infirmitate detentus innumerisque Ecclesiæ curis impeditus, nulla re prorsus cohiberer, quo minus ipse coram te præsens comparerem. Neque enim certè parum vtilitatis habet, eum qui ex ampla familia & illustri genere ad angelicam vitam transiuit, rationis moderamine quasi freno quodam cohibere iuuentam, & carnis affectus in seruitutem redigere rationis: ad hæc & animi Humilitatem vsurpare, quæ adesse debet Christiano, de seipso quæ decent, sentienti. Nimirum intelligenti vnde prognatus sit, & quò denique abibit. Naturæ enim perspecta cognitio reprimit quidem animi tumorem: eadem verò omnem iactantiam & contumaciam prorsus exterminat. in summa discipulum Christi cōstituit, qui dixit: *Discite à me quoniā mitis sum, & humilis corde.* Reuera namque, amicissime fili, solum hoc bonū maximopere expetendum est ac laudabile, quod & perpetuo est duraturum. Hoc verò est, in precio & honore esse " apud Deum. Ista quippe humana, vmbra sunt obscuriora, " & somnijs fallaciora. Etenim iuuenta vernis floribus citius defluit: Et corporis venustas aut morbo aut tempore flaccescit, & diuitiæ sunt incertæ. Honoris splendor facile immutatur. Artium studia & labores, vna cum hoc tempore finiuntur. Quin & ipsa Eloquentia, (cuius studio passim omnes tenentur) gratiam habet sed solo aurium iudicio & illici iucunditate. *Virtutis* autem studium, pretiosa quidem se habenti possessio est: iucundissimum vero spectaculum illis exhibet, quibus cum congreditur familiariter. Horum si cura teneberis, dignum teipsum bonis illis constitues, quæin promissis diuinis recondita habentur. Illud vero, quonam pacto ad acquisitionem bonorum istorum peruenias, & quomodo acquisita conserues, prolixius est, quàm quod præsentis sermonis instituto competat. Venerat autem & huius in mentem, de illis tecum commentari, quæ ex fratre Theotecno audiui, quem semper quidem opto verum dicere, maximè verò quando de te loquitur: vt eo amplius in te glorificetur Dominus, qui ex aliena radice cum prodieris, tam præclaris pietatis fructibus ornatus exuberas.

Φιλοξεν.
A bonis animæ & corporis commendat Maximum.
Γνώμη.
Cognitio sui.
Matth. 11.
Collatio.

Basilii Magni ad Gregorium fratrem, Episcopum Nyssenum.

De differentia † οὐσίας καὶ ὑποστάσεως.

XXXVII.

CVm in mysticis dogmatibus enarrandis plerique sint, qui quòd nullo discerniculo distinguunt nomen cōmunius quidem † οὐσίας, id est, Essentiæ à significatiua ratione τῆς ὑποστάσεων, in illiusmodi abeunt suspectas pijs cogitationes, vt nihilo differre arbitrentur, dicántne οὐσίαν essentiam, an ὑπόστασιν subsistentiam siue personam, factum hinc est, vt non admodum paucis qui vtramque hanc voculam nullo delectu admittunt & inexpense, visum sit: quòd quemadmodum vnam οὐσίαν, itidem & vnam ὑπόστασιν astruere liceat. E diuerso, qui tres admittunt τὰς ὑποστάσεις, ijdem trium τῆς οὐσιῶν distinctionem ex eo consensu confessioneque ὑποστάσεων ad eundem numerum censent oportere profiteri. Quocirca, vt ne quippiam eiusmodi contingat adire absurditatis, hac de re commentariū adornaui tibi verborum compendio comprehensum. vt igitur ipsam rem velut ob oculos ponam atque repræsentem, eorum quæ mihi dicuntur est hæc intelligentia. *Omnium* nominum quædam sanè sunt, quæ de pluribus quidem prædicantur & ijsdem numero inter se disiunctis ac differentibus, & hæc generaliorem obtinent significationem, qualem habet homo. Istius enim prolatione nominis, communis hominū natura declaratur, non item vnus aliquis præciditur, qui per hoc nominis peculiariter internosci queat. Neque enim ob id magis Petrus homo est, quàm Andreas, Ioannes aut Iacobus. quare istius significatæ rei communio, quum ad singulos nominis huius appellatione comprehensos vno eodemque complexu pertineat, distinctionem nullam requirit aut subdiuisionem, qua quidem fiat, vt non in genere hominem quemuis, sed aut Petrum peculiariter, aut Ioannem internoscamus. *Nominum*, item alia peculiarem quandam ac magis propriā indicant significationem, per quam non commune naturæ consortium in re significata perpenditur, sed præcisæ ac circumscriptæ rei cuiuspiam finitio, quæ nullam obtineat communionem erga eos qui eiusdem naturæ sunt, iuxta suam proprietatem, ceu Paulus, vel Timotheus. Nondum enim talis vox transit ad insinuandam auditori naturæ cōmunitatem, sed comprehensiuam quandam ac statam significationem in se complexa, rerum quarundam circumscriptarum quidem expressiuam delineationem, prolatione istiusmodi nominum repræsentat. Si quando igitur duo pluréue vnū in locum concesserint, puta Paulus, Siluanus atque Timotheus, quorum de essentia oborta quæstio fuerit, ratiove: non aliam quis essentiæ rationem consignet in Paulo, quàm quæ in Syluano & Timotheo: sed verbis quibus Pauli finitur essentia, ijsdem aptissimè alij describuntur, quando qui inter se ὁμοούσιοι consubstantiales sunt, eadem prorsus definiuntur essentiæ ratione: contra fit, quum quis communi intellecto, contemplationem mentemque ad proprietatem indiuidui detorserit, qua quidem peculiari notione res vna ab altera disparatur, non iam ratio qua vnaquæque res internoscitur, cum ea ratione quæ de alio aliquo redditur, per omnia consentiet, etiam si aliqua ex parte comperietur communionem habere. Sanè quod dicimus, hoc est: id nimirum astruimus significari verbo τῆς ὑποστάσεως, quod à nobis præcisè aut peculiariter enuntiatur. Quisquis enim dictionem hanc, *Homo*, profert, quid hic aliud facit, quàm quòd per indiuisam indefinitamque istius voculæ significationem auditui nostro inculcat confusaneam & in varie diductam intelligentiam? adeò vt natura quidem omnium hominum communis ipso nomine declaretur, at res subsistens aut particularis rei notificatio, neutiquam propriè exprimitur. Qui verò Paulum protulit, ex dictionis huius significato rem ei naturæ subiectam ostendit. Hoc igitur est ὑποστάσεως, non indefinita illa τῆς οὐσίας animi conceptio, quæ nullam nanciscitur fixæ cogitationis stationem per communicationem significati, sed quod in re aliqua commune & indeterminatum est per proprietatem declarationem agnoscendum offert & describit. Quemadmodum & ab ipsa sacra scriptura fieri solet, vt & plerisque in locis & in historia Iob videre est. Quoniam enim de rebus illius dictura erat, postquam commune memorauerat, ac dicto illo, *Homo erat*, mox illum per proprij declarationem in eo quod adijcit quis fuerit, à reliquis hominibus diuidit. Descriptionem vero οὐσίας, tanquam ad propositum sermonis scopum nihil conferentem silentio pressit. Quis autem

Καινὸν 1.
Καινὸν 2.
Τὴν ἐμφασιν.
Iob 1.
Vsiæ notio indefinita est, vt homo: at hypostasis cuique peculiaris, vt Petrus, Paulus, Confirmat τῷ παραδείγματι, ex scripturis.

† οὐσία, Essentia, *vox communior.* ὑποστάσις *contractior,* natura subsistens, persona.

autem is fuerit proprijs illius notionibus designat, & cum locum morumque indicia dicit, & simul quæcunque externè accesserant adiungit, studio illum à communi hominis significatione separat ac seiungit, vt prorsus dilucida sit eius, cuius gesta memoriæ consecrabantur, descriptio, vtpote ex ipso nomine, ex loco, ex animi illius proprietatibus, ex ijs, quæ externè in illo consideranda proponuntur. † Τῆς οὐσίας. Si vero † essentiæ rationem dedisset scriptura, nulla prorsus eorum quæ dicta sunt, in naturæ expositione facta fuisset mentio. Eadem vtique illius se ratio obtulisset in Iob, quæ & in Baldad Sanchitu, & Sophar Menæu, & in quolibet eorum homiuum, qui in ista historia commemorantur. Si quam igitur dictionem nosti quæ in rebus humanis τὴ οὐσίας & ὑποστάσεως discrimen exprimat, eam si ad diuina quoque dogmata transferas, nihil aberraueris. De essentia patris, quomodo illa habeat, quicquid suggerit tibi mens (nequit enim hac in re mentis acumen ad certam quandam ac statam cogitationem confirmari: propterea quod omnem illius persuasio intelligentiam superat) hoc idem & de Filio cogitabis, & simili modo de Spiritu quoque sancto. Quod enim increatus & incompræhensibilis dicitur Deus, vnus & idem hic sermo est æquè & Patri & Filio & Spiritui sancto competens. Non enim ille magis increatus & incomprehensibilis: iste verò minus est. Quoniam verò necessarium est, vt per proprias quasdam notiones inconfusa habeatur in triade comparatio, id quod cõmuniter consideratur, vt cùm dico, Increatum, aut omnem comprehensionem excellens, aut si quid aliud est eiusmodi, ad proprietatis determinationem non vsurpabimus: sed hoc solum inquiremus, per quæ singularum personarum †τηλαυγῶς καὶ ἀμίκτως. intellectus † liquido & sine commixtione à communi consideratione separetur. Commodum itaque mihi videtur, vt ista ad hunc modum inuestigetur ratio. Quidquid bonorum ex diuina ad nos virtute pertingit, omnia in omnibus operantis gratiæ efficacem operationẽ esse dicimus, quemadmodum Apostolus inquit, 1. Cor. 12. *Quoniam hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, vnicuique peculiaria diuidens sicuti vult.* Quærentes verò, an ita dignis adsit bonorum suppeditatio, vt quæ ex solo Spiritu sancto sumat initium, iterum per scripturam ducimur & instruimur, vt suppeditationis eorum bonorum, quæ Spiritus sanctus in nobis operatur, autorem & causam vnigenitum Deum esse credamus. Per sacram enim scripturam edocti sumus, per ipsum facta esse, & in ipso consistere omnia. Quando igitur ad illam cogitationẽ subuehimur, iterum diuinitus inspiratæ scripturæ velut manuductione introducti perdocemur: quod per illam quidem potentiam, ex eo quod non est ad hoc vt sint producantur omnia: non tamen ne ex illa quidem, absque ἀγεννήτως καὶ ἀνάρχως. initio producantur: sed quod sit potentia quædam ingenita & sine principio absistens, quæ causa sit ei causæ per quam omnia facta sunt. Ex patre namque est filius per quem sunt omnia, cum quo simul Spiritus sanctus semper indiuulsè consideratur ac coniungitur. Non enim fieri potest vt de filio quisquam secum cogitet, quem non antea illustrauerit spiritus. Quoniam igitur spiritus, à quo omnis velut ex fonte ad creaturas promanat bonorum suppeditatio, à filio quidem dependet: quo cum vna sine vlla distantia concipitur mente: causæ verò patris insertam habet essentiam vnde & progreditur, hanc notionem ac cognobile signum eius, quæ secundum ὑποστάσιν est, proprietatis habet, quo cum filio simul & ipse se facit internosci, & quo ex patre subsistit: filius vero, qui ex patre progredientem spiritum per seipsum & cum seipso notum facit, solus vnigenitus ex ingenito lumine reluxit, nullamque † ἀσύμβατα καὶ ἀκοινώνητα ῥήματα. prorsus † notionum communicationem secundum proprietatem suam tam cum patre quam cum Spiritu sancto habet: sed ex dictis iam signis solus agnoscitur: Pater vero, qui super omnia Deus est, peculiarem ὑποστάσεως suæ notionem solus habet, quòd pater est, & quòd ex nulla omnino causa subsistit, atque isto iterum indicio & ipse propriè ac separatim agnoscitur. Huius gratia in communicatione τὴ οὐσίας nullam dicimus habere conuenientiam aut communionem notiones istas in Trinitate consideratas: quarum proprietas exprimitur, si vnaquaque earum personarum, quæ nobis in fide traduntur, proprijs notionibus discriminatim apprehendatur & agnoscatur: ita vt per dicta iam indicia separatio ac differentia τῆς ὑποστάσεων personarum inueniatur. Iuxta illa vero infinitum esse & incomprehensibilem, & increatum, & nullo loco circumscriptũ, & quicquid huiusmodi est, nulla est variatio in natura illa viuifica, in Patre, inquam, & Filio & Spiritu sancto, sed cõtinua quædam in illis & indiuulsa communicatio intelligitur. Et quibuscunque sanè cogitationibus maiestatem quisquam vnius earum quæ in trinitate creduntur, personę contemplabitur: per eadem ad contemplandam sine omni variatione & Patris quoque, & Filij, & Spiritus sancti gloriam accedet: ita vt nullo interstitio inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum posito, cogitatio quasi per inane incedat: propterea quod nulla est intersecans per medium ipsorum transitio: neque res aliqua subsistens (præterquã diuina natura) quæ illam alieni cuiusquam accessione à seipsa diuidere ac secernere possit: neq; interstitij cuiuspiam haud subsistentis inanitas, quæ diuinæ οὐσίας ad sese harmoniam per intersectionem vacui, quod continuum est dissoluentis, fatiscere faciat: sed qui Patrem intellexit, & ipsum in seipso intellexit, & Filium simul ea intelligentia complexus est. Qui vero hunc loquitur, Spiritum à Filio non diuisit: sed iuxta ordinem quidem personarum consequenter, iuxta verò naturã coniunctim, trium personarũ fidem eadem ratione contemperatam in seipso expressit. Et ἀκολούθως καὶ συνημμένως. qui de Spiritu solo loquitur, simul ista confessione & eam quæ illum concernit cuius Spiritus est, coniunxit. Et quoniam *Christi est spiritus*, & teste Paulo, *ex Deo est*, fit, vt quemadmodum in catena qui vnius anuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul & alterum insertũ attrahit: ita & hic *qui Spiritum trahit*, vt Propheta inquit, per ipsum & Filium & Patrem vnà simul attraxerit. Et si quis verè Filium apprehenderit, habebit & ipsum vtrinque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum vnà compactum. Neque enim à Patre abscindi poterit qui semper est in Patre: neque à proprio Spiritu seiungetur vnquam qui in ipso operatur omnia. Consimiliter & qui Patrem assequutus fuerit, & Filium vnà cum illo & Spiritum sanctum eadem virtute assequutus est. Non enim potest aliqua vllo pacto excogitari vel sectio vel diuisio, vt siue Filius absque Patre cogitari, siue Spiritus à Filio seiungi queat, sed ineffabilis quædam in istis & quæ nulla cogitatione apprehendi poterit tam communio quàm discretio deprehenditur, qua neque per differentiam τῆς ὑποστάσεων continuatio naturæ dissipatur: neque per eam quæ secundum οὐσίαν est communionem, proprietas notionum confunditur. Ne mireris verò rem, quod eandem & coniunctam discretionem & discretam coniunctionem esse dicimus, & tanquam in ænigmate nouam quandam & insolitè coniunctam discretionem & discretam coniunctionẽ construimus. Nisi enim cõtentiosè quisquam animoq; calumniandi doctrinã istam audierit, poterit tale quid & in rebus sensilibus offendere. Verbum quidem hoc meum accipite quasi rudem delineationem ac vmbram veritatis, non item vt veritatem ipsam rerum. Nequit enim fieri, vt per omnia quod in exemplaribus consideratur, eis rebus adaptetur, ad quarum descriptionem exemplarium vsus assumitur. Vnde igitur dicimus quod in trinitate discretum est: & quod cognatum: ex ijs veluti similibus repræsentari, quæ iuxta sensum nobis in rebus terrenis iam antea conspicua sunt? Si quando per vnam temperiem, contemplatus in nube es interstincti arcus splendorem: Illum dico arcum quem communis lingua irin vocare consueuit. Hunc, qui hisce in rebus periti sunt, tunc produci & concrescere dicunt, si quando humiditas quædam in aëre suspensa & immixta, & quod in exhalationibus humidum est & crassum mox atque nebulosum iam effectum est ventorum vi in pluuiam resolutum & expressum fuerit. Concrescere vero illum dicunt ad hunc modum. Quando radius Solaris per obliquum incursum quod in obnubilatione addensatum est & obscurum retorquet: deinde recta nubi cuidam circulum suum imprimit, tanquam flexura quædam & recursus lucis, ad se ipsam redditur fulgore illius retrorsum ab humida & lucida iam nube resplendente. Etenim ea est flammeis fulgoribus natura, vt si in læuem aliquam superficiem inciderint, in seipsos

1. Cor. 12.

Collatio sensibilis quidẽ sed elegans.

Ἀξίωμα.

ὡς ὑπόδειγμα καὶ σκιὰν γνώμης.

Sensile quidẽ ὑπόδειγμα, sed elegans.

Ἀξίωμα meteorologicum.

sos refringantur. Circularis autem illius figura per radium solarem ei quod in aëre humidum est ac leue impressa facit, vt necessariò iuxta solaris circuli formam & ipse aër, qui nubi coniunctus est, per relucentem fulgorem circumscribatur. Ipse itaque fulgor & continuus est ad seipsum & diuisus. Multicolor enim cum sit ac multiformis incõspicuè varijs tincturæ floribus sibiipsi attemperatur ac permiscetur; mutuam illorum aliter colorantium inter se commissuram, ex oculis nostris nullo percipiente se subducit: ita sanè vt discerni nequeat intermedius inter cæruleum & rutilum locus qui per se seipsum commiscet, rursumq; separat colorum alterationem: neque rutilus color ad purpureum, nec ille ad electrinum. Omnium enim horum colorum fulgores simul conuisuntur ac splendicant, & mutuæ iuncturæ signa celantes cognitionem effugiunt, vt impossibile sit deprehendere, quousq; steterit quod ignitum in illis apparet, aut smaragdinus viror illius pellucentiæ, & vnde incipiat, cum nondum tale sit quale in splendore illo cernitur. Quemadmodum igitur in proposito exemplo arcus huius & colorum discrimina clarè cognoscimus, & tamen alterius ad alterum dissidium sensu percipi nequit: ita cogita mihi & de diuinis dogmatis ratiocinari posse, vt proprietates quidem τῶν ὑποστάσεων, perinde ac flos quidã eorum colorum qui in Iride visuntur, in singulis personis quæ in sancta Trinitate creduntur, separatim reluceãt: eius verò proprietatis quæ secũdum naturam est, nulla alterius personæ ad alteram differentia excogitari queat: sed in cõmunione τῆς οὐσίας notiones propriæ in vnaquaque communiter resplendeant. Nam & in Iridis * exemplo, quæ multicolorem illum fulgorem illustrat, vna quidẽ est οὐσία, per Solarem radium reuerberata ac refracta: floridus verò color qui visitur, multiformis est: qua in re per creaturam instruimur, ne inani curiositate turbemur in examinandis dogmatis nostri rationibus, si quando inciderimus in ea quorum difficilis est contemplatio, & in eorum quæ dicũtur approbatione consensionéve quasi vertiginem passi æstuauerimus. Perinde enim atque in illis quæ oculis cõspicua sunt, potior visa est experientia quàm rationis redditio: ita & in superexcellentibus fidei nostræ dogmatis potior est fides quarumuis ratiocinationum complexione, quæ & distinctionem in hypostasi docet, & in vsia coniunctionem. Quoniam igitur partim commune quid in sacra Trinitate, partim proprium quid doctrina sacra cõtemplata est, quod ad communionem quidem attinet, † ad essentiam refertur: ὑποστάσεις vero proprium cuiusque signũ est. Sed opinabitur forsan quispiam redditam istam rationem non conuenire cum intellectu ac mente Apostolicæ scripturæ, qua de Domino, inquit, Quoniam splendor est gloriæ ipsius, & figura substantiæ. Si enim ὑποστάσεις exposuimus concordem concursum consensionémve esse proprietatũ, quatenus singulis personis singulæ conueniant: confessum verò est, quod quemadmodum in patre quiddam est, quod seperatim in illo consideratur, per quod solus agnoscitur: ad eundẽ modum & de vnigenito peræquè credatur quomodo hic τὴν ὑποστάσεως nomen soli Patri scripturæ testimonio adscribitur: Filium verò formam esse dicit τῆς ὑποστάσεως nõ in proprijs sed in Patris indicijs ac notionibus designatum? Si enim ὑποστάσις propria cuiusque substantiæ nota est: Patris autem proprium esse liquet, quod ingenitus est: formatus verò Filius est per Patris proprietates: igitur quod Patri peculiare est, videlicet, ingenitum esse, soli Filio remanet. Siquidem per propriam Patris notam vnigeniti quoq; substantia designatur. Verum ad ista nos hoc dicimus, quod hic sermo ad alium scopum Apostolo dirigatur, ad quem intentus istis ille vocibus vsus est, *cũ gloriæ splendorem & ὑποστάσεως characterem Christum esse dixit*: quem quidem si diligenter quis cognouerit, nihil illum ijs quæ à nobis dicta sunt repugnare, sed ad singularem ac separatum quendam intellectum adtemperatum esse Apostoli sermonem deprehendet. Non enim hunc in modũ dixit, *Qui cum sit gloria Patris*, hoc agit Apostolicus sermo, vt doceat quomodo inter ὑποστάσεις per apparentia signa discriminetur, sed quomodo legitimus, indiuuulsus & coadunatus Filij ad Patrem habitus agnoscatur. Non enim hunc in modũ dixit, *Qui cum sit gloria Patris* (quanquam veritas ita habeat) sed re-

licto illo tanquam confesso, vt non aliud quoddam gloriæ genus in Patre & aliud in Filio cogitandum esse doceat, ipsum paternæ gloriæ splendorem vnigeniti gloriam esse definit, ex lucis exemplo Filium Patri indiuulse vnitum intelligendum esse demonstrans. Quemadmodũ enim ex flamma quidẽ splendor, non tamen posterior flamma splendor est: sed simul atque flamma relucet, vnà resplendet & collucet & lux: ita vult & ex Patre Filium intelligi quidem: non tamen ita vt putetur interuallari vllo interstitio à Patris substantia distingui & dirimi, sed vt semper vna cum ipsa causa qua ex Patre est, simul esse credatur. Ad eundem igitur modum vt præinductam sententiam exposuit: ita & ὑποστάσεως characterem, Christum esse dixit, per corporalia nos exempla ad inuisibilium cognitionem quasi manuducens. Non enim omnino in figura corpus est, sed alia quidẽ figuræ, alia vero corporis est ratio: nec putandũ est si quis alterutrius horum modum exposuerit, simul cum illo & alterius modũ finitionemque inferri. Veruntamen etiamsi ratione figuram à corpore discreueris, natura tamen discriminationem non admittit: sed coniunctim alterum cum altero intelligitur. Ita putat conuenire Apostolus, etiamsi inconfusa fidei doctrina seperatam doceat τῆς ὑποστάσεων differentiam: oportet tamen & continuam & velut connaturalem habitudinem vnigeniti ad Patrem per iam dicta demonstrari, non quasi in ὑποστάσει nõ sit & vnigenitus: sed quod nullam vnionis interstitem medietatem inter seipsum & Patrem admittat, ita vt qui in characterem vnigeniti mentis oculos intenderit, ex Patris ὑποστάσει in cogitationem veniat paternæ substantiæ nec permutata nec cõmixta quæ in ipsis consideratur proprietate, quasi vel Patri genitum, vel Filio ingenitum esse quis affingat: sed quod fieri nequeat, vt qui alterum alteri ademerit, quod reliquũ est in ipso solo intelligat. Neque enim possibile est vt de Patre non cogitet qui Filium nominat, cum per illam appellationem naturali habitudine simul referatur & Pater. *Quoniã itaque & Patrem videt qui Filium videt*, quemadmodum in Euangelijs Dominus loquitur, hac ratione vnigenitum Apostolus characterem paternæ ὑποστάσεως esse dixit. Et vt ista sententia planius apprehendatur, & alias Apostoli voces ad istam sententiam applicemus, in quibus Christum imaginem Dei inuisibilis, ac rursus bonitatis ipsius imaginem esse dixit. Non ideo quod ab archetypo differat imago, iuxta quod inuisibilis est Pater ac bonus: sed vt ostenderetur, quod idem sit cum prototypo, etiamsi aliud sit. Non enim consistere poterit imaginis ratio, nisi per omnia ad archetypũ expressa suis omnibus numeris sit nihilq; varietur. Igitur qui imaginis pulchritudinem considerauerit, & de archetypo quoque cogitabit: & qui Filij quasi formã mente conceperit, Paternæ quoque ὑποστάσεως characterẽ animo impressit suo, per istum & illum videns. Non quod, ingenitum esse, quod Patris est, in illius imagine videat. (Nam alioqui prorsus idem esset & non aliud) sed quod ingenitam pulchritudinem Patris in illius genito intuearur. Perinde atque in speculo quodam puro qui impressam illi formam considerat, euidentem habet imaginati vultus cognitionẽ: ita & qui Filiũ agnouit, paternæ simul ὑποστάσεως characterẽ per Filij cognitionem in corde suo iam susceperit. Quæcunq; enim Patris sunt, in Filio peruidentur: *& omnia Filij, Patris quoque sunt*. Quoniã & totus Filius in Patre manet, & totũ vicissim in seipso & Patrem habet: ita vt ὑπόστασις Filij instar formæ ac faciei sit paternæ cognitionis: & cõtra Patris ὑπόστασις in forma Filij cognoscatur, manente quæ in ipsis consideratur vtriusque proprietate, ad hoc vt euidens sit τῶν ὑποστάσεων, hoc est personarum discreta acceptio.

* ὑποδείγματι. *Arcus caleste, iris.*

† εἰς τὴν οὐσίαν.

ὑπάρξεως.

Ex collatione.

Hebr. 1.

Ibidem.

Ομοίωσις.

Ἀξίωμα mathematicum.

Νόημα. Hebr. 1. Coloss. 2.

Collatio.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Basilii Magni *ad eundem Greg. fratrem.*

XXXVII.

ἀλώπηξ, vulpes vel senex, non capitur bis laqueo.

QVomodo tecum literis decertarem? Quomodo dignè tuam hanc circa quæuis bonitatẽ perstringerẽ? Quis in eosdẽ casses, dic, quæso, tertio decidet? Quis tertio eodẽ laqueo tenebitur? Neque bestijs sanè hoc facilè acciderit. Vnam mihi epistolam contexuisti, ac tanquam à cum primis venerando & communi nostro patruo scriptam attulisti, fallens me: cuius gratia, ignoro. Accepi illam tanquam ab Episcopo communique patre per te allatam.

Quid enim non credidissem? Ostendi illam quamplurimis amicorum præ gaudio, egique Deo gratias. Deprehensum est figmentum, ipso Episcopo epistolam à se scriptam propria voce pernegante. Erubui super hac epistola: optauimus terram nobis dehiscere, quòd fallaciæ, mendacij, ac seductionis probro expositi essemus. Alteram denuò mihi tanquam ab ipso Episcopo missam, per domesticum tuum Asterium reddidisti. Neque illam verè miserat Episcopus, vt & venerabilis admodum frater Anthimus nobis indicauit. Rursus tertiã Adamantius ad nos veniens attulit. Quomodo oportebat me illam per te ac tuos missam accipere? Optabam enim mihi cor esse lapideum, ne vel præteritorum recordarer, vel præsentia sentirem: vt possemus more pecudum ad terram decussi omnem hanc perferre plagam. Sed quid paterer contra meam ipsius sententiam quæ certè post vnam & alteram experientiam nihil potest non examinatum admittere? Ista scripsi vt simplicitatem hanc tuam reprehenderem, quam nec alioqui Christianis congruam præsenti tempori video non competere: vt posthac & teipsum custodias, & mihi parcas: quandoquidem harum rerum (est enim mihi ad te fiducialiter loquendum) non admodum fide dignus administer es. Attamen quicunq; fuerint qui scripserunt, respondimus ipsis vt conueniebat. Siue igitur ipse experimẽtum mei per insidias capere volueris, siue reuera ab Episcopis acceptam epistolam miseris, habes responsa. Te vero decebat alia in præsenti tempore curare, cum & frater sis, & naturæ nondum oblitus, nosque haud videas quæ inimici sint agere: posteaquam vitam apprehendimus, quæ corpus nostrum affligat pariter & animum, supra quam vires nostræ ferre valeant. Verumtamen quoniam ita depugnaui, oportet te te iam huius gratia adesse, inque disponendis negotijs communem operam adferre. Fratres enim, inquit, in necessitatibus vsui sint. Si autem verè congressum nostrum admissuri sunt maximè venerandi Episcopi, & locum nobis determinatum & tempus decernant, perque nostros homines accersant. Quemadmodum enim ipse vsque ad patruum meum occurrere non dedignabor: ita si non cum decenti forma vocatus fuero, † non feram.

Eccli. 40.

† οὐκ ἀντιξομαι. *Consule vitam S. Basilij.*

Basilii Magni *ad Gregorium patruum.*

XXXIX.

ET prius cupidè vidi fratrem meum (Quid enim nõ facerem, cum & frater meus sit, & talis?) & nunc quoque eodem illum affectu complexus sum peregrè quum aduenisset, nihil quod ad amorẽ attinet immutatus. Absit enim vt tale quid in mentem veniat, quod me & naturæ obliuisci & domesticis inimicum faciat: imò magis præsentiam viri, & corporalium ægrotationum, & aliarum animi mœstitiarum solamẽ esse putaui. Simul & dignitatis tuæ literis quas secum attulit, supra modum delectatus sum, quas etiã iam ex multo tempore cupidè expectaui: nulla alia ratione quãne & nos ipsi vitam nostram tristi hac fama oneraremus: quasi etiam familiarissimi inter se mutuo dissideant: vnde inimicis quidem gaudium, amicis vero calamitas adferatur, irriteturque Deus: qui in perfecta dilectione discipulorum suorum characterem esse voluit. Quocirca & necessariò reluctor obsecrans vt pro nobis ores, & quæ reliqua nos concernunt tanquam familiarium cures. Rationem vero eorum quæ facta sunt, quoniam propter ruditatẽ intelligere nequimus, eum decreuimus veracẽ instructorem æstimare quem ipse nobis designare dignatus fueris. Necessarium vero fuerit, vt & reliqua per prudentiã tuam determinentur, vtpote, congressus noster, tempus accommodum, ac locus idoneus. Itaq; si omnino hoc molestiæ subibit dignitas tua, vt ad humilitatem nostram descendat, nostrique aliquam rationem habeat, siue cum alijs, siue seorsum per teipsum cõuenire nos volueris, obtemperabimus. Quandoquidem hoc consilij semel apud nos statuimus, vt seruiamus tibi in charitate, faciamusq; quouis modo quæ nobis ad gloriam Dei facientia pietas tua præscripserit. Venerandissimum fratrem nihil coëgimus, vt ore tenus nobis indicaret: quandoquidem neque prius satis ex ipsis operibus certum ac contestatum sermonem habuit.

Ioan. 13.

Νόμια memorabile.

Νοθν.

Basilii Magni *ad eundem.* XL.

SIlui. Num & semper silebo, & feram, vt intoletabilissimum istud silentij damnum contra me ipsum amplius dominetur & obtineat, dum nec ipse scribo, nec alloquentem audio? Ego quidẽ hactenus in tristi isto dogmate me ipsum continui, arbitrorque & mihi cum propheta nõ immerito dicendum, *Quoniam filui, sicut parturiens loquar.* Semper quidem vel congressum vel causę tractationem desideraui: semper vero ita promerentibus peccatis meis voto frustratus sum. Non enim possum aliam factorum excogitare rationem, quàm quòd persuasus sum veterum delictorum me, in ista dilectionis tuæ separatione, luere pœnas: si tamen iure vacari in te debeat separatio, à quocunque tandem te segreges, nedum à nobis, quibus ab initio patris loco fuisti. Sed peccatum meum, quasi densa quædam nubes, occupato mihi omnium illorum ignorantiam indidit. Quando enim considero, nullum alium ex ista mihi separatione allatum esse fructum, præter dolorem quem attulit, quomodo præsentia non merito peccatis meis adscribã? Verum siue peccata causæ sunt eorum quæ acciderunt, hic mihi molestiarũ istarum finis esto: siue dispensatione quid factum est, adimpletum esto prorsus quod quærebatur. Nõ enim modici temporis damnum perpessi sumus. Quocirca amplius non ferens, primus in vocem prorupi, obsecrans vt & nostri rationem habeas, & tui ipsius, qui maiorem, per omnẽ vitam, nostri curam ostendisti quàm ipsa cognatio exigebat, & ciuitatem iam nostri gratia diligas: nõ propter nos te à ciuitate abalienes. Si qua igitur consolatio est in Christo, si qua communio spiritus: si qua viscera ac miserationes, comple votum meum: dissolue hic quæ molesta sunt. Initium quoddam exhibe syncerioribus, vt te sequantur, qui & alijs ad optima præceptor es, & ad illicita neminem sequeris. Neque enim cuiusquam corporis proprius ita character quisquam reputatus est, vt animi tui pacis illud & placiditatis studium. Competit itaque tali viro, vt reliquos ad te pertrahas, ac quosuis appropinquantibus tibi pretiosi cuiusdam vnguenti fragrãtia, morum tuorum comitate adimpleas. Nam etiamsi iam contrarium aliquid in medio est, breui tamen post, & ipsum pacis bonum agnoscetur. Donec autem quæ ex dissidio sunt calumniæ locum habent, necessariò suspiciones in peius augmentantur. Est itaque neque illis quidem decorum quod nos negligunt: multo vero amplius dignitati tuæ. Etsi namque nonnihil delinquimus, meliores tamen erimus, si fuerimus admoniti. Hoc vero sine mutuo congressu & alloquio fieri non potest. Si vero nihil iniuriæ vobis inferimus, quamobrem odio habemur? Ista igitur meam ipsius quidem tanquam bicornem rationem prætendo: quæ vero ab Ecclesijs ipsis dici possent, quæ nihil vtilitatis ex nostro dissidio tulerunt silere præstat. Non enim ad hoc te alloquor vt mœrore afficiam, sed vt res tristes consopiam. At prudentiã tuam prorsus nihil fugit: sed multo maiora ac perfectiora quàm nos cogitamus, ipse intellectus acumine assequeris, alijsq; declaras: qui & ante nos quæ Ecclesijs accidunt vidisti: & doles etiam plus quàm nos, iam olim antea edoctus à Domino etiam eorum qui minimi sunt contemnere neminem. Iam vero pestis ista non vnum & alterum occupat, sed integræ vrbes ac populi calamitatum nostrarum participes sunt. De fama namq; rerum nostrarum apud exteros quid attinet dicere, quæ de nobis illi dicturi sint? Decet itaq; istã animi tui dexteritatẽ, contentionẽ quidem alij permittere (imò & illorum animis eam quoad fieri poterit eximere) ipsam vero quæ tristia sunt per patientiã vincere. Nam vlcisci velle, omnino est animi iracundi. Irã vero vincere, hoc demum tuum est solius, & si quis alius tibi virtute similis fuerit. Hoc autem non dicam, quòd qui nobis molestus est, iram suam in immeritos effundit. Siue igitur apud nos coram, siue per literas, siue vt ad te vocemur, aut quouis alio modo placuerit, animũ nostrũ aliqua cõsolatione dignare. Optaremus quidẽ, vt coram ecclesia pietas tua cõpareret, & nos pariter & populũ cum ipso conspectu tũ gratiæ tuæ sermonibus curaret. Quod si istuc fieri poterit, erit optimũ, si vero aliud quid videbitur, & illud amplectemur, dũtaxat solidè nobis significetur, quod prudentiæ tuæ ad consolandum nos visum fuerit opportunum.

Esai. 42. 14.

Μεταφορὰ.

Phil. 2.

Ex cõtrariis.

Matth. 18.

Ρνώμη.

Basilii

BASILII MAGNI *Athanasio Magno.*

XLI.

† δυσωνύμε ἀνδρός.

INcidi in sanctitatis tuæ literas, in quibus aduersus Libyæ præfectum virum † infamem ingemuisti. Deploramus quidem patriam nostram quod talium malorum & mater est ac nutrix: deploramus vero & Libyam nostræ vicinam, quòd malorum nostrorum particeps facta, feriniſque viri huius moribus tradita est, qui à pueris crudelitati pariter & lasciuiæ assueuit. Hoc scilicet erat quod sapienter dixit Eccleſiastes, *Væ tibi ciuitas, cuius rex iunior est,* & cuius principes non comedunt noctu, sed in ipso meridie lasciuiũt, post alienos thoros plusquam irrationales bestiæ insanientes. Itaque illum quidem flagella manent apud iustum iudicẽ, ad eandem mensuram commensurata, iuxta quam ipsa iam antea sanctos ipsius affligere præsumpsit. Innotuit autem & Eccleſiæ nostræ ex literis pietatis tuæ, atque auersandum & execrabilẽ illum arbitrabuntur omnes, ita vt nec ignis nec aquæ nec tecti communionem cum illo sint habituri. Siquidem prodest vt violenti isti tyranni communi & vnanimi iudicio condemnentur. Sufficiet autem ipsi damnationis titulus, & ipsæ sententiæ quibus vndique condemnabitur. Neque enim omittemus, quo minus cõdemnationem istam omnibus ipsius & familiaribus & amicis atque aduenis ostendamus. Quod si vero non statim illum istæ reprehensiones, quemadmodum & Pharaonem permouebunt, attamen postremum aliquando & grauem illi ac tristem retributionem adferet.

Eccl. 10.

Matth. 7.

B

Exod. 14.

C

BASILII MAGNI *ad eundem Athanasium.*

XLII.

τιμιότης.

NEminem ita puto de præsenti Eccleſiarum statu dolere, atque tuam dignitatem, quæ dum præsentia cum priscis confert quantum ista ab illis degenerauerint, expẽdit, & intelligit, si ad istum modum res Eccleſiasticæ ad peiora sint facto impetu delapsurę, nihil fore quod prohibeat quo minus breui tempore in aliam quandam formã prorsus immutentur Eccleſiæ. Ista sæpenumero mihi redditus expendi, cogitauique, quod si nobis miserabilis ita apparet Eccleſiarum corruptio, quomodo credibile est affici istis in rebus eum qui veteris Eccleſiarum Dei circa fidem * cõstantiæ & concordiæ experimentum capit. Verum quemadmodum multa integritatem tuam mœstitia occupat: ita arbitramur & prudentię tuæ competere vt excellentem de conseruandis Eccleſijs sollicitudinem adiunctam habeat. Olim noui & ipse, secundum admensuratam mihi rerũ gerendarum cognitionem, vnam sciebam acquirendi auxilij viam, quæ res Eccleſijs nostris cum occidentalibus Episcopis conspirat & conuenit. Si namque voluerint illi eundem zelum, quo contra vnum & alterum qui in occidente diffamabantur, vsi sunt, & pro nostrarum partium incolatu solliciti demonstrare: forte fiet aliquid quod proderit cõmuniter omnibus. vnde & qui rerum potiuntur multitudinis autoritate permoueantur, & populi quaquauersum illos sine contradictione sequantur. Quis autem ad ista perficienda prudentiam tuam excellet? Quis acutius quid faciendũ sit expendet? Quis ad vtilium energiam efficacior? Quis ad considerandam fratrum necessitatem condolentis affectu magis prędítus? Quis vniuerso Occidenti honorabili canicie tua venerabilior? Relinque mnemosynon aliquod istã conuersationis tuæ vita dignum colendissime pater, innumeros illos quos pro pietate tulisti labores vno isto opere confirma. Viros aliquos Eccleſiæ tuæ potentes in doctrina sana. Ad occidentales Episcopos mitte, qui quibus calamitatibus occupemur ac premamur illis exponant. Instrue illos forma narrandi qua vtantur. Esto Samuel Eccleſijs. Particeps esto afflictionum laborantium populorũ. Offer pacificas preces. Pete gratiã à Domino. Mnemosynon aliquod pacis infer ac relinque Eccleſijs. Scio quàm langueãt epistolæ ad conferendã operam tãto negotio. Verum neq; ipse aliorum solatio & adiumento opus habes, non magis quàm athletarum dexterrimi acclamatione puerorũ: neq; nos ignorantem docemus, sed sedulo ac satagenti impetũ conandi intendimus. Ad reliquas quidem oriẽtis res opus forsan habebis & plurium cooperatione, & necessarium

ἐυσεβείας ὁμόνοιας.

D

1. Reg. 5.

E

F

Collatio.

A fuerit expectare eos qui ex occidente venturi sunt. Antiochenæ sane Eccleſiæ status manifestè à pietate tua pendet, vt alios quidem ædifices, alios vero conpescas ac quietos reddas, atque Eccleſiæ vires per vnanimem consensum restituas. Quod enim iuxta eos qui medicorum sapientissimi sunt, curandi initium ab illis sumere debeas qui periculosissimè laborãt, nemo est qui te melius intelligat. Quid autẽ poterit totius orbis Eccleſijs, ea quæ apud Antiochiã est, letalius esse? Quam si contigerit ad concordiã redire, nihil prohibebit quo minus vniuerso corpori, tanquam corroboratum caput, sanitatem suppeditet. Reuera autem sapiẽtia tua & Euangelica sympathia vrbis illius ægritudines opus habent: quæ non ab hæreticis solum scissa est: sed & ab illis, qui idem sentire dicuntur, discerpitur. Ista vero componere & in vnius corporis harmoniã reducere, illius est, qui & siccis ossibus, vt ad neruos & carnem iterum restituerẽtur ineffabili sua virtute largitus est. Magna vero omnino Dominus per sanctos suos operatur. Et hic igitur rursus excellentiam tuam talium administrationẽ decere speramus, vt populi turbatio quidem prosternatur ac tollatur: factiosæ vero ac sectariæ prælaturæ cessent: atque omnes inuicem alter alteri in mutua dilectione subijciantur, vẽtusque robur Eccleſiæ restituatur.

A simili ducta collatio.

BASILII MAGNI *ad eundem.* XLIII.

QVanto Eccleſiarum languores auctiores euaserunt, tanto vniuersi ad tuam conuertimur integritatẽ, vnã nobis malorum consolationem in tua tutela relictam esse credentes, qui & precum virtute, & scientia rerum gerendarum, qua quid optimũ factu sit admonere potes, ex horribili ista tempestate conseruare nos ab omnibus, qui aliquantulum integritatem tuam vel auditu vel experientia cognouerunt, crederis. Quocirca ne cesses orare pro animabus nostris, excitareque literis, quarũ si agnoscis quantus sit vsus, nullam vnquam, si qua dabitur, scribẽdi ad nos occasionẽ negligas. Si vero digni habemur adiutorio precum tuarum, vt & videamus te, & bonis quæ in te sunt perfruamur, & ad historiam vitæ nostræ, congressum cum magna verè & Apostolica mente tua adiecerimus, omnino & ex æquo respondentẽ totius vitæ nostræ afflictionibus cõsolationẽ nos Dei solita benignitate accepisse reputabimus.

BASILII MAGNI *ad eundem.* XLIV.

MIhi quidem superioribus ad dignitatem tuam literis sufficere videbatur, si tantum ostenderem, quod populi sanctæ Antiochenæ Eccleſiæ circa fidem robur ad vnã oporteat concordiam & vnitatem conciliari, vt declaretur quod pientissimo Episcopo Meletio opus sit, quæ iam in plures partes dissecta sunt coadunare. Quoniam vero ipse hic dilectus syndiaconus noster Dorotheus dilucidiorem de rebus istis sibi memoriam quæsiuit, necessariò subscribimus: quoniam & vniuerso orienti per preces id agitur, & nobis qui quouis modo illi coniuncti sumus, vt desiderabilem hunc virum Eccleſia videat, adhærentẽ Domino, & fide irreprehensibilem & vita, cui & reliqui nulla ratione comparari queant: & vt vniuerso, vt ita dicã, Eccleſiæ corpori ipse præsit. Reliqua vero sunt tanquã desectæ partiunculæ, igitur vndique & necessarium pariter est & frugiferũ isti viro, vt reliqui, perinde atque magnis fluuijs minores, cõcilientur. De alijs vero instituenda est œconomia quædã, quæ & illis conueniat, & populum pacatum reddat. prudentiæque tuæ ac illustri solertiæ & diligentiæ competat. Prorsus autem immensa prudentia tua nouit, quòd cõcordibus in occidente eadem placuerint, sicut indicant literæ, quæ nobis per beatum Siluanum allatæ sunt.

Collatio à simili.

BASILII MAGNI *ad eundem.* XLV.

QVando ad res ipsas quidem respicimus, & difficultates expendimus, à quibus omnis boni efficax operatio quasi quodã retinaculo impedita distinetur, eo relabimur, vt prorsus de nobis ipsis desperemus. Quãdo vero ad honestam illam grauitatẽ tuam cõuertimur, ac cogitamus quod te Eccleſiasticarum infirmitatũ Dominus noster medicum constituerit, animos resumimus & ex desperationis lapsu ad spem rerum meliorum erigimur. Dissoluta est omnis Eccleſia, quemadmodum neque prudentia tua ignorat. Vi-

Ἐνέργεια.

Μεταφορὰ.

παράδειγμα ἀπὸ ὁμοίου πρὸς ὅμοιον. *Exemplum à simili petita.*

des enim omnino quasi ex quadam contemplationis tuæ A
specula, quæ vbique gerantur: quomodo, perinde atq; cum
in mari, multis simul nauigantibus violentia procellarum
pariter omnes nauiculæ inter se colliduntur, fitque naufra-
gium: partim quòd externa aliqua causa mare violenter
perturbet: partim quòd ipsi nauigantes confuse inter se in-
uicem occurrant, & in seipsos impellantur. Satis fuerit in
ista imagine depictum Ecclesiæ malum, vt in illa liceat ter-
minare sermonem, cum & sapientia tua non requirat plu-
ra, neque præsens status eam indulgeat nobis loquendi li-
Matth. 8. bertatem. Et ad ista quis sufficiens gubernator? Quis tantæ
fidei, vt credatur excitaturus Dominum, qui & ventum in-
crepet & mare? Quis alius quàm qui à puero in pietatis a-
gonibus decertauit? Quoniam igitur iam quicunque inter
nos sani sunt circa fidem, ad eorum qui eiusdem doctrinæ B
sunt concordiam & vnitatem iam dextrè accedunt, bona fi-
ducia ad consolationem tuæ clementiæ venimus, vt omni-
bus nobis vnica scribas epistola, quæ quid agendum sit ad-
moneat. Nam ita volunt, vt abs te initium ipsis fiat quid cõ-
muniter dicendum tenendumque sit. Quoniam vero tibi
propter memoriã præteritorum suspecti forsan & inimici
videntur, hoc facito pientissime pater: epistolas ad Episco-
pos scriptas, mihi transmitte, siue per aliquem eorum quos
illic habes fideles, siue etiam per fratrem nostrum & Syn-
diaconum Dorotheum, quas acceptas non prius ad eos da-
bo, nisi responsa ab ipsis accepero. Quod si ita non feceo-
ro, peccator ero in te omnibus diebus vitæ meæ. Omnino C
autem non est maiori timori obnoxium istud, ei qui ab ini-
tio ad patrem loquutus est, quam mihi nunc est, quod ad te
spiritualem patrem loquor. Si vero hoc apud te planè de-
speratum est, nobis permittit vt hanc causam sustineamus,
qui sine dolo ac simplici animo, desiderio pacis, & mutuæ
vnionis inter nos idem in ijs quæ Domini sunt sentientes,
præditi, ad istam legationem & meditationem accedemus.

Basilii Magni *ad eundem.* XLVI.

QVam de dignitate tua iam olim concepimus opinionẽ,
istam semper ipse tẽporis progressus corroborat, imò
& adauget accessionibus eorum quæ per partes contige-
runt. Quoniam aliorum quàm plurimis satis habetur, si si- D
bi ipsi quisque circumspiciat: at tibi istud haud satisfacit:
sed tantam geris omnium Ecclesiarum curam, quantã eius
quæ tibi peculiariter à Domino nostro concredita est: ita
vt nullo nõ tempore de sacris edisseras, admoneas, scribas,
frequenterq; mittas aliquos qui vndelibet quid optimum
sit, admoneant. Etiam quoq; è sacro cleri tui cœtu missum
venerandissimum fratrem Petrum multo cum gaudio ex-
cepimus, bonumq; peregrinationis ipsius laborem proba-
uimus, quem iuxta dignitatis tuæ mandata exequutum esse
se ostendit, conciliatis quæ erant contraria, ac coniunctis
quæ erant diuulsa. Vnde & nos ad rerum istarum studium
nonnihil conferre quum voluissemus, accommodissimum
rebus istis initium fore arbitrari sumus, si veluti ad omniũ E
nostrum verticem ad tuam integritatem refugiamus, teq;
& consultore & rerum gerendarum duce ac principe vta-
mur. Hac de causa & fratrem nostrũ Dorotheum eius Ec-
clesiæ quæ sub colendissimo Episcopo Meletio est, diaco-
num, bono circa rectam fidem zelo vsum, cupientemq; &
ipsum Ecclesiarũ videre pacem, ad pietatem tuam remisi, vt
consilijs tuis obsequentem (quæ in illo & tempore & rerũ
experientia & quod spiritu cõsilij reliquos excellis, certio-
ra reddere potest) ita rebus agendis ac prosequẽdis admo-
ueas, quem & absque dubio suscipies, oculisque pacificis a-
spicies, cõfortans ipsum precum tuarũ auxilio, instituensq;
in literis, imò & quibusdam illic tuorũ studiosis adiunctũ, F
ad propositum duces. Visum est autem mihi consentaneũ,
vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hic geruntur conside-
ret, detque consilium, & quoniã difficile est vt cõmuni ac
Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua autoritate
in ista causa vsus, viros eligat, ad ferendas quidem itineris
molestias idoneos: verum iuxta ad hoc quoque accommo-
dos, vt mãsuetudine & facilitate ingenij eos qui distorti &
obliqui apud nos sunt corrigant, aptè ac dispensatorie ser-
monem attemperantes omniaq; secum habentes, quæ in
Arimino ad necessariã solutionẽ gestorum illic facta sunt.
Et hoc, nemine sciente, absque strepitu tacite, per mare ad
eos qui hic sunt, vadant, ne qui pacis sunt inimici aduentũ
ipsorum præsentiscant. Quæritur autem & hoc à nonnul-
lis illic, vt & nobis ipsis videtur, necessario, vt Marcelli hæ- δυσώνυ-
resim illi cum venerint, tanquam malam ac nociuam, & à μον.
sana fide alienam exterminent. Quoniam ad hunc vsque
diem in omnibus quas scribunt literis, pessimè audientem
quidem Arium sursum ac deorsum versantes anathemati-
zare atque ex Ecclesijs eliminare non cessant, Marcellum
vero qui ex diametro respondentem Ario impietatem at-
tulit, atque contra eandem vnigeniti diuinitatisq; essentiã
impiè egit, verbisque appellationem male vsurpauit, ne se-
mel quidem accusare videntur, qui verbum quidem vnige-
nitum vocari tradit, ratione ministerij ac dispensationis, &
quatenus in tempore natus prodijt: cæterum ad eum vnde
egressus erat reuersum, nec ante egressum fuisse, nec post
regressum subsistere. Et huius experimentum ac demon-
strationẽ reconditi apud me iniquæ illius syngraphæ libri
continent. Attamen istum nequaquam reprobare visi sunt,
& per hæc culpandi veniunt, vt qui ab initio illũ per igno-
rantiam veritatis, in Ecclesiasticam etiam communionem
receperint. Igitur & illius decenter fieri mentionem præ-
sentia negotia exposcunt. Itaque ne occasionem habeant
qui occasionem quærunt ex eo quod sanctitati tuæ cõiun-
guntur qui fide sani sunt, manifestandi sunt omnibus qui
ad veram fidem claudicant, & vt posthac agnoscamus con-
sentientes, & non perinde atque in nocturna pugna inter
amicos & inimicos sine discrimine versemur. Tantum ad-
hortare, vt mox cum prima quaque nauigatione prædictus
diaconus mittatur, vt sequenti anno fieri queant, quorum
& ipse videlicet curam habes. Et cum, qui mittendi sunt,
volente Deo, aduenerint, non inferant Ecclesijs schismata:
sed magis idem sentientes quouis modo ad vnitatem per-
trahant: etiamsi quosdam inuenerint, qui peculiaria quædã
diffidij inter se argumenta præferant: ne populum ortho-
doxum à præpositis suis seperent, inque multas partes di-
uidant. Curandum est enim, vt paci posthabeantur omnia:
& cum primis Antiochenæ Ecclesiæ medeatur: ne in illa
syncera pars imbecillis facta personarum respectu scinda-
tur. Tu vero hæc omnia tandem magis ipse quàm nos cura-
bis: quandoquidem, quod & auxiliante Deo precor, intel-
ligis omnes tibi quæ Ecclesiarum statum concernunt, per-
mittere ac commendare.

Basilivs *Athanasio Episcopo Ancyræ.* XLVII.

NVnciarunt mihi quidam qui ex Ancyra ad nos vene-
runt, & hi adeò multi vt nõ facilè eos adnumeres, idq;
concordi relatione, te charum nobis caput, quod cũ laude
tua dixerim, non admodum iucundam facere nostri men-
tionem, neque secundum ingenij tui consuetudinem. Me
vero nihil rerum humanarum scire id te velim, perterrefa-
cit, neque inopina mihi contingit, quotquot vbilibet sunt,
eiusmodi immutatio, qui iam olim naturæ imbecillitatẽ &
ad contraria inuertendi procliuitatem perdidici. Vnde fit,
vt neque si quid rerum nostrarum degenerauerit, & ex ho-
nore, quo antea potitus sum, probra aduersum nos & vitu-
peria fiant, admodum curemus. Sed illud mihi incredibile
ac præter geniũ tuum vt verissimè dicam visum est te eum
esse, qui ita afficiare erga nos, vt irascaris nobis molestusq;
sis, imò iam nonnihil mineris quoque, sicut referunt, qui
id ex te audiuerunt. Ad minas quidem (hoc enim vel his au-
ribus hausi) admodum risi. Certè admodum puer essem, si
eiusmodi terriculamẽta metuerem. Hoc vero formidabile
multáq; cura dignũ visum est, quod †integritas illa tua, quã † ἀκρίβει-
inter paucos, & rectitudinis fulcimentũ, & veteris veraq; *sinceritas.*
charitatis seminarium, ad consolationem Ecclesiarum,
conseruari credidimus, vsque adeò præsens status corrup-
telæ particeps est, vt quorumuis vel vulgarium calumnias
pluris faciat quàm longam nostri experientiam, & ad pra-
uas suspiciones sine certis indicijs permoueatur. Quan-
quam, quid dico suspiciones? Quod enim indignatus es,
&, vt ferũt, minitatus, non suspicantis iam sed manifestè ac

indu-

πῶς. indubitatò persuasi videtur vtlibet iram ostendisse. Sed, vt dixi, malicię temporum istorum causam huius deputamus. Alioqui quanti, quæso, laboris erat ô præclare, breui epistola de quibus voluisses tanquam solum cum solo colloqui? Aut si litteris litteras vicissim concredere noluisses, vel ad teipsum nos vocasses. Si verò prorsus & istud faciendum non erat, & præ indignationis indomito æstu tempus opportunum expectare noluisti, at vel aliquo tuorum qui ad obtegendas res huiusmodi idonei assuetique sint poteras certe ad ea quæ significare voluisses vti administro. Nunc vero cuiusnam auribus non obstrepit, eorum qui negotiorum quorundam gratia quandoque vos accedunt, quasi † noxia quædam scripserimus, aut scribentibus alijs subscripserimus. Nam isto te verbo vsum esse ferunt, qui tua ad verbum referunt. Me sanè, quæ mentem meam multis ac varijs cogitationibus distrahunt, nihil magis quàm stupidum relinquunt. Itaque & tale quid suspicari cœpi, ne forsan hæreticorum quisquam nomen meũ commentationibus suis subdolè adscripserit, atque ita rectitudinem tuam contristarit, & ad istam vocem emittendam induxerit. Non enim scriptis nostris quibus eos impugnamus, qui Filium ac Deum ausi sunt asserere non esse, quod ad essentiam attinet, Deo & Patri similem, aut eos, qui blasphemè docuerunt Spiritum sanctum esse creaturam, istam sanè contumeliam inferre sustinuisses, qui magna illa & præclara pro tuenda fidei rectitudine certamina decertasti. Liberabis autem nos ab hoc stupore si quibus de causis ad istam aduersum nos iniuriam permotus sis, apertè significare volueris.

† ὡς ἡμῶν τινάς.

πρὸς τοὺς ἀνόμοιον οὐσίαν.

Basilivs *Athanasio, Athanasij Episcopi Ancyræ patri.*

XLVIII.

Γνώμη ex cõtrarijs. QVod quidem vita hominis calumnijs non sit obnoxia, difficillimum esse, ne dicam impossibile, & ipse persuasus sum, & bonitatem tuam arbitror non ambigere. Nullam verò calumniandi occasionem dare, neque ijs qui actiones nostras studio obseruant: neque qui calumniæ gratia † lapsibus nostris insidiantur, id demum & possibile est & proprium virorum prudentium, & vitam suam ad pietatis scopum attemperantium. Nos vero noli ita leues ac credulos putare, vt quorumuis maledictis & condemnationi temerè assentiamur. Memores enim sumus spiritualis præcepti, quo iubemur non admittere eum qui diffamia aliqua proximum notat. Veruntamen, quoniam vosipsi, qui dicendi arte polletis, quæ manifesta sunt, dicitis non apparentium esse signa, hoc ipsum petimus. Et ne molestum sit, si quicquam à nobis veluti in speciem ac formulam vos instruendi dicetur. Nam *infirma mundi & abiecta elegit Deus*, & per illos sæpenumero eorum qui saluandi sunt salutem dispensat. Porrò quod dico & admoneo hoc est. Quod omnis quidem sermo, & quælibet competens actio circunspectè peragenda, & secundum Apostolicum præceptum nulla aliqua in re danda sit offensio. Eum namque virum, qui scientiarum disciplinæ plurimum operæ nauauit, gentiumque & vrbium principatus gubernauit, & ad magnam progenitorum virtutem zelo quodam fertur, etiam quod ad vitam attinet, exemplum virtutis proponi puto. Affectum quidem erga liberos, sermone iam non debes ostendere, quem olim declarasti, ex quo pater factus es, non solum naturali amore quo & bruta animantia fœtus suos prosequuntur: sed maiore etiam vsus, vt & ipse dixisti, & ipsa experientia demonstrat, sed tanto latius ex animi videlicet promptitudine intendere dilectionem, quanto magis statum Ecclesiæ talem esse vides, qui paternas preces efflagitet. Itaque non fuerit opus vt istis nos fidem faciamus. Nam quæ geruntur satis adferunt testimonij. Illud verò non importunè veritatis gratia adijciam, quod frater Timotheus chorepiscopus non is est, qui quæ diuulgata sunt ad nos detulerit. Neque enim præsenti colloquio, neque litteris aliquid siue modicum siue magnum, quod calumniam habeat, de te loquutus deprehenditur. Audiuisse quidem non negamus: negamus verò Timotheum esse qui calumnias in te fabricauerit. Cum autem omnino audiuerimus, si nihil aliud, vel illud Alexandri saltem dicemus, alteram auriculam delato siue calumniam perpesso synceram & integram conseruamus.

† ὀλισθήμασιν.

1. Cor. 1.

2. Cor. 6.

Apostolicum δόγμα.

χωρεπίσκοπος.

ἀπόφθεγμα.

Basilii Magni *ad Ambrosium Episcopum Mediolanensem.*

XLIX.

MAgna semper & multa quidem sunt Domini nostri dona, quorum neque magnitudo mensurabilis neque multitudo numerabilis est: vnum verò, quod inter maxima reputari potest ab iis, qui non difficili beneficiorum Dei in se collatorum sensu tanguntur, & præsens, hoc est, quod quàm longissimè propter locorum distantiam seiunctis per litterarum alloquium mutuo coalescere dedit. Largitus est autem duplicem cognoscendi modum. Vnum per præsentem coniunctum & congressum: Alterum per consuetudinem litterariam. Quoniam igitur te per ea quæ loquutus es cognouimus: cognouimus verò non ex eo quòd nota quædam corporis tui menti nostræ impressa sit: sed quod interioris hominis tui pulchritudinem veluti ex variegata sermonum pictura cognouimus. Nam quisque nostrum ex abundantia cordis loquitur. Glorificauimus autem Deum nostrum, qui ex quauis mortalium generatione eos qui sibi placuerint deligit. Qui olim quidem ex pastoribus ouium populo suo principem excitauit, & Amos de grege caprarum sumptum spiritu suo instruxit, & ad propheticam dignitatem extulit: nunc virum ex vrbe regia, cui totius gentis principatus concreditus erat, sapientia sublimem, generis claritate, vitæ splendore, orandi facultate, & rebus secularibus illustrem, ad gregum Christi pasturam traxit, qui projectis huius vitæ opibus vniuersis proque damno habitis, vt Christvm lucrifaceret, commissa sibi magni ac præclari nauigij, Ecclesiæ videlicet Dei, in fide Christi, gubernacula accepit. Age igitur ô homo Dei, quandoquidem non ab hominibus accepisti aut doctus es Euangelium Christi, sed ipse te Dominus è medio iudicum terræ desumptum ad præsidentiam Apostolicam transtulit: certa bonum certamen, corrige ac moderare infirmitatem populi, si qua Arianæ vesaniæ labe tactus est: renoua prisca patrum vestigia: & quod dilectionis erga nos fundamentum iecisti in ipsam structuram assiduitate mutui nostri alloquij excitare ac prouehere stude. Nam hoc pacto spiritu poterimus coniuncti esse, licet terrestri habitatione quam longissimè alter ab altero dissiti simus.

Basilii Magni *ad Meletium Episcopum*

L.

SI quo pacto pietati tuæ notum fuisset, quàm magno nos quotiescunque scribis gaudio afficias, nunquam, sanè scio, oblatam scribendi occasionem neglexisses: sed studio quoque multas semper ad nos epistolas dedisses: vt qui scias afflictorum recreationi apud diuinam benignitatem reconditam esse mercedem. Nam omnia hic dolore plena sunt, & sola nobis malorum auersio est sanctitatis tuæ cogitatio, quam nobis euidentiorem indit, rerum tuarum quæ omni sapientia & gratia abundant, commemoratio. Itaque si quando epistolam tuam in manus sumimus, primum qua sit mensura inspicimus, illamque tantum diligimus, quantum versuum multitudine abundat. Deinde dum illam legendo percurrimus, perpetuò quidem donec sermoni illius immoramur gaudemus: vbi vero fini epistolæ appropinquare cœpimus, dolemus. Ita scilicet quodcunque bonum dixeris litteris tuis continetur. *Quod* enim *ex corde bono promanat, bonum est.* Si vero precum tuarum interuentu donec in terra ista sumus, & præsenti ad ipsum conspectum alloquio digni haberemur, & ab ipsa viua voce salutarem doctrinam aut cum ad præsens tum futurum seculum commeatus accipere promereremus, istuc vtique maximum bonum iudicaremus, & proœmium nobis ipsis diuinæ beneuolentiæ arbitraremur. Iam quoque isto desiderio correpti sumus, sicut germanissimi & omnino fra-

Matth. 20.

Γνώμη. Matth. 15.

terno amore præditi nos confirmarunt: quorum ne litteris propositum publicem, fratri Theophrasto vt singula integritati tuæ significet, expositi & commendaui.

Basilii Magni *ad eundem.*

LI.

HActenus quidem apud nos religiosissimum fratrem Dorotheum syndiaconum detinere voluimus, vt sub finem rerum præsentium dimissus singulas res gestas dignitati tuæ significaret. Quoniam verò dum diem ex die ducimus in longum tempus, & simul ab ipsis rebus propositis differimur, misimus prædictum hunc virum, vt & sanctitati vestræ loquatur, & per ipsum singula referantur, & quid nos suggeramus ostendat, vt si cogitationes nostræ commodæ & vtiles videantur apud integritatem vestram, hoc studij impendatur, vt opere perficiantur. Vt verò summatim ac breuiter dicam. Decretum est, vt hic ipse frater noster Dorotheus Romam vsque proficiscatur, & permoueat quosdam ex Italia, vt nos inuisant, idque per mare, quò eos effugiant à quibus possent impediri. Intellexi enim eos qui apud rerum dominos potentes sunt, nihil neque velle illis neque posse de causa eiectorum suggerere, sed hoc lucro deputare, si nihil in Ecclesijs peius geri videatur. Igitur si & prudentiæ tuæ consilium nostrum vtile visum fuerit, dignabere & epistolas formare, & monita dare, de quibus oporteat ipsum narrare, & ad quos, & quando, vt fidem & autoritatem habeant litteræ: comprehendes simul non admodum consentientes, etiamsi non adsint. Quæ verò hic geruntur in obscuro sunt: propterea quod Euippius quidem aduenit, at nihil dum definiuit. Minantur sanè etiam eorum quos ex Armenia Tetrapoli, & Cilicia consentientes habent futurum concursum.

Basilii Magni *ad eundem.*

LII.

LItteras accepi à pientissimo Episcopo Eusebio, quibus mandatur vt Occidentalibus iterum de quibusdam Ecclesiasticis scribatur. Et voluit quidem vt à nobis scribatur epistola: ab omnibus verò consentientibus subscribatur. Quoniam igitur non inueni quomodo de quibus ille præcepit, vt scriberem commentarium pietati tuæ misi, vt & illo potius, & simul ijs quæ à desideratissimo sympresbytero Sacteſimo referentur, intus ipse de his rebus, iuxta quod menti tuæ suggestum fuerit, scribere digneris. Nos parati sumus cum illo paciſci, & facere vt litteras propere ad consentientes deportet, vt omnium habitis subscriptionibus proficiscatur auolaturus hinc ad Episcopos Occidentales. Quod sanctitati tuæ in mentem venerit velociter nobis significari iubeas, ne quæ tibi visa fuerint ignoremus. De ijs quæ Antiochiæ aduersum nos aguntur, vel iam etiam insidiosè finguntur, idem ipse tibi frater aperiet nisi ipsa fama gestorum illum præueniens manifesta faciat quæ acta sint. E vicino spes est, vt quæ minitantur tandem exitum sortiantur. Volo autem pietatem tuam scire, quod frater Anthimus Faustum cum Papa agentem Episcopum ordinauit neglectis iustis suffragijs venerandissimi fratris Cyri, quem tu ordinasti, ita vt Armeniam seditione repleuerit. Vide igitur ne mendacijs nos opprimant, neque ipsi, sed vt constanter quæ fiunt sustineamus, ista grauitati tuæ significauit. Dignaberis autem absque dubio & ipse reliquis ea manifestare. Adultos enim istam rerum confusionem mœstitia affecturam puto.

Basilii Magni *ad eundem.*

LIII.

SCiebam integritatis tuæ auribus insolentem fore expostulationem, quæ iam incumbit: propterea quòd omnia dixeris leui ac futili Apollinario. Etenim neque ipse huius ante id temporis gnarus eram, sed iam Sebasteni alicunde illud perscrutati, in medium attulerunt ac circumferunt † volumen: ex quo potissimum & nos condemnant, vt qui eadem sentiamus: quòd & tales habet loquutiones, ita vt illas vbique coniunctim, imò alternis vnite necessarium sit intelligere, dum primam identitatem & secundam & tertiam eandem esse dicunt. Quod enim primo loco Pater est, hoc est secundo & Filius, & tertio Spiritus: rursus quod primo Spiritus est, hoc secundo Filium dicunt, quatenus spiritus est Deus. Et vt violentius arcanum significetur, Patrem paternè Filium, Filium verò † Filij more Patrem esse. Et eodem modo de Spiritu dicunt iuxta quod vnus Deus est Trinitas. Ista sunt inuulgata, quæ nunquam credere possumus eorum esse figmenta, à quibus proferuntur: tametsi istorum aduersus nos calumniatrix delatio nihil non ausit autmoliatur, meo quidem arbitratu. * Cum enim aduersariorum sententias scripsissent, non contenti etiam calumniam contra nos subiecerunt: ista quidem hæreticorum verba nominaremus exprimentes: autorem vero commentarij celantes, vt plerisque videatur nos esse † scriptores. Verum tamen, vt mihi ipsi persuadeo, nondum eo vsque processit ipsorum techna, vt verba concinnent. Hinc est, quod coacti sumus viri mentionem facere, vt qui ad Sabellij impietatem accedat, ad hoc, vt calumniam illam quæ aduersum nos inualuit depellamus, conspicuumque faciamus omnibus, nihil nobis cum illis esse commercij, qui ad eum modum loquuntur. Et tantum de istis. Venit autem nuntius quidam ex castris, sub primam Imperatoris motionem, ad quam illum impulerunt qui calumnias aduersum nos effuderat, retulitque alterum quoddam captum esse consilium, ita vt accusatoribus non demur expositi, neque voluntati illius tradamur, quod ab initio decretum erat: sed vt interea quædam causæ prorogatio ac dilatio fiat. Siue igitur ista ita maneant, siue aliud quid istis humanius decernetur, pietati tuæ significabimus. Si verò priora obtinebunt, ne hoc quidem celaberis. Sacteſimus sanè frater prorsus iam diu apud nos est, & quid requirat integritati tuæ innotuit. Itaque si videtur, epistola ad Occidentales necessarium quid complecti, postquam eam fide dignam scripseris ad nos transmitte, vt curemus ab omnibus consentientibus subscribi, & charta quam efformaris, locum habeat subscriptionibus accommodum, quam coniungere possumus ei quæ à fratre sympresbytero circunfertur. Ego siquidem, quoniam causæ summam in commentario inueni, non habui qua de re scriberem Occidentalibus. Nam quæ necessaria videntur, iam anticipata sunt, & superflua scribere omnino vanum. De ijsdem verò molestum esse, nunquid ridiculum etiam fuerit. Illud verò mihi † argumentum velut intactum adhuc esse, locumque dare scribendi visum est, admonere illos, ne sine discrimine quorumuis communionem ex Oriente venientium accipiant, sed vna semel electa parte, reliquos ex consentientium testimonio admittant, & non cuiuis sub prætextu orthodoxæ doctrinæ, fidei formulæ scribendi astipulentur. Nam isto pacto deprehendentur, cum aduersariis facientes, qui eadem sæpenumero verba prætexunt quidem, inter se vero pugnant, vt qui plurimum diuisi dissidentesque fuere. Ne igitur amplius hæresis eorum qui inter se mutuo dissident, per ipsorum scripta quæ prætexere & obijcere solent, incautos seducat, admonendi sunt, vt arcanas accedentium communiones, & scriptis iuxta formam Ecclesiasticam comprehensas faciant.

† Σύνταγμα. *Opus de Spiritu sancto, ex his colligitur esse Basilij.*

† Υἱκῶς.

**Locus lacer.*

† λογογράφοι.

† Ὑπόθεσις ἀγύμναστος.

Basilii Magni *Ecclesiæ Antiochenæ.*

LIIII.

QVis dabit mihi alas instar columbæ? & volabo ad vos, expleboque desiderium quo ad dilectionis vestræ congressum aspiro. Nunc verò non solum alis destituor, sed ipso quoque corpore, quod & longa iamdudum ægrotatione confectum, & nunc continuis tribulationibus prorsus attritum est. Quis enim vsque adeò animo est adamantino? quis ita planè omnis cõmiserationis expers & immitis,

immitis, qui cum audiat quomodo vndique nos gemitus ac luctus veluti ex tristi quodam choro communi quadam ac consona lamentatione applorante impetat, non condoleat animo, inque terram præ luctu deflectatur, & immensis istis curis omnino tabefiat? Sed potest sanctus Deus aliquam ab immensis ac deploratis curis dare relaxationem, & à diuturnis laboribus quandam largiri respirationem. Itaque & vos oro, vt eandem consolationem amplectamini, ac spe consolationis cum gaudio præsentem tribulationum luctum toleremus. Siue namque peccatorum pœnas damus, valebunt ad hoc flagella, vt posthac iram Dei, quæ imminebat, auertant: siue in certaminibus quæ pietatis gratia decertamus, per tribulationes corroboramur, iustus est is qui nos ad tolerandos agones præmiis inuitat, vt non sinat nos tentari supra id quod ferre possumus: sed pro toleratis iam laboribus, patientiæ nobis & spei in ipsum coronam reddat. Ne igitur ad decertandos pietatis agones defatigemur, neque per desperationem quæ iam decreta sunt amittamus. Non enim vno actu fortitudinis, neque modico quodam labore constantis animi specimen datur, sed qui corda nostra probat, longa nos ac prorogata probatione vult iustitiæ coronam adeptos demonstrare. Duntaxat constans ac fidelis seruetur animus noster, fidei nostræ in Christum robur custodiatur immotum, & breui ac velociter veniet auxiliator, veniet & non tardabit. Amplectenda enim tribulatio super tribulationem, spes super spem, adhuc modicum, adhuc modicum. Ad istum modum alumnos suos spiritus sanctus futurorum promissione recreare nouit. Post tribulationes enim sequitur spes. Quæ verò sperantur, è vicino subsequuntur. Nam etiamsi vniuersam hominum vitam quis obiecerit: breuissimum tamen est illius spatium, respectu infiniti seculi quod in spe nostra reconditum est. Fidem autem nos * neque recentiorem ab aliis conscriptam acceptamus: neque ipsi mentis nostræ fœtus aliis obtrudere audemus: ne humana putentur pietatis verba, sed quæ à sanctis patribus edocti sumus, ea rogantibus nos annuntiamus. Est itaq; Ecclesiæ nostræ à patribus administratæ, etiã à sanctis patribus, qui Nicææ conuenere, conscripta * fides, quam tametsi arbitramur ore tenus & apud vos in vsu haberi, non tamen detrectabimus, ne desidiei crimine notemur, ipsa quoque verba litteris annotare. Sunt autem ista. *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, visibilium omnium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre vnigenitum*, hoc est † ex Patris essentia, *lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, coessentialem † Patri, per quem omnia facta sunt & quæ in cœlo sunt & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit è cœlis, incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, venturus ad iudicandum viuos ac mortuos. Et in Spiritum sanctum.* Eos vero qui dicunt, erat aliquando quando non erat, & antequam gigneretur non erat, & quod ex non existentibus factus sit, aut † ex alia substantia siue essentia esse, vel vertibilem aut alterabilem filium Dei dicunt, anathemate Catholica & Apostolica Ecclesia condemnat. Secundum hæc Ecclesiastici fidei adhæresimus. Quoniam vero doctrina de Spiritu sancto indefinita est propterea quòd nondum comparerent bellum † contra spiritum gerentes, an condemnandi sint qui Spiritum sanctum creatæ ac seruilis esse naturæ dicunt, in ea Synodo nulla facta est mentio. Nihil enim prorsus creatum est in diuina & beata Trinitate.

ἀθλοθέτης.

γνώμη.

* *Huc agite & vos ô Lutherani, Zuingliani, Anabaptistæ, ac reliquæ Christiani orbis pestes.*

* *Symbolum Nicæni Concilij.*

† ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός.

† ὁμοούσιον τῷ πατρί.

† ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας.

† πνευματομάχοι.

Episcopis & fratribus qui sunt in Occidente, Basilivs Magnvs.

Iacobo Mycræo *Interprete.*

L V.

BOnus ille Deus, qui afflictionibus semper solatium adiungit, dedit etiam nunc nobis inter varios dolores modicam quandam consolationem ex litteris quas à vobis acceptas charissimus Pater noster Athanasius Episcopus nobis tradidit, sanæ fidei testimonium, & inoffensæ vnanimitatis & conspirationis demonstrationem referentes, vt & Pastores ostenderet patrum insistere vestigiis, populum Domini cum scientia pascentes. Hæc omnia me tantum exhilararunt, vt mœrorem nostrum omnino discusserint, & risum quendam exiguum animis nostris insulserint à tetrico hoc rerum statu, in quo nunc agimus. Auxit autem nobis solatium Dominus per apprimè religiosum filium coadiutorem nostrum Sabinum. relatione eorum quæ apud vos honeste aguntur, animos nostros pauit. Cæterum nostra experimento percepta euidenter vobis nunciabit, vt primum assidua studioſaque oratione ad Deum nobiscum certetis: deinde etiam solatium, quod præstare possitis, laborantibus Ecclesiis adferre non recusetis. Etenim laborat hic, fratres charissimi, & defatigata est frequenti aduersariorum insultu Ecclesia, quemadmodum nauigium in medio mari alijs post alios vndarum fluctibus agitatur, nisi cito Dominus pro sua bonitate nos respexerit. Sicut igitur nos proprium bonum ducimus vestram mutuo conspirationem, vnitatemque, ita male afficimur dissensionibus. Verum, non quòd situ locorum dissiti simus, discordare inter nos conuenit: sed cum spiritus communione vnimur, in vnius corporis conspirationem nos recipere debemus. Porrò tribulationes nostræ vel nobis tacentibus vobis sunt cognitæ, vt quæ in totum orbem sint inuulgatæ. Patrum dogmata contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inuenta Ecclesiis inseruntur. Homines in posterum de artibus, non de Deo disserunt. Mundi sapientia primas tenet, crucis gloriam abominans. Pastores abiguntur, lupi graues introducuntur, qui Christi gregem discerpunt. Domus oratoriæ deseruntur à cœtu, solitudines refertæ sunt plorantibus. Seniores ingemiscunt, dum vetera præsentibus comparant. Iuuenes miserabiliores, qui non videant qualibus priuati sint. Hæc sanè mouere eos qui Christi dilectionem docti sunt, ad condolentiam poterunt. cæterum si oratio rerum veritati conferatur, multum ab ipsius dignitate abest. Quare si aliqua dilectionis consolatio, si quædam spiritus communio, si qua viscerum miseratio, commoueamini ad nostrum auxilium. Arripite pietatis zelum, eripite nos ex hac tempestate. Proferatur etiam apud vos cum fiducia bonum illud patrum præconium, quod infamem Arij hæresim euertat, & Ecclesias in sana doctrina confirmet, in qua Filius consubstantialis Patri prædicatur, & Spiritus sanctus æqualiter connumeratur & colitur: vt quam vobis Dominus pro veritate fiduciam dedit, & ob confessionem veritatis, & salutaris Trinitatis gloriationem, hanc & nobis per vestras preces vestramque cooperationem largiatur. Cæterum singula prædictus ille cooperator vobis nunciabit. omnia autem quæ à vobis exactè syncereque gesta sunt, comperta habemus, Apostolicum vestrum zelum pro recta doctrina amplexati. Valete.

Collatio afflictæ Ecclesiæ.

Non igitur tragœdia Lutheranorum noua est.

Aliàs coessentialis.

τριάδος.

συνδιάκονος.

Ecclesiæ Neocæsariensi Consolatoria Basilii Magni. Παραμυθική.

L V I.

EFflagitabant quidem quæ acciderunt vt præsentes ipsi coram essemus, & vna vobiscum debitum beato honorem persolueremus, & in tristitia calamitate ipso aspectu mœrentibus vobis coniungeremur, simulque in necessariis consilia communicaremus. Quoniam verò multa sunt quæ corporalem nostri coniũctionem prohibent: reliquum erat vel litteris vobis in rebus istis præsentibus communicare. At viri huius † virtutes, in quarum potissimum priuatione intolerabili nos affectos esse damno reputamus, tantæ sunt, vt Epistolæ mensuram excedant. Et alioqui intempestiuum fuerit de multitudine eorum quæ vir iste probè ac fortiter gessit sermonem iam instituere: cum animus noster admodum sit ex mœrore deiectus. Quid enim illius tale est, quod vel memoriæ nostræ excidere, vel silentio obtegi mereatur? Iam omnia summatim ac semel dicere, impossibile fuerit: particulatim verò si voluero, vereor ne non sim impar futurus veritati.

† θαύματα.

Mortuus

Mortuus est vir, omnium lucidissimè eos quos iuxta se habebat omnibus simul humanis bonis excellens, fulcimentum patriæ, Ecclesiarum decus, columna & firmamentum veritatis, robur eius quæ in Christum est, fidei, suorum munimentum, aduersariis nullis prorsus expugnabilis machinis, custos rituum paternorum, inimicus nouandarū rerum studio, qui, in seipso visendam præbuit priscam Ecclesiæ formam, velut ad sacram quandam veteris status imaginem Ecclesiæ sibi commissæ faciem effingens: ita vt subditi illius cum illis vixisse videantur, qui ante ducentos annos; & vltra, instar luminarium resplenduerunt: ita nihil de suo, nisi quod nouæ alicuius cogitationis inuentum reciperet, in medium attulit hic vir: sed iuxta benedictionem Moysi ex ipsis arcanis cordis sui ac bonis thesauris vetera veterum, & quæ ante faciem iuniorum vetera essent, proferre nouit. Hac sanè ratione & in ipsis consortium ac coæqualium consilijs primo honore potitus est, non propter ætatis prærogatiuam: sed quoniam omnes sapientiæ vetustate superabat, communi consensu & condonatione primas obtinuit. Quantum verò lucri dederit talis institutio, nemo quæserit, is modò ad vos respexerit. Nam soli inter eos quos nouimus vel admodum cum paucis in tanta rerum tempestate ac turbine tranquillam per illius gubernationem vitam egistis. Non enim apprehendit vos hæreticorum spirituum procella quæ mentibus leuiusculis & seductioni facile expositis, subuersiones adfert & naufragia. Neque verò vnquam apprehendat, precor ô Dominator omnium, qui famulo tuo Gregorio, qui crepidam Ecclesiæ ab initio bene commissam accepit, constantis tranquillitatis gratiam dedisti. Hanc nolite vos præsenti tempestate amittere, neque lamentorum immodestia, & rebus † tristibus vos ipsos exponendo, opportunitatem necessaria curandi insidiatoribus prodere: sed si omnino lugendum est, quod non dico, ne similes simus hac in re illis qui spem non habent: si videtur, ordinato vobisipsis coryphæo, aliquo decenter & concordi fletu cum illo plorate. Quamquam etiamsi ad extremam senectam vir iste non peruenit: at certè quod ad tempus attinet ad præsidendum vobis satis vitæ habuit: & corporis viribus tantum potitus est, quantum ad declarandam animi tolerantiam in rebus mœstis opus habuit. Cogitabit autem forsan aliquis vestrum quod & tempus, compassionis augmentum, & amoris accessio, ad satietatem iis qui experti sunt non faciunt: ita vt quanto prolixiore tempore beneficium experti estis, tanto amplius amissionem illius sentiatis: corporis verò iusti vel vmbram apud pios quouis honore dignam esse. Et sit quidem, quod multi vestrum hoc animo præditi sitis. Neque enim ipse quoque virum istum negligendum esse dico, sed vt quod triste accidit humano more feratur consulo. Quandoquidem & me ipsum haud fugit, quænam ab illis dici possint, qui damnum acceptum deplorant. Silet quidem lingua, alias instar fluuiorum ad aures alluens: cordis verò profundum, nemini comprehensibile, somnijs imbecillius (quantum ad homines attinet) auolauit. Quis acutius illo futura præuidit? Quis tam stabili ac solido ingenio idque fulmine citius ad occurrendum imminentibus causis suffecerit? O ciuitas multis quidem iam occupata perturbationibus, à nulla tamen illarum ad istum modum letali damno affecta! Obtigit nunc quidem pulcherrima tibi venustas: Ecclesia verò lamentatur, solennes conuentus lugent: sacer seniorum consessus coryphæum aliquem desiderat: sermones mystici interpretem suum expectant: adolescentes patrem, senes æqualem, qui in magistratu sunt principem, populus præsidentem, alimonia destituti nutritorem, propriissimis omnes illum nominibus implorantes, iuxta propriam quisque affectionem propriis & accommodis quoque vocibus ipsum deplorant. Sed quò mihi sermo præ lacrymarum voluptate rapitur? An sobrietati non restituemur? Non reddemur nobisipsis? Non respiciemus ad communem Dominum, qui postquam vnumquemque sanctorum suæ ætati seruire permisit, competenti tempore illos iterum ad se reuocauit? Iam in ista tempestate commodum quæ ille dixit ad memoriam reuocare, qui cum vobis concionaretur perpetuò reprimebat ac denuntiabat dicens, cauete canes, cauete malos operarios. Multi sunt canes. Quid dico canes? Imò lupi graues, qui sub prætextu ouicularum fraudem tegentes, vbique terrarum gregem Christi dissipant, qui vobis præsidio vigilantis cuiusdam pastoris cauendi sunt. Hunc animis ab omni contentione & ambitione repurgatis petere vestrum est: Domini verò designare, qui à tempore magni præsidis Ecclesiæ vestræ Gregorij vsque ad beatum istum, alium post alium semper, quasi ex quadam pretiosorum lapidum serie, depromptos adijciens & adaptans, admirabilem Ecclesiæ vestræ pulchritudinem largitus est. Itaque neque deinceps de futuris desperandum est. Nouit enim Dominus suos, & in medium eos plerumque producit, de quibus apud nos forsan nihil tale expectatur iam olim sermonem terminare volentem, dolor cordis non permittit, quin obtester vos per patres, per rectam fidem, per beatum istum, vt vigili mente quisque vestrum quid sibiipsi quærat, expendat: & quocunque res, siue bene, siue male cadant, se cum primis illarum participem fore putet: neque publicarum rerum curam, quod multi assolent, in proximum reijciat: ne postea dum eodem singuli animo res agendas negligitis, antequam animaduertatis, proprium sibi quisque malum per incuriam accersatis. Ista, siue tanquam ex vicinorum cõmiseratione, siue ex eadem sentientium communicatione dicta, aut etiam, quod verius est, tanquam ab iis, qui legi dilectionis obediunt, & periculum quod silentibus timendum esset, fugiunt, cum omni beneuolentia accipietis, persuasi quod gloria nostra sitis, quemadmodum & nos vestra, in diem Domini, & quod propter pastorem qui vobis dabitur, futurum sit, vt vel amplius & arctius dilectionis vinculo vniamur, vel prorsus disiungamur, quod absit oro, nec fiet, per gratiam Dei. Neque ipse iam sane quicquam maledicti dixerim in quenquam. Hoc autem scire vos volumus, quod etiamsi beatum istum ad conseruandam Ecclesiarum pacem coniũctum nobis non habemus, propter quasdam, vt ipse vobis asseruit, anticipationes: at certe ab eo quod eadem sentiremus cum ipso, & ad certandum aduersus hæreticos, perpetuo coniungeremur, teste Deo, & hominibus illis qui nostri experientiam ceperunt, nunquam defecimus.

Ἐγκώμιον Eusebij Neocæsarien.

Deut. 27. 28. Leui. 26.

† Θρήνων.

Clericis Ecclesiæ Neocæsariænæ BASILIVS MAGNVS.

LVII.

QVòd concordi nos odio prosequimini, & ad vnum quisque omnes ei adhæretis, qui belli, quod aduersum nos geritur, dux est, vt erga omnes vos pariter silentio hactenus studuerimus, & neque amicis vos litteris, neque aliquo prouocauerimus alloquio, sed dolorem nostrum silentio continuerimus, causam dedit. Quoniam verò ad calumnias tacendum non est, vt contradicendo nos ipsos vlciscamur, sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus, aut eos qui seducti sunt damno quo afficiuntur inhærere sinamus, necessarium mihi visum est, & hoc omnibus proponere, vestræque prudentiæ scribere, licet & paulo ante cum omnibus presbyteris scriberemus, nullo nos responso dignati sitis. Nolite assentari fratres, iis qui prauas adferunt animis vestris opiniones: neque populum Dei impiis doctrinis subuersum propter vestram velitis scientiam contemnere. Sabellius Lybis, & Marcellus Galates soli ex omnibus ista & docere ausi sunt & scribere, quæ nunc apud vos veluti propria essent ipsorum inuenta in medium adferre conantur: qui populum instituunt, lingua perstrepentes, & ne ad verisimilem quidem probationem sophismata ista & paralogismos deducere valentes. Hi sunt, qui fanda atque nefanda publicis aduersum nos concionibus eiaculantur, nostrumque summo studio congressum declinant. Quamobrem? An non ideò quod se de prauis suis doctrinis coarguendo suspiciantur? Isti tantam contra nos impudentiam induerunt, vt & somnia quædam in nos comminiscantur, doctrinam nostram tanquam nociuam traducentes: qui tamen, etiamsi capitibus suis vniuersa eorum mensium quibus arborum folia sternuntur phantasmata complecterentur, nullam nobis

Apologetica est.

Sabellij Lybici & Marcelli impietas.

σοφίσματα καὶ παραλογισμούς.

nobis prorsus poterunt aspergere calumniam: quandoquidem plurimos habet singulæ Ecclesiæ, qui veritati testimonium ferunt. Si quandoque causam indicti istius & irreconciliabilis belli rogantur, psalmos cauſantur & modum melodiæ, quo sit vetus apud nos immutata canendi consuetudo, & huiusmodi quædam alia: de quorum illos prætextu pudere debebat. Accusamur verò & huius, quod homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui mundo renuntiarint, & vniuersis seculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus. Qui huiusmodi sunt, mortificationem Iesu corpore circumferunt, ac cruce quisque sua accepta Deum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem vt mihi possent B ista impingi delicta, haberemque apud me viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint. Nunc autem in Ægypto quidem audio talem esse virorum quorundam virtutem, & forsan in Palæstina quoque sunt, qui ad Euangelij normam vitæ suæ conuersationem perfectam reddant. Audio & in Mesopotamia viros esse perfectos ac beatos. Nos vero perfectis collati, pueri sumus. Sunt autem & fœminæ Euangelicam vitam amplexæ: quæ virginitatem quidem nuptiis præferunt: sensum verò carnis seruituti subijciunt: & beato luctui immorantes beatæ sunt ex proposito, vbicunque terrarum degant. Apud nos vero ista, qui primis adhuc elementis ad pietatem instituimur & initiamur, minuta sunt ac rudia. Quòd si quid dedecoris & indignitatis aliquid mulierum vitæ ac statui inferunt: non est quod illos ego defendere velim. Illud vero vobis assero & confirmo: quòd quæ hactenus pater mendacij Satanas non est ausus dicere: ea temeraria corda iam & nullo retenta moderationis freno ora indesinenter & cum summa licentia loquuntur. Scire autem vos volo, quòd optamus nobis & virorum & mulierum cœtus dari, quorum conuersatio in cœlis sit: qui carnem suam cum affectionibus ac concupiscentiis crucifixerint: quique nec de cibis, nec de indumentis soliciti sint: sed immobiles & assidui apud Dominum noctes ac dies precationibus immorentur: quorum os non loquatur opera hominum, sed hymnum concinat Deo nostro: quique sedulo propriis D manibus operentur: quò possint impartiri illis qui opus habent. Ad id verò quod propter psalmodias accusamur: quare potissimum simpliciores perterrefaciunt: qui nos traducunt: hoc habeo quod dicam: quod videlicet qui iam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit: inque labore & tribulatione ac lachrymis indesinentibus facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi alternis succinentes psallunt: atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant: & cordibus suis attentionem, & reiectis vanis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant: deinde vni ex ipsis hoc muneris dato vt quod canendum est prior ordiatur: reliqui succinunt: atque ita psalmodiæ varietate precibusque subinde interfertis noctem superant. Illucescente iam die pariter omnes velut ore vno ac corde vno confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis respiscentiam profitentur. Horum gratia si nos fugitis: fugietis simul & Ægyptios: fugietis Libyam vtramque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant: & vt semel dicam, omnes, apud quos vigiliæ ac preces communesque psalmodiæ in pretio sunt. Sed ista dicitis tempore Gregorij Magni non F fuisse: verum, neque Litaniæ, quas vos iam in vsu habetis, illius tempore fuerunt. Quòd non reprehendendi gratia dixerim. Optarim enim vos omnes in lachrymis & iugi pœnitentia viuere, quandoquidem & nos nihil aliud facimus, quàm quòd pro peccatorum nostrorum remissione supplicamus, dempto eo, quod non humanis verbis, quemadmodum vos soletis: sed oraculis spiritus Deum nostrum placamus. Quòd autem ea quæ facimus sub præclaro Gregorio in vsu non fuerint, quibus testimoniis euincere poteritis? Nihil eorum quæ ille in vsu habuit, ad hunc vsque diem illibatum seruastis. Gregorius in oratione constitutus tecto capite non fuit. Quamobrem? Germanus erat discipulus Apostoli dicentis: *Omnis vir orans aut prophetans tecto capite, dehonestat caput suum.* Et vir non debet velare caput suum, cum sit imago & gloria Dei. A iuramentis abstinuit munda illa anima, ac digna Spiritus sancti communione, cui propter mandatum Domini dicentis: *Ego vero dico vobis, ne iuretis omnino, satis erat Etiam, & Non.* Non est ausus ille fratrem suum vocare fatuum, comminationem Domini veritus. Tumor, & ira, & amarulentia ex ore illius non processerunt. Conuicium odio prosequutus est: vt quod in regnum cœlorum haud inducat. Inuidia & arrogantia à syncero illo animo procul abfuerunt. Altare non accessit: nisi fratri reconciliatus: falsum sermonem & artificiosum, & ad detractionem concinnatum ita abominatus est, vt qui sciret mendacium ex diabolo prognatum esse, Dominumque omnes eos qui mendacium loquuntur, perditurum. Horum si nihil in vobis est: sed mundi estis ab his omnibus, verè discipuli estis eius, qui præceptorum Domini discipulus fuit. Si vero secus, videte ne culicem excoletis dum in psalmodiis de sonitu vocis disceptantes, quæ maxima sunt præceptorū Dei dissoluitis. Ad hæc me verba defensionis adegit necessitas, vt discatis trabem primum ex vestris oculis eijcere, & tum demum stipulas euellere alienas. Veruntamen omnia cōdonamus: licet nihil sit extra diuinam examinationem, duntaxat quæ C principalia sunt, salua sint: & nouationes istas circa fidem cōpescatis, hypostases diuinas non irritetis, nomen Christi non abnegetis, Gregorij voces siniſtrè non interpretemini. Quòd si secus egeritis, donec spirandi loquendique facultas erit, ad tantam animarum perniciem nunquam silere poterimus.

Nudo orabat capite. 1. Cor. 11.

Matth. 5.

Aitende Basilij modestiam.

Vigilia.

Psalmodia.

Psalmus confessionis.

Gregorium intellige Neocæsarien.

Litania.

λιτανεύομεν. ἐγκώμιον *Gregorij Neocæsar.*

Prudentioribus ac doctioribus Ecclesiæ Neocæsarianæ
BASILIVS.

LVIII.

PLanè nihil opus erat, vt animi mei vobis sententiam patefacerem, aut causas referrem propter quas istis iam in locis agam. Etenim neque alioqui ex illustrium ego sum numero: neque res ista tantis testibus digna est. Verum vt puto, non quæ nos volumus, sed ad quæ nos præceptores nostri vocant, facimus. Nam mihi magis hactenus quæritur, vt prorsus hominum memoriæ subducar quàm iis qui gloriæ student, vt sint illustres. Quia verò omnium, qui in vrbe vestra morantur, aures isto repletas esse rumore intelligo, & non desunt, qui nugas & mendacia confingant ad hoc ipsum mercede conducti: vt res meas vobis exponant: non putaui vos malo animo pollutaq; voce instructos, negligendos: sed opus esse, vt ipse de statu rerum mearum referam. Ego, cum propter loci huius con- E suetudinem, qua illi à puero assueui (Hic enim à nutrice mea educatus sum) tum propterea quòd postea quoque sæpenumero in hoc loco versatus sum: quem cum vrbanos tumultus fugerem, & propter solitudinis silentium, illum ad philosophiæ studium commodum esse scirem: complures continuos annos incolui, & propter iam inhabitantiū securitatem breuem aliquam à negotijs quibus distinebamur respirationem adeptus, cum gaudio solitudinem hanc accessi: non vt alijs hinc quicquam negotij facesserem, sed vt desiderio meo morem gererem. Quid igitur opus est ad inania somnia confugere, & somniorum coniectores istos conducere, nosq; publicis cōuiuijs† temulentorū inter pocula fabulam facere? Ego verò, etiamsi apud nonnullos alios locum habuissent istæ calumniæ, vos tamen animi ac sententiæ meæ testes aduocâssem. Nunc igitur quemque vestrum oro, vt veterum actorum illorum recordemini quæ gesta sunt, cum nos vrbs vestra vocaret: mitteretur que legatio virorum, qui magistratu apud vos funguntur, deinde quomodo passim nobis populus omnis circumfusus sit. Hic quid non dabant omnes? Quid non pollicebantur? Et tamen obtinere nos nequibant. Quomodo igitur qui tum cum vocabar non obediui, nunc citra vocationem meipsum intrudere conatus essem? Quomodo consectarer & ambirem iam calumniantes: cum aliquando laudantes

Admirabilis Basilii modestia.

Vide Monodiam Gregorii Nazianzeni.

† παροιμίου δίκημα.

Basilii apologia à similib.

dantes me & celebrantes fugerim? Ne credatis hoc optimi viri. Non vsque adeo nostra floccifacimus. Neque enim prudens quisquam nauigium gubernatore destitutum ingredietur: neque Ecclesiam temerè accedet: in qua qui ad clauum sedent tempestatem ac turbinem ipsi excitãt. Vnde namque tumultu referta est vrbs? Ex eo videlicet, quod aliis, cum nemo persequeretur, fugientibus, aliis cum nemo immineret, vrbem clanculum egredientibus, † diuinatores ac somnitatores neminem non perterrefecerunt. Vnde ista sunt nisi ex hac causa? An non puero cuiuis manifestum est quod vitio eorum hæc ita habent: qui in populo primores sunt? quorum me quidem crimina proferre non decet: vobis autem illa intelligere perfacile est.

† χρησμολόγοι καὶ ὀνειροσκόποι.

B Quando enim amarulentia & dissidium nullo pacto à sæuitia cohiberi possunt, & culpæ expositio intolerabilis prorsus habetur & ridicula, conspicuum est magnam esse animi ægritudinem, quæ alienis quidem bonis insidiatur: domesticum verò, idque, cum primis, malum ei est à quo possidetur. Huic hominum generi & aliud quiddam pulchrè accidit. Postquàm enim in profundum malorum detracti, animiq; mœstitia occupati sunt, acceptum damnum fateri ac conqueri præ pudore non sinuntur. Ista animi illorum affectio non solum ex ijs quæ aduersum nos acta sunt: sed & ex reliqua vita conspicua est. Si verò ignota esset, non admodum multum rebus Ecclesiæ noceret. Certissimam verò causam, ob quam nostrum fugiendum esse putant congressum, quoniam ea complures forsan ex vobis latet, ego docebo: vos audite. Hoc studiosè agitur apud vos, vt fides subuertatur, idq; subuersione Apostolicis & Euangelicis doctrinis inimica: inimica quoque traditioni Magni reuera Gregorij, & eorum qui illum ex ordine subsequuti sunt ad beatum vsque Musonium: cuius etiamnum dogmata quantum apud nos celebritatis obtineant, manifestum est. Sabellij namque pestem, olim quidem motam, traditione verò Magni Gregorij consopitam, renouare conantur: qui ne deprehendantur & conuincantur, ista contra nos somnia confinxerunt. Vos itaque valedicto temulentis hisce capitibus, quibus suffumigatio illa crapulæ sursum inæstuans phantasmata gignit: vestrum damnum ab iis percipite, qui & vigilantes sunt, & propter timorem Dei tacere nequeunt. Iudaismus est, Sabellianismus iste, sub prætextu Christianismi in Euangelicam prædicationem subinuectus. Qui enim tres illas Patris, & Filij, & Spiritus sancti personas † rem dixit esse vnam, vnamque trium posuit hypostasim, quid aliud fecit? An non sempiternam, quæ ante secula fuit, vnigeniti essentiã negat? Negat simul & per † dispensationem illius ad homines aduentum, descensumque ad inferos, resurrectionem & iudicium. Negat autem & proprias ac discretas spiritus operationes. Apud vos vero iam esse audio, qui etiam inconsideratiora audeant, quàm ineptus ausus est Sabellius. Dicunt enim, qui id audierunt: eos qui apud vos sapientes sunt contendere ac dicere, nomen vnigeniti non esse traditum: esse verò nomen oppositi, atque in isto tanquam proprio ipsorum inuento plurimum gloriari ac superbire. Dictum est enim, inquiũt: Ego veni, in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius in nomine suo venerit, illũ accipietis. Et quia dictum est: Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, manifestum est, inquiunt, vnum esse nomen. Non enim dictum est in nominibus, sed in nomine. Hæc vobis cum rubore scripsi: quoniam de nostro sunt sanguine quidam, qui istis sunt obnoxij, & contra meum ipsius animum ingemisco: quoniam perinde atque solent quibus cum duobus pugnandum est, vtrasque falsæ doctrinæ exorbitationes repellendo & sternendo, competens veritati robur asserere cogor. Hinc enim nos vellicat Anomœus: illinc, vt apparet, Sabellius. Sed obsecro vos, vt execrandis istis & neminem subuertere valentibus sophismatis animum non aduertatis, sed sciatis, nomen Christi esse super omne nomen, hoc ipsum scilicet nomen, quo filius Dei vocatur & iuxta Petri sermonem: *Non est aliud sub cœlo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Ad illud autem, quod Christus dixit: *Ego veni in nomine Patris mei*, hoc scire oportet, quod hoc ideo dixerit, vt principium ac causam sui Patrem esse demonstraret. Ex eo verò quod

Sabellij hæresis.

† πολυπρόσωπον.

† οἰκονομικὴν ἔκδυμίαν.

Ἀνόμοιος.

Act. 4.

Ioan. 5.

A dictum est: *Euntes baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, non est putandum vnum duntaxat traditum esse nomen. Quemadmodum enim qui Paulum & Siluanum & Timotheum nominat, tria quidem nomina dicit: per syllabam tamen, & illa inter se coniungit: ita & qui Patris & Filij & Spiritus sancti nomen dicit: cum tria dicat coniunctione illa complexus: vnicuique nomini proprium subesse significatum docet. Quapropter & rerum in se significationem habent nomina, res verò discretam & absolutam habere essentiam nemo eorum qui vel sensu præditi sunt, ambigit. Patris enim & Filij & Spiritus sancti natura quidem eadẽ est & diuinitas vna: nomina verò discreta, determinatas nobis & absolutas intelligentias offerunt. Impossibile namque est, mentem vniuscuiusquenominis proprię significationi intentam, non posse separatam & Patri, & Filio, & Spiritui sancto glorificationem assignare & offerre. *Matth. 28.*

Itaque si negant se ista dicere, aut ad hunc modum docere, correcta sunt quæ salua volumus. Quanquam difficilem illis negationem video: propterea quòd complures habemus sermonum istorum testes. Veruntamen nullam habebimus † præteritorum rationem, modò præsentia sanentur. Si vero in istis perseuerauerint: cogemur & ad alias Ecclesias acceptum damnum proclamare, efficereque vt à pluribus ad vos Episcopis mittantur litteræ, quibus impij huius figmenti magnitudo destruatur. Aut enim ad diligentiam & cautionem nonnihil proderit præsens ista contestatio: aut nos in iudicio à culpa liberos reddet: imò iam libris suis has nugas prostrarunt: quas primum illi & Meletio Episcopo homini Dei miserunt: & ab illo condigno accepto responso, perinde atque propter naturæ mutilationem pudefieri solent quæ monstra pepererunt: ita & ipsi turpes suos fœtus competentibus abditos tenebris lactant ac nutriunt. Dederunt autem experimentum aliquod per epistolam etiam ad eiusdem nobiscum sententiæ Anthimum Thyanorum Episcopum de eo, quod Gregorius in expositione fidei dixerit: patrem & filium iuxta mentis quidem considerationem duos esse, hypostasi vero vnum. Hoc autem non dogmatice sed contentiosè in disputatione aduersus Ælianum dictum esse, intelligere nequiuerũt: qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese reputant: in qua concertatione multi sunt eorum quæ descripta sunt, lapsus: quemadmodum, si Deus volet, ex ipsis verbis ostendemus. Quandoquidem sanè qui Gentilem ad credendum persuadere nititur, is non putat sibi circa verba exactius disceptandum esse: sed alicubi consuetudini eius quem ad fidem inducit, nonnihil condonat: dummodo principalibus ac necessariis non reluctetur. Quapropter & multas inuenias illic voces, quæ iam hæreticis plurimum addant roboris, vtpote creatura, & factura, & si quid aliud eiusmodi est. Inuenias etiam multa quæ ad hominis coniunctionem pertinent: quæ ad diuinitatis rationem referunt: qui præter eruditionem quæ scripta sunt audiunt: quale & hoc ipsum est quod ab istis circunfertur. Est namque & hoc probè tenendum, quod quemadmodum in errorem multorum deorum incidit, qui essentiæ diuinæ communionem negat: ita Iudaismo obnoxius redditur, qui proprietatem ac discretionem subsistentiarum non admittit. Oportet enim mentem nostram, quasi subiecto cuidam fundamento innitentem, characteresque illi euidenter impressos, in certa eius quod quæritur intelligentia & comprehensione fundare. Nisi enim paternitatem intellexerimus, proprietatemque illius in eo quo separata est considerauerimus: quomodo poterimus competentem de Deo cogitationem accipere? Non enim satis est personarum numerare differentias, sed fatendum est vnamquamque personam in vera esse ac certa subsistentia. Alioqui figmentum illud personarum quæ non habeant singulæ suam peculiarem hypostasim, neque ipse Sabellius reprobasset: cum diceret eundem Deum, in subiecto quidem vnum existentem, ad res tamen necessarias quotidie ac passim incidentes transformatum, aliquando Patrem, aliquando Filium, nonnunquam Spiritum Sanctum dici. Errorem hunc iam olim sopitum infandæ istius hæresis inuentores nunc renouant: qui dum subsistentias personarum irritant, simul nomen filij Dei pernegant: quos nisi aduersus

† σκόπουμεν τὰ παρελθόντα.

διαμαρτυρία τοῦ βασιλέως.

Ἕλληνα.

Γνώμη memorabilis.

ἀνωνύμως ἀιρέσεως.

aduersus Deum iniquitatem loqui destiterint, cum negatoribus Christi deplorare oportebit. Hæc vobis necessario scripsimus: ad hoc, vt peruersarum doctrinarum pestes obseruetis. Siquidem enim pernicioſis pharmacis assimilandæ sunt prauæ doctrinæ, quemadmodum somniatores quoque vestri dicunt: cicuta reuera sunt & aconitum, ista figmenta: aut si quod aliud est letale venenum. Non nostri sermones, sed hæc sunt animarum venena, quæ temulentæ illæ vociferantur, innumeris propter affectionum varietatem phantasiis refertæ, quibus hoc erat, si saperent, agnoscendum, quod impollutas & ab omni macula puras animas donum prophetiæ illustrat. Neque enim speculum, si pollutum sit, imaginum poterit impressiones recipere: neque anima secularibus occupata curis & carnalis sensus affectionibus obtenebrata illuminationis Spiritus sancti capax esse valebit. Non enim mox quodcunque somnium prophetia est, dicente Zacharia. *Dominus phantasiam fecit, & pluuiam imbriferam*: quapropter diuinatores loquuti molestias, & somnia vana protulerunt. Isti autem qui secundum Esaiam somniantes, in cubilibus oscitare dormitareque gaudent, & hoc ignorant, quod plerunque propter filios inobedientiæ operatio mittitur erroris, & spiritus mendax est, qui cum in pseudoprophetis esset, Achab Regem decepit. Ita scientes oportebat non vsque adeo superbire, vt sibi ipsis Prophetiæ donum adscriberent: qui & auguris Balaam cautionem non assequi probantur. Is enim cum à Rege Moabitarum magnis esset muneribus aduocatus, ausus non est aliquam præter voluntatem Dei vocem emittere, aut Israël maledicere, cui non maledicebat Dominus. Itaque si phantasiæ quas isti in somniis habent, cum præceptis Domini concordant, contenti sint Euangeliis, quibus non est opus vt aliquo somniorum auxilio fide digna reddantur. Si vero pacem suam nobis reliquit Dominus, nouumque dedit mandatum, vt nos diligamus mutuo, somnia vero ista pugnam ac dissidium dilectionisque extinctionem docent, non dent occasionem ac locum diabolo per somnium mentes ipsorum inuadendi, neque maioris phantasmata sua faciant autoritatis quam salutarem doctrinam.

Collatio. *Ex collatione argum.* *Zacha.10.* *Esa.56.* *3 Reg.22.*

In Sozopoli agentibus MAGNVS BASILIVS.

IACOBO MYCRÆO *interprete.*

LIX.

ACcepi literas, fratres chariſſimi, quas de rerum vestrarum statu ad me scripsistis. quod nos curarum participes facitis ad necessaria vobis & studio digna obeunda, gratiam Domino egimus. Porro indoluimus, vbi nunciatum nobis fuit, præter Arianorum tumultum grassantem in Ecclesiis, & confusionem quam illi de fidei verbis excitarunt, aliam adhuc nouam contentionem esse apud vos obortam, quæ in magnam anxietatem fratres perducat. Nam scripsistis nobis hominum noua dogmata, & auribus fidelium insueta, tanquam ex scripturarum videlicet disciplina introducentium. Cæterum posuistis esse quosdam istic, qui salutarem Iesu Christi dispensationem dissoluunt, quantum ad eam non attinet: & magni mysterii gratiam spernentes, quod à seculis tacitum est, suo autem tempore manifestum. Cum Dominus omnia necessaria generi humano esset prosecutus, aduentum proprium nobis in omnibus gratificatus est. Iuuit enim suam ipsius creaturam, primum per Patriachas, quorum vitæ exempla & regulæ erant illis propositæ, qui Saluatoris volebant insequi vestigia, & iuxta similem illis zelum peruenire ad bonorum operum perfectionem. Deinde legem dedit in auxiliū per angelos ipsam statuens in manu Mosis. Postea prophetas qui annunciarent salutem futuram. Iudices, Reges iustos, qui potestatem in manu occulta ederent. Post hos omnes in diebus extremis ipse apparuit in carne, natus ex muliere, natus sub lege, vt legi subditos redimat, vt adoptionem reciperemus. Si igitur non euenisset Domini in carne aduentus, non dedisset redemptor pro nobis pœnam morte, non dissipasset mortis regnum per ipsam. Si enim aliud esset cui mors dominaretur, aliud à Domino assumptum esset, non cessaret mors quæ ipsius sunt peragere: non nostrum lucrum facti fuissent carnis Deum gestantis cruciatus: non occidisset peccatū in carne: non viuificati essemus in Christo, qui in Adam eramus mortui. Non recreatum quod cecidit: non instauratum quod corruptum: non placatū Deo quod per impositurā serpentis erat abalienatū. Hæc enim omnia tolluntur ab iis, qui cœleste corpus habentem dicunt Dominum aduenisse. Quis vsus sanctæ virginis, si non ex massa Adam † Christigera caro erat assumenda? Verum quis tam audax, vt Valentini dogma iam olim suppressum, sophisticis verbis, scripturarumque testimonio denuo nunc excitet, renouetque? Non enim recentior opinionis impietas est, sed olim ab insulso stolidoque Valentino incepit, qui paucas Apostoli dictiones dilacerans, impium sibiipsi figmentum parauit, formam dicens serui, & non ipsum seruum assumpsisse: & in figura Dominū natum esse affirmans, sed non ipsum hominem ab eo assumptum. His finitima solent isti effutire, quos deplorare conuenit, nouos nobis introducentes tumultus. Quod autem dicunt in ipsam deitatem humanos affectus incidere, eorū est qui parum compotes mentis existunt, neque sciunt alios carnis affectus, alios carnis animatæ quæ corpore vsa est. Carnis igitur proprium, secari, imminui, dissolui. E contrario carnis animatę, fatigari, dolere, esurire, sitire, sopore detineri. Animæ corpore vtentis, tristitiæ, infelicitates, curæ, & id genus alia, quorum aliqua naturalia & necessaria sunt animanti, aliqua ex voluntate praua, quæ propter vitæ intemperantiam, & neglectum virtutis vsum inuehuntur, vnde apparet Dominum alios naturales affectus ad veritatis confirmationem suscepisse, non iuxta imaginationem assumptæ humanitatis. Prauas autem affectiones, quæ puritatem vitæ nostræ inquinant, eas tanquam immaculata deitate indignas, abiecisse creditur. ob hoc enim dictus est, in similitudine natus carnis peccati. Non enim in similitudine carnis, vt his videtur, sed in similitudine carnis peccati. Quapropter carnem nostram cum naturalibus ipsius affectibus induit. Peccatum autem non fecit. Sed quemadmodum mors in carne per Adam ad nos transmissa, à diuinitate absorpta est, sic & peccatum insumptum iustitia Iesu Christi. Quare nos in resurrectione carnem sumemus neque morti subditam, neque peccato obnoxiam. Hæc sunt, fratres, Ecclesiæ mysteria. Hæ Patrum traditiones. Prædicimus cuilibet Dominum timenti, & Dei iudicium expectanti, ne varijs perperam commoueamini disciplinis. Si quis aliter docet, nec credi sanis fidei sermonibus, sed Spiritus oracula contemnens, propriam doctrinam Euangelica potiorem statuit, talem vitetis. Sed Dominus potestatem aliquando præbeat, vt vna liceat esse, & quæ sermoni nostro desunt, ea præsentes impleamus. Ex multis siquidem pauca vobis nunciamus, vt qui noluerimus Epistolæ mensuram excedere, habeamusque persuasum etiam breuiusculam admonitionem ijs qui timent Dominum sufficere. Vale.

† ὁ χριστοφόρος σάρξ. *In Photinianos & Valentinianos* ἐκ φυρά-μαλος. *Collatio Adæ ad Christum.*

Nicopolitanis BASILIVS MAGNVS.

LX.

QVando malum prospero successu augeri, vestram vero pietatem languere animumque vos propter irremissas calamitates despondere video, mœstitia repleor. Quando verò contra magnificam Dei considero manum, quomodo is nouerit eos qui confracti sunt, in pristinum gradum restituere, iustos diligere, superbos conterere, & deponere potentes de sede, mutata iterum sententia spei beneficio alacrior fio. Noui autem, quòd orationibus vestris motus, velocem nobis Dominus concessurus sit tranquillitatem: duntaxat ab oratione non deficiatis, sed quæ verbis alios docetis, horum præsenti tempestate omnibus ipso opere euidentia studeatis proponere exempla.

παραμυθία. *Consolatoria.*

Ad Ecclesiam Ancyræ BASILII MAGNI *Consolatoria.*

LXI.

παραμυθητική. *Solatur eos, vel magis deflet mortem Episcopi ipsorum.*

IAm aliquandiu nobis silentium incussit consternatio illa quam acerbitas intulit mali, quod vobis accidisse nuntiatum est. Postquam vero à stupore linguæ quem quasi grandi tonitruo aures percussi passi sumus, parumper respirare datum est: necessario iam super eo quod accidit ingemuimus: istamque vobis interea dum lugemus misimus Epistolam: non vt vos consolaremur: (quis enim sermo excogitari poterit, qui tantæ calamitati medeatur?) Sed vt dolorem cordis nostri quantum fieri potest hac vobis lugubri voce significaremus. Opus nunc haberem illis Hieremiæ lamentationibus, & si quis alius beatorum virorum calamitatis alicuius magnitudinem affectibus percitus lamentatus est. Mortuus est vir qui columna erat & stabilimentum Ecclesiæ. Imo magis ad beatam vitam sublatus à nobis abscessit. Haud parum autem periculi est ne subtracto hoc fundamento simul cum illo multi decidant: & quæ in nonnullis sunt putrida ac marcida manifesta fiant. Clausum est os, quod hactenus & competenti fiducia, & sermonibus gratiæ ad fraternitatis ædificationem scaturiuit. Ablata sunt consilia mentis, quæ reuera diuinitus agitabatur. O quoties animum meum (accusabo enim meipsum) nonnihil contra hunc virum indignationis subiit: quod totus hoc desiderio tenebatur, vt dissolueretur & esset cum Christo: nec hoc pluris faciebat, vt diutius propter nos in carne maneret. Cuinam deinceps Ecclesiarum curam imponemus? Quem in rebus hisce tristibus accipiemus consortem? Quem habebimus modestiæ ac temperantiæ dispensatorem? O grandem prorsus ac tristem desolationem! Quam plane pelicano solitudinem incolenti similes facti sumus? Attamen si coniuncta Ecclesiæ membra, & ab illius præsidentia, tanquam anima quadam in vnam sympathiam iustamque sint communionem coaptata, solide conseruantur ad spiritualem concentum per vinculum pacis, conseruabunturque in sempiternum, largiente Deo, vt fitma & immota maneant beatæ illius animę opera, quibus pro Ecclesiis Dei decertauit. Alioqui haud exiguum certamen supereſt, ne contentiones & seditiones, dum eligendus est præsul, renascentes, omnem simul laborem, si contigerit dissidium, subuertant.

θρήνων.

πτῶμα τοῦ.

πελεκάνι ἐρημικῷ.

ἁρμολογίαν. ἀγών.

Senatui Tyanorum BASILII MAGNI *Epistola,*

IACOBO MYCRÆO *interprete.*

LXII.

προτρεπτική, *Hortatoria ad Concordiã eum exemplis.*

PRofunda detegens, & cordium consilia perscrutans Dominus, dedit etiam humilibus prudentiam difficilium, vt nonnulli existimant, machinamentorum. Nihil igitur nos latuit, neque ex factis aliquid occultatum. Attamen nos neque videmus neque audimus quippiam aliud, quam Dei pacem, & quæ ad ipsam maxime spectant. Si enim alij potentes, atque magni, suisque viribus confisi: certe nos, qui nihil sumus, & paruæ autoritatis, nunquam nos attollemus vt in solitudine possimus rebus supereſſe: cum exacte sciamus nos magis vniuscuiusque fratrum auxilio indigere, quam altera manus alterius. Porro quod in ipsa corporis structura communio est necessaria, Dominus nos docuit. Quum enim hæc ipsa nostra membra respicimus quod vnum non sibiipsi ad functionem satis est, quomodo censebo meipsum mihi sufficere ad vitæ negotia obeunda? Neque enim pes tuto ierit altero non subleuante. Neque oculus sane viderit, nisi alterum habeat socium, & cum eo vnanimiter visibilibus se obiiciat. Iam auditus exactior est, qui per vtrosque meatus vocem recipit. Et multo validior apprehensio digitorum communione. Adhæc, nihil eorum vel quæ à natura, vel quæ ex instituto recte peraguntur, sine consortis conspiratione perfici videmur: cum etiam deprecatio ipsa consonantes non habens, multo est inualidior. Ac Dominus dixit, cum *duo aut tres vnanimes ipsum inuocant*, in medio se illorum fore. Insuper dispensationem ipsam Dominus suscepit, vt per sanguinem crucis ipsius, siue terrena, siue cœlestia pacificaret. Quare ob hęc omnia in pace manere vitæ nostræ residuos dies precamur: in pace esse dormitionem nostram optamus. Pro hac neque laborem effugere qualemcunque decreui, non humile quid sonare vel facere, non itineris longitudinem abhorrere, non aliud quid molestum detrectare, vt ex præmiis pacificationem consequamur. Et si quis nos hæc docentes sequatur, hic optimus etiam precationis terminus existit. Sin autem in diuersum trahatur, ego quidem neque sic à meo iudicio recedam: singuli autem ipsimet suorum operum fructus in die retributionis agnoscent. Vale. *Matt. 18.*

βεβαίωσις ἀπὸ ὁμοίου. *A simili.*

Italis & Gallis,

Deo dilectissimis & sanctissimis fratribus, & coadiutoribus in Italia & Gallia vnanimis & concordibus Episcopis Meletius, Eusebius, BASILIVS *in Domino salutem.*

IACOBO MYCRÆO *interprete.*

LXIII.

SÆpe etiam suspirium ex alto cordis editum, solatium aliquod animis indolescentibus adfert, atque lacrymæ erumpentes afflictionis copiam discutiunt. Nobis autem, quod affectus nostros vobis aperimus, non tantum solatij experimur, quantum gemitus & lacrymæ exhibent, verum quædam nos spes etiam melior fouet. Nam forsan si vobis ea quæ molestant nunciemus, incitabimus vos ad nostrum auxilium, quod iamdudum à vobis pro orientalibus Ecclesijs expectauimus, sed nondum sumus assequuti, Deo planè nostra gubernante secundum inuisibilia eius iudicia, qui nos longiori tempore his infestari tentationibus voluit. Non enim ignoratis nostra negotia fratres honore præcipuo digni vt quæ extremi orbis fines auditu perceperint. Neque omnino alienos ab affectu fratrum vnanimum vos autumo, cum sitis discipuli Apostoli docentis complementum legis esse proximi dilectionem: sed verũ quod diximus iustum Dei iudicium, impetum vestrum cohibuit, qui pro peccatis ęquam afflictionem instituerit. Atqui nũc vos adhortamur, vt veritatis zelo incũbatis & nostrum condolentiæ, vbi didiceritis etiã quæ antehac vos latuerunt, à pio fratre nostro Sabino coadiutore: qui vobis poterit etiã quæ in epistola non comprehensa sunt, commemorare: per quem inquam, virum adhortamur vos, vt viscera miserationis induatis, omnique sepositа segnitie dilectionis studium recipiatis, neque viæ longitudinem, neque domus negotia, neque aliud quid humanum causemini, neque enim vna Ecclesia, neque duæ vel tres in grauem hanc tempestatem illapsæ periclitantur, sed à finibus Illyrici ad Thebaidem vsq; hæreseos malum depascitur, cuius praua semina prius quidem inauspicatus Arius sparsit, radicitus autem fixa à multis in medio viris impietatem studiose colentibus nunc pernicioſos fructus generarunt. Euersæ sunt pietatis doctrinæ, confusa solutaque pietatis vincula: dominandi libido eorum qui non timent Dominum, præfecturas inuasit, & ex propatulo prędmium impietatis præfecturа proposita est. Qui in grauiorem blasphemiam relapsus est, in populi Episcopatum præ alijs eligitur. Perit grauitas Pontificum, pastores cum scientia gregem Domini reliquerunt, dum præfecti distributiones pauperum in proprios vsus donaque semper insumunt. Canonum exacta obseruatio pessum iuit, multa peccandi libertas patet. Nam qui fauore humano ad imperium deuenerunt, eodem ipso fauoris gratiam implent. Iustum iudicium perijt, quisque cordis sui desiderio ambulat, malitia immodica, populi immorigeri, præfecti non liberè loquuntur. Nam qui per homines sibiipsis potestatem acquisiuerunt, serui sunt eorum quorum fauore adiuti sunt. Iam etiam arma belli inuicem, vltio videlicet sanæ doctrinæ, excogitantur: & priuatas inimicitias occultantes, pro pietate olim gerere assimulant. Alij vero ob turpissima reprehensionem à se declinantes, populum in contentionem accendunt, vt commu-

τυφμή.

Eadem vel germinat nostra ætas.

Huc oculos appellite vestros Ecclesiæ Christi Præsules.

ἄσπονδος πόλεμος irreconciliabile bellum.

communibus malis sua vitia adumbrent, abscondantque. Quare etiam bellum hoc praua operatium, irritum est, dum communem pacem, tanquam occultam ipsorum ignominiam detegentem, fugiunt, ob hæc rident infideles, imbecilles fluctuant, fides in ambiguo est, ignorantia animis obfunditur, quod adulterantes verbum in malitia veritatem videantur imitari. Taceo enim impiorum ora, omnis blasphema lingua dissoluta est, prophanata sunt sacra: ex populo qui sanæ mentis sunt, deprecatorias domus siue oratoria fugiunt, tanquam impietatis scholas. In solitudine vero ad cœlestem Dominum cum suspiriis & lacrymis manus attollunt. Cæterum, ad nos quoque venerunt quæ in plurimis ciuitatibus gesta sunt. Populus cum mulieribus & pueris ipsisque senibus ante portas effusus, sub dio preces fundunt, omnes aëris iniurias cum magno animo sustinentes, & auxilium à Domino expectantes. Quæ deploratio his calamitatibus digna aut par esse possit? quales lacrymarum fontes his malis sufficient? Quandiu igitur stare quidé adhuc videntur, tandiu adhuc vestigium veteris status præseruatur, priusquam consummatum Ecclesiis naufragium eueniat. Præsens instat iam nobis, instat inquam, integerrimi fratres: porrigite manus, in genua inclinate. Commoueantur in vobis fraterna vestra viscera, profundatis lacrymas condolentiæ, & non negligite dimidium orbis ab erroribus absorptum, non sinite extingui fidem, apud quos primum illuxit. Quid igitur facientes, rebus occurretis? & quomodo erga oppressos condolentiam ostendetis, id à nobis nequaquam vos discere oportebit, sed spiritus ipse sanctus vobis suppeditabit, nimirum vt cito auxilium præstetis, quo comprehensos seruetis incolumes, & qui adsunt fratres complures. Nam peregrinantes synodi existunt supplementum, vt non solum ex legatorum grauitate, sed etiam proprio numero, ad instaurationem fidei fiduciam habeant: qui etiam in Nicæa scriptam à patribus vestris fidem renouabunt, & hæresim funditus extirpabunt, & Ecclesiis pacifica prædicabunt: eos qui non idem sentiunt, in concordiam ducentes. Hoc enim nimirum omnium miserrimum est, quod & pars quæ sanioris doctrinæ esse videtur, inuicem diuisa est: & circunstant nos persimiles afflictiones iis sane quæ in Vespasiani obsidione vrbi Hierusalem acciderunt, huius siquidem populus simul extraneo bello occupabatur simul & intestina seditione eiusdem tribus consumebatur. Nobis autem præter apertum hæreticorum bellum, adhuc etiam ille qui ab vnanimis doctrina existimatis dissidet, ad extremam imbecillitatem Ecclesias deduxit: propter quæ potissimum à vobis præsidium desideramus, vt qui Apostolicam fidem profitentur, schismatis quæ nouerint dissolutis, deinceps authoritati Ecclesiæ subiiciantur, vt sanum Christi corpus fiant, omnibus membris ad integritatem redactis. Ac non solum aliorum bona laudibus extollamus, quod nunc facimus, sed nostras quoque ipsorum Ecclesias inspiciamus, veterem integræ doctrinæ gloriam adeptas. Indubie enim summa laude dignum iudico, quod vobis à Domino concessum est, vt fucatum à probato puroque discernatis: patrum autem fidem sine vlla præuaricatione prædicetis, quam & nos susceпimus, cognouimusque ex Apostolicis characteribus formatam, coniuncti quoque ipsi & omnibus quæ synodi scriptura regulariter & legitime sunt instituta.

Verè pientissimis ac desideratissimis fratribus, concordibusque comministris Galliæ & Italiæ Episcopis BASILIVS *Cæsareæ Cappadociæ Episcopus.*

LXIV.

Collatio Ecclesiæ ad corpus humanum.

DOminus noster Iesus Christus quoniam omnem Ecclesiam Dei suum ipsius corpus nominari sustinuit, & vnumquemque nostrum alterius membrum declarauit: dedit quoque nobis, vt erga omnes iuxta membrorum consensum, amice simus affecti. Quapropter etiamsi habitationibus sumus alter ab altero quam longissime dissiti ac dirempti: ratione tamen coniunctionis huius, propinqui sumus inuicem. Quoniam igitur pedibus caput dicere non potest: non estis mihi necessarij: plane neque vos amici-

A tiam nobis renuntiare sustinebitis: sed tantum vos ad commiserationem permouebunt afflictiones nostræ, quibus propter peccata nostra traditi sumus, quantum nobis congratulationis adfert, quod in pace quam vobis largitus est Dominus celebres estis. Hac itaq; ratione & nunc & alias dilectionem vestram voce lugubri opplorauimus: vt nostrę miseriæ condoleatis ac succurratis. Verum planè prohibiti estis, ne ad iuuandum nos excitaremini: propterea quod vltio diuina qua castigandi eramus, nondum esset impleta. Nam hoc potissimum est, quod requirimus, vt ipsi quoque imperatori per vestram pietatem innotescat orbis nostri perturbatio confusioque. Hoc si factu difficile fuerit,
B vt vel aliqui vestrum ad visendum & consolandum afflictos veniant: qui ipsis oculis conspiciant calamitatem Orientis quæ auditu percipi nequit: propter quod nullo vobis sermone res nostras dilucide exprimere possumus. Persequutio nos apprehendit, fratres colendissimi, per- *Catalogus persecutionum per Constantiũ Valentẽ, & Arianos.*
sequutionum omnium grauissima. Abiguntur enim pastores, vt greges dispergantur. Et quod omnium est durissimum, neque qui affliguntur, per martyrij certitudinem illatas passiones tolerant: neque plebs martyrum loco athletas habet ac veneratur: propterea quod Christianorum nomine tecti sunt persequutores. Vnum iam crimen est quod vehementer punitur: si paternas quis traditiones diligenter obseruet. Ob hanc causam paternis sedi-
C bus abiguntur pij, & ad solitudines migrare coguntur. Nulla est apud Iudices iniquos cani capitis reuerentia, non iam vlla conspicitur religiosæ pietatis exercitatio, nulla conuersationis initur ratio, quæ ad Euangelij normam ab adolescentia ad senectam vsque legitime perficiatur: sed cum nemo sceleratus sine certis indiciis condemnetur: Episcopi sola intercedente calumnia damnantur: & nulla euidenti probatione assertis ac corroboratis criminationibus, suppliciis traduntur. Nonnulli ne nouerunt quidem accusatores suos, neq; tribunalia viderunt: neq; delati sunt primum, sed nocte intempesta abrepti, in exilium fugati sunt: solitu-
κλήρου λαοῦ λαοσίαι. dinis calamitatibus ad mortem vsque traditi. Quæ vero ista
D concomitentur neminẽ latet: etiam si nos sileamus. Exilia presbyterorum, exilia diaconorum, totiusque cleri depopulationes. Necesse enim est vel adorare imaginem, vel sæuæ flagrorum flammæ tradi. Gemitus plebis, lacrymæ continuæ & per singulas domos & publicè omnibus quæ patiuntur inter se complorantibus. Nemo enim corde est adeo vsq; lapideo, vt patre priuatus placidè ferat orphaniam. Sonitus lamentantium in ciuitate, sonitus in agris, in vijs, in solitudinibus. Vox vna omniũ miseranda ac tristia loquẽtium. Sublatum est gaudium, & lętitia spiritualis, in luctum mutatæ sunt festiuitates nostrę, Domus precationum clausę sunt. Altaria cultu spirituali vacant. Nulli amplius Christianorum cœtus, nulla amplius doctorũ prędentia: cessarunt
E doctrinę salutares: cessarunt panegyres ac festiui conuentus publiciq;, hymnodię nocturnę non habentur: neq; supereſt beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in Synaxi ac communione spiritalium charismatum exhilarantur. Nobis iam dicere licet, quod in hoc tempore sit neque princeps, neque Propheta, neque prędes, neq; oblatio, neque incensum, neq; locus vbi coram Domino possit offerri sacrificium ac misericordia acquiri. Hęc scientibus scribimus: propterea quod nulla orbis pars est, quæ calamitates nostras ignoret. Quare non putabitis: quod ista vobis do- *Collationes exprimendis calamitatibus accommodæ.*
cendi, vel admonendæ diligentiæ vestræ gratia loquamur. Nouimus enim, quod nostri nunquam sitis obliti: non minus quam mater filiorum vteri sui. Sed quemadmodum,
F qui dolore aliquo occupantur, per gemitus solent releuare mœrorem: ita & nos facimus: vt mœstitię grauitatem nonnihil refellamus: multiformes nostras calamitates vestrę dilectioni narramus, si quo pacto ad precandum pro nobis aliquãto feruentius permoti, impetretis à Domino vt nobis placatus concilietur. Quod si hæ tribulationes nos solos pressissent, visum nobis vtiq; fuisset & silentio illas obtegere, & de afflictionibus pro Christo illatis gloriari: quoniam præsentis temporis afflictiones non sunt pares ad gloriam quæ futura est vt reueletur in nobis. Nunc autem metuimus, ne quandoq; malum hoc acceptis viribus, instar flamę per accensam & ardentem materiam serpentis sęseq; effun-

μεταφορὰ elegans.

dentis, si quæ vicina sunt corripuerit & absumpserit, corripiat & remotiora. Hoc enim hæreseos malum cuncta depascitur, & periculum est, ne vastatis nostris Ecclesiis, & ad sanam incolatus vestri partem serpat. Nos enim forsan primi quidem propter exuperans peccatum nostrum crudis istis hostium Christi dētibus vt absumamur, sumus obiecti: fortassis autem, quod vero propius est, quoniā à nostris locis exortum Euangelium regni in totum orbem egressum est: hac ratione communis animarum nostrarum hostis defectionis quoque seminaria, quæ in eisdem nostris locis initium ceperunt, in vniuersum orbem transmittere contendit. Nam quibus illuxit cognitionis Christi lumen, super eosdem & impietatis tenebras inducere cogitat. Afflictiones itaque nostras, vestras reputate: tanquam germani Domini discipuli. Non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliquid aliud rerum temporalium: sed propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, propter sanam fidem in certaminis procinctu cōsistimus arrecti. Lugete nobiscum, ô fratrum amantes. Occlusa namque sunt apud nos piorum ora: reserata vero est quælibet audax blasphemaque lingua, eorum qui aduersus Deum loquuntur iniustitiam. Columnæ & stabilimentum veritatis dissipantur. Nos, qui tenuitatis gratia despicimur, fiducia loquendi destituti sumus. Ipsi quæso & pro hisce populis decertatote, & non vestra tantum spectate: quoniam ad portus appulistis tranquillos, per gratiam Dei, quæ vos à turbine malorum spirituum protegit: sed & Ecclesiis illis quæ per tempestatem iactantur, manus porrigite: nequando omni prorsus destitutæ auxilio fidei naufragium patiantur. Ingemiscite nostri gratia. Nam vnigenitus blasphematur, & nemo est, qui contradicat: Spiritus sanctus dehonestatur, & qui reprehendere posset fugatur. Error multorum deorum obtinuit. Magnus apud illos Deus est & paruus: filius, non naturæ nomen, sed honoris appellatio reputatur: Spiritus sanctus nec ad sanctæ trinitatis complementum pertinere, nec diuinę beatęque naturæ consors, sed ex creaturarum numero temere & vtcunque patri & filio adiectus esse docetur. Quis dabit capiti meo aquam, & palpebris meis fontem lacrymarum, & deplorabo complures dies populum peruersis istis doctrinis ad perditionem adactum? In transuersum rapiuntur simplicium aures, ac deinceps in consuetudinem transeunt hæreticæ impietatis. In istiusmodi sermonibus doctrinæ plusquam impiæ educantur Ecclesiæ infantes. Nam quid aliud etiam facient? Baptismata sunt apud hæreticos. Illi deducunt peregre quouis progredientes: inuisunt infirmos, solantur mœstos, adiuuant laborantes & pressos, omnis generis opem adferūt: mysteriorum communionem administrant. Quod omnia per illos dispensantur ac perficiuntur: quasi retinaculum quoddam est plebi, quo ad illorum cōcordiam astringuntur, ita vt breui temporis decursu, etiam si restituatur aliqua libertas, nulla tamen spes reliqua futura sit ad veritatis iterum agnitionem reducendi eos qui diuturnæ dilectionis vinculo hęreticis obstricti sunt. Quapropter complures ex nobis oportebat ad grauitatem vestram accurrere, & vnumquenque rerum suarum expositorem fieri. Iam vero & hoc ipsum, documentum vobis sit afflictionis eius in qua vitam viuimus plane miserabilem, quod ne ad vos quidem detur viam capessere & proficisci. Nam si quisquam Ecclesiam suam vel breuissimo momento deseruerit, plebem confestim insidiatoribus expositam relinquet. Verum per gratiam Dei vnum misimus pro multis, pientissimum hunc & dilectum fratrē nostrum Dorothæum Sympresbyterum, qui & quæcunque litteris nostris non satis exprimuntur, sua ipsius poterit narratione adimplere: qui & cuncta diligenter perquisitaui: & zelo [illegible] fidei ducitur, quem vbi pacifice susceperitis propere ad nos bona nobis studij vestri, quoad iuuandum fraternitatem præditi estis, nuntia referentem remittite.

In Ariū & Macedonium. τριάδες.

Attēde hæreticorum muscipulā, in quam principes viros irretiunt Zuingliani & Caluinian.

Alexandrinis BASILIVS MAGNVS.

παρακλητικὴ. *Consolatoria.*

LXV.

DE persequutionibus apud Alexandriam & reliquam Ægyptum iamdudum ad nos fama peruenit, animosque nostros affecit vt par erat. Expendimus enim astutiam belli diabolici, quomodo is vbi Ecclesiam ex persequutione ab inimicis illata, multiplicari magisque florere vidit, insidias suas mutauerit: vt iam nos non ex aperto oppugnet, sed occultas insidias struat, consilium suum per nomen Christiauum quod hæretici prætexunt, obtegens, vt & eadem cum patribus nostris patiamur, & tamen haud videamur pro Christo pati: propterea quod & ipsi persequutores nostri Christianorum nomine censentur. Ista considerantes, plurimum temporis ex eorum quę apud vos gesta nuntiata fuerant animos nostros stupore impleuerunt ac perculerunt. Reuera namque insonuerunt vtræque nostræ aures, vbi cognouimus impudentem, & humano generi inimicam hæresim eorum qui vos persequuti sunt: quomodo nec aliquam venerati sint ætatem; nec molestias caniciei, nec plebis dilectionem: sed corpora verberarunt & dehonestarunt, inque exilia eiecerunt ac bona diripuerunt, quæcumque acquirere potuerunt, neque humanam veriti condemnationem, neque terribilem iusti iudicis retributionem præuidentes ista nos stupefecerunt, & ipso propè sensu destituerunt. Accessit autem ad hasce animi mei disceptationes & ista cogitatio: An Ecclesias suas prorsus reliquit Dominus? An nouissima hora est, & hoc pacto initium sumit defectio, vt iam deinceps reueletur iniquus ille filius perditionis qui aduersatur & extollitur supra omnem qui dicitur Deus, aut numen? Attamen siue temporaria est ista tentatio, ferte eam vt boni Christi athletæ: siue omnimodæ res nostræ traditæ sunt corruptioni, ne socordes simus ad ea quæ accidunt, sed reuelationem è cœlis & apparitionem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi expectemus. Si namque vniuersa creatura soluetur, & transmutabitur figura huius mundi, quid fuerit insolentiæ, si & nos, qui creaturæ portio quædam sumus, communes afflictiones tulerimus, tribulationibusque traditi fuerimus: quas pro mensura potentiæ suæ super nos iustus inducit iudex, qui nos tentari non sinet supra quam ferre poterimus, sed & cum tentatione exitum dabit, vt ferre queamus? Expectant vos fratres martyrum coronæ. Parati sunt confessorum chori vt manus vobis porrigant, inque numerum suum vos recipiant. Memores estote veterum sanctorum, quam nemo sit illorum deliciis & assentationibus patientiæ coronis dignus effectus: sed omnes per magnas tribulationes ingressi, experimentum sui dederint. Alij enim illusionibus & flagellis explorati sunt: alij tentati sunt, dissecti sunt, occisione gladij occubuerunt. Hæc sunt, vnde decorantur sancti. Beatus est, qui dignus habetur vt pro Christo patiatur. Beatior is est qui abundantiores afflictiones tulit. Quocirca afflictiones præsentis temporis pares non sunt ad gloriam quæ futura est, vt reueletur in nobis. Quod si ipse ad vos venire potuissem, congressu vestro nihil fuisset charius, vt & athletas Christi viderem & complecterer, ac precum donorumque spiritalium quæ vobis data sunt consortio potirer. Quoniam vero corpus habeo diuturno morbo confectū, ita vt ne lecto quidem descendere queam, & multi sunt, qui instar luporum rapacium nobis insidiantur: occasionem venantes, an quo pacto ouiculas Christi aliquando rapere possint: necessario per literas inuisere vos institui, obsecrans cum primis quidem, vt continue pro nobis precemini, quo reliquos dies, aut etiam horas, Domino secundum Euangelium regni seruire merear: deinde vero vt & imperitiæ meæ & literarum tarditati ignoscatis. Nam ægre nobis eius hominis copia facta est qui desiderio nostro seruire queat. Dico autem de Eugenio monacho filio nostro, per quem vos obsecro, vt pro nobis & vniuersa Ecclesia oretis, deque rebus vestris rescribatis vt cognitis illis alacriores reddamur.

De iudicio idem Basilius, quod Greg. Romanus.

Att. quam varijs atriti ac probati pœnā sācti omnes.

Euaisenis BASILII MAGNI Hortatoria Epist.

προτρεπτικὴ.

Ad perseuerantiam in Orthodoxa fide.

LXVI.

LIcet quamplurimis adobruamur negotiis, & innumeris animus noster distineatur curis, nunquam tamen solicitudinem eam, quam erga dilectionem vestram gerimus memorię nostrę excidere passi sumus, precātes Deum nostrum

Vt ab Oriēte in Occidentem dimanauit fides ita & defectio.

noſtrum vt in fide perſeueretis, in qua ſtatis & exultatis in ſpe gloriæ Dei. Reuera nanque inſolens iam eſt ac vehementer rarum Eccleſiam videre ſynceram quæ nihil ſit à malitia temporum iſtorum læſa, ſed integram & inoffenſam ſeruet Apoſtolicam doctrinam, qualem præſentibus temporibus veſtram oſtendit: qui ſingulis generationibus eos qui vocatione ſua digni ſunt, manifeſtat. Det vobis Dominus cœleſtis Ieruſalem bona, pro eo, quod falſas contra nos calumnias in capita vaniloquorum reieciſtis: nec permiſiſtis vt cordibus veſtris ſeſe iuſinuarent. Noui autem & perſuaſum habeo in Domino, quod merces veſtra multa, etiam ob hanc cauſam, ſit in cœlis. Sapienter enim hoc apud vos ipſos conſideraſtis, quod & verum eſt, quod qui mala mihi reddiderunt pro bonis, & odium pro dilectione mea, qua eos proſequutus ſum, iam me calumniantur, eorum gratia, quæ ipſi deprehenduntur ſcripto editis confeſſionibus approbaſſe. Et non ſolum hac ſibiipſis contrarietate repugnant, ſcripto nos traducentes, ſed quod & ab Epiſcopis illis qui Conſtantinopoli conuenerant communi decreto ab Epiſcopali functione depoſiti, depoſitionem non agnouerunt, Synodum eam appellantes Synodum reproborum: nec paſſi quidem eos vocari Epiſcopos, ne contra ſe prolatam ſententiam firmarent. Et cauſam adiecerunt, ob quam illi non ſint Epiſcopi: quoniam vt inquiunt, præſunt hæreſi. Hæc vero ante annos nondum plene exactos decem & ſeptem facta ſunt. Erant autem ductores eorum à quibus iſti depoſiti ſunt: Eudoxius,, Euippius, Georgius, Acacius, & reliqui nobis ignoti. Qui vero iam Eccleſiis dominantur, illis ſucceſſerunt: alij in illorum Epiſcopatus ordinati: alij ab illis ipſis ad præſidentiam euecti. Dicant igitur nunc, qui hanc nobis infamiam intentant, quomodo hæretici fuerint illi, quorum depoſitionis ſententiam non agnouerunt: & quomodo iam orthodoxi ſint, qui & ab illis ad Epiſcopatus euecti ſunt, & eandem ſententiam cum maioribus ſuis tuentur. Si enim Orthodoxus eſt Euippius, quomodo non Laicus eſt Euſtathius, qui ab Euippio eſt Epiſcopatu depoſitus? Si vero hæreticus eſt Euippius, quomodo ab Euſtathio in communionem receptus eſt is, qui per manum Euippij ordinatus eſt? Sed hi ſunt iſtorum ludi, quibus Eccleſiis Dei pro ipſorum commodo illudunt: qui & calumniari homines, & rurſus commendare conantur. Baſilidis Paphlagonici altaria, cum Paphlagoniam tranſiret ſubuertit Euſtathius, & propriis menſis miſſæ munus perfecit: & iam Baſilidi ſupplex eſt, rogans vt ſe ſuſcipiat. Elpidium pientiſſimum fratrem, propterea quod Amaſenis coniunctus eſſet excommunicauit: & nunc Amaſenis quoque ſupplex factus eſt petens illis coniungi. Quæ contra Euippium prædicauit, ſcitis vos ipſi, quàm fuerint horrenda. Et nunc eos qui cum Euippio ſentiunt tanquam recte docentes commendat ac celebrat, duntaxat ad confirmandum ipſius ſtudium & conatum cooperentur. Nos vero traducimur: non ideo quod iniqui quicquam deſignemus: ſed quod hoc ſibi putauerit apud Antiochenos profuturum. Quos autem anno præterito ex Galatia accerſiuerunt, vt per ipſos autoritatem & confidentiam Epiſcopatus accipere poſſent, tales ſunt, quales eos nouerunt quidem qui cum illis vel pauliſper vixere. Mihi vero nondum tantum concedit otij Dominus, vt acta illorum recenſeam: veruntamen multo ſtipati ſatellitio, ſuiſque ſymmiſtis comitati totam ipſorum regionem tranſiuerunt, Epiſcoporum habentes obſequia & famulatus. Introducti autem in ciuitatem magnifice cum autoritate concionati ſunt. Traditus eſt enim illis populus, traditum altare. Hi poſteaquam ad Nicopolim vſque progreſſi nihil eorum potuerunt quæ polliciti fuerant ad effectum perducere, quomodo reuerſi ſunt? Et quales in reuerſione viſi ſint, ſciunt qui præſentes fuerunt. Ita perpetuo omnia ſuo ipſorum commodo metiri deprehenduntur. Si vero dicunt, quod reſipuerint, oſtendant ſcripto ſuam reſipiſcentiam ſimulque execrationem à fide per ſynodum Conſtantinopolitanam, ſeparationemque ab hæreticis, nec ſimpliciores ſeducant. Talia ſunt quæ iſti agunt. Nos vero, fratres dilecti, modici quidem momenti ſumus & humiles, ſemper tamen in eodem, per gratiam Dei, conſtantes numquam ad rerum innouationem conſenſimus: fides apud nos non alia in Seleucia, alia Conſtantinopoli, in Zelis alia, & in Lampaſco alia, & alia Romæ. Et quod nunc circunfertur fidei ſymbolum, non eſt à prioribus diuerſum, ſed vnum & idem. Sicut enim à Domino accepimus, ita baptizamur, ſicut baptizamur ita credimus: quemadmodum credimus, ita glorificamus, neque à patre & filio Spiritum ſanctum ſeparantes, neque præponentes, aut filio antiquiorem eſſe Spiritum ſanctum dicentes: quemadmodum blaſphemantium linguæ aſtruunt. (Quis enim vſque adeo temerarius fuerit, vt audeat dominica reprobata conſtitutione nominibus Patris & Filij & Spiritus ſancti ſuo figmento alium excogitare ordinem?) Sed neque creatum dicimus ſpiritum, qui patri & filio coniunctus eſt: neque ſeruilem audemus dicere eum qui præſidet. Vos autem obſecramus, vt dominicæ comminationis memores qua dixit omne peccatum ac blaſphemiam hominibus remitti, blaſphemiam vero in Spiritum ſanctum non remitti, neque in iſto ſeculo neque in futuro, vobis ipſis à peſtiferis contra ſpiritum doctrinis caueatis. State in fide. Ipſum orbem inſpicite, & videte quàm modica ſit ea portio quæ hoc morbo laborat, reliqua vero vniuerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus vſque ad fines Euangelium recepit, ſanam hanc & rectam doctrinam ſectetur, à cuius communione vt ne excidatis, petimus, ſimulque precamur, vt partem nobiſcum percipere mereamini in die Domini noſtri Ieſu Chriſti, iuſta illa, in qua venturus eſt ad dandum vnicuique iuxta facta ſua.

Et in hac tempora ipſi reuoluimur.

ἐγγραφα.

παιδιαὶ.

ἐλειτουργει.

BASILIVS MAGNVS † *Monachis ſuis.*

† τοῖς ἀσκηταῖς.

LXVII.

POteſt quidem ſanctus Deus etiam eam animi iucunditatem quæ ſit ex mutuo congreſſu & conuictu largiri nobis, qui ſemper & videre vos & de rebus veſtris audire cupimus, propterea quod nulla alia in re animi recreationem habemus, quam in veſtro profectu, & abſoluta præceptorum Chriſti obſeruantia. Interea vero, dum hoc negatur, neceſſarium arbitramur, vt per germaniſſimos Dominique timentes fratres noſtros vos inuiſamus, ac literis dilectionem veſtram alloquamur. Huius itaque gratia miſimus religioſiſſimum ac germaniſſimum fratrem noſtrum, cooperatoremque Euangelij Miletium ſympresbyterum, qui vobis deſiderium noſtrum quo erga vos afficimur, ſolicitudinemque & curam animarum exponat. Nam noctes atque dies Dominum precamur vt probati habeamini, quo & nobis fiducia ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti per veſtram ſalutem, & vos clari ſitis in ſplendore ſanctorum, opuſque noſtrum iuſto Dei iudicio probetur. Simul vero multam nobis ſolicitudinem obtinentis iam rerum ſtatus moleſtia generat: in quo omnes Eccleſiæ turbatæ ſunt, omnes animę concutiuntur. Nam temerè nonnulli ora ſua aduerſus conſeruos reſerarunt. Mendacium ſine timore effutitur, veritas obſcurata eſt. Et qui quidem accuſantur: mox ſine iudicio condemnantur: qui vero accuſant ſine omni examinatione fidem inueniunt. Vnde & ego vbi complures percepi contra me circumferri epiſtolas, quibus perſtringamur ac notemur, propterque ſcripta quædam accuſemur, quorum tutelarem defenſionem habemus coram veritatis tribunali paratam: cogitaui quidem ſilendum eſſe, quod & feci. (Nam tertius iam annus hic eſt ex quo à calumniatoribus notatus accuſationis flagella ſuſtinere cœpi, hoc vno contentus quod Dominum habeo ſecretorum cognitorem ac calumniæ iſtius teſtem) Quoniam vero multos iam ſilentium noſtrum eo rapuiſſe video, vt ex illo intentatas calumnias confirmarint, noſq; non lenitatis ac patientiæ gratia, ſed quod ad expromendam veritatem os aperire neutiquam auſim, eoque ſilere me arbitrentur: ob eam vobis cauſam ſcribere conatus ſum obſecrans veſtram in Chriſto dilectionem, vt calumnias quas vna pars obijcit, non mox vt prorſus veras admittatis: propterea quod vt ſcriptum eſt, neminem iudicat lex, niſi primum audiat & cognoſcat, quid ſtatuat. Quamquam æquo iudici ad veritatis declarationem ipſa rerum cognitio ſatis eſt. Itaque poteſtis vos ipſi, etiamſi nos ſileamus ea quæ fiunt obſeruare.

Hæreticorũ Lutheranorum, Zuinglianorumque vitandam communionem.

ἀφειδῶς. διαστροφὴ *recti iudicij.*

συκοφαντίας.

obseruate. Qui enim errorum nos insimulant, conspicue deprehensi sunt hæreticorum fauere parti. Qui nos propter aliena quædam volumina condemnant: propriis confessionibus, quas scripto nobis exposuerunt, contrarij inueniuntur. Obseruate consuetudinem eorum, qui talia temere audent. Solent perpetuo ad præualentem deficere partem, & imbecillibus proculcatis amicis, colere potentes. Qui enim diuulgatas illas Epistolas aduersus Eudoxium, totamque illorum partem conscripserunt, ac omni fraternitati transmiserunt, contestatique sunt vt communionem illorum, tanquam animarum pestem fugerent: & huius gratia prolatas de ipsorum depositione sententias non receperunt, eo quod essent ab hæreticis deciſæ, sicut nobis tum persuadebant: hi iam omnium obliti, hæreticis illis coniuncti sunt, nec vllo pacto negare possunt. Animi namque sui sententiam manifeste declararunt in eo quod Ancyræ per singulas domos communiones illorum salutarunt, quandoquidem ad consortium ab ipsis ad hunc modum suscepti sunt. Itaque interrogate eos. Si iam orthodoxus est Basilides illius Ecdicæi complex & conscius, quam ob rem cum Dardania redirent altaria ipsius in agro Gangrenorum subuerterint, mensasque suas substituerint: qua ratione etiamnum Ecclesias Amasiæ ac Zelorum inuadant, suaque ipsorum autoritate constituant presbyteros ac diaconos. Nam si cum illis tanquam orthodoxis communicant, qua de causa Ecclesias ipsorum velut hæreticorum inuadunt? Si vero hæreticos esse arbitrati sunt, quomodo de communione ipsorum haud pudefiunt? An ista, colendissimi fratres, non sunt ita manifesta vt à quouis puero intelligantur, quod perpetuo proprium spectantes commodum, vel traducere quos volunt, vel commendare conantur. A nobis itaque defecerunt: nec præmissis querelis (Nam hoc est, in quo se potissimum exacerbatos esse dicunt) nec ideo, quod Chorepiscopos quos se misisse dicunt non suscepimus. Quanquam reddent Domino rationem, qui hoc subornarunt. Vnus enim Eustathius ad nos missus cum literas apparitoribus Icarij dedisset, tribus expletis in ciuitate diebus, cum ad sua redire vellet, multo iam vesperi, cum dormirem, ædibus nostris appropinquare narrabatur. Vbi vero me dormire audierat, postridie, cum discederet, denuo me non accessit: sed ad hunc modum perfunctorie quod nobiscum agere debebat exequutus, ad suos reuersus est. Atque hoc est crimen illud, quod commisimus nos, & patientes isti ac lenes homines isti delicto non contulerunt seruitutem eam quam ipsis antea in dilectione exhibuimus: sed huius erroris ac casus gratia vsque adeo grauiter nobis succensuerunt, vt ab omnibus nos totius orbis Ecclesiis quantum in ipsis fuit, excommunicari fecerint. At non est ista in veritate diffidij huius causa, sed quoniam putarint se gratificaturos tum Euzoio, si sese à nobis abalienarent istos sibiipsis prætextus commenti sunt, vt hostes nobis facti aliquo vsque sese istis commendatos redderent. Cæterum & Nicænam fidem calumniantur, nosque homousiastas siue homoousianos probrosè vocant: propterea quod in ea fide filium Dei vnigenitum cum Deo ac patre homousion, hoc est, eiusdem essentiæ confitemur. Non quod sit ex vna essentia in duas partes diuisa, fratres, absit. Non enim hoc cogitauit sancta illa ac Deo dilecta synodus, sed quod idem intelligi secundum essentiam debet filius, quod pater est secundum essentiam. Sic enim nobis illi ipsi patres exposuerunt, dicentes: Lumen ex lumine. Est autem Nicæna fides quam Occidentales attulerunt, Tyanensique synodo tradiderunt: à qua & suscepti sunt. Sed habent astutum quoddam dogma, ad eiusmodi suas mutationes paratum. Nam verbis fidei more medicorum vtuntur, pro commoditate aliter sese ad affectionum rationem ac varietatem attemperantes. Marcidum vero istud sophisma non conuenit, vt ego redarguam, sed vobis obseruandum est, dabit enim vobis intellectum Dominus vt cognoscatis, quæ recta ac plana sit sententia, quæ obliqua & peruersa. Si enim alias licet atque alias fidei confessiones conscribere, & pro temporum varietate mutare, falsa est sententia eius qui dixit: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Si vero hæc vera sunt, nemo vobis inanibus istis sermonibus imponat. Traducunt nos, quasi insolens ac nouum quiddam de Spiritu sancto doceamus. Rogate igitur ipsos, quæ sit illa nostra insolentia. Nos enim, quod & accepimus, paracletum patri ac filio coniunctum non creaturæ connumeratum esse confitemur. In Patrem namque & filium, ac Spititum sanctum credimus, denique in nomine patris ac filij & Spiritus sancti baptizamur. Quapropter nunquam à coniunctione patris ac filij paracletum separamus. Mens enim nostra à Spiritu sancto illustrata ad filium respicit: & in illo, veluti imagine, patrem contemplatur. Neque igitur nomina ex nobis ipsis comminiscimur: sed Spiritum sanctum paracletum quoque nominamus, neque debitam illi gloriam cassari sustinemus. Hæc sunt nostra illa cum omni veritate coniuncta. Si quisquam nos horum gratia accusat, accuset: si quis nos persequitur, persequatur: si calumniis quisquam nobis intentatis fidem habet, paratus sit ad iudicium. Dominus è vicino est, nulla in re soliciti sumus. Quod si in Syria quisquam aliquid conscribit, nostra nihil interest. Nam ex verbis tuis, inquit, iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Mea me verba iudicent: propter alienos vero errores nemo nos condemnet: neque Epistolas quisquam quas ante annos viginti scripsimus, probationis vice obiiciat: quod iam cum illis faciam qui illa conscripserunt. Nos enim cum ante eiusmodi conscriptiones laici essemus, ad laicos scripsimus, nihil de fidei causa, neque qualia nunc ad nostram calumniam circunferunt isti, sed vt amicos salutaremus, simpliciter eos per literas compellauimus. Pariter enim nos & eos qui Sabelli morbo infecti sunt, & qui Arij dogmata tuentur, vt impios fugimus & anathematizamus. Si quis eundem & patrem & filium ac Spiritum sanctum dicit: & qui rem quidem vnam esse supponit, quæ sic multis nominibus appelletur: vnamque hypostasim tribus appellationibus nominatam putat, talem nos Iudæorum parti coniungimus. Simili ratione si quisquam filium patri, quod ad essentiam attinet, dissimilem esse dicit, aut ad creaturam deiecit Spiritum sanctum, & hunc anathematizamus: & gentili errori vicinum esse iudicamus. At impossibile est, vt literis nostris accusantium nos ora cohibeamus, imo credibilius est nostris illos apologiis irritari quoq; vt maiora ac peiora contra nos machinentur. Interea tamen vestras communire aures non est difficile. Itaq; quod vestrum est facietis. Syncerum nobis, & quod nullis sit calumniis corruptum conseruabitis pectus, & si quid criminis nobis obiicitur, illius à nobis rationem exigetis: & vbi veritatem apud nos deprehenderitis, non dabitis locum mendacio. Si vero nos in reddenda ratione deficere senseritis, tum demum accusatoribus nostris tanquam veracibus fidem habebitis. Vigilant illi in hoc vt nobis noceant. Hoc à vobis non requirimus. Nundinariam vitam exercentes, quæstuariam sibi reddunt, quam nobis intentant calumniam. Vos vero obsecramus, vt domi maneatis: honesteque viuatis, opus Domini cum silentio perficientes. Congressus sanè illorum, subdolos & ad subuersionem audientium instructos declinetis, vt & dilectionem erga nos sinceram custodiatis, patrumque fidem infractam ac sanam seruetis: & apud Dominum tanquam veritatis amici probati deprehendamini.

Ex collatione ὁμοίωσις

Eph 4.

Qui error Sabellij libys fuit. πολυώνυμον.

BASILIVS MAGNVS

Ad Occidentales Episcopos,

De Eustathio, Apollinario & Paulino,

Deq; vnius istorum cuiusq; hæresi.

LXVIII.

TAntum cuiq; vestrum, Dominus Deus noster in quẽ sperauimus largiatur gratiæ, vt proposita spe potiamini, quanto ipsi gaudio pectora nostra replestis, cum per literas quas nobis per desideratissimos sympresbyteros nostros scripsistis: tum ex eo quod calamitatibus nostris tanquam viscera miserationis induti condoletis: quemadmodum nobis prædicti fratres indicarunt. Nam etiamsi vulnera nostra eodem modo perseuerant, nonnihil tamen inde releuamur: quod paratos habemus medicos qui velocem ac maturam possunt, si detur opportunitas, doloribus nostris

A simili metaphora.

nostris adferre medelam. Quapropter iam denuo vos per dilectos hosce fratres compellamus & obsecramus, ne, si dederit vobis Dominus copiam ac securitatem accedēdi, inuisere nos detrectetis. Maximum enim Domini mandatum est, infirmiorum visitatio. Si vero optimus Deus ac sapiens vitæ nostræ moderator hanc gratiam in aliud tempus reiecit, saltem scribite nobis, quæ vos cum ad consolationem afflictorum, tum ad erectionem confractorum scribere decet. Plurimum enim iam confracta est Ecclesia, cuius nomine & nos multum in modum tristamur. Non est autem quod alicunde opem expectemus, nisi per vos Dominus, à quibus syncere colitur, curationem miserit. Improba quidem & impudens Arianorum hæresis manifestè ab Ecclesiæ corpore diuulsa proprio immoratur errori, parumque nos lædit: propterea quòd illius impietas omnibus nota est: qui vero ouinam pellem induti, mansuetudinem ac placiditatem externè quidem simulant, internè vero gregem Christi crudeliter lacerant: & hoc nomine, quod ex nostro gremio progrediuntur, simpliciores facile lædūt, ij sunt pernicioſi illi & qui non ita facile caueri possint, quos per vestram diligentiam omnibus Orientis Ecclesiis publicari ac manifestari petimus, vt vel recta ingredientes syncere nobis coniuncti sint, vel si peruersi esse perrexerint, pestem suam sibiipsis solis contineant, ne posthac per incautam communionem morbum suum vicinioribus affricare possint. Necessarium vero est, vt mentionem istorum nominatim faciam, vt & ipsi cognoscatis eos qui nos conturbant & offendicula gignunt: illosque Ecclesiis vestris manifestos, vt vitari possint, faciatis. Quæ nos enim loquimur multis suspecta sunt, quasi propter priuatas quasdam contentiones metum ac pusillanimitatem illis incutere velimus. Vos vero, quanto ab illis habitatione remotiores estis, tanto plus apud plebem habetis fidei, ad quod & hoc accedit, quod ad curandos oppressos adiumento vobis est gratia Dei. Quòd si plures quoque vnanimes eadem decreueritis, manifestum est quòd multitudo eadem decernentium * indubitatam omnibus efficiet dogmatis susceptionem. Est itaque vnus ex illis qui plurimum excitant turbarum, Eustathius ex Sebastia minoris Armeniæ. Hic olim institutus ab Ario, cum is Alexandriæ florens, impias aduersus vnigenitum Dei blasphemias struxerat, sectator illius & inter selectissimos discipulos connumeratus fuit. Posteaquam vero ad suos reuersus à beatissimo Hermogene Cæsariæ Episcopo propter impiam opinionem condemnaretur, confessionem illi obtulit sanæ fidei, atque ita manus impositionem ab ipso obtinuit. Vbi vero dormitionem accepit Hermogenes, mox ad Eusebium Constantinopolitanum sese contulit: qui & ipso nihilo minus impium Arij dogma tuetur. Inde post quibusdam de causis pulsus, ad patriam sese recepit: illique denuo erroris purgationem obtulit: sed ita vt celata & obtecta mentis impietate quandam exhiberet verborum rectitudinem. Mox vero vbi vtcumque adeptus esset Episcopatum, anathematismum contra homousion in synodo Ancyræ habita scripsisse deprehenditur. Ex illa ad Seleuciam profectus cum illis quos eiusdem habet opinionis ea gessit, quæ omnes norunt. Constantinopoli vero iterum ad ea quæ ab hæreticis proposita sunt, consensit. Atque ita Episcopatu eiectus, propterea quod iam in Melitina synodo depositus esset, viam sibiipsi per quam restitueretur excogitauit, eam videlicet, vt ad vos proficisceretur. Quæ vero sint illi à beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clàm est: nisi quòd Epistolam attulit, per quam restitueretur: eam vbi Tyanæ Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Iste itaque iam fidem eam in quam receptus est depopulatur, cumque illis facit qui homousion anathemate percellunt. Deinde & hæresi patrocinatur eorum qui Spiritum sanctum spoliant diuinitate. Quoniam igitur isthinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis fiducia quam vos dedistis ad subuersionem multorum vsus est, necesse est vt isthinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit: simul vero adiiciatur, quomodo iam immutata sententia gratiam à patribus qui tum erant, acceptam irritam reddat. Alter ex illis, de quibus vos admonemus, est Apollinarius, haud parum & ipse Ecclesias contristans: facilitati namque scribendi, qua per occasionem ad quosuis irrepit, coniunctam habens sufficientem linguæ facultatem orbem libris suis repleuit: contempto Ecclesiaste qui cauendum esse dicit *ne multi fiant libri.* In multitudine autem certum est quod multa delinquantur. Nam quomodo potest *in multiloquio vitari peccatum?* Sunt vero quæ scribit, etiam ad theologiam pertinentia: non ex scripturæ probationibus, sed ex humanis argumentis astructionem habentia. Scripsit & de Resurrectione quædam fabulosè, imò Iudaïce composita: in quibus dicit nos iterum ad cultum à lege præscriptum reuersuros, ita vt iterum & circumcidamur, & Sabbatum obseruemus, & à cibis in lege prohibitis abstineamus, sacrificiaque Deo offeramus, & in templo Ierosolymis adoremus, atque prorsus ex Christianis Iudæi reddamur, quibus quidnam poterit ridiculum magis, imo alienius ab Euangelico dogmate dici? Deinde & de Incarnatione tantam mouit fratribus perturbationem, vt pauci eorum quibus colloquij cum illo nonnihil interfuit, priscum pietatis characterem conseruent: multi vero rerum nouationi attendentes ad quæstiones & contentiosas inutilium verborum hæreses auersi sint. Paulinus vero, an qua in re, quod manus impositionem concernit, reprehensibilis sit, vos ipsi dicetis. Nos sanè contristat quod Marcelli dogmatibus fidem habet, & sectatores illius sine discrimine ad communionem admittit. Scitis colendissimi fratres, quàm omnem spem nostram irritam faciat dogma Marcelli, quod neque Filium propria ac discreta hypostasi præditum confitetur, sed productum, & in eum ipsum iterum conuersum ex quo venerat tradit: neque Paracletum propriam habere hypostasim concedit: ita vt non aberret si quisquam hanc hæresim prorsus alienam esse à Christianismo determinet, ac corruptum quendam Iudaismum appellet. Horum curam à vobis ruquirimus. Eam adhibebitis, si vniuersis Orientis Ecclesiis scribere dignabimini, vt eos qui veritatis doctrinam ad hunc modum adulterarunt, tum demum ad communionem admittant, si quando errata correxerint, si vero contentiosè rerum nouationi immorari voluerint, ab illis secedant. Cæterùm haud ignoramus & ipsi, quòd oportuerat nos vestræ prudentiæ assessores, communi de his rebus consideratione tractare: verum quoniam nec temporis id ratio permittit, & dilatio perniciosa est, propterea quòd hominum istorum pestis radices altius infixit, necessitati adacti fratres hosce misimus, vt simul quæcumque literas fugiunt, de suo vos perdocentes pietatem vestram eo inuitent vt quæsitum Ecclesiis Dei auxilium exhibeatis.

Συντετριμμένων. Similè euāgelicum. *ἀναντίῤῥητον. Eustathius Arij discipulus. Eustathius Episcopus Arianus ex Arij sectatore. πνευματόμαχοι. Qui Sp. sanctum oppugnant. Apollinarius. In Apollinarij libris quid culpet Basilius. Paulinus.

Ad Neocæsarianos Basilius Magnus.

LXIX.

προτρεπτική. Ne cuiuis credant delatori. & contra Calumniatores.

IAmdiu inter nos nihil intercessit mutui alloquij, fratres colendissimi ac desideratissimi, non secus atque qui animis sunt ira succensis. At quis vsque adeo acceptæ iniuriæ memor est, & irreconciliabilis erga eum à quo læsus est, vt per totam ferè hominis ætatem, conceptam odij ac iræ commotionem protendat? Id quod in nobis factum esse apparet, cum nulla sit iusta ratio, ob quam separari, quantum nos scimus, imò contrà multæ sint & magnæ causæ propter quas summa ipse statim initio inter nos amicitia & vnitate coniungi debuerimus. Prima est, quod vnicum ac primarium est maximi Domini nostri præceptum luculenter dicentis, *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si charitatem habueritis inter vos mutuam.* Et Apostolus quoque manifestè nobis dilectionis bonum commendat: cum quòd decernit *consummationem legis esse dilectionem,* tum quòd dilectionis bonum omnibus reliquis vtut magnis præponit, vbi dicit: *Si linguis loquar & hominum & Angelorum, charitatem vero non habeam, factus sum æs resonans, vel cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam, & nouerim omnia mysteria, & omnem scientiam, & si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem verò non habeam, nihil sum. Et si impendam in alimoniam omnes facultates meas, & corpus meum tradam,* Ecclesiast. 12. 12. Prou. 10. 1. Cor. 13.

dam, vt comburatur, charitatem autem non habeam, nihil inde lucri capiam. Non quod quicquam eorum quæ connumerata sunt, vnquam sine charitate præstari possit: sed quòd sanctus Apostolus, vt & ipse dixit, hyperbolico modo voluerit excellentiam omnia superantem isti ascribere præcepto. Altera causa est, quòd si quid aliud certè & hoc ad concordiam plurimum confert: si datur iisdem vti doctoribus. Sunt autem iidem & nobis & vobis doctores mysteriorum Dei & spiritales patres, qui vestram ab initio fundarunt Ecclesiam, Gregorium dico priscum illum, & quotquot post ipsum Episcopalem apud vos sedem susceperunt: qui ordine succedaneo instar astrorum exorti iisdem ingressi sunt vestigiis: ita vt haud facile sit volentibus conuersationis ipsorum indicia deserere. Si vero & corporalis familiaritas haud aspernanda est, sed ipsa quoque multum ad solidam amicitiam vitæque communionem conducit: & ea vobis erga nos non deest occasio. Cuius itaque gratia, ô vrbium ornatissima (per vos enim vniuersæ ciuitati loquor) non isthinc veniunt literæ vestræ, non quæ amicitiam exerat ac declaret vox vestra, sed apertæ sunt aures vestræ & expositæ calumniari conantibus. Itaque tanto altius ingemiscere debeo, quanto magis quod illi sategerunt effectum esse video. Quandoquidem delationis opus, manifestum habet magistrum ac doctorem, qui cum ex multis sit malefactis notus, ab ista tamen deferendi malitia designatur: ita vt ex hoc peccato nomen inuenerit: vos vero mihi permittite, vt libere loquar, vtrasque aures delatoribus nostris reseratis, ac quicquid illi ad vos deferunt, sine omni examinatione admittitis, nemine existente qui falsum à vero discernat. Quis vnquam in accusandis vitiis nemine contradicente defecit? Quis deferendo mendacij conuictus est, non coram constituto eo quem falsò detulit? Quidnam dici potest, quod credibile non fit auscultãtibus, si dum criminator ita vt asserit habere contendit: criminis accusatus nec adest, nec calumnias audit? Neque ipsa vos vitæ huius consuetudo hisce in rebus erudit ac docet: quòd qui futurus sit æquus ac nulli parti addictus iudex, non debeat se totum præoccupanti permittere, sed & defensionem expectare eius qui defertur, vt ex collatione eorum quæ ab vtrisque partibus dicuntur veritas eluceſcat. Iustum iudicium iudicate, vnum hoc est ex præceptis ad salutem necessariis. Et ista dico, non oblitus verborum Apostoli, quibus ille relictis humanis iudiciis vniuersam vitam suam eius tribunalis examini reseruauit: quòd falli nequit, vbi dicit, Mihi verò pro minimo est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die. Verumtamen quoniam aures vestras falsæ delationes præoccupatas detinent, delataque est & calumniis impetita cum vita nostra, tum & fides quam habemus erga Deum, sciens delatorem tribus personis mali huius noxam aspergere. Lædit enim & eum quem falsò defert, & eos quibus loquitur, & seipsum. Quàm ego lædar scitis ipsi (etiam si ego sileam) non contemnens vestram de me existimationem (quomodo enim contemnerem, qui ne illam incurram, ista scribo, & huius iam gratia certo) sed videns me esse in tribus istis personis, qui læduntur, ego quàm minimum lædar. Nam ego quidem amicitia vestra destituor: vos autem veritate vltro spoliamini. Et qui huius causam dedit, me quidem à vobis separat, seipsum vero alienum à Domino reddit: propterea quod nemo reproborum ac nefandorum hominum cum Deo commercium habere potest. Propter vos itaque magis quàm propter me, & vt dispendio vos haud ferendo eximam, ista scribo. Quod enim maius malum cuiquam accidere poterit, quàm vt rem omnium pretiosissimam, veritatem videlicet amittat? Quid igitur dico fratres? Non quod ego ignorem me obnoxium peccatis, neque quod vita mea non referta sit innumeris delictis. Noui enim meipsum, nec cesso lacrymas profundere propter peccata mea, si quo pacto mihi Deum placare, ac futuri supplicij comminationem effugere queam. Sed hoc dico: Si is qui nostra iudicat, mundum se confirmet habere oculum, auferat ex nostro oculo festucam. fatemur enim nos multa eorum qui probè valent opus habere curandi diligentia. Si verò hoc non facile dicet, & tanto minus dicet quanto magis fuerit mundus, propterea quod perfectorum hoc est proprium, vt seipsos non extollant

(alioqui arrogantiæ Pharisaicæ obnoxij essent, qui seipsum iustificans condemnauit Publicanum) neque mihi quærat medicum, nec iudicet ante tempus, donec veniat Dominus, qui reuelabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Memor sit eius qui dixit, nolite iudicare, ne iudicemini, neque condemnare ne condemnemini. In summa fratres, si curabilia sunt nostra delicta, quare non obeditis doctori Ecclesiarum, dicenti, argue, increpa, obsecra? Si vero scelus nostrum ita habet, vt sit immedicabile, quamobrem non in faciem nobis resistit aduersarius, vt patefactis sceleribus nostris, Ecclesias ab ea pernicie liberet, qua per nos illæ perduntur? Itaque ne feratis conuicium illud quod sub dentibus aduersarij clanculum adversum nos immurmuratur: ferendum enim non est, etiam si id ancilla faciat ex pistrino, aut vnus aliquis supra modum nebulo ex istis circumforaneis, cui hominum generi hoc vitij est, vt linguas in omnis generis conuicia acutas habeant. Iam sunt Episcopi, vocentur illi vt causam cognoscant. Est clerus in vnaquaque Dei parœcia. Congregentur selectiores ac probatiores. Dicat cum fiducia ac liberè qui volet, vt examen sit quod agitur, non conuicium. In conspectum ac publicum producat, si qua sunt malitiæ meæ occulta facinora. Odio vero me ne tum quidem prosequatur, sed admoneat vt fratrem. Si peccatores sumus, cõmiserandi potius sumus apud viros beatos & innoxios, quàm acerbè & odiosè tractandi. Si vero erroris circa fidem culpamur, ostendatur nobis syngrapha. Deinde iudicium detur æquum & neutri parti separatim addictum. Legatur obiectum delictum. Probetur natura sui condemnatum esse scriptum quod objcitur magis quàm quod ex ignorantia accusatoris culpandum esse videatur. Sunt namque multa bona, quæ non exacto mentis iudicio præditis talia non apparent. Neque enim quæ eiusdem sunt ponderis paria esse videntur: nisi æquilibres sint inter se lances. Iam mel malè morbo quopiam affectis apparet gustu amaricatius per corruptelam organi. Quin & oculus vitiatus multa non videt eorum quæ sunt, & multa suspicatur quæ non sunt. Idem & in iudicanda sermonum virtute sæpenumero fieri video: quando eorum qui conscripserunt mentem habitumve non assequitur iudex. Oportet enim vt eadem propè sint animi industria prædita: & qui aliorum scripta iudicaturus est, & qui illa conscripsit. An cum de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola: & qui musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in musicis rythmis cognoscat: sermonum iudex mox erit quicumque volet: qui neque præceptorem suum, neque tempus in quo didicerit, assignare valet: nec prorsus quicquam eorum quæ ad sermones iudicandos attinent: siue multum, siue parum intelligit? Ego vero noui quòd quæ in oraculis spiritus dicuntur, haud cuiuis liceat proprio subiicere examini, sed ei qui spiritum habet discretionis, quemadmodum nos Apostolus in diuisionibus charismatum docuit dicens. Huic namque per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij operationes virtutum, alij prophetia, alij discretiones spirituum. Itaque si nostra spiritalia sunt, ostendat se donum habere discernendorum spiritalium, qui nostra iudicare præsumit: si vero, quemadmodum ipse conuiciatur, ex sapientia sunt mundi huius, declaret se mundanæ sapientiæ experientiam habere, & tum demum ipsi iudicandi calculos permittemus. Nemo autem putet ista nos ad hoc excogitare, vt causæ examen fugiamus. Vobis enim, fratres desideratissimi, permitto, vt inter vos ipsos eorum, de quibus incusamur examen faciatis. An vsque adeo tardo estis ingenio, vt ad veri cognitionem omnium opus habeatis patrocinio? Quod si nostra vobis indubitata videntur, curate vt omnem contentionem abiiciant contentiosi illi nugatores. Si vero ambiguum quid illis inesse videtur, rogate nos, per intermediatores, qui nostra vobis fideliter referre & exponere queant. Vel si videbitur, scripto comprehensas probationes exigite. Omnino quouis modo curate, vt ista quæ nobis obiiciuntur inexcussa non relinquantur: fidei vero nostræ quæ poterit esse euidentior probatio, quàm quod à nutrice beata fœmina, quæ ex vestro gremio

progressa

Vide Euseb. Cæsarienſ.

Diabolus vnde dictus sit.

Allusio ad paramiam euangelicã.

Attende Basilij modestiam.

progressa est (Macrinam dico, illustrem illam) educati sumus: à qua & beatissimi Gregorij verba, quæ memoriæ beneficio ad illius vsque ætatem seruata ipsa retinuit, edocti sumus, quibus illa nos adhuc infantes, tanquam pietatis dogmatibus finxit ac formauit. Posteaquam vero & nos, completa per ætatem rationis maturitate, intelligendi facultatem accepimus, multum telluris ac pelagi emensi sumus, an aliquos inueniremus iuxta traditum nobis pietatis canonem ambulantes: & eos quos inuenimus patrum loco complexi sumus, & pro animarum nostrarũ ad Deum proficiscendi ducibus reputauimus. Et ad hanc vsque horam gratia eius qui sancta nos vocatione ad cognitionem sui vocauit, nullius sententiæ conscij sumus, quam sanæ doctrinæ contrariam & inimicam cordi nostro admiserimus. *Attende Basilij prudentiam aduersum Arianos.* Neque mentem nostram vnquam execranda Arianorum blasphemia polluimus: sed si nonnullos aliquando Arij discipulos ad communionem assumpsimus, ita illos admisimus, vt morbum suum quam intimè celantes pietatis verba loquerentur: vel certè doctrinæ nostræ nihil oblucta-rentur. Et hac in re non nostro ipsorum erga tales vsi sumus iudicio, sed magis decreta patrum nostrorum, quibus illi de talibus iam olim quid faciendum sit statuerunt, sectati sumus. Ego enim cum accepissem beatissimi patris Athanasij Alexandrini Episcopi literas, quas etiamnum in manibus habeo, & requirentibus legendas obiicio, quibus *Arianus resipiscens post Nicæni concilij confessam, Ὁμολόγησιν admittebatur. ἀξιόπιστον.* ille manifestè edixit, quod si quisquam ex Arianorum hæresi ad nos transire voluerit, admittendum esse, nec quicquam in illo assumendo hæsitari debere, si Niceni concilij fidem confiteatur, & dogmatis huius consortes: ille mihi omnes cum Macedoniæ tum Achaiæ Episcopos allegasset, necessarium arbitratus sum vt tanto viro propter fidei gnam autoritatem eorum qui id decreuerant obsequerer, simulque præmium pacis studiosis destinatum adipisci cupiens eos qui fidem istam confitebantur communicantium parti adscripsi. Fuerat autem iustius res nostras æstimare non ex vno aut altero eorum qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum, qui gratia Christi coniuncti nobis sunt. Requirantur vero Pisidæ, Lycaones, Isauri, Phryges, & qui vtriusque sunt Armeniæ, quotquot vicini vobis sunt Macedones, Achæi, Illyrij, Galli, Hispani, tota simul Italia, Siculi, Aphri, & qui in Ægypto adhuc sani sunt, & quæ reliqua portio est Syriæ, qui quidem literas ad nos mittunt, & vicissim à nobis recipiunt: ex quibus cum quæ illinc ad nos feruntur, tum quæ vice versa isthinc ad ipsos mittuntur cognoscere potestis, quod vnanimes omnes eodemque sensu præditi sumus. Itaque si quisquam communionem nostram fugit, ne prudentiam vestram lateat, ab vniuersa illum Ecclesia sese diuulsisse. Attendite igitur fratres cum quibus communicetis. Postquam à nobis excludimini, quis deinceps *ὑμῶν ἀκρίβειαν.* vos sit agniturus. Nolite nos in eam necessitatem constituere, vt de dilectissima nobis Ecclesia triste quid ac durum statuamus. Ne detis occasionem vt quæ iam in corde primo apud meipsum gemens temporisque malitiam deplorans, quod sine omni ratione maximæ Ecclesiarum, & quæ iam olim fraterna inter se amicitia coniunctæ fuerunt, nunc inter se dissident, ne detis, inquam, occasionem, vt ista ad vniuersos communionis nostræ consortes deplorem. Ne cogatis me vt proloquar quæ hactenus rationis freno cohibitus apud meipsum occulta premo. Melius est *μειριακώδους μικροψυχίας.* vt nobis è medio sublatis, Ecclesiæ inter se consentiant, quàm vt propter puerilem eiusmodi nostram pusillanimitatem tantum malum populis Dei inferatur. Interrogate patres vestros, & annuntiabunt vobis, quod etiam si loci situ diuisæ inter se visæ sint parœciæ, tamen veluti coronamento quodam vnitæ, vnaque sententia gubernatæ fuerunt. Assidua quidem fuit populi inter se commixtio: ipsi vero pastores tanta præditi fuerunt mutua charitate, vt alius alio in negotiis Domini pro præceptore ac duce vsi sint.

BASILIVS MAGNVS

Ad Episcopos curæ suæ commissos,

Ne pecuniæ gratia manus cuiquam imponant.

LXX.

ABsurditas rei, de qua scribo, animum quidem meum mœstitia repleuit: propterea quod omnino in † suspicionem abijt & rumore percrebuit, hactenus tamen res mihi neutiquam credibilis visa est. Quod igitur de illa scribo, medicinæ loco sit, si quisquam sibi malè conscius est. Qui sibi vero nihil huius est conscius, ei sit vice amuleti quo se præmuniat à vitio. Si quis autem hanc rem susque deque fert, id quod in vobis deprehendi nolim, illi sit pro contestatione. Quid est autem quod dico? Feruntur quidam ex vobis ab illis qui ordinantur accipere pecuniam, idque quod peius est pietatis nomine palliare. Duplo namque puniendus venit, qui prætextu boni quod malum est facit, cum quod operatur quod bonum non est, tum quod ad perficiendum peccatum bono, vt dicitur, vtitur cooperario. Hæc si ita habent, posthac non fiant sed emendentur. Alioqui necessario dicetur ad accipientem pecunias, quod ab Apostolis ad eum dictum est, qui pecuniam dare volebat, vt communicationem emeret Spiritus sancti, videlicet, argentum tuum tecum sit ad perditionem. Leuius enim deliquit, qui propter inexperientiam emere volebat, quàm qui iam donum Dei vendit. Auctio namque est. Etsi, quod gratis accepisti, vendideris. Tanquam Satanæ venundatus, Dei gratia priuaberis. Cauponis enim ritu quæstum rebus spiritalibus infers, & Ecclesiæ, vbi corpus nobis & sanguinem Christi concreditum habemus. Ista ad hunc modum fieri non debent. Quæ vero sit hic impostura dicam. Putant se nihil delinquere, quod non ante, sed post manuum impositionem pecuniam accipiunt. At pecuniam accipere, accipere est quandocunque fiat. Hortor itaque vt quæstum hunc, imo transitum ad gehennam, declinetis: nec manus tali lucro polluentes indignos vosipsos ad tractandum sancta mysteria constituatis. Ignoscite autem mihi: Primum quidem rumori isti fidem non dedi: postea vero tanquam persuasus interminor. Si quis post hanc epistolam meam tale quid designauerit, cum nostris hic altaribus nihil habebit commune, sed quæret vbi donum Dei coëmptum denuo vendere queat. Nos enim & Ecclesiæ Dei talem consuetudinem non habemus. Cessabo, si adhuc vnum adiecero. Propter auaritiam ista fiunt. Auaritia vero, malorum omnium radix est, & idololatria vocatur. Ne velitis igitur modicæ pecuniæ gratia idola Christo præferre, neque Iudam sectantes, quæstus gratia secundo illum prodere, qui semel pro nobis cruci est affixus. Alioqui & ipsi agri, & manus eorum qui hoscè fructus metunt, * *akeldama* vocabuntur.

† Ὑποπλοκὴ καὶ ἐλαλήθη.

Et in hac temporaria voluimur, ne quid grauius dicam. Simulata æquitas nõ est æquitas, sed duplex iniquitas.

Nempe Simonem Magum. Act. 8.

Animaduersio in Simoniacos Basilio prorsus digna.

Simoniaci Iuda associa.

* *Ager sanguinis, Syra vox.*

Transmarinis Episcopis BASILIVS MAGNVS.

LXXI.

MAgno desiderio congressum vestrum expetenti, semper impedimenti aliquid accidit, vnde prohibeor ne voti compos euadam. Aut enim corporis imbecillitate impedior, quam planè haud ignoratis, quanta mihi sit à prima ætate ad istam vsque senectam, vna mecum educata, neque iuxta iustum Dei iudicium, qui omnia sapienter disponit, castigans & erudiens, aut solicitudo nos Ecclesiarum, vel certamina quibus resistendum est, veritatis sermonem impugnantibus, remorantur. Quocirca in hunc vsque diem in multa tristitia & mœstitia dego, sciens quòd ope vestra destituor. Ego enim quoniam audiui à Deo, qui ob id per carnem nos accessit, vt & factorum suorum exemplis vitam nostram instrueret, & voce sua euangelium regni nobis annuntiaret, quod dixerit, In hoc cognoscent omnes meos vos esse discipulos, si mutuam inter vos charitatem habueritis, & quòd pacem suam, veluti † extremum munus, discipulis suis cum iam dispensationem, quam in carne obibat, absoluturus esset, reliquerit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, non possum mihi-

Italos ad caritatem hortatur.

† ἐξιτήριον δῶρον.

Ioan. 14.

ipsi

ipſi perſuadere, quod ſine mutua charitate, & niſi quantum in me eſt paci erga quoſuis ſtudeam, ſeruus Ieſu Chriſti dignè vocari queam. Multum iam temporis expectaui an aliquando, & à veſtra dilectione aliqua noſtri habeatur ratio. Non enim clàm vobis eſt, quod publicè quibuſuis expoſiti, velut eminentes maris ſcopuli furias hæreticorum fluctuum excipimus, qui vbi nobis illiſi infringuntur, quæ retro nos ſunt haudquaquam redúdant aut alluunt. Quando vero de nobis dico, non ad humanas vires refero, ſed ad gratiam Dei, qui in mortalium imbecillitate potentiam ſuam declarat, quemadmodum propheta ſub perſona Domini loquitur, dicens: An me non timebitis, qui arenam mari terminum poſui? Arena namque, rerum omnium infirmiſſima, & nullius momenti, amplitudinem ac magnam molem maris cohibuit potens Deus. Cum itaque ad hunc modum habeant res noſtræ, debebant continuè à veſtra dilectione ex ſynceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inuiſerent, & multo crebrius amicæ ad nos veſtræ deſtinari literæ, quibus vel in propoſito confirmaremur: vel ſi qua in re offendimus, corrigeremur. Non enim negamus innumeris nos erroribus obnoxios eſſe, cum homines ſimus & in carne viuamus. Verum quoniam ſuperiori tempore, fratres colendiſſimi, vel quia quid ex decoro faciendum fuerit ignoraſtis, debita nobis obſequia exhibita non ſunt: vel quia quorundam malitia factum eſt, vt in calumnias quibus traducimur abrepti & præoccupati indignos nos amica viſitatione iudicaueritis: ecce iam literis vos ipſi prouocamus, & cauſas huius quæ nobis adſcribuntur fatemur, parati veſtram hac in re inſtitutionem amplecti: hoc tantum orantes, vt ſi quos admiſeritis qui nos traducant ac vituperent, in conſpectum noſtrum coram veſtra pietate conſtituantur. Nos enim ſi conuincamur, peccatum noſtrum agnoſcemus, & vobis poſt eam reprehenſionem, à Domino non imputabitur, ſi communionem noſtram tanquam peccatorum declinaueritis, deinde, & præmium habebitis, ſi nos reprehenderitis, vt qui occultam noſtram malitiam patefeceritis. Si vero antequam communicamur nos condemnaueritis, nos quidem nihil inde diſpendij accipiemus: propterea quod omnium pretioſiſſimum bonum noſtrum charitas videlicet, qua erga vos prædíti ſumus, lædi nequit: vos autem, & hoc ipſum nobis amiſſis patiemini, & euangelio repugnare videbimini, dicenti: Num lex noſtra iudicat hominem, niſi primum audierit cognouerítque quid faciat? Qui vero calumnias nobis quidem offundit, non autem quæ dicit certo probat, videbitur ſibiipſi mali nominis accerſere appellationem, ex eo, quod verbis iniquè & abſurdè vtitur. Quo namque alio nomine delatorem vocare conueniet, quàm ea appellatione quam ex re ipſa cui ſtudet, ſibi ipſe imponit? Neque igitur qui nos vituperat, * diabolus ſit, ſed accuſator: imò neque accuſatoris nomen accipiat, ſed frater ſit, in dilectione nos admonens, & ad emendationem reprehenſionem noſtri inducens, nec vos auditores ſitis conuiciorum, ſed redargutionum probatores, & examinatores, neque nos ſine remedio relinquamur, nondum patefacto nobis quid deliquerimus. Nolim enim vos hac teneri cogitatione, qua dicatis: Quoniam loca tranſmarina inhabitamus, extra periculum ſumus earum afflictionum quæ complures occupant: neque opus habemus aliorum auxilio. Itaque quid proderit nobis vt cum aliis communicemus? Nam inſulas quidem Dominus à continenti per maris interſtitium diuiſit: inſulanos vero cum his qui tellurem continentem & firmam inhabitant per charitatem coniunxit. Nihil nos, fratres, ſeparat, niſi animi propoſito ſeparationi cauſas roburque demus. *Vnus nobis eſt Dominus, vna fides, ſpes eadem.* Siue caput voſipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt pedibus dicere caput, non eſt mihi opus vobis: ſiue in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus, non eſtis nobis neceſſarij. Nam & manus mutuam inter ſe operam neceſſariam habent, & pedes mutuo ſeſe firmant, & oculi per concordiam habent, quod obiecta clarè ac dilucidè apprehendunt. Nos quidem noſtram ipſorum imbecillitatem agnoſcimus & veſtram auidè concordiam requirimus. Nouimus enim quod etiam ſi corpore non adfueritis, precum tamen auxilio, magnum nobis grauiſſimis iſtis temporibus emolumentum adferre poteritis: vobis vero nec coram hominibus decorum erit, nec coram Deo gratiæ quicquam conciliabit, ſi talibus volueritis vti vocibus, quibus nec gentes, quæ Deum non nouerunt, vſæ hactenus ſunt. Nam & illas audimus, etiam vbi pro omni ſufficientia agrorum fructus demetunt propter futurorum incertitudinem mutuum obſequium amica inuicem ſalutatione offerre, & mutuum commercium inter ſe, tanquam rem vtilem, ſectari. Nos vero, cum ſimus ex illis patribus, qui vel modicis indicijs conſortij ſymbola de terræ finibus ad fines vſque circumferenda, & quoſuis eiuſdem fidei pro ciuibus & familiaribus habendos eſſe putarunt, iam nos ipſos à reliquo orbe ſeparamus, & neque de ſingularitate erubeſcimus, nec damni quicquam concordiæ diruptionem adferre putamus, neque horremus, quod in nobis formidanda Domini prophetia adimpletur, qua dixit, quod propter iniquitatis abundantiam refrigeſcet charitas multorum. Nolite fratres colendiſſimi, nolite hoc perpeti: ſed cum propter præcédentia nos literis pacificis conſolemini, & amicis ſalutationibus, veluti miti quadam ac blanda contrectatione pectoris noſtri hulcus quod ipſi nobis præterita noſtri negligentia infixiſtis, mitigate, tum ſiue volueritis ad nos proficiſci, & per voſipſos infirma noſtra ſcrutari, an verè ita habeant vt auditis, vel ex falſis adiectionibus grauiora de nobis ſint ad vos relata delicta, fiat & hoc. Parati namque ſumus obuijs manibus veſtrum excipere aduentum, nosque ipſos diligenti ſiſtere examini, dumtaxat in iis quæ fiunt ſuperiores habeat charitas. Siue veſtro iudicio locum quendam deſignare placuerit, in quo & quod nos concernit viſitationis debitum implebimus, & quantum fieri poteſt noſtri experientiam offeremus, vt præterita curentur, & nullus deinceps calumniæ locus relinquatur, per nos licebit vt & hoc fiat. Nam omnino, licet infirmam circumferamus carnem, tamen donec ſpirare datur, noſtri eſt officij vt nihil omittamus eorum quæ ad Eccleſiarum Chriſti ædificationem pertinent. Ne velitis igitur aſtutis nos rationibus hac quam petimus conſolatione fraudare, ne in eam nos neceſſitatem conſtituatis vt & alijs noſtrum reuelare dolorem cogamur. Nam hactenus, vt ſcitis, fratres mœſtitiam noſtram in nobis ipſis contegimus, pudore prohibiti, quo minus conſortibus noſtris procul diſſitis veſtram erga nos abalienationem ſignificemus, ne & illos tribulemus, & ijs qui odio proſequuntur gaudendi occaſionem demus. Hæc ſolus quidem iam, attamen ex omnium Cappadociæ fratrum ſententia ſcripſi, qui me & hoc rogarunt ne quouis tabellione ad vos vtar, ſed virum mittam, qui quęcunque per epiſtolam aſſequuti non ſumus, veriti ne vltra competentem menſuram, ſermonem extendamus, ſua prudentia, quam ex gratia Dei habet, ipſe ſufficienter exequi valeat. Dicimus autem deſiderantiſſimum ac religioſiſſimum fratrem & ſympresbyterum noſtrum Petrum, quem & in charitate complectemini, & cum pace ad nos, vt rerum ſecundarum ſit nuntius, ante veſtrum aduentum præmittere dignabimini.

Argumentum ab exemplo.

Quin & iam refrixit charitas.

** Diabolus, id eſt, delator.*

Exemplar fidei quam BASILIVS MAGNVS *prædicauit, cui Euſtathius Epiſcopus Sebaſtiæ ſubſcripſit.*

LXXII.

TAm illi, qui alia hactenus fidei confeſſione præoccupati, ad orthodoxorum iam vnitatem tranſire volunt, quàm qui nunc primum ad veritatis doctrinam & inſtructionem aſſumi deſiderant, eam fidem docendi ſunt, quæ in ſynodo Niceæ olim collecta à beatis patribus conſcripta eſt. Fuerit enim hoc vtile, aduerſus eos quoque de quibus ſuſpicio eſt, quod aduerſus ſanam doctrinam contrario ſenſu afficiantur, & tamen malæ opinionis mentem ſpecioſis effugiis adumbrent. Nam & iſtis ſufficiet ſi ad hanc fidem vrgeantur. Aut enim emendabunt morbum quem in occulto habent: aut ſi profundius ipſum celauerint, ipſi quidem fraudis condemnabuntur: nobis vero facilem in diem iudicij parabunt defenſionem, quando reuelabit Dominus abſcon-

Ἐπαγωγή. 1. Cor. 12.

ἀπολογίας.

absconditi tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Conuenit igitur vt suspiciantur, si se iuxta verba, quæ à patribus nostris in Nicæa sunt exposita, & iuxta intellectum qui sane per verba illa significatur, credere confiteantur. Sunt enim quidam qui in hac fide sermonem veritatis dolo inuertant, & ad suam ipsorum sententiam intellectum ac mentem verborum torqueant. Quandoquidem & Marcellus, impiè sentiens contra personam Domini nostri Iesu Christi, ac nudum illum esse verbum exponens, illinc ausus est se impietatis huius causas sumpsisse prætexere, malè videlicet τῷ ὁμοουσίου coëssentialis intellectu exposito. Et nonnulli ex illis qui impietatem Sabellij Libyci sectantur, hypostasin & vsian idem esse arbitrati, illinc argumenta ad tuendam blasphemiam suam trahunt, quòd in ea fide ita scriptum est: Si vero quisquam ex alia essentia, vel subsistentia filium esse dixerit, hunc anathemate reiicit Catholica & Apostolica Ecclesia. Non enim idem esse dixerunt patres illi essentiam & subsistentiam. Si enim voces istæ vnam ac eandem significationem haberent, quid alterutram ponere opus fuisset? Sed liquet ideo positas, quod alij quidem filium esse ex patris essentia negabant: alij vero & ipsi non esse ex patris essentia filium dicebant: adiiciebant autem ex alia quoque esse subsistentia quædam, atque ita vtramque opinionem tanquam alienam à sensu Ecclesiastico à sanctis Patribus reiectam esse. Alioqui vbi mentem suam simpliciter declararunt, ex patris essentia filium esse dixerunt, nec adiecerunt, & ex illius hypostasi. Itaque illud quidem ad reprobandum malum sensum positum est: hoc vero declarationē habet salutaris dogmatis. Confitendum igitur est homousion esse patris filium, quemadmodum in symbolo scriptum est: iuxta tamen & hoc confitendum est, quod in propria hypostasi, id est, persona sit Pater, in propria Filius, in propria Spiritus sanctus, quemadmodum & ipsi patres manifestè exposuerunt. Satis enim hoc, & clarè ostenderunt, vbi dixerunt, lumen de lumine. Nam aliud est lumen gignens, aliud quod gignitur. Lumen tamen & lumen vtrinque, ita * vt vnum sit, & idem essentiæ verbum. Inseramus vero fidem ipsam, quæ Nicææ conscripta est: *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium tam visibilium, quàm inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei, vnigenitum, ex patre vnigenitum*, hoc est, ex substantia patris, *Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt*, cum quæ in cælo, tum quæ in terra. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus, homo factus, & passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit ad cælos, venturus ad iudicandum viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum.* Eos vero qui dicunt, * *erat aliquando quando non erat*, & antequam nascereturn non erat, & quoniam ex non existentibus factus est, aut ex alia hypostasi, aut substantia esse dicunt, vel mutabilem aut alterabilem, filium Dei, tales anathemate percutit Catholica & Apostolica Ecclesia. Quoniam igitur in hac fide reliqua quidem satis diligenter determinata sunt: alia ad correctionem noxiorum, alia ad præmunitionem contra ea quæ in futuro suboriri possunt: sententia vero de Spiritu sancto in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea quod nondum mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus ac nullis obiectus insidiis, ineesset de Spiritu sancto intellectus: paulatim vero peruersa impietatis semina sese exeruerunt: quæ primum quidem ab Ario hæresis autore seminata, postea vero ab illis, qui impia Arij commenta susceperunt ad perniciem Ecclesiarum nutrita sunt, & ipsa impietatis series ac ratio, ad blasphemiam contra Spiritum sanctum respexit, necessarium est, vt aduersum eos qui sibi ipsis non parcunt, nec ineuitabiles minas prospiciunt, quas in blasphematores Spiritus sancti Dominus * vibrauit, hoc cautionis protendatur, vt anathematizent ipsi eos qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt, etiam eos qui id cogitant, & qui non confitentur illum naturam sanctum esse, sicut natura sanctus est Pater, & natura sanctus est Filius, sed alienum illum à diuina & beata natura faciunt. Est autem declaratio recti sensus in eo, si à Patre & Filio non separetur. Oportet enim baptizari nos, iuxta quod à Domino accepimus, & credere sicut baptizamur: glorificare vero Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quemadmodum credidimus. Et posteaquam hac in re conuenit, oportet simul communionem eorum fugere qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt, tanquam apertè illum blasphemantium. Est enim necessaria subsignatio propter calumniatores, quæ hoc habeat, quod neque ingenitum Spiritum sanctum, vnum enim nouimus ingenitum, & vnum, eorum quæ sunt, principium, Patrem Domini nostri Iesu Christi, neque genitum dicimus, vnum enim esse vnigenitum in fidei traditione didicimus: spiritum veritatis autem, ex patre procedere edocti, ex Deo sine creatione esse confitemur. Anathematizare vero oportet & eos qui Spiritum sanctum administratorium & seruilem Spiritum esse dicunt: ita vt per eam vocem illum in ordinem creaturarum deijciant. Administratorios namque spiritus creaturas esse scriptura nobis tradidit, dicens, quod omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi. Propter eos autem qui omnia confundunt, nec doctrinam Euangelij custodiunt, necessarium est, & hoc nominatim astipulari vt fugiantur, & ij qui ordinem à Christo datum inuertunt, tanquam aperte veritati repugnantes, & Filium Patri, & Spiritum sanctum vero filio præponunt. Immotum enim & intactum conseruare conuenit personarum ordinem, quem ex ipsa Domini voce accepimus, qui dixit, profecti, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Eustathius Episcopus tibi Basilio. Legi, agnoui, & probaui hæc præscripta. Subscripsi autem cum his qui mihi aderant fratribus, Phortone & chorepiscopo Seuero atque alijs nonnullis clericis.

ὑπόστασιν, καὶ οὐσίαν.

τὸν αὐτὸν οὐσίας λόγον.

Symbolum Nicani Cōcilij.

ὁμοούσιον

* *Nota Arianismū.*

Ante Nicænam Synodū de Spiritu sancto nōdum exorta hæresis.

* ἐπαγυτέινατε.

† πρὸς ἀδρούς.

† κακῶσαι.

* χρᾶναι.

λαλήσαι δύσῃ.

Eustathio Episcopo Sebastiæ BASILIVS MAGNVS.

LXXIII.

TEmpus esse tacendi & tempus loquendi, sermo est Ecclesiastæ. Et nunc igitur, quoniam abundè sat silentij hactenus præcessit, opportunum deinceps erit vt ad patefactionem eorum quæ ignorantur os nostrum aperiamus. Quandoquidem & magnus ille Iob multo quidem tempore calamitates suas cum silentio tulit, hoc ipso animi fortitudinem declarans: quod in molestissimis afflictionibus constans perdurauit: iam quando sufficienti cum silentio agonem illum admirabilem pertulerat, inque imò pectore dolorem perseueranter presserat, tum tandem ore aperto ea loquutus est quæ omnibus nota sunt. Et nobis igitur iam in tertium vsque silentij annum imitabilis visa est prophetæ gloriatio illa, qua dicit: *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Quocirca in profundo pectoris nostri dolorem quem nobis incussit calumnia inclusum tenuimus. Vere namque *calumnia virum humiliat, calumniam pauperem conturbat.* Si ergo tantum est calumniæ malum, vt & perfectum iam (enim appellatione viri significat ista paroemia) è sublimi deiiciat conturbetque pauperem, hoc est, qui magnorum adhuc dogmatum indignus est, quemadmodum & prophetæ videtur dicenti: *Forsan pauperes sunt, & propterea non audiunt: Ibo ad optimates.* Vbi *pauperes* vocat † intelligentia carentes: vnde liquet quod eos, qui iuxta internum hominem nondum absoluti, nec perfectam ætatis mensuram assequuti sunt, *conturbari & iactari* Paroemia dicat. Attamen silentio res tristes ferendas esse putaui, fore ratus vt ipsis aliquando operibus veritatem edocentibus nonnihil corrigantur. Neque enim ex malitia aliqua, sed per ignorantiam talia contra nos dici arbitrabar. Quoniam verò inimicitiam vna cum ipso tempore magis inualescere video, & aduersarios meos ab iis quæ initio sparserunt nihil immutari, nec aliquam impendere curam, quo præteritis medeatur, sed magis illa repetendo obfirmare, & ad scopum quem sibi ipsis initio præfixerunt, composito † congressu contendere, vt & vitam nostram † affligant, & nominis nostri opinionem apud fratres callido commento * polluant, iam mihi non videtur tutum vt silentio me cohibeam amplius: sed subit animum meum illud

Eccl.2.

Psal.37.15.

Eccl.7.8.

Hier.5.4.

Eccl.7.8.

Esaiæ

Esa 42.14. Esaiæ dicentis: *Silui, num semper silebo, & feram? Patiens fui: vt parturiens loquar.* Vtinam autem & mercedem silentij assequamur, & potentiam quandam redarguendi recipiamus, vt dum eos qui nos vituperant redarguimus, acerbum illum adobruentis nos mendacij torrentem exsiccemus, quò & nobis dicere liceat, *torrentem pertranſiuit anima nostra.* & illud, *Nisi Dominus fuisset in nobis, cum insurgerent homines in nos, vtique vivos absorbuissent nos.* Ego sanè, posteaquam multum temporis vanitati impendissem, & omnem propè iuuentutem inani studio attriuissem quo tenebar, cum apprehendendis infatuatæ à Deo sapientiæ disciplinis immorabar: tandem aliquando, vbi velut ex graui somno expergefactus, ad Euangelicæ veritatis admirabile lumen respexi, agnouique inutilitatem sapientiæ principum huius sæculi, qui adolentur, deplorata plurimum miserabili mea vita, ductorem mihi dari optabam qui ad pietatis me dogmata introduceret. Et cum primis hoc mihi curæ, vt morum correctionem aliquam instituerem, quos per diutinam consuetudinem, cum improbis contractam peruerteram. Lecto itaque Euangelio, animaduersoque illic, quòd plurimum occasionis & momenti adferat ad perfectionis studium, si quis bona sua vendat, deque illis egenis fratribus communicet, & prorsus nulla teneatur vitæ istius cura, nec patiatur mentem suam aliqua rerum præsentium affectione turbari, optabam dari aliquem ex fratribus, cui istud vitæ genus arrideret, quo vnà cum profundum * vitæ huius pelagus superare liceret. Inueni sanè multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquam Ægyptum, deinde & alios in Palæstina, & † Cœlosyria & Mesopotamia, quorum admiratus sum cum in seruanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam: ad quorum obstupui precandi vigorem & constantiam, cum obseruarem quo pacto nec somno victi, nec aliqua alia naturæ necessitate deflexi, sublimem semper & inuictum animi sensum in fame & siti, in frigore ac nuditate seruarent, nec corporis rationem habentes ipsi, nec ab aliis aliquid illi curæ impendi sustinentes: sed quasi in aliena carne degerent, ipso opere ostendentes, quid sit in rebus huius vitæ peregrinum esse, & conuersationem in cœlo habere. Cum illa admirarer, vitamque virorum illorum ob id beatam iudicarem, quod ipso opere se mortificationem Iesu circumferre declararent: cupiebam & ipse, quantum mihi possibile esset, illos æmulari. Huius itaque gratia vbi videbam quosdam in patria mea illorum institutum sectari cœpisse, commoditatem aliquam reperisse me ratus, inuisibilium animi affectuum in ijs quæ videri possunt experimentum cœpi. Quoniam igitur quæ in vnoquoque nostrum occulta sunt, cognosci nequeunt, satis indicij ad declarandam animi humilitatem esse putaui, si humi veste induerer, sufficereque mihi ad faciendam eius rei fidem, crassum & rude pallium, & zonam, & è rudi corio calceamenta. Et licet multa essent, quæ me ab illorum consuetudine auocarent, non acquiescebam tamen, cernens eos delicatæ vitæ laborum * tolerantem præferre: sed magis propter conuersationis admirabilem & insuetam rationem zelotypia quadam erga illos tenebar, vnde & cum dogmatum gratia accusarentur, delationes haud admittebam: quamuis multi illos non rectas habere de Deo opiniones, sed autoris hæresis eius quę nunc est disciplinę subditos, illius clanculum spargere dogmata, assererent: quæ quia ipse nunquam ex illis audieram, pro calumniatoribus habebam qui ea referebant. Posteaquam vero ad gubernandam Ecclesiam vocati sumus, qui nobis quasi prætextu adiutorij & communionis agapen concernentis, additi sint custodes & speculatores, tacebo: vt ne videar vel meipsum traducere, quasi qui nullam fidem habitura pronuntiem: aut certe si persuaderem inhumanitatis causam dare credentibus, quod & mihi ipsi propè accidisset, nisi me properè miserationes Dei præseruassent. Nam parum aberat, quin erga quosuis in id suspicionis incidissem, vt putassem nihil in quoquam esse fidei: propterea quod animus meus subdolis quorundam actionibus perculsus erat. Attamen videbatur interea nobis aliquis esse prætextus eius necessitudinis, quam cum illis habebam.

Basil. post vanitatis studia, per Euangelij lectionem, vt mutatus est in virũ alterum.

* βίου χλιδόνα. *Solitarij.*

† Κοιλοσυρία.

Attẽdit sinceritatem fidei B. Basilij.

Μεθάρωσις

ἐπιβλαβῶς.

Fœtus diaboli, mendacium.

* καρτέρικον.

A Contulimus vero semel atque iterum de dogmatibus: nec putauimus fugiendos esse vnà nobiscum consentientes. Nam deprehendi nos vtrinq; idem loqui de fide in Deum, quod illi perpetuo ex nobis audierant. Licet enim reliqua vita nostra digna sit cuius gratia ingemiscamus: de hoc tamen vno in Domino gloriari ausim, quod nunquam falsas opiniones habuerim de Deo: neque aliter sentiendo animi posteà iudicium mutauerim: sed quam à puero sententiam de Deo, à beata Matre, deinde & nutrice mea Macrina recepi, illam iustis incrementis auctam & adultam in meipso conseruauerim. Non enim alias post alias matureſcente ratione assumpsi: sed tradita ab ipsis principia absolui, & ad perfectionem deduxi. Quemadmodum enim
B semen dum crescit, maius quidem è modico redditur, idem tamen est quod antea non immutatum genere, sed perfectum ex incremento: ita & mihi eandem sententiam quidem suis auctam profectibus, non autem quæ nunc est, ei quæ ab initio erat, aduersam esse arbitror. Expendat ergo suam ipsorum quisq; conscientiam, memores sint tribunalis Christi, an aliud vnquã ex nobis audierunt præterquam quod iam dicimus, qui malæ nunc opinionis rumorem de nobis inuulgarunt, famosisque epistolis, contra nos scriptis omnium vbique auribus ingesserunt: vnde & nos ad istam apologiæ huius necessitatem adacti sumus. Accusamur enim blasphemiæ in Deum; neque syngrapha aliqua, quam dederimus, nec per ea quæ sine scripto oretenus publicè
C in Ecclesiis Dei disputauimus conuicti. Sed neque testis aliquis inuentus est, qui se dicat impium quid ex nobis audiuisse, quod vel in obscuro aliquo loco dixerimus. Vnde igitur condemnamur, cum neque impij quicquam conscripserimus, neque dogma noxium ipsi concionati simus, nec domesticis colloquiis eos qui nos conueniunt, peruertamus? O inanis fabulæ figmentum! In Syria, inquiunt, nonnulla quidam haud piè scripsit: tu verò ad illum ante annos viginti & plures etiam, literas dedisti. Socius igitur es hominis: & quæ in illo reprehenduntur, tua quoque sint crimina. At, ô homo, veritatis amice, qui mendacium diaboli fœtum esse edoctus es, quomodo scis epistolam illam esse meam? Neque enim misisti vt cognosceres: ne-
D que percontatus es, nec de me quidem qui tibi quod verum est aperire possum, veritatem edoctus es. Et si meæ essent literæ, vnde liquet volumen hoc quod nunc in manus tuas incidit, contemporaneum esse literis meis? Quis tibi retulit volumen illud esse annorum viginti? Vnde & hoc clarum est, quòd hominis illius sit hoc volumen, ad quem hæc mea missa sit epistola? Sit vero ille qui volumen hoc scripserit, & miserim ego ad illum literas meas, conueniat & literis meis & illius volumini in ipso quoque tempore: vnde probatur, quòd illud approbauerim, & in sensu cum illo mihi conueniat? Percontare teipsum. Sæpenumero nos vbi ad fluuium Iridem degebamus inuisisti. Cum mecum esset Deo dilectissimus frater Gregorius, & ad eun-
E dem mecum vitę scopum contenderet, an audisti tale quicquam, vel significationem huius aliquam siue modicam, siue magnam accepisti? Aliquamdiu in villa quæ vltra fluuij ripam est, apud matrem meam, instar amicorum mutuò inter nos conuersati sumus, ac noctes atque dies colloquia miscuimus: An hic deprehensi sumus cognatum aliquid cum hæresi habere in animo? Cum beatum Siluanum pariter inuiseremus, an non illo itinere de his rebus commentabamur? Ensinoæ vero, quando me Lampascum cum pluribus compressuri Episcopi aduocastis, non de fide erant nostri sermones? Non per omne id temporis disputanti mihi contra hæresim præsto erant actuarij
F tui? Non mecum erant toto illo tempore germanissimi tui discipuli? Cum fratrum contubernia inuiserem, vnaque cum illis in precationibus pernoctarem absque vlla contentione assiduè dicens & audiens quę ad Deum pertinent, an non euidentes illic animi cogitationumque mearum notas & indicia exhibui? Quî fit ergo quod tanti temporis experientia, marcida adeò & imbecilli suspicione minor esse videtur? Quem vero oportebat me animi mei præ te testem habere, quæ in Chalcedone nobis de fide dicta sunt, quæ & sæpenumero Heracliæ, & quæ antea in suburbio Cæsariæ, an non omnia consona nobis, & omnia

ζυζυσις. nia inter se concordantia fuerint? Nisi, vt dixi, quod in his quæ à nobis dicta sunt, ex intelligentiæ profectu accessio quædam obseruari potest, quæ certe non est immutatio ab eo quod peius, ad id quod melius sit, sed adimpletio defectus per additionem scientiæ. Quomodo neque hoc cogitas, quod in patrem non cadit peccatum filij, nec in filium peccatum patris, sed quisque in suo ipsius peccato morietur? Mihi vero is, qui apud te accusatur, nec pater est nec filius. Neque enim præceptor mihi fuit, neque discipulus. Quod si peccata eorum qui gemuerunt, filiis imputanda sunt: multo iustius est, vt Arij peccata discipulis ipsius imputentur. Et siquis Ætium hæreticum genuit, vt in caput illius filij quem genuit delicta redundent. Si vero iniustum est, vt illorum gratia quisquam culpetur, multo profecto iustius est, nullam à nobis rationem exigi eorum quæ qui ad nos nihil attinent dixerunt, etiam si omnino peccauerunt, etiamsi quid ab illis scriptum est condemnatione dignum, ignoscendum enim mihi est, quod fidem illis quæ de ipsis dicuntur non habeo. Quandoquidem certa de me experientia eorum qui nos accusant calumniandi procliuitatem prodit & conuincit. Nam etiamsi seducti arbitratique me eiusdem cum illis esse sententiæ qui verba illa Sabellij, quæ ipsi circunferunt, conscripserunt, in istam contra me calumniosam detractionem deuenissent: neque sic tamen venia digni essent, absque euidentibus experimentis mox calumniis impetentes ac vulnerantes, eos qui neque conuersationis aliquid cum ipsis habuerunt, ne dicam, & eos quoque quibus summa fuerunt amicitia deuincti, & quod hinc certo probatur, quam non ducantur spiritu sancto, quod falsas intra se suspiciones alunt. Multa cura ac solicitudine opus est, multarumque noctium perferendæ vigiliæ, ac multis lacrymis quoque quærenda à Deo veritas ei qui fratris velit amicitiam abiicere. Si enim qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quosque ad causæ tractationem aduocant, multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multumque ingemiscentes ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria libidine sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferant sententiam: quanto oportebat maiore diligentia, cura, pluriumque consultatione dignum reputari, si qui sese à fratrum amicitia, iam longo tempore confirmata auellere conetur? Iam vna Epistola, eaque ambigua (Neque enim dices te illam ex certis subscriptionis notis cognouisse, quum non eam quæ primum scripta, sed quæ postea transscripta est in manus acceperis) ex vnis, inquam, literis, iisque vetustis perolitatur inter nos amicitia, viginti nanque anni ab eo quod ad hunc virum aliquid scriptum est fluxere. Interea vero temporis neminem talem habeo propositi vitæque meæ testem, atque eos ipsos qui me nunc accusando opprimunt. Verum Epistola ista non est seperationis huius causa. Alia est istius occasio dissidij, quam me quidem proferre pudet, quamque perpetuo silentio pressissem, nisi quæ iam acta sunt necessariam mihi ad multorum vtilitatem, propositi ipsorum patefactionem fecissent. Putarunt suaues isti homines impedimento sibi ad acquirendum potentatum nostram fore communionem, & quoniam quadam fidei subscriptione præoccupati sunt, quam nos illis protulimus, non quod ipsi de illorum sententia hæsitaremus (fateor enim) sed quod suspicionibus, quibus apud complures fratres nobiscum concordes laborabant, mederi cuperemus, ne quid ipsis ex ea confessione impedimenti ad hoc, vt ab iis qui nunc dominantur susciperentur, videretur occurrere, communionem nobis denegarunt. Et pro separationis huius causa literarum istarum prætextum commenti sunt. Euidentissimum vero eorum quæ dico indicium est, quod cum à nobis deficerent, accusationesque quas volebant contra nos fingerent, literas circumquaque ad omnes antequam ad nos, miserunt. Septem namque dies priusquam in nostras manus veniret, visa est illorum Epistola, & qui illam ab aliis receperant ad alios quoque illam missuri erant. Nam ita instituerant, vt alius alij illam

Confirmat simili.

A traderet, quo protinus in vniuersam regionem distribueretur. Atque ista mihi iam tum narrata sunt ab iis, qui institutum illorum manifestissimè nobis indicarunt. Decreuimus autem silendum esse, donec qui profunda reuelat, clarissimis & irrefragabilibus indiciis consilia illorum publicet.

Eustathio Medico BASILIVS MAGNVS.

LXXIV.

Suam contra hæreticos tuetur innocentiam.

EST quidem omnium vestrum officium studiumque B id benigno erga homines affectu repositum, quotquot artem medendi exercetis. Et quidem quisquis artis istius vestræ cognitionem cæteris prætulit studiis, quæ ad tuendam præsentem vitam faciunt, is mihi videtur decorum assecutus solertis iudicij, nec à decentis sententiæ scopo aberrasse longius. Siquidem, quæ pretiosissima omnium est, vita, fugienda est ac dolorosa, nisi illam cum sanitate coniunctam habere liceat. Sanitatem vero ars vestra suppeditat. At tibi maxime ambidextra est ista scientia, latioresque tibi ipsi benignitatis erga homines terminos constituis: dum non medendis duntaxat corporibus scientiæ istius gratiam adstringis, sed & de animarum languentium restitutione cogitas. Hæc dixerim, non solum rumorem C quem plurimi sparserunt sequutus: sed & ipsa experientia edoctus, quam ipse cum ex multis aliis, tum præcipue iam ex inenarrabili hostium nostrorum malitia cepi, quam *Metaphora.* instar fluenti contra vitam nostram exundantem præter opinionem dispulisti, molestamq; hanc pectoris nostri inflammationem larga consolatoriæ disputationis infusione distraxisti. Ego sane ad crebros & varios hostium nostrorum aduersum nos conatus respiciens, silendum esse & quæ inferuntur animo quieto toleranda putaui, nec resistendum illis, qui mendacio muniti sunt, pessima scilicet armatura, quæ sæpenumero per veritatis quoque occasionem aciem suam impellit. Tu vero rectè fecisti, iubens ne veritatem prodam, sed redarguam * calumniato- μεταφορὰ. D res, ne dum aduersum veritatem succesſu potitur mendacium, quamplurimi perdantur. Videntur itaque mihi qui odium hoc inexcusabile contra nos induerunt, haud dissimile ab eo facere, quod habet Æsopica fabula. Quem- *Æsopi fabula non intempestiua tuendæ innocentiæ Basilij.* admodum enim illa lupum culpas quasdam aduersus agnum producere facit, quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore putet, si præter iustam rationem interimat agnum, à quo nihil sit læsus, vt tamen, licet omnem quæ ex adornata calumnia intenditur, accusationem agnus placidè diluat, nihilo magis lupum ab impetu sibi temperare, sed etiamsi iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem peruincere: ita & qui odio nostri non secus atque rei honestæ studeant, turpe forsan putantes, si absque ratione nos E odio persequi videantur, causas odij contra nos & crimina fingunt. Nihil autem eorum quæ contra nos feruntur constanter tuentur, sed nunc hanc paulò post aliam, & rursus quoque aliam inimicitiæ causam assignant, atque ita nulla in re malicia illorum solidè consistit: sed mox atque ab hac intentata culpa resiliunt, alij incumbunt, & rursus illa neglecta, aliam apprehendunt, & si omnia de quibus me accusant diluero, ab odio tamen recedunt. Tres deos prædicari à nobis causantur, istoque fi- *Hinc aduersus trium deorũ professores scriptit.* gmento multorum aures circumsonant, nec cessant donec calumniam hanc credibilem faciant. At pugnat pro nobis ipsa veritas, cum in genere aduersus omnes: tum separa- F tim eos qui nos priuatim adoriuntur, dum ostendimus, anathemate à nobis damnatum, quisquis tres esse deos dixerit, nec pro Christiano habendum esse iudicari. Sed vbi hoc audiunt, ad manum illis est contra nos Sabellius, & huius morbus in nostro iactatur deprehendi sermone. Et aduersum hanc iterum calumniam, consuetum telum nempè veritatem obijcimus, ostendentes nos talem hæresim nihil minus atq; iudaïsmum auersari. Quid ergo? An post tantos conatus frustra tentatos defatigati quiescunt? Nequaquam. Sed nouandi studium nobis obijciunt, accusationem contra nos texentes, ex eo quod tres confitemur hypostases. Hic causantur nos dicere, vnam esse bonitatem,

& vnam potentiam, & vnam diuinitatem. Atque hoc extra veritatem non dicunt. Nam id dicimus. Verum culpandi gratia hoc dicunt, quod sit contra ipsorum consuetudinem, & scriptura non astipuletur. Quid ergo ad hoc dicimus? Non putamus æquum esse, vt quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo, licet & nobis omnino hac in re illos imitari: Stemus itaque arbitratu inspiratæ à Deo scripturæ, & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnino veritatis adiudicetur sententia. Quid igitur habet ista accusatio? Duo pariter in ista sunt aduersum nos accusatione obiecta. Vnum, quod diuidimus hypostases: alterum quod nullum eorum nominum, quæ diuinam referunt maiestatem, pluraliter numeramus, sed vnam, sicut dictum est, bonitatem & potentiam, & diuinitatem, & quæ talia sunt omnia singulariter proferamus. Igitur ab hypostasen diuisione alieni sanè non erunt, qui personarum subsistentium alterationem in diuina natura tradunt. Non enim verisimile est, quod qui tres substantias esse dicunt, non etiam tres dicant esse hypostases. Hoc itaque tantum inest isti accusationi, quod competentia diuinæ naturæ nomina singulariter pronuntiamus. Verum paratam habemus ad hoc & manifestam rationem. Quisquis enim vnam docentes diuinitatem condemnat, necessario multas, vel prorsus nullam tradenti astipulabitur. Impossibile namque est, vt præterea aliud quid excogitetur. At vt multas dicamus, diuinæ inspirationis doctrina non admittit. Siquidem vbi diuinitatis meminit, singulariter mentionem illius facit dicens. Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis. Et alibi. Inuisibilia namque illius à creatione mundi ex operibus intellecta peruidentur, ipsaque æterna eius virtus & diuinitas. Cum ergo numerum diuinitatum ad multitudinem extendere, eorum tantum sit, qui errore multorum deorum ægrescunt, ac laborant: prorsus vero in vniuersum negare diuinitatem eorum sit qui nullum censent esse Deum, vt impij: quamobrem nos traducimur, ob id quod vnam confitemur diuinitatem? Verum manifestius aperiunt sermonis huius scopum. Nam in patre quidem ferendum, vt Deus esse dicatur, & filium similiter diuinitatis nomine honorandum esse, consentiunt: Spiritum vero & Patri & Filio connumeratum per diuinitatis vocabulum vna cum Patre & Filio intelligendum & complectendum nolunt: sed à Patre ad Filium vsque diuinitatis potentiam terminandam, naturamque Spiritus à gloria diuina segregandam esse contendunt. Respondendum itaque nobis est & ad istam sententiam quam poterimus breuissime. Quæ est ergo nostra ratio? Cum salutarem fidem discipulis suis quos sermone instruebat commendaret Dominus Patri ac Filio, coniunxit Spiritum sanctum. Quod autem semel coniunctum est, perpetuo coniunctum esse dicimus. Non enim poterit in reliquis separari, quod in aliquo coniunctum est. In potentia autem viuificandi, per quam ex corruptibili hac vita ad immortalitatem natura nostra transmutatur, vna cum Patre & Filio potentia comprehenditur & Spiritus sancti: quemadmodum & in aliis multis, vtpote vbi Deus vocatur bonus, sanctus, æternus, sapiens, rectus princeps, potens, & in aliis omnibus vbique, vnde clarum est quod in omnibus nominibus illis quæ quod potius est concernunt, inseparabilem habeat coniunctionem. Arbitramur itaque merito quia in tantis tamque sublimibus & quæ Dei maiestatem addecent, notionibus siue notificatiuis nomenclaturis, nihil quod Patri ac Filio coniunctum est, vlla in re separari debere. Neque enim scimus aliquam eorum nominum quæ de diuina natura intelliguntur, quod ad potius vel minus attineat, differentiam, ita vt execrandum ducamus, quod qui inferiorum nominum communicationem Spiritui sancto concedunt, sublimioribus indignum iudicant. Omnia namque Deo competentia tam cogitata quam nomina, eiusdem inter se sunt conditionis, eo quod circa subiecti significationem nihil habent discriminis. Non enim mentis cogitationem ad aliud subiectum ducit appellatio boni, & ad aliud, sapientis, potentis, & iusti: sed quæcunque huiusmodi nomina protuleris, vnum est perA petuo, quod significatur. Etsi Deum dixeris, eundem significasti quem & in reliquis omnibus cogitasti. Si vero omnia ea nomina quæ de diuina dicuntur natura, eiusdem inter se sunt potentiæ: propterea quod secundum subiecti demonstrationem, licet secundum aliam atque aliam significationem inter se varient, ad idem tamen mentis nostræ cogitationem ducunt, quæ est illa ratio, propter quam, cum in aliis nominibus communicationem Spiritui sancto cum Patre ac Filio concedamus, in sola illum diuinitate segregare debeamus? Omnimoda namque necessitas hoc vrget, vt vel in ista communionem illi demus, vel in reliquis quoque denegemus. Si enim in illis communione dignus est, plane neque in ista indignus haberi B debet. Si vero minor est spiritus sanctus, vt isti putant, quam vt in diuinitate illi cum Patre & Filio concedenda sit communio, neque reliquorum cuiusquam nominum Deo competentium participatione dignus erit. Nam si expendantur huiusmodi nomina, & inter se considerata cuiusque significatione conferantur, nihil ab appellatione Dei minus habere differreque deprehendentur. Argumentum huius est, quod appellatione Dei multa ex inferioribus quoque cognominantur. Imo non veretur diuina scriptura æquiuocationem istam absimilibus ac dissentaneis rebus attribuere, quando *idola* appellatione Dei denominat. *Dij enim*, inquit, *qui cœlum ac terram non* C *fecerunt tollantur, & sub terram abiiciantur.* Et *omnes dij gentium, inquit, dæmonia sunt.* Et mulier illa Pytonica quæ Saülem ab inferis incantationibus suis euocauit, cum videret animas, quæ requirebantur, deos se videre dicebat. Quin & ipse Balaam augur cum esset ac diuinator, perque manum vaticinia ferret, vt scriptura refert, ac dæmoniacam sibi doctrinam per augurandi curiositatem ac superstitionem comparasset: Deum tamen consuluisse à scriptura traditur. Et multa huiusmodi ex diuinis collecta scripturis produci possunt: vnde probatur, nomen Dei præ reliquis appellationibus ad Deum pertinentibus nihil habere præcipui, quod &, vt dixi, de dissentaneis æquiuocè dici deprehendimus. Sancti vero & incorrupti, & recti, bonique nomina, nusquam illis quibus haud oportet, communicari per scripturam edocti sumus. Itaque si in ijs quæ de sola præcipuè diuina natura pie dicuntur, Patri ac Filio consortem esse Spiritum sanctum haud contradicunt, quanam ratione astruere nituntur, in eo solo illum non esse consortem, cuius communio declarata est iuxta quandam æquiuocationis rationem & dæmonibus esse & idolis? Sed dicunt appellationem Dei hoc habere, vt naturam Dei exprimat. Spiritus sancti vero naturam cum Patre ac Filio communicare non posse: atque hac ratione illi neque nominis huius consortium competere. Ostendant igitur quibus argumentis naturæ differentiam agnouerint. Si enim E in seipsa diuinam contemplari naturam possibile fuisset, quid illi videlicet proprium, quid alienum sit, non opus esset omnino ex apparentibus, siue verbis siue alijs indicijs eius quod quæritur cognoscere veritatem. Quoniam autem illa contemplatione quidem eorum quæ inquiruntur sublimior est: ex indicijs vero quibusdam, de nostrâ fugientibus recordationem iudicamus, planè necessarium est, vt per operationes ad scrutandum diuinam naturam veluti manu ducamur. Itaq; si viderimus inter se differre Patris & Filij, & Spiritus sancti operationes, naturas quoq; operantes ex operationum alteratione inter se differētes esse coniiciemus. Nequit enim fieri, vt secundum naturæ rationem dissidentia in forma ac similitudine operationum inter se F concordent. (Neque refrigerat ignis, neque calefacit crystallus) sed propter naturarū differentiam diuersę sunt inter se, & quæ ab illis fiunt operationes. Patris vero & Filij & Spiritus sancti cum nulla in re differens quid aut diuersum habeant operationes, necesse est vt propter operationis similitudinem naturæ colligatur vnitas. Sanctificat, viuificat, illuminat, consolatur, & omnia huiusmodi similiter operatur, & Pater & Filius, & Spiritus Sanctus. Et nemo peculiariter potestatem sanctificandi tribuat Spiritui sancto, cum audiat seruatorem in Euangelio de discipulis ad Patrem dicentem, Pater sanctifica eos in nomine tuo. Similiter & reliqua omnia æquè in ijs qui digni sunt, fiunt à

Patre

Tres hypostases, *Latinis tres* personæ *sunt.*

Consuetudo non præiudicat scripturæ.

Δόγμα *duplex Basilij.*

ὁμωνυμίαν φείδεται. *Hier. 10.* *Psal 95.*

ἐγγαστρίμυθος.

ὁμωνυμίας.

Ἀξίωμα.

Basilius pius in Spiritum sanctum, & orthodoxus χαρακτὴρ *Basilij.*

Ἀξίωμα *Physicum.*

Patre & Filio & Spiritu sancto: Omnis gratia & virtus, moderatio, vita, consolatio, ad immortalitatem transmutatio, in libertatem translatio, & si quod aliud est bonum, quod ad nos vsque pertingit. Quæ vero circa nos est rerum moderatrix dispensatio, tam in intelligibili siue spirituali quam sensibili creatura, si quid de excellentibus per ea coniiciendum est, quæ in nostram cadunt notitiam: neque ipsa extra operationem & potentiam & sanctissimi spiritus, vnde quisque iuxta suam dignitatem & vsum necessarium participat. Licet enim sensibus nostris obscura sit eorum quæ nostram experiuntur naturam tractatio ac dispositio: ex ordine tamen ac serie rerum verisimilius quisquam per ea quæ nobis nota sunt, & in illis efficacem Spiritus Sancti potentiam quam ab excellentium rerum œconomia abalienatam esse animaduerterit. Nam si quis hoc dixerit, nudam & apertam blasphemiam & nulla ratione tectam vel concinnatam absurditatem incurret. Qui vero animaduertit & consentit, quod & ea quæ supra nos sunt, simul cum Patre & Filio Spiritus Sancti quoque potentia disponantur, luculento indicio, obseruatis quæ in propria ipsius vita geruntur, de istis etiam affirmat. Operationis itaque similitudo in Patre & Filio & Spiritu Sancto, manifeste per omnia similem & eandem illis esse naturam declarat. Quapropter diuinitatis nomen etiamsi naturæ significationem haberet, & Spiritui sancto istam proprie competere appellationem ipsa probaret essentiæ communio. At ignoro quo pacto ad naturæ significationem vocabulum Dei trahant, qui omnia sic astruunt, quasi à scriptura non audiuerint, quod in naturam electio non cadat. Moses autem in Deum Ægyptiorum electus ac constitutus est: ita ad illum dicente diuino oracolo. Quoniam Deum te dedi Pharaoni. Potestatis itaque alicuius siue sacrorum siue administrationis mundanæ significationem vocabulum hoc adfert. Natura vero diuina vt in seipsa est, nullis nominibus, quæcunque excogitari possunt, exprimitur: sed, vt nos arbitramur, ignota & abscondita manet. Quod enim beneficus dicitur Deus, & iudex & bonus, ac iustus, & quæcunque alia huiusmodi de illo didicimus, his omnibus operationum illius differentiam edocti sumus. Operantis autem naturam haudquaquam per operationum considerationem cognoscere possumus. Nam si quando ratio cuiusuis istorum reddenda est nominum, deinde & naturæ, quæ per ista nomina exprimitur, non eadem poterit vtriusque ratio assignari. Nam quorum ratio non est eadem, horum & natura differens est. Aliud igitur est ipsa substantia ad cuius ita significationem exprimendam verbum aliquod inuentum est: alia vero nominum ipsam propter operationem aliquam vel dignitatem concernentium. Ex nominum itaque communicatione nullam prorsus operationibus inesse differentiam inuenimus. Et diuersæ naturæ nullam, vt dictum est, deprehendimus euidentem demonstrationem, ob id quod ex operationum similitudine, naturæ quoque communicatio & vnitas intelligenda datur. Siue igitur diuinitas operationis nomen est, vt vnam dicimus esse Patris & Filij & Spiritus sancti operationem: ita vnam quoque dicimus esse diuinitatem, siue iuxta multorum opinionem, naturam ipsam exprimit diuinitatis nomen: quoniam nulla in natura deprehenditur diuersitas, non immerito vnius & eiusdem diuinitatis sanctam definimus esse trinitatem.

οἰκονομία. *Moses, Pharaoni datus in Deum.* ἀξίωμα.

Ad Eundem Basilivs Magnvs,

LXXV.

SI quid vtilitatis habent literæ nostræ, nullo non tempore nobis scribas, nosque ad scribendum excites. Nos enim cum primis alacriores ac suauiores reddimur, vbi virorum prudentum ac Dominum diligentium Epistolas adepti fuerimus. An vero & ipsi aliquid apud nos quod operæ pretium sit inuenturi sitis, vestrum est scire, qui literis nostris potimini. Itaque nisi multitudine negotiorum auocati essemus à lætitia quam scribendi peperisset assiduitas, vtique non abstinuissemus. Vos vero quibus minus est curarum, quoties fieri potest, literis nos † obuallate. Nam * & puteos aiunt, si crebro exhauriantur, meliores reddi. Videntur autem admonitiones tuæ ex arte medendi productæ in superuacaneum vsum abire: propterea quod nos ferrum haud admittimus: sed à nobis ipsis excidimus vt quæ inferuntur vitemus. Est ergo Stoici quidem sermo, quo dicit, *Quoniam non fiunt quæ volumus, quæ fiunt velimus*: Ego vero animum iis quæ fiunt apponere ac conformare non sustineo. Quod autem præter animi sententiam quidam aliquid eorum quæ necessitas extorquet faciũt, haud reprobo. Neque enim animus vester est, qui medicandi artem exercetis, vt vel aduratis ægrotum, vel aliquid alias doloris inferatis: attamen tale quid sæpenumero morbi malitia inducti admittitis. Neque * qui in mari nauigant sponte quæ vehunt eiiciunt: sed hoc ideo faciunt, vt naufragium caueant. Iacturam ferunt, malentes in rerum viuere penuria, quam mortis subire periculum. Ad hunc itaque modum & nos puta cum dolore quidem ac innumeris lamentis ferre separationem eorum qui sese alienant à nobis, & tamen ferre: propterea quod veritatis amicis, Deo, & quæ in illum est spe, nihil est charius.

† κατακλᾶτε. * *Ratiophysica* ἀλληγορικῶς. *Ex consuetudine medicorum collatio.* * Βεβαίωσις *à simili.*

Patrophilo Episcopo Basilivs.

LXXVI.

LEgi literas tuas, quas per fratrem nostrum Strategium Sympresbiterum misisti. Legi autem illas libenter. Quomodo enim non libenter legissem, quæ & à viro prudente & ex pectore dilectionem erga omnes ex præcepto dominico seruare edocto scriptæ sunt? Et prope cognoui quæ sit causa ser[illegible] præterito tempore silentij. Videris enim hæsitasse, num Basilius ille qui tam strenuè homini illi à puero seruiuit, qui hæc & hæc certis temporibus fecit, qui propter vnius hominis amicitiam innumerorum inimicitiam suscepit: hic ipse, nunc alius ex alio factus sit: & amicitiam in inimicitiam mutauerit, & quæ alia scripsisti: satis ostendens, quàm ex inopia rerum mutatione animo fueris perculsus ac stupefactus. Et si quid rerum nostrarum reprehenderis, non tamen illud molestè tuli. Non enim adeo duro ac pertinaci sum ingenio vt amicas fratrum correptiones ægrè feram. Tam enim abest vt ijs quæ scripta sunt offensus sim, vt propè cum legerem riserim, quod cum tanta sint ac talia quæ mutuam inter nos amicitiam hactenus confirmare visa sunt, propter tantillas querimonias ad te vsque delatas tantum te perpessum esse stuporem scripseris. Ergo & tibi accidit, quod multis vsu venire solet, qui neglecta rerum natura, quam inquirere debebant, homines ipsos attendunt de quibus rumor aliquid sparsit, atque ita fiunt non veritatis inquisitores, sed differentiæ personarum æstimatores, obliti admonitionis, qua dicitur, quod personam in iudicio agnoscere non deceat. Verum quoniam personam Deus in iudicio hominis non accipit, apologiam illam quam mihi ad magnum Christi tribunal paraui, & tibi notam facere haud detrectabo. Quod videlicet ab initio causæ huius nihil occasionis à nobis isti dissidio, siue parum siue multum, datum est: sed homines illi qui nos odio prosequuntur (quam ob causam norunt ipsi, neque enim opus est vt aliquid hac de re dicam) assiduis nos calumniis grauarunt. Purgauimus quidem nos semel atque iterum. Cum vero causa hæc euaderet in infinitum, nec aliquid prodesset si perpetuo nos defenderemus: propterea quod nobis procul dissitis, mendacibus nostris detractoribus in promptu esset cor inexercitatum, & haud edoctum alteram auriculam absenti illibatam seruandam esse, è vicino suis aduersum nos vulnerare delationibus: & Nicopolitæ quandam peterent fidei nostræ certificationem, quod & vos prorsus haud ignorastis, visum est nobis suscipiendum hoc esse literarum obsequium. Putauimus enim nos per illud, duo consequuturos commoda, vt & Nicopolitanis suaderemus, ne siniſtri quicquam de hoc viro sentirent, & obtrectantium nobis ora obturaremus dum fidei consonantia sycophantiæ vtrinque excluderentur. Continuo itaque conscripta est fides, oblataque à nobis, ac descripta: & vt descripta

Innocentiã declarat ac tuetur suã Basilius cõtra hæreticos.

erat, designatus est quoque alteri synodo locus, & tempus aliud, vt & externi & peregrini fratres conuenire vnirique inter se possent, & germana deinceps esset ac syncera communio. Itaque nos quidem iuxta præscriptum accurrimus, & qui nobiscum erant fratres, alij aderant, alij aduolabant, læti omnes atque alacres, tanquam ad pacem properantes. Et literæ à nobis ac tabellarij missi sunt qui nos adesse significarent: locus enim ad susceptionem conuenientium designatus, noster erat. Ex altera vero parte nemo erat qui vel præcurreret, vel aduentum eorum, qui expectabantur annunciaret: & qui à nobis fuerant reuertebantur, plurimum tristitiæ ac murmuris apud aduersarios esse commemorantes: ob id quod noua quædam esset à nobis ad ipsos missa & exhibita fides, dicebanturque decreuisse prorsus, ne liceret ad nos ipsorum proficisci Episcopo. Venit autem quidam ab ipsis missus, & literas adferens recusatrices, & nullam faciens eorum de quibus inter nos antea conuenerat mentionem. Venerandissimus vero & colendissimus frater Theophilus, misso eorum quos secum habebat aliquo, nonnulla patefecit quæ putabat & sibi vt diceret, & nobis vt audiremus competere. Scribere namque dedignatus est, non quod reprehensionem ex literis tantum metueret, quantum cauebat ne nos Episcopi vocabulo salutare & appellare necesse esset. Attamen certe, quoniam vehementia erant verba, & ex pectore admodum calido prolata, animo ita excussi, confusique & deiecti concidimus, vt non haberemus quod rogantibus responderemus. Haud vero multum temporis intercessit, confestim in Ciliciam legatio, atque inde reditus, mox literæ adsunt, communionem nobis denegantes. Abruptionis autem huius ac secessus causam assignarunt, quod Apollinario scripserimus, & quod sympresbyterum nostrum Diodorum habeamus consortem. Ego vero Apollinarium quidem nunquam putaui inimicum esse, imo sunt quædam quorum gratia virum veneror etiam. At me homini non ita coniunxi, vt ipsius velim in me recipere crimina, cum & ipse quædam habeam, quæ in illo reprehendo, propter nonnullos ipsius codices quos legi. De spiritu vero sancto non noui me vel petiisse ab ipso, vel vltro missum accepisse librum. Audio tamen ipsum omnium eorum qui libros conscribunt esse verbosissimum. Legi autem paucos illius commentarios. Non enim mihi quæ eiusmodi sunt scrutari vacat. Et alioqui eo sum ingenio, vt haud facile neoterica admittam. Quemadmodum & corporis mei imbecillitas haud patitur, vt vel diuinis scripturis cum diligentia, & vt dignum est, immorer. Quid ergo mea interest si quisquam aliquid conscripsit quod cuipiam displicet? Quamquam si ita fieri oportet, vt alius pro alio rationem reddat qui me propter Apollinarium culpat, rationem nobis reddat pro Ario præceptore suo, & pro discipulo suo Aëtio. Nos autem, neque præceptoris neque discipuli loco vnquam fuimus isti viro, cuius in nos vitia contorquent ac reuoluunt. Porro Diodorum, tanquam beati Siluani alumnum primum suscepimus, nunc vero diligimus & complectimur propter sermonis quam habet gratiam, per quam multi eorum, qui virum audiunt, meliores redduntur. Ad hasce itaque literas animatus, vt par erat & ad tam inopinam ac subitam immutationem animo perculsus ne respondere quidem poteram: palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat, manus stupebat: & plane patiebar, quod animo solet parum forti accidere. Dicendum enim quod verum est, & tamen venia dignum. Deinde parum aberat, quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspectique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitranti in natura humana non esse charitatis bonum: sed verba quædam plausibilia ad ornatum & cultum eorum quibus vti velis conficta: affectum vero illorum secundum veritatem non inesse cordi humano. Si enim qui à puero ad grandæuam vsque senectam vitam suam accurate ac diligenter instituisse videtur, talibus de causis tam temere exasperatus est, vt nullam habuerit rerum nostrarum rationem, nec præteriti temporis experientiam tam inani delatione certiorem ac potiorem duxerit: sed instar pulli indomiti, nondum ac commode ferendum ascensorem edocti, propter modicam suspicionem propulsauit, excussit, & ad terram proiecit eos de quibus iam primum gloriabatur: quid de aliis sentiendum est, qui neque nobiscum tantum contraxerunt amicitiæ: neque morum instituendorum tale de se dedere specimen? Ista cum animo mecum reuoluerem, & corde indesinenter versarem, imo ab ipsis potius versarer ita me mordentibus ac iugi rememoratione turbantibus, nihil ad illas literas respondi: non quod ex contemptu siluerimus (ne cogites hoc frater. Non enim hominibus satisfacimus, in conspectu Dei in Christo loquimur) sed quod præ hæsitatione & mentis inopia non habebamus, donec ad hunc modum affecti eramus, quod tanta mœstitia dignum exprimeremus. Et præterea afflixerunt nos & aliæ literæ, ad Dazizam quendam in speciem, re ipsa vero vniuersis mortalibus scriptæ, cuius indicium est quod tam festina distributione sparsæ sunt, vt paucis diebus totam Pontum & Galatiam peruagatæ sint. Sunt qui istos bonarum rerum nuntios & Bythyniam percurrisse dicant atque ad ipsum pertigisse Hellespontum. Quæ vero contra nos ad Dazizam perscripta sint omnino nosti. Non enim te vsque adeo ab amicitia sua alienum putant, vt solum honoris illius expertem reliquerint. Si vero ad te literæ istæ non peruenerunt, mittam ego illas, in quibus deprehendes nos accusari ac prædicari ipsam fraudem & versutiam, corruptionem Ecclesiarum, & animarum perniciem. Et quod omnium est, vt ipsi putant, verissimum, quod insidiosum ipsis fidei præscriptum composuerimus, non vt Nicopolitis seruiremus, sed vt isto consilio confessionem ipsorum dolose eliceremus. Horum quidem iudex erit Dominus. Quæ nanque poterit cogitationum cordis humani euidens esse declaratio? Hoc vero in ipsis admiratus sum. An propterea quod exhibito à nobis libello scripserunt, tanto dissidendi studio vsi, vt & existentia & non existentia commiscuerint, quo delatoribus fidem facerent, non cogitant, quod Romæ scriptum ipsorum, quo Nicænam fidem confessi sunt, reconditum habetur: nec quod è Roma acceptum libellum Tyanensi synodo obtulerunt, quin & apud nos eandem hanc fidem habens repositus est. Quin & propriæ orationis obliti sunt, qua cum in medium tum constituti essent, de seductione conquerebantur, qua illecti consensissent volumini quod ab Eudoxij congregatione compositum fuerat. Quocirca & erroris illius istam excogitarunt defensionem, vt Romam abeuntes patrum inde fidem acciperent, atque ita noxam qua Ecclesias ex mali consortio læserant, per melioris inductionem corrigerent. Sed qui tam longinquarum profectionum laborem sustinuerunt, tamque sapienter tum ista concionati sunt, nunc conuiciantur, vt agnoscas eos dolose legatione illa functos esse, & sub prætextu charitatis insidiantium fraudem occuluisse. Et quæ iam circumferuntur manifestum faciunt, quod Nicænam fidem condemnauerint. Viderunt enim Cyzicum & mox mutata fide reuersi sunt. Ad quid de verborum immutatione dico, cum in ipsis rebus factam esse peruersionem multo potioribus demonstrare queam argumentis? Qui enim quingentorum Episcoporum contra se promulgato decreto non obedierunt, nec ab Ecclesiarum administratione amoueri sustinuerũt, cum tot cõsentientium Episcoporum sententia ab officio depositi essent: propterea quòd illi, vt aiebant, Spiritus sancti non erant participes, nec per gratiam Dei Ecclesias gubernabant, sed per humanam potentiam ex inanis gloriæ desiderio Ecclesiarum gubernationem rapuerant, hi nunc eos, qui ab illis ordinati sunt pro Episcopis agnoscunt. Quos meo nomine roges velim, an vniuersos mortales contemnant, quasi nec oculos habeant, nec aures, neque cor sensu præditum, vt eorum quæ geruntur disconuenientiam considerare queant. Versatur talis quædam in cordibus ipsorum cogitatio. Quomodo duo possunt esse Episcopi, vnus qui ab Euippio depositus est Episcopatu, alter qui ab illo est ordinatus? Eiusdem enim manus opus sunt vterque. Nisi enim gratiam illam habuisset quæ Hieremiæ data fuerat, ad demoliendum ac restaurandum, ad extirpandum & plantandum, vtique nec istum eradicasset, nec illum plantasset. Si vero vnum istorum illi largiris, permittes simul & alterum.

Hic ille Alexandrinus qui tam infense oderat & Chrysost.

In Apollinario quæ laudarit & quæ improbarit Basil. πολυφωνότατον.

Collatio

ἀπολογίαν

ἐρώτησον.

rum. Sed vnus illis scopus est, vt videre videor vbique quæ sua sunt ipsorum quærant, & pro amico habeant, si qui desideriis ipsorum cooperetur: hostem vero ducant, nec ab vlla se aduersus illum calumnia cohibeant, si quisquam desideriis ipsorum resistat. Talia enim sunt quæ isti dispensant nunc aduersus Ecclesiam, horroris quidem plena propter ipsorum temeritatem, miserabilia vero, propter talia patientium stupiditatem. Euippij filios, Euippij nepotes, honesta ac fide digna missa legatione extorres & exules ad Sebastiam vocarunt, populoque præfecerunt. Illi vbi altari potiti sunt, fermentum facti sunt eius quæ illic est Ecclesiæ. A quibus tanquam homousiastæ persequutionem patimur. Eustathius vero Sebastenus, qui Roma acceptum homousion in Charta vsque ad Tyanenses attulerat, iam illis consensit, licet plurimum desideratam ipsorum communionem obtinere nequiuerit, siue quod illi multitudinem contra se consentientium metuerunt: siue quod huius veriti sint autoritatem. Qui nanque fuerint cum eligerentur, & quomodo quisque ipsorum sit ordinatus, & ex qualiter ab initio ducta vita ad istum potentatum peruenerint, mihi sane nondum tantum datum est otij, vt ista & quæ alia sunt illorum exponam. Didici nanque precari Dominum, vt non loquatur os meum opera hominum. Tu vero illa, si scrutatus fueris, cognosces. Et si te latuerint, iudicem tamen haud vllo pacto latebunt. Quid vero mihi passionis acciderit, non grauabor dilectioni tuæ exponere. Anno præterito cum ex grauissima febre ægrotassem, & prope ad ipsas mortis portas deuenissem, bonitate vero Dei reuocatus essem, ægre ferebam illam mei restitutionem, expendens ad quæ mala iterum reuersus essem, cogitabamque apud meipsum, quidnam esset in profunda Dei sapientia reconditum, cuius gratia mihi iterum datum esset dies istos in carne agere. Posteaquam vero ista cognoui, cogitabam ita voluisse Dominum nos quietas videre Ecclesias ab ea turbatione quam hactenus passæ sunt per separationem eorum, qui propter confictam honestatis grauitatem omnia sua autoritate obtinent. Aut forsan voluisse illum per intelligentiæ accessionem animum meum deinceps diligentiorem & attentiorem reddere, ne morer hominum iudicia, sed per Euangelica præcepta absolute instituar, quæ neque cum temporibus neque humanarum rerum circunstantiis mutantur, sed eadem permanent, ita perdurantia, vt à veraci ac beato ore prolata sunt. Homines vero similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aëris partem iactatis. Et maxime isti, de quibus loquimur, omnium eorum, qui nobis innotuerunt, sunt versutissimi. Tales an & in reliquis sint vitæ negotiis, dicant qui ipsorum fuere contubernales. Parem circa fidem inconstantiam, quam in illis video, haud scio an in aliis ipse viderim hactenus, aut ex aliis audiuerim. Arium primum sequuti, postea ad Hermogenem sunt mutata sententia conuersi, qui ex diametro hostis erat Arij improbatæ opinionis, quemadmodum manifestum est ex fide, quæ primum ab illo viro Nicææ pronunciata est. Post dormitionem Hermogenis, iterum immutati ad Eusebium defecerunt, virum, qui omnium eorum qui Arium sectantur antesignanus est, sicut asserunt, qui experti sunt. Inde elapsi, incertum quibus de causis, iterum ad patriam reuersi, denuo Arianam sententiam celarunt. Vbi Episcopatum nacti sunt, (vt quæ interea temporis gesta sunt ab illis, omittam) quoties fidem exponendo nouarunt? Ancyræ dederunt aliam, Seleuciæ aliam, aliam Constantinopoli, diuulgatam illam, & aliam in Lampsaco, postea & quam dederunt in Nicæa Thraciæ, & iam aliam in Cyzico, de qua & si reliqua ignoro, hoc tamen audio, quod silentio omissa homousij confessione, τὸ καὶ' οὐσίαν ὅμοιον iam circunferant. Et præterea blasphemias contra Spiritum sanctum cum Eunomio conscribunt. Istæ autem fidei formulæ, quas recensui, etiamsi non omnes sibi ipsis inter se contrariæ sunt, nihilominus sententiæ produnt inconstantiam: propterea quod nunquam iisdem verbis contenti, stabiles persistunt. Hæc vera sunt, innumeris aliis silentio pressis. Quoniam vero & ad vos vsque peruenerunt, rogamus, vt rescribas, per eundem hunc virum, Strategium dico, sympresbyterum nostrum, an noster adhuc esse constanter pergas, aut an ex illorum congressu & ipse sis abalienatus. Neque enim verisimile est illos quieuisse: neque te, qui talia nobis scripsisti, non & aduersum illos fiducialiter egisse. Quod si in nostra perseueras communione, optimum est, & summopere exoptandum. Si vero te ad suam ipsorum traxere sententiam, triste quidem est. (Quomodo enim tam dilecti fratres abalienatio tristis non esset?) Verum etsi nulla aliena in re, in ea tamen probe sumus ab illis exercitati, vt didicerimus eiusmodi patienter ferre dispendia.

Collatio.

χακοδοξίας.

χορυφαῖον

Similitudinem quandam essentiæ.

Animaduertite Hæreticorum incõstantiam.

Leontio Sophistæ BASILIVS.

LXXVII.

TArde quidem & à nobis literas accipis: attamen non tardius quam nos abs te, idque cum habeas quam plurimos qui sedulo & frequenter à vobis ad nos veniant: quibus omnibus si literas singulatim imposuisses, nihil impediuisset, quo minus præsentia tua ac consuetudine veluti præsentes ipsi & coram frui videremur, tam fuit eorum qui nos accesserunt frequens multitudo. Quamobrem ergo non scribis quum non sit aliud sophistæ opus, quam vt scribat, imo si otiosa manu vacas, ne opus quidem erit vt scribas. Poterit enim alius tibi hac in re seruire, vt lingua tantum sit opus, quæ etsi nobis nolit loqui, vni saltè eorum loquetur, qui præsto sunt. Tametsi nemo adsit, secum ipsa disputabit. Neque enim vllo pacto silebit, cum sit Sophistica pariter & Attica. non minus quam luscinia, veris tempore ad canendum excitatæ. Nobis quidem negotij in quo nunc sumus difficultas, qualemcunque adfert excusationem eius quod raro scribimus, & præterea quod molesta illa & crebra vulgariter dicendi consuetudine dictio nostra veluti polluta nonnihil est, non immerito cunctatiores ad hoc facti sumus, vt vos Sophistas alloquamur, qui nisi quod sapientia vestra dignum sit audiatis, ægrè fertis, & haud facilè admittitis. Te vero contra verisimile est ad omnem occasionem & causam vocem tuam accommodatam habere, cum sis omnium quos noui Græcorum ad dicendum appositissimus. (noui autem, vt puto, quosuis inter vos nominatissimos) Itaque nullam habes silentij tui excusationem, maximè tam diutini. Misi vero & quæ aduersus Eunomium conscripsi, quæ siue puerilem eruditionem vocare oporteat, siue institutione puerili sint paulo seriora, iudicio tuo permitto, quibus etiamsi, vt puto, non opus habes quod ad tuam ipsius attinet personam, spero tamen non ignauam tibi fore contra peruersos, si in quos incideris, armaturam ac defensionem. Non quod tantum tribuamus viribus ac robori voluminis huius: sed quod probè sciamus tantum tibi esse industriæ, vt ex modicis argumentis multa queas eruere. Si vero imbecilliora tibi videbuntur, quàm rei necessitas exigat, ne tardes hoc arguere. Nam hac in re potissimum, * *ab adulatore differt amicus*, quod ille quæ iucunda sunt dicit; iste vero non veretur & tristia adferre.

Queritur se variores ab illo litteras accipere.

Allusio ad cantionem luscinia.

παιδιὰν.

* *Hæc de re Plutarchi libellus est singularis.*

Sophronio Magistro BASILIVS.

LXXVIII.

TEmporis incommoditate premitur etiam Deo dilectissimus frater noster Gregorius Episcopus. Luget enim & ipse cum omnibus alijs irremissis contumelijs quasi quibusdam insolentibus plagis percussus. Homines enim quidam timorem Dei non habentes, vt magnitudine malorum vi agentes contumeliam illi inferunt quasi pecunias Cæsarij ipsis ademerit. Illatum autem damnum non admodum curat. Iam olim enim pecunias contemnere didicit. Nisi quòd modica quædam ex bonis illius acceperunt, adhoc vt domesticis illius suppeteret victus. Quidam vero quæ pretiosiora fuerant multa cum temeritate hominibus non distribuerunt, & quæ minuta sunt prorsus istis reseruarunt. Quæ vbi isti putauerunt nemini oppignerata esse, mox in egenos expenderunt, cum propter suam ipsorum sententiam, tum propter demortui mandatum

Gregorio fratri suo Episcopo vt adsit, ac tueatur, rogat.

datum. Mandasse nanque fertur ac dixisse cum morereturꝰ. Quæ mea sunt omnia pauperibus dari volo. Isti itaque tanquam ministri Domini confestim illa dispensarunt. Et nunc instat & vrget hinc Christiani hominis paupertas, illinc vnius ex istis forensibus rabulis improba * curiositas. huius gratis placuit nobis hoc omnia laudabili tuæ probitati patefacere, vt & propter viri honorem cuius iam olim notitiam habes, & propter gloriam Domini, qui quæ seruis suis fiunt, in seipsum transfert: ad hæc & nostri gratia, qui serui tui sumus, principi thesaurorum de illo quæ decora sunt loquare, modumque excogites pro magna tua prudentia, quo à contumeliosis istis & molestis turbationibus liberetur prorsus. nemo ita viri huius ignarus est, vt absurdi aliquid de illo suspicetur, quasi pecuniæ addictus talia fingat. In promptu namque est liberalitatis illius experimentum. Libenter substantiæ suæ reliquias ærario tradit, vt accepta ipsius substantia ærarij minister & aduocatus respondeat ijs, à quibus impetitur, & probationes exigat ab illis, propterea quod nos ad huiusmodi causas appositi non sumus. Potest enim placiditas tua facile hoc cognoscere quod nemo, quoad eius fieri potuit, ab illo discesserit voti non compos effectus. Sed quisque quæsitum & optatum absque vlla molestia reportauerit, ita vt multos pœniteret, quod non plura statim ab initio petierint, quod & complures calumniatores reddidit. Nam ad exemplum eorum qui primi cœperunt reliqui respicientes alius alium calumniandi improbitate subsequutus est. His itaque molestijs, obsecramus grauitas tua vt resistat, & veluti irruentem fluuium cohibeat, malorumq; ingruentium frequentiam amputet. Nosti probè, quo pacto sit occurrendum, vt de auxilij ratione ac modo nostram tibi non sit necesse expectare instructionem. In rebus enim ac negotiis vitæ huius vsque adeo consilij inopes sumus, vt & hoc ipsum ignoremus quomodo possibile sit, vt liberemur. Consultorem itaque te pariter & tutelarem patronum præbeas, perque præclaram tuam prudentiam, rationem aliquam auxiliandi adinuenias.

* πολυπραγμοσύνη.

Collatio.

Patrophilo Episcopo BASILIVS.

LXXIX.

Vt Arianos Basilius itidem tu Lutheranos ac Zuinglianos vita.

SEro quidem accepi, quæ ad priores literas respondisti: accepi tamen, per desideratissimum Strategium, & gratias egi Domino, quod idem qui hactenus in charitate erga nos constanter perseueras. Quæ vero iam de eadem causa scribere dignatus es, argumentum habent bonæ tuæ voluntatis: quod quæ honesta sunt ac necessaria sentias, ac quæ vtilia consulas. Attamen quandoquidem iterum video prolixum futurum sermonem, si ad singula quæ prudentia tua scripsit respondere velim, tantum dico: Quod si pacis bonum in pacis duntaxat sit nomine circumscribendum, ridiculum est si certos quidem aliquos delegerimus, cum quibus solis seruanda colendaque sit pax: reliquos vero innumeros communionis bono excluserimus. Si vero communio cum pernicioſis hominibus inita, hoc habet, vt pacis prætextu susceptores hostiliter lædat, considera qui sint quibus sese coniunxerunt, qui odio nos prosequuti sunt iniquo, qui de parte sunt nobiscum non communicantium, (nihil iam opus sit illorum nominatim meminisse) hi ad Sebastiam ab ipsis sunt vocati, vbi & Ecclesiam acceperunt, & altaris ministerium peregerunt, deque suo pane populo dederuut, Episcopi appellati ab Ecclesiæ illius clero, perque omnem eam regionem ab ipsis tanquam sancti & eiusdem communionis cum honore deducti: quorum si pars sit eligenda ridiculum est ab vnguiculis ordiri, & non magis cum ipsis conuenire capitibus. Si ergo nemo prorsus est pro hæretico habendus, neque auersandus, cuius gratia dic, quæso, teipsum separas, ac quorumdam communionem fugis? Si vero pro seruanda cautione fugiendi quidam sunt, dicant nobis qui in omnibus cauti videri volunt, cuius sint partis, quos ex Galatia ad se traxerunt. Ista si tibi mœstitia digna videntur ipsis imputa separationis huius causas. Si vero putas esse hæc citra vllum dilectum habenda, ignosce nobis, qui committere nequimus vt fermento aliena docentium commisceamur. Itaque, si videtur, relictis sermonibus istis plausibilibus, cum omni fiducia argue eos, qui non recto pede incedunt ad veritatem Euangelij.

διάφορα.

Bosporio Episcopo BASILIVS.

LXXX.

QVo putas animum meum dolore affecit fama calumniæ illius, quam mihi offuderunt quidam non metuentes iudicem perditurum omnes loquentes mendacium? Tanto videlicet, vt propè totam noctem, propter dilectionis tuæ verba insomnem duxerim, ita ipsa cordis mei penetralia concepta mœstitia occupauit. Reuera namque, vt Salomon inquit, calumnia virum humiliat. Et nemo ita stupidus est qui animo nullam sentiat molestiam, & ad terram vsque non deiiciatur, si incidat in ora ad mentiendum procliuia. At necesse est, vt omnia feramus, omnia patienter toleremus, vltionem ipsorum Domino committentes, qui non despiciet nos. Nam qui calumniatur pauperem, factorem illius ad iracundiam prouocat. Qui nouam hanc intentatæ nobis calumniæ fabulam compositerunt, videntur prorsus nullam habere Domino fidem: qui rationem *nos in die iudicij de verbo otioso reddituros esse pronuntiauit.* Ego verbo, dic quæso, beatissimum Dianæum anathematizaui? (Hoc enim de nobis accusandi gratia prædicauerunt) vbi? aut quando? Coram quibus? Quo prætextu? An nudis verbis vel scripto? An alios sequutus, vel ex mea ipsius autoritate & audacia, primus illud tentauit? O impudentiam hominum nihil non temere loquentium! O contemptum iudiciorum Dei! Non contenti sunt isto figmento, nisi & hoc tragico more adiiciant, quod factus sim aliquando ita demens, vt ipsa mea verba haud intellexerim. Donec rationis compos fui nihil tale à me factum esse noui, nec vnquam tale quid volui: sed contra huius mihi magis conscius sum, quod ex prima ætate in amoris affectu erga ipsum enutritus, virum suspexerim. Erat enim aspectu admodum honesto, præclaro, & veneranda ac sacra grauitate prædito. Posteaquam vero mihi & rationis vsus accessit, tum illum & ex animi bonis venerabilem agnoui. deque illius conuictu gauisus sum, apertos viri, egregios & ingenuos mores cognoscens, & si qua reliqua erant illi agnata ac propria, vt propria erant & peculiaria, animi placiditas & excellentia cum mansuetudine coniuncta, decens modestia, pectus irasci nescium, alacritas, & conueniendi facilitas, cum grauitate pulchre temperata. His de causis illum illustrissimis ex virtute viris connumeratum habebam. Circa extrema quidem vitæ illius tempora (neque enim celabo veritatem) intolerabili mœrore propter ipsum, cum aliis in patria, qui plurimi erant, Dominum timentibus, afficiebar: propterea quod fidei illi quam ex Constantinopoli reportauerant qui ad Georgium pertinebant, subscripserat. Vt vero erat ingenio mansueto & humano, omnibus ita satisfaciebat, vt paterno affectu toleraretur. Vbi vero decidit in ægrotationem, ex qua & mortuus est, conuocatis nobis dicebat, testem esse Dominum quod simplici corde in scriptum Constantinopolitanæ fidei consenserit quidem: verum nulla in re irritam voluerit eam fidem, quę Nicææ à sanctis Patribus expositа est. Neque aliud in corde habuerit quam quod ab initio traditum accepisset. Imo precari se quoque, vt non separaretur à sorte beatorum illorum Episcoporum trecentorum decem & octo, quipiam illam fidei prędicationem promulgauerint orbi: Atque ista satisfactione nos ita permouit, vt soluta omni cordium nostrorum hæsitatione ad communionem illius accesserimus, & à concepto mœrore quieuerimus. Talia sunt quæ nobis cum hoc viro intercesserunt. Si vero quisnam est qui nobis dicat infandam aliquam blasphemiam in hunc virum cognitam esse, non in occulto dolosè murmuret, sed aperte & in faciem nostram coram constitutus cum fiducia nos conuincat.

δραμά.

Matt. 12.

BASI-

BASILIVS MAGNVS

Ad Simpliciam hæreticam.

Liberalitatem quidem ei tribuit, sed quæ nihil prosit, vbi ius conculcatur, atque optimis viris per sceleratos & perfidos homines periculum creatur. Lege & sequen. ad eandem Gregorij Epistolam.

LXXXI.

INconsulta quædam temeritas hominum est, quòd odio prosequuntur se meliores; contrà amant peiores. Quapropter & ipse linguam cohibeo, conuicia in me congesta, & * dolorem animi supprimens ac veluti præfocans silentio. Expecto interea supremum iudicem, qui omnem malitiam tandem cum tempus fuerit vlcisci nouit. Nam etiamsi pecunias quisquam instar arenæ profundat, nihilominus animam lædit dum opprimit proculcatque iustitiam. Perpetuò namque Deus sacrificium non quasi eo egeat, suo arbitratu quærit: magis verò sacrificium illud admittit vt magnificum ac pretiosum, mentem videlicet quæ pietatis ac iustitiæ studio nititur. Illius preces votaque communia censet & impura, qui suam ipsius salutem præuaricatione prottiuit, ac nihili ducit. Admoneas ergo teipsam extremæ diei, & nos, si videtur, haud doceas. Scimus plura quàm tu scias, & internis spinis non vsque adeo suffocamur, nec modicis bonis decuplam malitiam immiscemus. Excitasti in nos * lacertas ac rubetas, quasi vernas quidem bestias, sed immundas. At veniet è sublimi volucris, quæ illas depascatur & consumat. Mihi enim sermo est, non vt tu putas, sed vt iudicare nouit Deus. Si vero & testibus opus erit, non sistentur serui: neque ignominiosum illud ac modis omnibus pernicioſum Eunuchorum genus, genus hoc, inquam, nec fœmineum, nec masculinum, insaniens in mulieres, inuidiosum, vilis pretij, animo feroci, effœminatum, ventri deditum, auri cupidum, sæuum, inter cœnandum plorans, inconstans, * illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, & zelotypum, & quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnatum. Quomodo ergo rectus esse poterit istorum animus, quorum & pedes distorti sunt? Isti frustra quidem casti manent per ferrum: insaniunt vero absq; fructu, propter suam turpitudinem. Hi non sistentur in iudicio testes. Sed oculi iustorum, & facies virorum perfectorum, quotquot tunc oculis cernent, ad quæ nunc mentis aspiciunt intellectu.

* ὀνειδον. *Pro hoc lego* ὀδύνην.

* σαῦρας καὶ φρύνους.

δῆγμα *latens in Eunuchos, verius in Spadones: de quibus & in lib. de Virginitate.*

* κακοτμιζόν.

S. Gregorij Theologi, ad eandem Simpliciam.

Hæc vindicare quendam in seruitutem instituerat, ob res suas male administratas, extincto iam Basilio, qui eum Ecclesiæ præfecerat Episcopum. Ab hac igitur sententia deducere Gregorius conatur.

LXXXII.

LAudas sanctum ac communem patrem * nostrum, tanquam fidei fulcimen, veritatis canonem, Ecclesiæ characterem, caniciem prudentia refertam, & qui humanæ vitæ ac virtutis mensuram prætergressus sit, fidum ministrum, sacerdotem magnum, mediatorem inter Deum & hominem, & Spiritus sancti habitaculum. Hoc quidem recte facis. Nam nullus sermo par est, ad celebrandum sanctam illam ac beatam animam: nisi me seducat vis amoris & pro ratione affectus ex desiderio de viro hoc iudicat. Illud vero in te vehementer admiratus sum, quomodo illum quidem celebres vt sanctum, & hactenus, vt par est cohonestes, opus vero illius dissoluere coneris quasi prophani sint & vehementer conuiciis digni, qui illic vixerunt illoque migrarunt. Siquidem instar proprij mancipij communem pastorem tibi ipsi vindicas, & exiguum hoc lucrum persequeris, rem facis admodum magnanimitate tua indignam. Quomodo enim absurdum non est, auro quidem & argento colere numen, & iis rebus quæ in creatura superfluæ sunt & inanes, (vbi & magis ostentationi forsan quam pietati seruitur:) sacerdoti vero Ecclesiam velle damno afficere, & quod sanctissimum est in * templorum donarijs deprædari? Si vero ideo succenses quod potestate nostra vsi sumus; nec de ea re antea te admonuimus, neque munificentiæ tuæ locum dedimus, dixeris quidem iustum quid, & quod respiat affectum humanum, attamen humanum. Scito autem tanto maiorem iam esse tibi donandi occasionem, quam quæ tum erat; quanto magnificentius est accipiendi copiam permittere, quàm si ipsa dedisses. Et illo modo soli Deo quidem gratificari visa fuisses; isto vero & nobis, illius ministris, & ad portandum ipsius nomen ex diuina dignatione selectis. Molesta itaque nec illi sis, nec nobis. Qui enim vim passus est, nulla in re læsit. Nos vero, quid mirum, si bonitate tua confisi, deinde simul publico totius regionis decreto fidem habentes, permoti sumus, vt hoc faceremus? Quod si quidam gratificandi gratia, vel ex dolo istuc decreuerunt, ipsi viderint, qui & Deo rationem reddent. Nostrum enim non est hoc cognoscere, neque omnium animos penetrando scrutari. Nos vero quomodo causam hanc neglexissemus? Aut quomodo spreuissemus tantas lacrymas, tantamque loci illius solitudinem, vsque adeo desolati, vt nec ministrum haberet, nec pastorem, nec aliquam spiritalem monstrationem. Illud autem tibi, idque cum primis notum sit, quòd qui tum consentiebant, nunc vero negant, rem faciunt nec piam nec ingenuam. Et multo satius fuisset, si tum contradixissent, quam quod nunc demum assentantur, & quod semel statuerunt, rursus demoliuntur, hominesque metuunt magis, quod Deum verentur. Hos puta iterum, si rogentur excusandi gratia, pro ipsorum leuitate dicere, quod metu indignationis tuæ sententiam mutauerint. Et quod multo verius est, quoniam illis necesse est semper terreri, necesse iuxta est & falsas ac sophisticas defensiones comminisci. Si vero ista tibi rectè quidem dici videntur, publicæ tamen moderationis ratio exigitur (nam & hoc audio. in literis siquidem nihil huius postulasti) iustè & humaniter repetatur, & nihil conqueremur. Neque enim nobis placet, vt Dominorum lædatur mansuetudo & humanitas. quid iam restat? forte vt manus iniiciantur viro quasi indigno, & huius gratia mandetur seruanda publici status tranquillitas: hoc enim quodammodo decentius est, quam criminari. Ad istud vero apertè & facile respondero. Nos nec alium quemquam eorum qui accusantur, ne si etiam maximè amicus generosusque sit, examinatione liberamus. Nihil enim Deo ac canone venerabilius. Sed si quis habet quod accuset, siquidem voles te præsente vnaque iudicante fiat: sin minus vel coram nobis absente te, examinetur. Quod si insons inuentus fuerit, absoluatur, etiamsi seruus sit. (Nam idē & seruorum & Dominorum pater est ac Deus: & iustitia non secundum personarum dignitates decernitur.) Si vero reus quispiam deprehensus fuerit, tum scilicet ex proprio peccato condemnabitur: atque ita nec regula per synodum decisa vituperabitur, neque ignominiam patietur, qui euaserit. (Quod ad nos enim attinet, forsan non admodum curandum est, ac nullius momenti:) & ipsa malam effugiens suspicionem, quasi ista: propterea quòd erga nos & sanam fidem aliena es, machinata sis sophisticè magis quam generose, & aliud quidem iudicaueris, ad aliud vero respexeris: quod tibi, consulo, accidere ne patiare, tanquam quod nec pium nec decorum est, neque velis nostris contemptis legibus ad externas confugere, neque nobiscum contendere: sed ignoscere si quid simplicius & apertius pro libertate gratiæ egimus, & reputare satius esse bene vinci, quam male reluctante spiritu vincere.

* ἐγκώμιον *P. Basilij.*

* ἀναθημάτων.

γνώμην.

BASILII MAGNI APOLOGIA

Ad Cæsareanos,

Pro suo ab illis discessu, & de Fide.

LXXXIII.

SÆpenumero admiratus sum quidnam animos vestros erga nos affecerit, & vnde sit quod tantopere à nostra

mediocritate tam modica & exili, nullaq; in re amabili, superamini: vt scriptis nos per amicitiæ ac patriæ commemorationem adhortemini: & vt profugos filios assolent parentes paternis ad vos visceribus reuocare conemini. Ego quidem nos profugos esse factos fateor: neque negauerim: *Collatio.* causam vero fugæ vel iam ipsi nostis, siquidem cupitis. Ea vero potissima est, quòd tum cum essem apud vos ex inopinato perculsus, quemadmodum si quisquam repentinis motibus consternetur, animi considerationes haud cohibui, sed procul a fugi multumque temporis mansi separatus à vobis. Postea vero subiit animum meum desiderium quoddam diuinorum dogmatum, & quæ circa illa versatur, Philosophiæ. Quo enim alio pacto possem, quo, inquam, alio pacto possem ego vnà nobiscum inhabitantem domare malitiam? O si mihi detur Laban quisquam qui me liberet ab Esaü, ducatque ad cœlestis vitæ philosophiam! Nunc quoniam per gratiam Dei voti nostri pro viribus facti sumus compotes, organum benedictum, puteumque profundum adepti † Gregorium os illud, Christi dico, parumper nobis obsecro, parumper hanc morulam indulgete, quam non ad hoc petimus, vt vrbium sectemur delicias (neque enim clàm nobis est quo pacto versutus ille hostis noster per illas imponat mortalibus) sed vt frueremur sanctorum conuictu, quem vtilissimum esse iudicamus. Dum enim frequenter de diuinis dogmatibus aliquid & dicitur & auditur, habitum quendam diuinarum contemplationum tenaciter inhærentem induimus. Ad hunc quidem modum habent res nostræ, vos autem, ô diuina & omnium mihi charissima capita, obseruate Philistinorum pastores, ne quisquam illorum * fontes vestros clanculum obstruat, puritatemque cognitionis quæ fidem Christi concernit, turbidam reddat. Hoc enim ab illis perpetuo studio agitur, ne ex diuinis Scripturis simpliciorum animi ritè doceantur: sed vt per extraneam Philosophiam veritas refellatur. Qui * enim fidei nostræ Ingenitum & Genitum inducit, & semper existentem aliquando non extitisse, naturaque ac semper patrem esse factum, & Spiritum sanctum sempiternum non esse dogmate suo tradit: an iste non palàm Philistæus est, ea in ouiculas patriarchæ nostri laborans inuidentia, vt prohibeat illas quo minus ex pura aqua, & in vitam æternam saliente bibant? Verum illi prophetæ oraculum sibiipsis vindicant, nempe: *Hier.2.12.* *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, ac foderunt sibiipsis cisternas dirutas, aquam continere non valentes.* Confitendum sanè est Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, quemadmodum diuinæ Scripturæ, & qui sublimiora contemplati sunt, docuere. Illis vero, qui nobis per calumniam trium Deorum doctrinam ac fidem obiiciunt, respondeatur: nos Deum non numero, sed natura vnum confiteri. Quicquid enim numero dicitur vnum, vnum reuera aut simplex, natura non est. Deum autem simplicem & incompositum confitentur omnes. Non est itaque Deus numero vnus. Quod autem dico tale est. Mundum numero vnum esse dicimus: at non natura vnum: sed neque simplicem illum dicimus. Diuidimus enim illum in elementa ex quibus constat, in ignem, aquam, aërem, ac terram. Item homo numero vnus dicitur. Vnum enim hominem sæpenumero dicimus. At simplex non est homo, ex corpore & anima constans. Similiter & angelum numero dicimus vnum: at neque natura vnum neque simplicem. Substantiam enim cum sanctimonia † angeli subsistentiam esse cogitamus. Itaque si quicquid numero vnum est, natura vnum non est, & quod natura vnum est ac simplex, numero vnum nõ est, nos autem Deum natura vnum esse dicimus, quomodo isti homines numerum nobis hic introducunt, cum nos illum prorsus è beata illa & intellectuali natura exterminemus? Numerus enim ad quotuplum pertinet. Quotuplum autem corporali coniunctum est naturæ. Est namque numerus corporalis naturæ. Corporum verò conditorem Dominum nostrum esse credimus. Quapropter & omnis numerus ea significat quæ materialem ac circumscriptam naturam sortita sunt. Illa enim simplicissima solitudo atque vnitas singularis simplicem & incircumscriptam significant essentiam. Igitur qui numerum aut creaturam confitetur filium Dei, vel Spi-

Allusio ad Iacob fugam. Gen.31.

† χριστοῦ σῶμα Γρηγόριον.

Familiaris Religiosorũ congressio, salutaris. Ἀξίωμα.

** Puteos. Gen.26.18.*

** Arius notatur, Macedonius item & Eunomius.*

Vere vnum & simplex.

† τῶ ἀγγέλω ὑπόστασιν.

ὁ νοητὸς φύσεως.

Numeratio naturã insinuat circumscriptam.

A ritum sanctum materialem & circumscriptam naturam, imprudenter inducit. Circumscriptam autem dico non solum loco inclusam, sed & talem, quam prescientia sua complexus sit is qui illam non existentem ad essentiam perduxerit erat, quæ & scientia comprehendi possit. Omne itaque sanctum, quod circumscriptam habet naturam, creatamque sanctitatem, non est suapte natura incapax malitiæ. In Filio vero & Spiritu sancto, fons est sanctimoniæ, vnde omnis ratione prædita creatura secundum virtutis analogiam sanctificatur. Quamquam nos secundum veram rationem Filium Patri, neque similem neque dissimilem esse dicimus: vtrumque enim æquè impossibile est. Simile enim ac dissimile secundum qualitatum rationem dicuntur. Numen autem qualitati obnoxium non est. Identitatem vero naturæ confitentes & homousion complectimur: & compositionem fugimus eius qui secundum essentiam Deus & Pater, † secundum essentiam Deum ac Filium genuit. Nam ex eo declaratur homousion. Deo namque secundum essentiam, Deus secundum essentiam homousius est. Alioqui & homo Deus dicitur: vt cum legitur, *Ego dixi, dij estis.* Et dæmon Deus dicitur, secundum illud: *Omnes dij gentium dæmonia sunt.* Sed illi quidem secundum gratiam, isti verò per mendacium dij nominantur. Deus autem solus secundum essentiam Deus est. Solum cum dico, essentiam Dei sanctam & increatam exprimo. *Solius* enim dictio, & de certo aliquo homine & simpliciter de vniuersa natura humana dicitur. De certo quodam homine, vtpote si de Paulo dicatur, quod *solus in tertium vsque cœlum sit raptus, audieritq; verba ineffabilia, quæ non liceat homini loqui.* De ipsa vero vniuersa hominum natura videlicet cum Dauid dicit, *Homo sicut fœnum dies eius.* Hic enim non certum aliquem hominem, sed totam naturam notat. Nam omnis homo temporarius est & mortalis. Ita & illa intelligimus de natura diuina dicta: vtpote, qui solus habet immortalitatem. Et soli sapienti Deo. Et illud: *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Nam hic vnitatis dictio idem significat ac si dixisset: *nisi solus Deus.* Et, *Qui extendit cœlum solus.* Et iterum, *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Et, *Non est Deus præter me.* Cum enim Deus in Scriptura *vnus ac solus* dicitur, non ad distinctionem filij aut Spiritus sancti dicitur, sed contra eos qui cum dij non sint, falsò dij nominantur: vt est illud: *Dominus solus duxit eos, & non erat cum ipsis Deus alienus.* Et: *Abstulit Israel Baalim, & nemora Astaroth, & seruierunt Domino soli.* Et iterum Paulus: *Siquidem sunt dij multi, ac Domini multi; nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem sunt omnia, & nos per ipsum.* At hic quærimus, quomodo cum dixisset *vnum esse Deum*, illo non fuerit contentus (Diximus enim, cum *vnus ac solus* dicitur esse *Deus*, diuinam exprimi naturam) sed & *Patris* appellationem adiecerit, & *Christi* meminerit. Suspicor igitur, quòd hic non sufficere putauerit Paulus, organum illud electum, tantum prædicare Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, id quod significauit dicens: *vnus est Deus*, nisi & per adiectionem patris eum exprimeret: *ex quo sunt omnia*, & per mentionem Domini Verbum significaret: *per quod sunt omnia.* Et iterum per coniunctionem Iesu Christi, hominis incarnati admoneret: & passionem illius exprimeret, & resurrectionem manifestaret. Commemoratio enim Iesu Christi tales nobis cogitationes insinuat. Vnde & ante passionem suam Dominus Iesus Christus se prædicari detrectauit: *interminatusq; discipulis est, ne cui dicerent se Iesum esse Christum.* Propositum enim illi erat post absolutam œconomiam, ac resurrectionem ex mortuis, inque cœlos assumptionem tum demum mandare illis vt prædicarent se Dominum esse Christum illum. Tale est & quod dixit, *vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et illud: *Creditis in Deum, & in me credite.* Vbique mentes nostras confirmat Spiritus sanctus, vt nedum alteri acquiescimus, ab altero excidamus, hoc est, ne dum * Theologiæ attendimus, dispensationem Christi contemnamus; & fiat vt dum sublimitatem diuinæ naturæ assequi nequimus, incidamus in impietatem. Dicta vero diuinæ Scripturæ quæ aduersarij vsurpata, & ad ipsorum sententiam, ad demolitionem gloriæ vnigeniti peruersa nobis proferunt & obiiciunt, iam examinabimus

μονὰς καὶ ἑνάς.

Κατὰ *Basilianus, imò* ὀρθόδοξον.

† κατὰ οὐσίαν.

Psal.81.6. *Psal.95.5.*

Deus solus sua essentia Deus, homo gratia, dæmon mendacio.

2. Cor.12.2 Solus, *vt varie accipitur.*

Psal.102.15 *Luc.18.19.* *Isa.44.24.* *Deut.6.13.* *Deut.32.* *Ibid.* *1 Reg.7.4.* *1 Cor.8.5.*

Mat.16.20

Ioan.17.3. *Ioan.14.1.*

* Theologiæ *nomine hic intellige filij diuinitatẽ, quæ æqualis Patri est: Oeconomiam vero dispẽsationem assumptæ carnis.*

nabimus,& quantum nobis possibile fuerit explicabimus. Et primum proponatur nobis illud, *Ego * viuo propter patrem.* Hoc enim vnum est ex iaculis, quæ ab impiis hominibus vsurpata in cœlum mittuntur. Dictum autem hoc, isto loco,vt arbitror,non de sempiterna vita loquitur.(Nam quicquid aliunde vitam habet, per seipsum viuere, quemadmodum & quod aliunde incaluit, ex seipso calidum esse nequit. Christus vero ac Deus noster dixit: *Ego sum vita*) sed de ea quæ carnis est, & in hoc tempore orta,quam vixit propter patrem. Nam ex illius consilio in hac mortalium vita conuersatus est. Et non dixit: Ego vixi propter patrem, sed *ego viuo propter patrem,* apertè præsens tempus significans. Potest autem & vitam dicere eam, quam ipse Christus etiamnum viuit, verbum Dei habens in seipso. Et quod hoc ipsum sit quod innuitur, ex eo quod subiungitur sciemus, vbi dixit: *Et qui edit me, viuet propter me.* Carnem namque ipsius edimus, ac sanguinem bibimus, consortes ipsius effecti,per incarnationem & sensibilem Verbi ac sapientiæ vitam. Carnem enim ac sanguinem, totam suam mysticam in carne conuersationem vocauit, doctrinamque illam quæ ex vita ipsius, actuali & naturali, & Theologica constat, manifestauit, per quam nutritur anima, & ad rerum cœlestium contemplationem interea exercetur & imbuitur. Et hoc fortasse est, quod isto dicto Christi innuitur. Deinde & illud obiiciunt. *Pater maior me est.* Abutuntur enim & isto dicto Christi ingratæ illæ creaturæ, Satanæ progenies. Ego vero ex hoc ipso dicto, quod filius patri sit homousius,patefieri credo. Noui enim collationes propriè ad ea pertinere,quę eiusdem sunt naturæ. Angelum namque angelo maiorem,& hominem homine iustiorem, & volucrem volucri velociorem esse dicimus. Itaque si collationes inter ea fiunt quæ eiusdem sunt speciei, pater vero per collationem dictus est filio maior, consequitur filium patri esse homousium. Inest autem & alius quidam intellectus isti dicto. Quid autem mirum, si patrem se confessus est esse maiorem, qui cum verbum esset caro factus est, cum huius gratia & angelis secundum gloriam & hominibus, secundum speciem, minor apparuerit? *Imminuit enim ipsum,* inquit, *modicum quid ab angelis.* Et iterum: *Eum vero qui modicum quid ab angelis minoratus est.* Item: *Et vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque pulchritudinem, sed species ipsius abiectior erat vniuersis hominibus.* Hæc autem omnia pertulit propter plurimam in figmentum suum beneuolentiam, vt perditam ouiculam seruaret, & seruatam in angelorum choros referret † & insereret: & eum qui ab Hierosolymis Ierichunta descenderat, & propterea in latrones inciderat, ad propriam iterum patriam sanitati restitutum reduceret. An & præsepe Christo opprobras, hæretice, per quod cum alienus esses,à verbo nutritus es,& paupertatem obiicies, quòd lectulum non habuit,*in quo caput reclinaret* † *fabri filius?* Hac ratione minor patre est filius,quòd tui gratia factus est mortalis,vt te à mortalitate liberaret,& cœlestis vitæ participē redderet.Quemadmodum si quis medicum reprehendat, ob id quod super ægrotantium morbos incumbens fœtoris illorum particeps esset factus , vt decumbentes ægrotos restitueret. Propter te & horam & diem iudicij ignorat. Quanquam nihil latet veram illam sapientiam . Nam per illam omnia sunt condita. Nemo enim mortalis vsquam est qui opus suum quod fecit ignoret. Verum id ita dispensat Christus, propter tuam infirmitatem, ne vel ij qui deliquerunt, per angustiam præscripti temporis adigantur ad desperationem, tanquam non relicto resipiscentiæ tempore: vel rursus ij, qui in militia Christiana decertant , per temporis prolixitatem ad deserendam aciem impellantur, si viderint sibi bellum esse cum diutina aduersaria potestate. Itaque vtrisque per ignorantiæ prætextum consulit, istis propter bonum certamen tempus abbreuians: illis vero propter delicta diluenda resipiscentiæ tempus reseruans . Quanquam cum in Euangeliis seipsum adnumerarit ignorantibus,propter multorum,vt dixi, infirmitatem,in Actis vero Apostolorum, tanquam perfectis, seorsum differens , per sui ipsius exceptionem dicit: *Vestrum non est scire tempora & momenta quæ pater in sua ipsius constituit potestate.* Atque ista secundum primam mentis conceptionem ad obiecta

*Ego viuo propter patrem. *Ioan.6.57.*

Ioan.11. & 14.

Ioan.6. 57.

Ibid.

Ioan.14.28 Pater maior me est, *vt hoc dicto abusus sit Arius, Satanæ progenies.*

συγκρίσεις inter ea fiunt quæ eiusdē sunt speciei.

Psal.8. 6. Hebr.2.9. Esa. 53.

† κατα-μίξει. *Luc.10.30.*

Matt.8. Luc.9.

† τέκτονος υἱός. *Collatio elegans.*

Act. 1 7.

dicta sint crassius. Iam vero sublimior quidam dicti huius sensus expendendus est, † pulsandæque scientiæ fores, si quo pacto patremfamiliàs excitare queam, qui spirituales panes petentibus se largitur, quandoquidem amici sunt & fratres quos isto conuiuio reficere studemus. Sancti saluatoris nostri discipuli, præsentis sæculi cursum mentis contemplatione, quantum possibile est hominibus, transcendentes, verboq; mundati, finem quærunt, atq, extremam scire fœlicitatem gestiunt, *quam ignorare & Angelos & seipsum* quoq;*Dominus noster* pronuntiauit;per *dies* vniuersam intelligens exactam consiliorum Dei cognitionem: per *horam* vero vnitatis ac monadis contemplationem, quarum scientiam *soli Patri* tribuit. Suspicor *itaque, quod hoc de seipso scire Deus dicatur, quod est: & hoc nescire, quod non est. Iustitiam enim ac sapientiam scire Deus dicitur: ipse & iustitia & sapientia existens. Iniustitiam vero & malitiam ignorare, eo quod non sit iniustitia nec malitia, qui condidit nos Deus. Itaque si hoc de seipso scire dicitur Deus, quod ipse est; & illud nescire quod ipse non est, non est autem Dominus noster secundum incarnationis intelligentiam & crassiorem doctrinam, extremum illud desiderabile bonum; ignorauit ob eam causam Saluator noster finem extremamque felicitatem : *Imo ne Angeli quidem nouerunt,* inquit, hoc est, neque ipsorum contemplatio, vel rationes ministeriorum , sciunt extremum illud desiderabile bonum. Crassa enim est & illorum cognitio. Confert personam personæ. *Solus* autem *Pater,* inquit, *nouit.* Ipse namque finis est & extrema illa fælicitas. Quando enim Deum iam non amplius tanquam in speculo, neque per aliena adminicula cognoscemus, sed ad ipsum tanquam solum & vnum appropinquabimus, tunc & nos extremum finem sciemus. *Regnum* enim Christi omnem illam materialem cognitionem esse dicunt: Dei verò Patris immaterialem, &, vt ita dicam, ipsius diuinitatis contemplationem. Est autem Dominus noster & ipse finis extremaque fælicitas secundum intelligentiam & rationem verbi.Quid enim in Euangelio dicit? *Et ego excitabo ipsum in nouissimo die,* resurrectionem illam intelligens quæ ex materiali cognitione ad immaterialem cœlestemque contemplationem ducit: *nouissimum vero diem* eam scientiam post quam nulla est alia. Tunc enim mens nostra exurget & ad beatam illam sublimitatem excitabitur, quando vnitatem ac monada verbi contemplabitur. Verum quoniam mens nostra crassa adhuc pulueri adhæret lutoque commiscetur, ac nudæ contemplationi intendere nequit per compositionem rerum, quæ corpori sunt cognatæ, subducta opera conditoris considerat, eademque interea ex illorum effectibus cognoscit, vt ita sensim accepto incremento, & ipsam aliquando diuinitatem contemplatura accedere valeat. Ad hunc sensum & illud quoque dictum esse puto: *Pater maior me est,* & hoc; *Non est meum dare, sed quibus paratum est à patre.* Hoc enim est & Christum *regnum dare Deo ac Patri,* cum non sit finis sed primitiæ, iuxta crassiorem vt dixi, doctrinam, quæ quidem Filium quantum in nobis est, non vt in se est, contemplatur. Quod autem ista ad hunc modum habeant,iterum cum rogassent in Actis Apostolorum,discipuli,*quando restitues regnum Israeli?* respondit,*vestrum non est scire tempora temporumq; articulos, quos in sua ipsius potestate constituit Pater,* hoc est, regni huius scientia non est eorum qui carni adhuc & sanguini obnoxij sunt. Hanc enim contemplationem Pater in propria potestate reposuit, *potestatem* dicens, eos quos ille potestati suæ subditos habet: proprios vero quos rerum inferiorum non tenet ignorantia: *Tempora* autem & *temporum articulos* nolis intelligere de illis, quæ sensibus nostris comprehenduntur: Sed de interuallis quibusdam quæ Sol ille intelligibilis & spiritalis efficit.Oportet enim precationem illam duci vltra Dominum nostrum. Iesus enim est qui precatur dicens : *Da illis, vt & ipsi vnum sint in nobis,quemadmodum ego & tu Pater vnum sumus.* Cum enim vnus sit Deus, si in singulis fuerit, omnes coadunat, peritque numerus, per inhabitationem monadis. Et ego quidem dictum hoc ad istum modum per secundariam argumentationem intellexi & exposui. Si vero quisquam * est qui meliora adferat, aut nostra piè corrigat,is & dicat, & corrigat,& Dominus

† κρουσθήσεται τὰς γνώσεως.

Marc. 13.

* *Attende Basilij circūspectam ac solertē prudentiā.*

Regnum Christi & regnum patris.

Ioan.6.44.

Ioan.14.28 Mat.20.23 1 Cor.15.24

Act.1. 6.

Ioan.17.11 & 22.

* *Attende modestiam Theologo dignam.*

nus illi pro nobis retribuet. Nulla namque ducimur inuidentia, quoniam neque per contentionem, neque per inanis gloriæ studium, ad istam verborum Domini expositionem accessimus: sed vt fratribus prodessemus, ne testacea vascula thesaurum Dei habentia à saxeis illis cordibus & incircuncisis hominibus, stulta huius mundi sapientia armatis, fraudulenter supplantari videantur. Sed vt pergam, iterum per Salomonem in Prouerbijs creatus est. Nam *Dominus*, inquit, *creauit me*. Et *principium viarum* Euangelicarum nominatur, quæ nos ad regnum cælorum ducũt, cum non † sit creatura secundum essentiam, sed secundum dispensationem sit factus *via* nostra. *Natum* enim esse & *creatum*, idem significant. Vt namque *via* factus est: ita & *ianua, & pastor, & angelus, & ouis*. Item, *Summus Sacerdos* & *Apostolus*, aliis alio intellectu positis hominibus. Quid hic iterum dicet hæreticus de Deo, qui nemini subditur? & de eo, qui nostri gratia *peccatum factus* est? Scriptum namque est: *Quando subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiicietur ei, qui illi subiecit omnia*. Ne te hæsitabundum reddat homo quod Deus *subiectus* nominatur. Vt enim te subiectum reddat, ipse sese subiicit: & vt ad virtutem te excitet, subiectum se nominat. Ita se aliquando persequutionem quoque ferre dixit: *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris?* Hoc enim dixit cum ille ad Damascum properans propositum habebat ligandi discipulos. Et iterum *nudum* se vocat, si ex fratribus quisquam nudus extiterit. *Nudus* enim, inquit, *eram, & operuistis me*. Item alio in carcere existente, seipsum *inclusum esse* dicit. Nam ipse *peccata nostra tulit, & morbos nostros portauit*. Est autem & inter infirmitates connumeranda *subiectio*: ideo & illam portauit. Quapropter & afflictiones quæ nobis contingunt, proprias sibi facit Dominus: propterea quod ex consortio quo nobis coniunctus est, passiones nostras in se transtulit. Præterea & hoc isti theomachæ, ad subuersionem audientium vsurpant, quod à Domino dictum est: *Filius autem non potest à seipso facere quicquam*. Mihi vero & hoc dictum potissimum hoc indicat, quod eiusdem cum patre naturæ sit Filius. Si enim vnaquæque rationalium creaturarum aliquid potest ex seipsa facere, creatura non est Filius. Si vero creatura non est, est ergo homousius patri. Rursus: Nulla creatura, quodcumque vult, facere potest: filius vero cum *in cœlo tum in terra quæcunque voluit fecit*. Non est igitur creatura Filius. Et iterum: Omnes creaturæ vel ex contrariis consistunt, vel contrariorum sunt capaces. Filius ipse est iustitia & immaterialis. Creatura igitur non est. Si creatura non est, ergo cum Patre homousius est. Et ista positorum Christi dictorum pro nostris viribus facta examinatio, nobis est sufficiens. Iam deinceps sermonem & contra eos stringemus, qui Spiritui sancto resistunt, vt & ipsorum superbiam & mentis arrogantiam, quæ contra scientiam Dei extollitur, deturbemus. Spiritum sanctum creaturam esse dicis. Omnis autem creatura sui creatoris est ministra. *Omnia* enim, inquit, *seruiunt tibi*. Si vero Spiritus sanctus seruus est, habet vtique creatam quoque sanctitatem, atque ideo & malitiæ incapax non est. At Spiritus sanctus, secundum essentiam sanctus existens, fons prædicatur sanctitatis. Non est igitur creatura Spiritus sanctus. Si vero creatura non est, homousion est Deo. Quomodo, dic quæso, seruum vocas eum, qui te per baptismum à seruitute liberauit. *Lex* namque *spiritus vitæ*, inquit Apostolus, *liberum me reddidit à lege peccati*. Imo neque mutabilem ipsius essentiam dicere audebis, si respicias contrariæ potentiæ naturam, quæ quidem fulguris instar de cœlo lapsa est, quæ vera vita excidit: propterea quod creatam haberet sanctitatem, prauumque illius consilium sanctitatis quoque immutatio consequuta sit. Cum ergo excidisset ex Monade, angelicamque abiecisset dignitatem, ex ingenij prauitate *diaboli* nomen accepit, extincto primum priore illius beatoque habitu, deinde & aduersaria ista potentia accensa. Ad hæc, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicit, determinatam ipsius naturam inducit. Quomodo ergo stabit illud: *Spiritus Domini repleuit orbem?* Et illud: *Quò ibo à spiritu tuo?* Quin neque simplicem ipsum natura, vt apparet, confitetur aduersarius. Dicit enim illum numero vnum esse. Iam quicquid numero vnum est, simplex, vt dixi, non est. Si vero simplex non est Spiritus sanctus, ex substantia & sanctitate constat. Quicquid vero tale est compositum est. Ecquis adeò stupidus est, vt compositum dicat Spiritum sanctum, & non magis simplicem: & secundum simplicitatis rationem Patri & Filio homousium? Quod si sermone progrediendum est, inspiciendaque sunt maiora: ex hoc ipso potissimum diuinam Spiritus sancti naturam contemplabimur. Tria creationum genera in Scripturis nominata deprehendimus. Vnum quidem ac primum eorum quæ ex nihilo cum non essent, ad hoc vt essent sunt condita. Alterum eorum quæ ex prioribus ad meliora immutantur. Tertium, quod est in resurrectione mortuorum. In istis omnibus inuenies Spiritum sanctum, Patri & Filio cooperatorem. Si respicias cœlorum subsistentiam: quid Dauid dicit? *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis virtus ipsorum*. Deinde, homo per baptismum creatur. *Si qua* enim, inquit, *in Christo noua creatura*. Et quid ad discipulos Saluator dicit? *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, ac Spiritus sancti*. Vides & hic vnà cum Patre & Filio coniunctum esse & Spiritum sanctum? Quid autem & de *resurrectione* mortuorum dices? Moriemur namque & ad puluerem nostrum reuertemur. Terra enim sumus, & in terram abibimus. Et *mittet Spiritum sanctum, & creabit nos, ac renouabit faciem terræ*. Quam enim Paulus *resurrectionem* dixit, eam Dauid *renouationem* appellauit. Audiamus autem eum, qui ad tertium vsque cœlum raptus est. Quid dicit? Quoniam *templum estis eius qui in vobis est Spiritus sancti*. Omne autem templum, * Dei templum est. Si vero templum sumus Spiritus sancti, ergo Deus est Spiritus sanctus. Dicitur quidem & templum aliquod templum Salomonis: sed tanquam eius qui illud extruxit. Quod si hoc modo templum sumus Spiritus sancti & sic Deus est Spiritus sanctus. Qui enim omnia condidit Deus est. Si vero tanquam eius qui adoratur, & habitat in nobis, confitebimur vtique illum esse Deum. Dictum enim est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles*. Si vero Dei appellationem repudiauerint, discant primum quid nomen illud significet. Ab eo enim quod † excitarit, aut certè peruideat omnia & contempletur *Deus* dicitur. Spiritus sanctus autem omnia quæ Dei sunt cognoscit, quemadmodum & nostra nouit spiritus qui in nobis est. Deus ergo est Spiritus sanctus. Rursus *gladius* Spiritus sancti est verbum Dei. Deus ergo est Spiritus sanctus. Illius enim est gladius cuius & verbum esse dicitur. Nominatur & *dextera Patris*. *Nam dextera Domini*, inquit, *fecit virtutem. Et dextera tua Domine conquassauit inimicos*. Item & *digitus Dei est* Spiritus sanctus. Secundum dictum illud Christi. *Si ego in digito Dei eijcio dæmonia*, quod in alio Euangelio ita scriptum est. *Si ego in spiritu Dei eijcio dæmonia*. Est itaque & eiusdem cum Patre & Filio naturæ Spiritus sanctus. Et ista quidem nobis de adoranda & Sancta trinitate in præsentiarum dicta sint. Nunc enim fieri nequit, vt latius rationem illius exquiramus. Vos vero accepto ab humilitate nostra semine, spicas vobis ipsi bene maturas diligenti agricultura excolite. Nam vsuram etiam, vt scitis, de istis exigemus. Confido autem Deo, fructum vos allaturos esse, & trigecuplum, & sexagecuplum, & centuplum, propter vitæ vestræ puritatem. *Beati namq; sunt ij qui corde sunt puro, quoniam ipsi Deum videbunt*. Nihil autem aliud fratres *regnum cœlorum* putabitis, quàm veram eorum quæ sunt cognitionem, quam & *felicitatem* vocant diuinæ Scripturæ. *Regnum enim cœlorum intra vos est*. Circa verò internum hominem nihil aliud quàm contemplatio consistit. Relinquitur ergo contemplationem esse *regnum cœlorum*. Quorum enim hic vmbras tanquam in speculo quodam videmus, tandem à corpore isto terrestri liberati, incorruptumque & immortale induti, illorum & archetypa speculabimur. Speculabimur, inquam, siquidem vitam nostram ad rectum scopum direxerimus, rectæque fidei rationem ac studium prouidè tenuerimus, sine quibus nemo Deum videbit. *In animam enim malitiosam*, inquit, *non ingredietur sapientia, neque morabitur in corpore peccatis obnoxio*. Nemo autem nobis obloquatur ac respondet dicens, cum ea quæ vulgaria sint ac protrita, nempe † ad pedes exposita, ignores, de incorporali nobis & prorsus imma-

Prou. 8. 22. Vulg. Possedit me LXX. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ. † οὐ κατ' οὐσίαν κλίσις.

1 Cor. 15.

Act. 9.

Matt. 25.

Esa. 53.

Pugnat cominus aduersũ Theomachas, qui in Deũ rebelles sunt.

Ioan. 5.

Contra hostes Spiritus sancti, nẽpe Macedonianos.

Psal. 118.

Rom. 8.

Lucifer cœlo decidens.

Diabolus, à calumnia dictus.

Sap. 1. Psal. 138.

Creationis genus triplex. 1. 2. 3.

Psal. 32.

2 Cor. 5. Matt. 28.

1 Cor. 15.

Psal. 103.

2 Cor. 12.

1 Cor. 6. * Hoc argumento etiam Ambros. vtitur.

Deut. 6. 13.

† Θεὸς, παρὰ τὸ τεθεικέναι, ἢ θεᾶσθαι τὰ πάντα.

Sp. sanctus Gladius, Patris dextera, & digitus.

Psal. 117. Luc. 11. 20. Matt. 12.

Metaphoræ elegantes.

Matt. 5. Regnum cælorum quid. Luc. 17.

Sapient. 1.

† τὰ σὺν ποσὶν ἀγνοῶν.

immateriali essentia philosopharis? Absurdum enim esse iudico quod cum sensus corporum nostrorum congruenter proprijs reficiamus materijs, mens sola à propria summouetur operatione. Vt enim sensus rerum sensibilium, ita & mens intelligibilium notionem & conceptum habet. Simul autem & hoc dicendum, quòd † naturalem illam iudicandi vim nobis inseuit ac fecit nihil indigam doctrinæ, qui nos condidit Deus. Nemo enim est qui doceat colorum aut schematum aspectus internoscere; aut inter strepitum & vocem, vel inter ea quæ malè & quæ bene olent, siue inter * saporum aut alterius succi gustus, vel inter mollia & dura, aut inter calentia & frigida discernere. Neque mentem sanè quisquam docebit illis sese applicare, quæ sunt intelligibilia. Et † quemadmodum ipsi sensus, si quid illis acciderit incommodi, cura tantum opus habent, & propriam facilè operationem adimplent: ita & mens carni alligata, & illius impleta phantasiis, fide opus habet & recta vitæ conuersatione, quæ pedes ipsius instar cerui comparant & instituunt, ipsamque in sublimibus constituunt. Huius nos & Sapiens admonet, & nunc quidem pudoris expertem operariam formicam in medium adducit, perque illam viam agendorum describit: nunc vero Sapientis apiculæ * fingendis fauis deputatum organum, per quod nobis naturalem indicat contemplationem, in qua & de sacra Trinitate ratio quædam comprehenditur. Siquidem ex creaturarum pulchritudine congruenter & rerum omnium opifex consideratur. Gratiis actis Patri & Filio, & Spiritui sancto, finem imponemus bis literis, quandoquidem optimum esse vbique rerum modum, & ipsa † docet Parœmia.

Collatio.

† τὰ φυσικὰ κριτήρια.

Γνώμη ex collatione.

* χυμῶν καὶ χυλῶν.

† ἐικὼν.

Prou. 6.

* κηρόπλαστον ὄργανον.

† πᾶν μέτρον ἄριστον.

BASILII MAGNI

ET

LIBANII SOPHISTÆ

EPISTOLÆ,

ITEM

IVLIANI IMP.

Plurimis iam Græco-Latinis additis.

Basilius Libanio. I.

PVdore suffundor, quod quum tibi quosuis adducam Cappadocas, non tamen omnibus, quibus id per ætatem liceret, persuadeo, vt & disciplinarum, & eruditionis studio sese dedant, teque exercitij huius vtantur præceptore. Verum quoniam impossibile est, vt simul omnia consequamur quæ nobis ipsis conuenientia diligimus, eos ad te mitto, quibus frequenti admonitione persuadeo, tantum illis gratiæ conferens, quantum sitientibus ij, qui ad fontes illis præduces sunt. Qui verò te nunc accedit, paulo post, siquidem tibi coniunctus fuerit, pro ingenij sui gratia tuo & aliorum fauore potietur. Nunc vero ex patre admodum nobilis est. Nam is apud nos multum nominis sibi ipsi cum vitæ integritate, tum ciuili potentia peperit, qui & mihi summa est amicitia coniunctus, cui vt rependam, istam puero gratiam largior quod illum ad tuam notitiam introduco, quæ res maximis votis digna est apud eos, qui viri virtutem iudicare norunt.

Ex collatione.

Libanius Basilio. II.

ALiquandiu est, quod ad nos venit adolescens ille Cappadox. Vna hæc est commoditas quod Cappadox est. Sed & præterea Cappadox iste splendidis est natalibus ortus, quæ altera commoditas est. Quin & literas nobis attulit admirabilis illius BASILII. Hoc sanè quilibet amplius quiddam esse dicet. Ego namque, quem tui putas obitum, iam olim te, cum adhuc adolescens esses, dilexi: propterea quod viderem temperantia ita præditum, vt cum senibus quoque decertares, idque in ea ciuitate quæ voluptatibus scatet, deinde & disciplinarum iam magnam esse partem consequutum. Quoniam verò operæ pretium esse putabas: vt & Athenas videres, idque & Celso persuaseras, congratulabar Celso quod amicitiæ tuę esset coniunctus. Posteaquam vero reuersus esses & in patria constitutus, ad meipsum, Quid nunc aiebam, molitur nobis BASILIVS? & ad quod vitæ genus sese contulit? An in forensibus actionibus versatur, veteres illos Rhetoras æmulatus? vel diuitum liberos in Rhetorica instituit? Cum vero venissent quidam nuntiantes multo te potiorem viam ingressum esse, hocque spectare magis quomodo Deo reddaris amicus, quàm quomodo diuitias colligas; & te fælicem esse dicebam & Cappadocas. Te quidem, qui malueris talis esse; illos vero, qui talem potuerint exhibere ciuem. Firminus vero ille, quam vbique tibi constanter adhærendo perduraverit, scio. Nam hinc illi est ista Eloquentiæ facultas. Cum autem multum sit laudis adeptus, haud scio an vnquam tantum laudis acquisierit, quantum nunc ex literis tuis intellexi. Quod enim tu es qui dicas, neminem esse à quo illius obscuretur gloria, quanti id illi debet esse encomium. Videris autem mihi & istos misisse, priusquam Firminum viderint. Alioqui id ipsum non habuissent literæ. Et nunc quid rerum agit, aut quid meditatur Firminus? An adhuc distinetur in conuiuijs nuptialibus? vel illa quidem iam dudum cessarunt. Propositi vero grauitas & vniuersa necessitas manet? vel est spes aliqua fore illum denuò studiorum socium? Respondе nobis aliquid, sitque illud, vt velim quidem, commodum: Si vero nonnihil etiam perturbabit id quod responsurus es, vel hoc commodi adferet, quod nos ab isto assiduo ad portas respectu liberabit. Si vero Athenis iam agit Firminus, quidnam egerunt Senatores vestri: Num illius gratia Salaminiam miserunt? Vides me à tuis dumtaxat ciuibus contumeliam pati. Ego tamen interea non desinam diligere ac laudare Cappadocas. Imo optauerim quoque meliores illos apud me fieri, si verò ijdem permanserint, & sic feram. Firminus autem tres menses apud nos egit, & nullum diem otiosum duxit. Quantum autem sit quod sibi collegit, ipse cognosces, & forsan non reprehendes. Ad hoc vero vt hnc redire valeat, cuiusnam oportebit implorare operam? Etenim si bene sentiuut Senatores, facient quod docet homines doctos. Honorabunt vel posterioribus, quoniam prioribus contristarunt.

Firminus diserius.

Basilius Libanio. III.

EN tibi & alter adest Cappadox, filius meus etiamnum hic: Nobis etenim vniuersos conciliat ac veluti adoptiuos reddit formula moduſque vitæ, in quo nunc sumus. Habeatur itaque hoc nomine frater eius, qui ante ipsum ad te venit, eademque cura ac diligentia dignus, tam mihi, vt patri, quàm tibi, vt præceptori. Siquidem quid poterunt amplius habere, qui à nobis ad te veniunt? Hoc autem non ideo dico, quod prudentia tua priscis nihil amplius largiatur amicis. Sed quod candide sit omnibus operæ tuæ proposita vtilitas. Suffecerit autem adolescentulo, si antequam iustam per ætatem attigerit rerum experientiam, in priuatis institutus fuerit: quem ablegamus à nobis dignum & nostra intercessione, & tua gloria, quem eloquentia consequutus es. Adducit autem secum & coætaneum eadem erga studia literarum præditum diligentia, generosum & ipsum & nobis familiarem, quem nulla in re inferiorem fore credimus, etiam si reliquis minus habeat pecuniarum.

Libanius Basilio. IV.

HOc sæpenumero scribes, scio, *En tibi & alter adest Cappadox.* Multos namque, vt puto, mittes, propterea quod perpetuo & vbique tuis nos encomiis celebras: hoc ipso & patres excitans & pueros. Elegans autem non fuerit obticere, quid circa epistolam tuam elegantem illam contigerit. Assidebant mihi eorum qui Magistratuum sunt filij, cum alij non pauci, tum & optimus Alypius illius Hieroclei consobrinus. Vt ergo epistolam reddiderunt qui illam attulerant, tacitè inspectis omnibus subridensq; & gaudens, *Victi sumus*, aiebam: Et quanam victoria, rogabant illi, victus es? Et quamobrem si victus es, non doles?

Alypius Hieroclus.

doles? In elegantium, inquam, epistolarum certamine victus quidem sum: at Basilius est, qui vicit. Is autem amicus noster est, & eam ob rationem gaudeo. Cum hæc dicerem ex ipsis volebant literis iudicare de victoria, legitque Alypius, audientibus reliquis qui aderant. Lata vero sententia est, me nihil esse mentitum. Et qui literas habebat ac legerat, secum illas auferebat, ostensurus puto & aliis, ægreque ablatas restituit. Scribe ergo similia, & vince. Hoc enim est me vincere. Rectè & illud coniectas quòd studia nostra pecuniis non æstimentur: sed satis sit non habenti quod det, si Consuli sibi permittat. Etenim si sensero quenquam in rerum penuria constitutum amare literarum studia, is mihi diuitibus præferendus habetur. Quanquam tales præceptores nos, cum adolescentes essemus, non sumus experti. At nihil prohibet esse quosdam meliores. Nemo ergo pauper ad nos sese recipere cunctetur, si hoc vnum dumtaxat possederit, vt studiorum sciat perferre labores.

Pauperes, sed Eloquentiæ studiosos Lib. optat.

Basilius Libanio. V.

QVid non dicet vir Sophista, & talis Sophista, cui in confesso est id artis esse proprium, vt ex magnis, quandocumque voluerit, faciat modica, & modica amplificet? id quòd & erga nos declarasti. Etenim epistolam meam, sordidam illam, quicquid vos, qui in verborum elegantia delitiamini, dicatis, & quæ ista, quam iam habes in manibus, nihilo tolerabilior est, ita deprædicasti, vt quasi ab illa vinci nobisque in hoc scripti genere priores dare videaris: haud dissimile faciens ab eo, quod parentes cum liberis ludendo solent, quando illis, de victoriis, quas ipsi peperere, gloriandi copiam largiuntur, & seipsos nullo damno afficientes, & liberorum conatum & æmulationem nutrientes. Habebat autem & inenarrabilem prorsus voluptatem id quod ad nos ludendi gratia scripsisti. Quod tale est, ac si Polydamas aliquis, aut Milo, Pancratij vel luctæ certamen mecum inire detrectet. Perlustratis enim singulis nullum deprehendi roboris exemplum, ita vt qui verborum sectantur hyperbolas, tuam hic magis admirentur potentiam, qui ita teipsum per ludum ad nos vsque demittere potueris, quàm si barbarum aliquem hostem vltra Athon nauigando progressum repuleris. Nos quidem, ô præclare vir, cum Mose, & Helia, similibusque beatis viris versamur, qui nobis barbarica voce doctrinam suam tradunt, & nos quæ ab illis audimus loquimur, sensu quidem vera, verbis autem rudia, vt & hæc ipsa quæ scribimus indicant. Nam etiamsi aliquid consequuti fuerimus, à vobis instructi, interea tamen temporis per obliuionem excidit. Tu vero nobis deinceps ita scribe, vt aliis epistolarum argumentis vtare, quæ & eloquentiam tuam ostendant, & nos non arguant. Filium Anysium iam tibi adduxi, vt meum ipsius filium. Si vero meus est hic puer, patris quoque est filiolus, pauper ex paupere. Quod autem dico satis clarum est viro & sapienti & sophistæ.

Sophista quis.

Ab exemplorum collatione.

Libanij auditor Basilius.

Libanius Basilio. VI.

SI prolixa admodum meditatione vsus esses, quo modo quàm elegantissimè literis nostris quas de tuis scripsimus, responderes, non esses hoc melius præstitisse visus, quàm talia scribendo qualia iam scripsisti. Vocas me Sophistam. Sophistæ autem proprium esse vis, ex modicis magna, & ex magnis modica facere posse. Et epistolam meam ostendere voluisse dicis, tuam esse elegantem, cum illa nec sit elegans, nec ea, quam nunc miseris, elegantior: Prorsus autem nullam tibi esse dicendi facultatem. Huius causam esse libros, quos iam habeas in manibus: doctrinam vero & eruditionem, quam antea habueris, effluxisse. Et cum ista persuadere conatus sis, ita eleganter struxisti & istam, quam malam dicis, epistolam, vt qui, cum illa legeretur, præsentes erant, non subsultare nequiuerint. Admiratus itaque sum, quomodo cum posteriore ista priorem demoliri volueris, eo quòd illa visa sit isti haud dissimilis, ista priorem magis ornaris. Oportebat igitur hoc volentem, posteriorem hanc peiorem facere, vt sic per illam detraheretur priori. At, vt opinor, tuum non erat, lædere veritatem. Læsa autem fuisset, si de industria scripsisses peiora, & facultate dicendi quam habes in promptu, vsus non fuisses. Sit itaq; & hoc studij tui, vt neq; vituperes ea quę laude sunt digna, ne te res ista in album Sophistarum abijciat, dum, quæ sublimia sunt, humilia facere conaris. Libros igitur quorum peiorem dictionem, meliorem vero mentem ac sententiam esse dicis, habeto, nemo prohibet: eorum vero, qui nostri sunt semper, tui iam olim, radices adhuc in te manent, ac manebunt, donec in hac vita fueris, nec vllo tempore excidentur, etiamsi illas quam minime rigaueris.

Sophistæ quid proprium.

Μεταφορικῶς hæc.

Libanius Basilio. VII.

NOndum mihi offensam remisisti, adeoque inter scribendum tremo. Quod si remisisti, quamobrem non scribis, virorum optime? Si vero illam adhuc contines, quod ab omni anima ratione prædita, & tua quoq; alienum est, quomodo cum alijs prædices ad occasum vsque Solis non esse seruandam animi commotionem, tu illam iam Sole toties occidente seruasti? An istam forsan de me pænam sumere, & hoc me pacto punire voluisti, vt voce tua melle condita priuares. Non ita ô præclare, sed animo sis placido ac miti, largiareq; vt lingua tua, aurea illa fruar.

Antithesis. Sol non occidat super iracundiã vestram. Ephes. 4. 26

Basilius Libanio. VIII.

QVi rosa delectantur, vt verisimile est fieri ab illis, qui pulchritudinis & elegantiæ sunt studiosi, neque spinis ipsis, vnde flos ille prodit, molesti sunt. Et tale quid de rosis quendam siue ioco, siue serio referentem audiui, quod rosarum amatoribus natura minutas illas spinas, quasi quędam * amatoria illectamenta, isti flori adfixerit, vt stimulis illis ægrè contactum admittentibus, ad maius desiderium colligentes prouocet. Quid velim, quod literis istis rosam induco, nihil prorsus opus habes, vt instruare: siquidem epistolæ tuæ memor fueris, quæ quidem florem habet rosæ: ita vt toto nobis verno tempore eloquentiæ spirarit odorem, querelis vero & expostulationibus, quasi quibusdam aculeis contra nos armata est. Verum spinæ quoque verborum tuorum voluptati mihi sunt, quæ me ad maius amicitiæ desiderium inflammant.

Rosa è spinis.

* ἐρωτικά τινα κνίσματα.

ἀλληγορικῶς omnia.

Libanius Basilio. IX.

SI ista sunt † linguæ illaboratæ, qualis esses si illam acueres? Ori tuo quidem insunt eloquentiæ fontes, quorum riuuli quosuis superant latices: nobis vero, nisi quotidie irrigemur, silentium relinquetur.

† γλῶττης ἀργοῦ ἔρας.

Basilius Libanio. X.

QVod ad eruditionem tuam haud assiduè scribo, in causa sunt cum metus, tum * imperitia. Quod tu vero constantissimè siles, quonam pacto poterit excusari? Si vero quisquam est, qui te, cum in verbis totus viuas, ad scribendum tardum esse putet, is te hoc ipso condemnauerit, tanquam nostri oblitum. Cui enim in promptu est, quod dicat. Illi certè & ad scribendum non deest, parata facultas. Qui vero silet, cum habet & dicendi & scribendi copiam, manifestum est, quod hoc vel ex contemptu faciat, vel obliuione. Ego autem silentio tuo per salutationem rependam. Salue itaque colendissime, & scribe, si volueris: rursus ne scribas, si id tibi ita placuerit.

* ἀμαθία.

Libanius Basilio. XI.

EXcusatione * ad te magis, opinor, hoc nomine opus habeo, quod non olim tibi scribere cœpi, quàm vt nunc me excusem quando id iam orsus sum. Ego enim is sum qui cum dissereres, accurrebam, & maxima cum voluptate aures tanquam ad riuulum quendam linguæ dicentis adhibebam gaudens, ægreque auelli sustinens, ac dicēs: Hactenus hic vir elegantior est Acheloi filiabus, quatenus demulcet quidem, quemadmodum & illæ, non autem nocet vt illæ. Et parum est quod non nocet, lucrum etiam adferunt illius cantica, si quis illis delectetur. Cum itaque sic sim affectus, putemque & amari me, si videar dicere: quod scribere non ausim, extremæ hoc fuerit inertiæ, & simul hominis damno sese afficientis. Certum namque est quod

* δεῖν ἀπολογίας.

quòd epiſtolæ meæ modicæ ac vitioſæ eleganti tua & magna rependes, cauebiſque ne denuò me lædas. Multi vero, puto, ad hoc quod dixi, ne me denuò lædas, vociferabuntur, & hac in re cum clamore inſtabunt, dicentes: Baſilius ne vel modicum quid cuiquam intulit iniuriæ? Ergo Æacus, & Minos, & huius frater. Ego quidem tibi permittam, vt in aliis viceris. Quis eſt autem qui te cognoſcat, & non inuidiæ ſtimulis agitetur? Vnum vero tibi peccatum eſt aduerſum nos. Quod ſi te huius admonuero, perſuade illis qui hoc moleſtè ferunt, ne vociferentur. Nemo te vnquam acceſſit, gratiam petens, modo eam facilè largiri potueris, quam non obtinuerit. Sum autem ex illis, qui gratiam poſtularunt quidem, ſed non acceperunt. Quid ergo abs te petij? Cum in prætorio vnà tecum eſſem, equidem non ſemel optaui, vt per iſtam tuam illuſtrem ſapientiam liceret pertingere † ad Homericæ diuinationis altitudinem. Quod ſi, totam conſequi, aiebam, poſſibile non eſt, tu vel in partem ſortis huius nos introducito. Partem autem eam cupiebam, in qua, cum Græci malè egiſſent, Agamemnon eum quem læſerat, muneribus placauit. Cum iſta dicerem, ridebas, negare quidem haud valens, quaſi, ſi velles, non poſſes; interea tamen hac in re mihi gratificari nolens. Num igitur tibi & iis qui mihi indignantur hoc ipſo iniurius eſſe videor, quod te iniuſtè agere dixi?

γνώμη *in laudem Baſilij.*

† τῆς ὁμήρου μανίας. *lego* μαντείας.

Libanius Baſilio. XII.

AN nonnihil eruditionis adoleſcentibus quos ad nos miſiſti, contulerimus, ipſe iudicabis. Spero autem illud, etiam ſi modicum fuerit, propter tuam erga nos amicitiam, magni profectus habiturum gloriam. Quod vero eruditioni temperantiam anteponis, & ne mentes ſuas prauis voluptatibus tradant admones, rem iſtam admodum diligenter curarunt, conuerſatique ſunt, vt decebat eos, qui, à quo miſſi ſint, meminere. Complectere tua pignora & lauda eos qui & me & te moribus & ingenio exornarunt. Quod ſi te ad opem illis ferendam hortari velim, idem fecero, ac ſi patrem adhorter, vt liberis ſuis opem ferat.

τὴν σωφροσύνην.

Libanius Baſilio. XIII.

OMnis quidem Epiſcopus talis eſt, vnde ægrè aliquid emolumenti emungatur: tu vero, quanto reliquos prudentia ſuperas, tanto plus mihi metus generas, ne quo pacto quod petiturus ſum conſtanter ſis denegaturus. Trabibus conſtratoriis opus habeo, * camacas, aut † characas alius aliquis Sophiſta diceret: non ad neceſſarium vſum verba vſurpans. Sed verborum phaleras oſtentatui magis quam neceſſitati ſeruiens. Ego vero niſi quod peto largiare, cœli iniuriæ ac tempeſtatibus obnoxius ero.

Ethnicus Libanius auaritiæ coarguit Epiſcopos.

* χάμαξ πάσσαλος ἢ ξύλον ὀρθὸν, *pertica, palus rectus.*

χάραξ *val.*

Baſilius Libanio. XIV.

SI † γριπίζειν illud, quo vſus es in literis tuis, idem eſt atque emolumenti quicquam alicunde auferre, & hanc ſignificationem habet iſta dictio, quam ex Platonis adytis Sophiſticè tua nobis deprompſit, conſidera, quæſo, præclare vir, vtra pars eius ſit tenacitatis, vt ægrè ab illa aliquid queat emolumenti auferri. An nos, qui tenui iſta & in arctum reducta facultate obuallamur, an Sophiſtarum genus, quibus quæſtum ex verbis facere artis loco eſt? Quis Epiſcoporum quæſtum ex verbis aucupatus eſt? Quis diſcipulos mercenarios conſtituit, niſi vos, qui lucrum ex verbis ſectamini, quemadmodum placentas mellitas, ij qui melle delectantur? Vides vt ſenem etiam ad reſultandum prouocaris? Ego vero tibi cum gloria in declamandi ſtudiis verſanti totidem trabes accommodato dari præcepi, quot in Thermopylis decertant milites, bene longas omnes, & iuxta Homerum † tuum longam efficientes vmbram, quas ſacer Euſtathius reſtaurari præcepit.

† γριπίζω, τὸ κερδαίνω. *Phauorinus & Heſych.* γριπίζει ἁλίευει· οἱ δὲ οὕτω δὲ ἐπιζολιμαίας δυνάμεως ἀποχαρακούμενοι. *Simile.*

† σρωτῆρας δολιχοσκίους.

Libanius Baſilio. XV.

NOn deſines, Baſili, Sacrum hoc Muſarum domicilium refertum reddere Cappadocibus, qui que ipſo ſtatim odoratu griten referant ac niues, & quæ apud vos gignuntur bona? Propè autem & me Cappadoca reddiderunt, perpetuò occinentes illud * προσκυνῶ σοι. Veruntamen eſt, Baſilio ita iubente. Sciàs igitur, quod regionis quidem mores diligenter inueſtigo, ad generoſitatem vero mentis, & Calliopes meæ concinnitatem, viros immuto, vt vobis pro palumbis videantur facti columbæ.

μουσῶν σκηνὸν.

* Adoro te. adblãdior tibi. μεταφορά.

Baſilius Libanio. XVI.

REmiſit ſe animi tui rancor. Sit enim iſtud epiſtolæ proœmium. Tu vero noſtra, ſiue ioco ſiue ſerio, cauillis petito & conuellito. Quid autem niuis aut etiam gritæ † mentionem feciſti: cum liceat cauillis noſtris abundè illudere? Ego vero Libani vt largum tibi riſum moueam, epiſtolam hanc ſub cortina niue tectus ſcripſi, quam vbi acceperis manibuſque preſſeris, ſenties quam ſit frigore horrida, ita vt & eum à quo miſſa eſt, latitantem iam, & haud è domicilio proſpicere valentem exprimat. Domos namque habemus inſtar ſepulchrorum, donec vernum tempus nos apprehendat, & mortuos ad vitam denuo reducens, vt ſimus, quod & plantis facit, largiatur.

† γρῦτης *Phauorino eſt* ὁ βυρσεύς. *Heſychius habet* γρυτής.

Baſilius Libanio. XVII.

MVlti eorum qui illinc ad nos veniunt, facultatem tuam, quam in dicendo habes, admirati ſunt ac celebrarunt. Narrarunt enim factam eſſe declarationẽ quandam illius valde illuſtrem, fuiſſeque certamen maximum, ita vt omnes accurrerint ac nemo in vrbe viſus ſit, præterquam ſolus Libanius dicendo certans, & quælibet ætas auſcultans. Neminem enim fuiſſe, qui certaminibus iſtis abeſſe voluerit, neque eum qui magiſtratus honore præditus, neque qui delectu & catalogo militari clarus, nec qui artificijs vacant, quin & mulieres ad iſta certamina properaſſe. Quod autem certamen illud fuit? Aut quis ſermo quo * frequentiſſimam excitaſti panægyrim? Nuntiarunt mihi moroſi hominis eſſe, ſi quiſquam velit ſermoni tuo reſiſtere. Velis igitur abſque vlla mora admirabilem iſtum ſermonem ad me mittere, vt & ego laudum tuarum ſim præco. Libanium namque celebrare cupiens, licet operum tuorum ſim expers, quanti mihi non faciendum, ſi iam laudum tuarum adepturus ſim argumentum?

* πάνδημον πανήγυριν.

Libanius Baſilio. XVIII.

ECce miſi tibi orationem meam, abundè ſudore perfuſus. Quomodo namque non anxiè ſudarem ei viro orationem meam mittens, cuius tanta eſt iudicandi facultas, vt & Platonis ſapientiam, & Demoſthenis in dicendo vehementiam, fruſtra iactatas eſſe conuincere queat? Sermo vero meus perinde eſt atque ſi culicem conferas elephanti. Vnde & horreo & tremo diem illum cogitans, in quo ſermonem meum iudicaturus es. Quin parum abfuit, quin mentis ſim facultate deſtitutus.

Collatio.

Baſilius Libanio. XIX.

LEgi quam miſiſti orationem, † virorum ſapientiſſime, & ſupra modum admiratus ſum. O muſæ, ô diſciplinæ, & Athenæ quam præclara largimini veſtri ſtudioſis? Quàm præclaros ferunt fructus, qui vel modico tempore veſtro potiti ſunt conſortio? O fontem copioſiſſimum, quales exhibuit nobis, qui ex illo hauſerunt. In iſto namque ſermone videre mihi viſus ſum vnum aliquem, qui cum muliercula quadam loquaciſſima ſit verſatus. Cum enim iſta ſcriberet Libanius, telluri ſermonem inſpirauit, qui ſolus eloquentiæ animam largitus eſt.

Forte de feminarum loquacitate inſita.

τὸν λάλον συνόντα γυναίῳ.

A

Libanius Basilio. XX.

NVnc cognoui verum esse quod dico. Basilio namque me laudante, aduersum quosuis victoriam obtinebo. Licebit iam incedere, posteaquam tuos adeptus sum calculos, magnifico quodam gressu, instar iactabundi cuiusdam, & omnes præ se contemnentis. Quoniam sermonem & tu *contra Ebrietatem* elaborasti, cupimus illo potiri. Interea tamen de illo nolo quicquam egregij dicere. Ipse me Sermo, vbi visus fuerit, dicendi docebit artificium.

Basilij Homilia contra ebriosos.

Libanius Basilio. XXI.

AN non Athenis habitas Basili, teque ipsum fallis? Haud enim ista qui Cæsaream inhabitant, audire potuissent. Lingua namque illorum mihi haud est familiaris. Sed quasi per præceps vocum nouitate prorumpens ac stupefaciens, & mihi dixit & patri, Pater tu ista non docuisti. Homerus hic vir est. Imò Plato, imò Aristoteles, quin Susario magis, qui nihil ignorabat. Et hæc quidem ipsa lingua. Te vero nos, ô Basili, ad hunc modum laudare velim.

Basilius Libanio. XXII.

GAudio quidem afficimur, vbi quæ scribis, accipimus: vbi vero vicissim exigimur vt ad scripta tua rescribamus, anxij sumus. Quid enim habemus quod ad linguam tam vehementer Atticè loquentem respondeamus, nisi quòd piscatorum me discipulum esse profiteor, & te complector?

Basilius Iuliano. XXIII.

QVomodo interea temporis corpore valuisti? An integrè †energiam manus recepisti? Quomodo reliqua vitæ negotia habent? An cedunt tibi ex animi sententia quemadmodum optamus, & proposito tuo conuenit? Etenim quorum mens ad quiduis facilè permutatur; par est credere talium vitam nullo tenore certo & constanti constabilitam esse. Quibus vero animi sententia est solida, semper constans ac eadem, cõsentaneum est istos & vitam agere animi proposito congruentem. Nauclero quidem profecto non permittitur, vt tranquillum, vbi vellet, reddat pelagus: nobis contrà admodum facile est, vt vitam nobis ipsis reddamus tranquillam, si internos animi tumultus, qui ex affectionibus inordinatis aduersum nos insurgunt, compescuerimus, mentemque reddiderimus iis quæ forinsecus contingunt, superiorem. Neque enim facultatum dispẽdia, neq; morbi corporis, neque reliquæ vitæ molestiæ cautum ac studiosum pietatis lædent, donec animo ita comparatus est, vt cum Deo ambulet, & de futuris cogiter, eosq; fluctus, qui infernè excitantur, alacriter & expeditè superet. Qui namque curis huius vitæ admodum sunt occupati, instar auium carnosarum sunt, quæ frustra alatæ, humi cum pecudibus detinentur. Porrò te non amplius per negotia videre licuit, quàm qui in mari alteri alteros nauigio prætereunt. Attamen quoniam vel ex †vngue totum licet æstimare leonem, arbitramur nos modico experimento sufficientem tui cognitionem cepisse, vnde & plurimi facimus quod rerum nostrarum aliqua apud te est ratio, & animo tuo non absumus, sed præsentes tibi iugiter memoriæ beneficio sumus. Est autem memoriæ indiciũ quod ad nos scribis: quod quò facies crebrius, hoc nobis amplius gratificaberis.

† ἐνέργειαν, *operatoriã vim & efficacem.*

Ανομοίωσις.

Animi tranquillitas qua.

† ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα.

CONFESSIO FIDEI.

Τῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν

ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ

Ἐκ τῆς ἐπιστολῆς αὐτῦ πρὸς Ἰουλιανὸν τὸν ἀποβάτην.

C

S. P. NOSTRI BASILII

EX EPISTOLA

AD

IVLIANVM APOSTATAM.

Exstat in secunda Ephesina Synodo, Act. IV. *De sacrarum cultu Imaginum, pag.* 497. *Rom. edit.*

XXIV.

KατὰΘ τὴν θεόθεν ἐπικεκληρωμένην ἡμῖν ἀμώμητον πίστιν τῶν Χριστιανῶν ὁμολογῶ καὶ ζυνετίθημι πιστεύειν εἰς ἕνα θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, θεὸν τὸν Πατέρα, θεὸν τὸν Υἱὸν, θεὸν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἕνα θεὸν, τὰ τρία προσκυνῶ καὶ δοξάζω. ὁμολογῶ δὲ τὴν τοῦ Υἱοῦ ἔνσαρκον οἰκονομίαν, καὶ θεοτόκον τὴν κατὰ σάρκα τεκοῦσαν αὐτὸν ἁγίαν Μαρίαν· δέχομαι δὲ καὶ τοὺς ἁγίους Ἀποστόλους, Προφήτας, καὶ Μάρτυρας, καὶ εἰς τὴν πρὸς θεὸν ἱκεσίαν τούτους ἐπικαλοῦμαι· διὰ δὲ αὐτῶν, ἤγουν διὰ τῆς μεσιτείας αὐτῶν, ἵλεών μοι ηὑρεθῇ τὸν φιλάνθρωπον θεὸν, καὶ λύτρον μοι τῶν πλημμάτων γένηται καὶ δοθῇ· ὅθεν καὶ τοὺς χαρακτῆρας τῶν εἰκόνων αὐτῶν τιμῶ καὶ προσκυνῶ, καὶ ἐξαίρετον τούτων προσδεδομένων ἐκ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, καὶ οὐκ ἀπηγορευμένων, ἀλλ' ἐν πάσαις ταῖς Ἐκκλησίαις ἡμῶν τούτων ἀνιστορημένων.

D

SEcundum immaculatam fidem Christianorum, quam diuinitùs sumus sortiti, Confiteor & polliceor credere in vnum Deum Patrem omnipotẽtem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: vnum Deum, tria adoro & glorifico. Confiteor autem incarnatam filij dispensationem, & Dei genitricem Sanctam MARIAM, quæ illum secundum carnem peperit. Suscipio autem & sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & ad supplicationem quæ est ad Deum, hos inuoco; vt per eos, id est, interuentionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, & culparum mihi redemptio fiat, & condonetur. Vnde & characteres imaginum eorum honoro & adoro; præcipue cum hoc traditum à Sanctis Apostolis, & non prohibitum sit: quin & in omnibus Ecclesiis nostris ostendatur depictum.

EPISTOLA

EPISTOLÆ IVLIANI IMP. AD BASILIVM MAGNVM

Ex Operibus Iuliani Ἀναβάτου.

XXV.

Ἡμῖν παροιμία φησὶν, Οὐ πόλεμον ἀγγέλλῃς, ἐγὼ δὲ προσθείην ἂν τῇ κωμῳδίας, ὦ χρυσῆν ἀγγελίας ἐπῶν. ἴθι οὖν, ἔργοις αὐτὸ δεῖξον, καὶ σπεῦσε πάρ ἡμᾶς. ἀφίξῃ γὰρ φίλῳ φίλος. ἡ γὰρ περὶ τὰ πράγματα κοινὴ καὶ συνεχὴς ἀσχολία δοκεῖ μοι εἶναί πως τοῖς πάρεργον αὐτὰ ποιοῦσιν ἐπιχθὴς, οἱ δὲ τῆς ἐπιμελείας κοινωνοῦντες εἰσὶν ἐπιεικεῖς, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, καὶ συνετοὶ, καὶ B παύτως ἱκανοὶ πρὸς παῦλαν. δίδωμι δή μοι ῥᾳθύμως, ὥστε ἐξεῖναι μηδὲν ὀλιγορουῦντι καὶ ἀναπαύεσθαι. συνίσμεν γὰρ ἀλλήλοις οὐ μετὰ τῆς αὐλικῆς ὑποκρίσεως μόνης, ἧς οἶμαι σε μέχρι δεῦρο πεπειρᾶσθαι, παθ' ὧν ἐπαινοῦντες μισοῦσι τηλικοῦτον μισοῦντα ἥλικον οὐδὲ σὺν πολεμιωτέρους, ἀλλὰ μετὰ προσηκούσης ἀλλήλοις ἐλευθερίας, ἐξελέγχοντές τε ὅταν δέῃ καὶ ἐπιτιμῶντες οὐκ ἔλαττον φιλοῦμεν ἀλλήλους τῶν σφόδρα ἑταίρων. ἔνθεν ἔξεστιν ἡμῖν C (ἀπεῖν γὰρ φθόνῳ) ἀνειμένοις τε παρεύδειν καὶ παρευδάζουσι μὴ ταλαιπωρεῖσθαι, καθεύδειν γὰρ ἀδεῶς. ἐπεὶ καὶ ἐγρηγορὼς οὐχ ὑπὲρ ἑαυτοῦ μᾶλλον ἢ καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὡς οἶσθ', ἐγρηγορα. ταῦτα ἴσως κατηδολέσχηκά σου καὶ κατελύπησα, παθὼν τι ἐλαχύδες, (ἐπήνεσα γὰρ ἐμαυτὸν, ὥσπερ Ἀσυδάμας) ἀλλ' ἵνα σε πείσω σπεύσαι τι μᾶλλον ἡμῖν τὴν παρουσίαν, ἅτε ἀνδρὸς ἔμφρονος, ποιήσειν ἢ παραιρήσεσθαί τι τοῦ καιροῦ, ταῦτα D ἐπέσταλα. σπεῦσε οὖν, ὅπερ ἔφην, δημοσίῳ χρησόμενος δρόμῳ. συνδιατρίψας δ' ἡμῖν ἐφ' ὅσου σοι φίλον, οἵπερ ἂν θέλῃς ὑφ' ὑμῶν πεμπόμενος, ὡς προσῆκον ἐστι, βαδιῇ.

Ἐπιστολὴ Ἰουλιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος πρὸς τὸ μέγαν Βασίλειον.

XXVI.

E

Τὸ ἔμφυτόν μοι ἐκ παιδόθεν φαλλὸν καὶ φιλάνθρωπον ἐπιδεικνύμενος, μέχριτε παρόντος πάντας ὑπηκόους ἐποιησάμην σὺν παρόντας τῇ ὑφηλίῳ. ἰσθι γὰρ πᾶν γένος βαρβάρων μέχρι ὁρίων ὠκεανοῦ δῶρα μοι κομίζον ἥκειν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ Ἀγάθηρες οἱ περὶ τὸ Δανούβιον οἰκοῦντες καὶ εὐμορφοποικιλοκαθαρσίμορφοι, οἷς ἐκ ἡ θέα ὁμοιοδὴς ἀνθρώπων, ἀλλὰ μορφὴ ὑπερβαίνουσα, καὶ αὐτοὶ πρόσκυλινδοῦνται ἴχνεσι τοῖς ἐμοῖς, ὑπισχνούμενοι ἐκεῖνα ποιεῖν ἅπερ τῇ ἐμῇ βασιλείᾳ ἁρμόζει. λυποῦμαι δὲ, ἐπεὶ φύσεως τῆς ἅπαντα δυνάμεως περφρόνησας, ὀλιγάβιαν μοι λέγων ἐνδεδύσθαι, ἀναιδείαν προβαλλόμενος, καὶ πάντων διαφημίζων ὡς ἀναξίου τὴν ῥωμαίων βασιλείας γεγονέναι· ἢ οὐκ οἶδας ὅτι Κωνσταντίου καὶ κρατίστου λοιπόν τυγχάνω; ἅπερ ἐκ τῶν λεχθέντων μοι σου ἕνεκα, ἀδ' ὅτι καὶ παρόντος ἐξίσταμαι τὸ πρός σε διαθέσεως ἣ ἐγώγε τε

XXV.

NON *bellum denuncias*, ait vetus verbum: at ego addam etiam illud Comœdiæ veteris: *O nuncium verborum aureorum!* Age igitur reipsa ostende, & ad nos quamprimum aduola. Certè amicus ad amicum venies. Assidua cura Reipub. molesta est iis, qui negligentiùs in ea versantur; at qui diligentia & industria vtuntur, æqui sunt, mea quidem sententia, & prudentes, omninoque ad omnia idonei. Quare ipse mihi opportunitatem hanc comparaui, vt sine vlla Reipub. negligentia, nonnihil quoque spatij ad relaxationem animi sumam. Etenim adhuc ita viuimus, vt aulicæ simulationis nihil ferè retineamus (quam quidem tu fortasse expertus fuisti: quam qui laudant maiori odio prosequuntur, quàm inimicissimos) sed honesta moderataque libertate, cùm opus est, nos mutuò accusamus & reprehendimus: neque tamen propterea minus inter nos amamus, quam qui maximè amici sunt. Ex eo accidit (quod sine inuidia dicere liceat) vt dum relaxamur, seria agamus: & dum hæc agimus, minimè cruciemur, & securè dormiamus. Quoniam cum vigilarem non tam pro me ipso, quàm pro cæteris omnibus, vt par est, vigilaui. Hæc forsitan apud te nugatus sum, leuitate quadam animi & insolentia: meipsum namque, sicut Astydamas, collaudaui. Verumtamen vt intelligeres multò magis tuum conspectum, sapientis videlicet hominis, nobis profuturum, quàm impedimenti allaturum, hæc scripsi. Propera igitur, vt dixi, & publicis equis vteris: cumque apud nos, quantum tibi videbitur, fueris; tum à nobis honestè, &, vt decet, dimissus, quò voles, proficiscaris.

Vide Prom. Teipsum laudas, & Athenæ. lib. 1.

Epistola Iuliani Imp. ad BASILIVM *Magnum.*

XXVI.

INnatum mihi iam inde à puero quietum ingenium, humanitatisque plenum exhibens, adhuc subditos omnes, qui sub Sole sunt, habui. Ecce Barbarorum genus omne ab vltimis Oceani finibus dona nobis ferens accessit. Similiter & Agadires, qui ad Danubium incolunt, & pulcriuaripuriformes, quibus dispar est aspectus à cæteris hominibus, sed celsior aliis, & hi pedibus aduoluuntur nostris, facturos se pollicentes quæ imperio sint nostro digna. Tu vero supra horum sapiens potentiam, pietatem dum te induisse dicis impudentiam præfers, & in omnibus me diffamas, vt Romano indignum imperio. An ignoras Constantij me esse Maximi stirpem? Neque vero aut ob eá quæ tui causa mihi dicta sunt, aut ob id quod nunc agimus, à tui amore desciscо, quo vterque nostrum iuue-

καὶ σὺ ἕλι νέοι ὄντες ἅμα μεθεχήκαμεν τὰ βέλτιστα γράμματα. ἐ νῦν ἰδοὺ γαλήνῃ τῷ φρονήματι θεατίζω χιλίαδα λιτρῶν χρυσίου ἐξαποστελλῆαί μοι πρὸς σοῦ ὅπῃ τ Περσικὸν μέλλοντα ὁδεύειν πόλεμον, ἕτοιμον καλεῖ τὴν λεωφόρον ὑπάρχοντα. τὸ ἓν ἐξονομαθὲν χρυσίον ἐξ ἀριθμῷ καμπανῷ πεπιστευμένος ἔπεμψον διὰ οἰκείας ἐ πιστῆς, δακτυλίῳ τῷ σῷ ὑπισφραγισάμενον, ὅτε κἂν ὑφέ ποτε γαληνοτέρῳ σοὶ τὰ ὑπισχνημένα, ἕλοιμι ἔχοντός μου ἀνασκαλεῖσαι παντὸς τοῦ Καίσαρος τοὺς κατὰ τόπων ναοὺς καὶ βωμοὺς ἐξαναστῆσαι, καὶ ποιῆσαι ἐ ἐναύτοις οἰκοῦντας. ἥκει βασιλεῖ ῥωμαίων, καὶ μὴ ὑπεραίρεσθε. ἃ γὰρ ἀνέγνων, ἔγνων, καὶ κατέγνων.

A nis etiam tum optimas vnà tractauimus litteras: & nunc ecce tranquillo animo iubeo libras auri mille abs te mihi ad Persicam proficiscenti expeditionem mitti, quæ pro foribus est. Auri, inquam, libras mitti appensas Campano numero per fidum hominem domesticum impero, idque pondus annulo tuo obsignatum, vt aliquando placatiore pro his missis me vtaris, instaurare omnino Cæsaris per interualla templa atque aras erigere volenti, & inhabitantes ibi daturo. Sic Romanorum Imperatori conuenit, & non efferri sublimè. Quæ * enim legi, intellexi, & post neglexi.

B

* *Niceph. lib.10. Hist. Eccles. cap.25. Sic Dionysius Cato:* Legere, & non intelligere, negligere est.

Ἐπιστολὴ ἁ μεγάλου Βασιλείου πρὸς Ἰουλιανὸν τ αὐτοκράτορα.

XXVII.

Ἀ Ἀνέγνως, οὐκ ἔγνως. εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν καλέγνως. μικρά σου τὰ τ παρούσης τύχης ἀνδραγαθήματα καὶ φαύλα τὰ τ ἀρίστειας ἧς περ αὐτὸς ἠρίστευσας καθ' ἡμῶν. ὁ καθ' ἡμῶν εἶ, ἀλλὰ κατὰ τ ἐαυτ κεφαλῆς. Ἐγὼ ἢ τρόμῳ συνέχομαι ὅταν λάβω κατὰ νοῦν περιφυρίδα σε περιβεβλῆσθαι, ἐ στέφανον τὸν ἄτιμον κόσμου κεκοσμῆσθαι. ἅπερ δίκαια σοι εὐσεβείας ἀπεικάσματα, οὐκ ἔντιμον ἀλλὰ ἄτιμον ἀπεδείκνυσί σου τὸν κεφαλήν. καταγελαστότερον σέ γε οὐκ ἔγνων οἱ ἵς τεθεάπται πώποτε. αὐτὸς γὰρ ἐπανελθὼν καὶ ὑπερμεγέθης γενόμενος ὡς οἱ φαῦλοι ἐ μισόκαλοι δαίμονες εἰλκυσάν σε ὅπῃ τ ἔσω. οἵ γε κατὰ τὸν χθὲς ὅπῃ τ ἄτιμον σὺν κόσμου ἰδέᾳ μελιστῶν τ στέφανον ἐπετέλεσαν, ὡς γε σὺ φῂς. ἤρξω οὖν ὁ μόνον ὑπὲρ φύσιν, ἀλλὰ ἐ εἰς θεὸν αὐτὸν ὑπεραίρεσθαι. καὶ τ πάντων μητέρα καὶ τιθηνὸν ἐκκλησίαν ἐνυβρίζειν. μηνύσει χρησάμενος πρὸς ἐμὲ τ εὐτελέστατον σοὶ ἑκατοντάδας χρυσίου λιτρῶν ὑπιζητήσας παρ' ἡμῶν. καὶ ἡ μὲν ὀλκὴ ἁ χρυσίου οὐκ ἐθάμβησε μου τ νοῦν, εἰ ἐ μάλα πολλὴ καθεστήκει. ἐντεθύμημαι ἢ ἔγωγε ἐ ἡ σὴ καλοκαγαθία ὡς μεμαθήκαμεν κοινῶς τὰ ἱερά σε καὶ βέλτιστα γράμματα, ἑκάτερα σοὶ διεξηλθομεν τὰς θεοπνεύστους γραφάς. καὶ ἐλάνθανε ζέ μου τότε ὤδεν. ὅπῃ ἢ ἁ παρόντος, ἀκόσμητος καθέστηκας ὑπὸ τοιούτου φρονήματος παιδευθείς. φείσασθε οὖν ἡμῶν εὐδόκησον ἀγαθώτατε γενόμενος ἡμῶν κεκτημένων ὅσα σήμερον ἐὰν θελήσωμεν φαγεῖν, οὐκ ἐπέσῃ ἡμῖν. ἐργεῖ γὰρ ἐκότως παρ' ἡμῖν μαγείρων τέχνη. μάχαιρα ἢ τούτων αἵματι ὁ προσομιλεῖ. τὰ βέλτιστα ἢ τ παρ' ἡμῖν βρωμάτων, δαψιλῆ χόρτα φύλλα σὺν ἄρτῳ βραχυτάτῳ καὶ τῷ ἐξεσκόλι οἴνῳ. ὡς μὴ σκιαμβομένων ἡμῶν ὑπὸ γαστριμαργίας τὰ αἰσθητήρια, ὡς ὅπῃ ἀφροσύνη μὴ πολιτεύεσθαι. Ἀπήγγελεν ἢ ἡμῖν καὶ τοῦτο λαῦσος ὁ σοὶ βλεπτὸς τριβοῦνος κληρωθεὶς πρὸς τὰ στρατιώτικα, ὡς γυνή τις προσελεύσεται ἐποίησαν πρὸς τ ὑμετέραν γαλήνοτητα, ἐπ' ἀπωλείᾳ παιδὸς αὐτοῖς φαρμακευθέντος· καὶ ὡς κέκριται παρ' ἡμῶν φαρμάκοις ἢ μιαιφόνοις εἶναι ἐ ὄντας ἀναιρεῖσθαι. ἐκείνους ἢ μόνους ζῆν οἷς ἡ μάχη πρὸς τὰ θηρία. καὶ ἔστ ὀρθῶς κριθὲν παρ' ἡμῶν.

C

D

E

F

BASILI MAGNI Epist. ad Iulianum Imp.

Citat ex ea Simeon Logotheta Oratione extrema de Ieiunio.

XXVII.

QVæ legisti certè non intellexisti. Si enim intellexisses, minime damnasses. Modicæ tuæ sunt in præsentiarum res præclarè gestæ, & nequiter multa in rebus fortiter gestis, non tam contra nos, quam tuo (quod aiunt) capiti. Horrore equidem concutior, cum in mentem venit tua, qua es indutus, purpura, atque corona, qua vertex cingitur, quando sine pietate tibi attributæ non honorandum, sed inhonorum tuum caput ostendunt. Ridiculum magis quam te hactenus vidi neminem. Emergens enim ac Magnificus redditus, quò te impij & infesti dæmones pertraxerunt. Hi enim nuper, vt tute ipse prædicare soles, ad capitis tui verticem apum specie aduolantes coronam efformarunt. Cœpisti itaque imperans non solum magnos ostentare spiritus, sed & supra Deum efferri, omniumque matrem ac nutricem Ecclesiam contumelia afficere. Vsus apud me imperio exigis à tenuissimo homine auri libras mille. Nec pondus quidem auri mentem mihi turbauit, etsi multum supperteret. Reuoco ad hæc in animum studium tuum, quo sacra & optima studia vna Athenis didicimus, & ad diuinas litteras legendas vna accessimus, & tu quidem nihil ignorabas. Nunc contra turpis, & indecorus tali mente castra ponens. Parcere itaque nobis, ô optime, placeat, tantum vix possidentibus, quantum, si libeat absumere, satis hodie non fuerit. Ars enim coquendi domi nostræ neglecta, & culter sanguinem non attingit. Ciborum lautissima oleris folia nobis sunt, cum pane modico, & vino flaccescente, vt nihil stupeant nostri sensus ob ventris ingluuiem, neque præ deliciis munia sua negligant. Renuntiauit & nobis hoc Lausus, illustris Tribunus vester sorte ad magna datus, mulierem quandam ad Serenitatem vestram accessisse de filij interitu, quasi veneno sublati: & iudicatum à nobis, venenis autem nequaquam responsum. Illos vero solos viuere, quibus cum feris pugna sit: idque rectè à nobis iudicatum.

BASI-

Eadem ex Cod. posterioris exempli. A

XXVIII.

Μικρά σοι τὰ τῆς παρούσης ἀνδραγαθήματα καὶ φαῦλα τῆς ἀρετείας ἧς αὐτὸς ἠρέσθυσας. ἀχὶ ἢ καθ' ἡμῶν ἐ καθ' ἑαυτ. ἐγὼ μὲν γὰρ τρόμῳ συνέχομαι, ὅταν λάβω καλὰ νοῦν, πορφυρίδα σε περιβεβλημένον. στεφάνῳ δὲ σὸν κεχοσμῆσθαι τῶν ἄτιμον κεφαλὴν, B ἧπερ δίκα εὐσεβείας οὐκ ἐντιμον ἀλλὰ ἄτιμον τ βασίλειαν καθίσησιν. καταγελαστότερον ἢ σοῦ δὴ τεθέαται πώποτε, ὥστε σε ἐπανελθόντα ἐ ὑπερμεγέθη γεγονότα, ὅτε φαῦλοι καὶ μισόκαλοι δαίμονες εἵλκυσαν σε εἰς ὃ μὴ μόνον τὸ ὑπὲρ παντὸς φύσει φρονεῖν, ἀλλὰ καὶ εἰς θεὸν ὑπεραίρεσθαι, καὶ τ πάντων μητέρα καὶ τίθηνον ἐκκλησίαν παροξύνειν ἐπιχειρεῖς. μήνυσαι γάρ μοι χρησάμενος ποθὲ ἐμὲ τ εὐτελῆ δέκα σοι ἕκαστον τάδε λιτρὰ χρυσίου ἐξαποσταλῆναι παρ' ἐμοῦ. καὶ ἡ μὲν ὀλκὴ C τ χρυσίου οὐκ ἐξεπλήξετό μου τ διάνοιαν, καὶ μᾶλλον πολλὰ καθέσηκεν· δάκρυσι δέ με πικρῶς κατεσκεύασεν ἐπὶ τῇ τῶν ἐτῶν ταχίστῃ ἀπωλείᾳ. ἐντεθύμημαι γὰρ ὡς ἐγὼ τε καὶ ἡ σὴ καλοκαγαθία ἅμα μεμαθήκαμεν τὰ κάλλιστα γράμματα, κοινῇ ἢ διοξήλθομεν τὰς θεοπνεύστους γραφὰς, ἐλάνθανε σε ἐδὲν. ὅτι ἢ δ παρόντι ἀκοσμήτῳ καθέσηκας ὑπὸ τοιούτου φρονήματι σραλοπαιδευθεὶς. ἤδης γὰρ ῥήμασιν καὶ τ χθὲς ἐπ' ἀπωλείᾳ χρημάτων μὴ πεποιθότας. ἐ νῦν ἰδοῦ καὶ τ ἐνεγῶσαν ἐπεζήτησας παρ' ἡμῶν χιλιάδας λιτρῶν D χρυσίου ἐξαποσταλῆναι σοι. φείσασθε ἡμῶν τοίνυν θέλησον ἀναθώτατε τοσοῦτα κεκτημένων ὅσα ἂν θελήσωμεν τ σήμερον φανεῖν· δεῖ γὰρ παρ' ἡμῖν τέχνη μαγείρων. μάχαιρα ἢ τούτων ἅμαξι ἀ πεσσομιεῖ. τὰ ἢ βέλτιστα τ παρ' ἡμῶν βρωμάτων, λαχάνων φύλλα, ζὺν δέρτῳ βραχυτάτῳ, καὶ ἐξεσκότι οἴνῳ. ὥστε μὴ σκθαμβούμενα τὰ διοθηλήματα ὑπὸ γαστριμαργίας, καὶ ἐπ' ἀπλησίᾳ μὴ πολιτεύεσθαι. &c.

Basilivs Iuliano Imp.

XXVIII.

PAuca sanè sunt strenuè ac nequiter in rebus præclare gestis abs te perfecta, non tam contra nos quam in te ipsum. Equidem trepido, cum animo reuoluo purpuram tibi circumdatam, & coronam caput illud ignominiosum vinxisse, quæ sine pietate non laudabile, sed illaudatum constituant imperium. Nemo te vnquam ridiculus magis visus, quando accedentem te & in hoc fastigium prouectum nequam & infesti dæmones huc te pertraxerunt, vt non solum supra omnes mortales sapere, sed & Deus immortalis fieri tibi videaris, omniumque parentem ac nutricem Ecclesiam contumelia afficere cœperis. Petis à me, homuncione olim tibi familiari libras auri mille ad te vt mittam: quod quidem auri pondus non mihi mentem vulnerauit, sed magis constituit. Lacrymas vero acerbe comparauit celerrima horum iactura. Etenim memoria repeto nos vna bonas didicisse litteras: simul ad hæc diuinitùs inspiratam Scripturam percurrisse, nec hoc te fugit. At nunc indecorus es tali prudentia militari informatus. Petis autem nuper à nobis verbis inexplebili diuitiarum cupiditate non confisis: & nunc ecce postulasti in præsens à nobis librarum auri millia ad te mitti. Parcere itaque nobis velis, ô optime, vix tantum possidentibus, quantum hodie absumere possimus. Nullus enim nobis est coquus, & culter sanguinem non attingit. Eduliorum lautitia olerum sunt folia cum pane modico & vino flaccido ac degenere, vt non stupescant sensus nostri ob ingluuiem. *Niceph. lib. x. c. 1.*

EPISTOLÆ IV.

BASILII MAGNI

Græcè nunc primùm ex Cod. Aug. edita.

DE LITTERARVM FRVCTV.

ΦΗΣΤΩι ΚΑΙ ΜΑΓΝΩι. E

XXIX.

Πρέπει μὲν που καὶ πατράσι παίδων ἰδίων φροντίσια, καὶ γεωργοῖς φυτῶν ἢ σπερμάτων ἐπιμέλεια, καὶ διδασκάλοις μαθητῶν φροντὶς, μάλιστα ὅταν δι' εὐφυΐαν βελτίους ἐφ' ἑαυτοῖς ὑποφαίνωσι τὰς ἐλπίδας. χαίρει γὰρ πόνων καὶ γεωργός, ἀθρῳομένων αὐτῶν τ ἀσταχύων ἢ τῶν φυτῶν αὐξανομένων· εὐφραίνεται ἢ καὶ μαθητὴς διδασκάλου, καὶ παῖδες πατέρας, οἱ μὲν ποθὲ ὀρεκτὸν, οἱ ἢ ποθὲ αὔξησιν ἐπιδιδόντες. ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον μείζονα μᾶλλον ἐφ' ὑμῖν ἔχομεν τὸν φροντίσια κρείττονα δὲ τὸν ἐλπίδα, ὅσον εὐσέβεια πάσης μᾶλλον τέχνης, πάντων ἢ ζώων ὁμοῦ καὶ καρπῶν ἐστὶν ἀμείνων, ἣν ἐν ἀπαλαῖς ἔτι ἐ καθαραῖς τοῖς ὑμετέραις ψυχαῖς ῥιζωθεῖσαν ὑφ' ἡμῶν καὶ τραφεῖσαν ἰδεῖν εὐχόμεθα, καὶ ποθελθοῦσαν εἰς ἀκμὴν τελείαν, καὶ

FESTO ET MAGNO.

XXIX.

PArentes quidem suorum decet cura liberorum; & agricolas plantarum seminumque studia; magistros quoque discipulorum sollicitudo, maxime quando per ingenij dexteritatem, optimam spem de se præbent. Ipse enim agricola in laboribus, turgescentibus spicis & stirpibus nascentibus gaudet. Discipuli vero Magistros, liberique genitores suos exhilarant; hi quidem virtute, illi vero doctrina increscentes. Nos verò de vobis tanto maiorem curam habemus, meliorem vero spem, quanto pietas omni quidem arte, cunctis ad hæc animantibus, simul & fructibus præstantior existit, quam in teneris adhuc purisque vestris mentibus insitam radicitus à me, & eductam videre optamus, & in ætatem

εἰς καρπὸν ὡραῖον, συλλαμβανομένης ἡμῶν τῆς εὐχαῖς τὸ ὑμέτερον φιλομαθείας. εὖ γὰρ ἴστε καὶ τὴν ἡμετέραν εἰς ὑμᾶς εὔνοιαν, καὶ τὴν ἔνθεον συνεργίαν τῆς ὑμετέρας ἐναποκειμένας γνώμαις, ὧν πρὸς τὸ δέον εὐθυνομένων, θεός τε συνεργὸς καλούμενος παρέσεσθαι καὶ ἄπλητος, καὶ πᾶς φιλόθεος ἀνὴρ πρὸς διδασκαλίαν αὐτεπάγγελτος. ἀνίκητος γὰρ ἡ προθυμία τοῦ διδάσκειν τὰ χρήσιμον δεομένων, ὅταν αἱ τῶν μανθανόντων ψυχαὶ πάσης καθαρεύωσιν ἀντιτυπίας. οὐκοῦν δὲ τὸ σώματος κωλύει χωρισμὸς, τοὺς διημερεύσαντας ἡμᾶς διὰ ὑπερβολὴν σοφίας καὶ φιλανθρωπίας μὴ συμπεριλαβόντας τοῖς σώμασι τὴν διάνοιαν, μήτε μιᾷ τῇ γλώττῃ τῶν λόγων τὸν δυάμενον, ὅλον τε καὶ τέλειον καὶ ὅπου τοῦ χρόνου τῆς ὠφελείας δεομένοις, ὡς μὴ μόνον τοῖς μακρὰν διεσπασμένοις, ἀλλὰ δὴ καὶ τοῖς λίαν ὀψιγόνοις δυνατὸν ἐμπέμπειν δι' ὑμῶν τὴν διδασκαλίαν. καὶ τοῦτον ἡμῖν ἡ πεῖρα πιστώσεται τὸν λόγον. ἐπειπερ οἵ τε πολλοῖς πρότερον ἔτεσι γεγυμνωμένοι διδάσκουσι νέους, σωζομένης ἐν γράμμασι τὰ διδασκαλίας. ἡμεῖς τε κεχωρισμένοι τοσοῦτον τοῖς σώμασι, τῇ διανοίᾳ συνέσμεν ἀεὶ, καὶ συμπεριλαμβάνομεν ῥᾳδίως τὰ διδασκαλίας ἅτε ὑπὸ γῆς, ἅτε ὑπὸ θαλάσσης κωλυομένης, ἥτις ἐστὶν ὑμῖν τῶν ἰδίων ψυχῶν φροντίς.

perfectam maturosque fructus progredientem, vestra interim discendi cupiditate precibus votisque nostris adiuta. Optime enim & nostram in vos beneuolentiam cognouistis, Deique auxilium ingeniis vestris ineſſe, quibus ad neceſſitatem dirigendis, & Deus in auxilium vocatus, & non vocatus adeſt, omniſque Deum amans vir, ad litterarum diſciplinam per ſe propenſus eſt. Inuictum enim deſiderium eorum eſt, qui quid vtile docere poſſunt, modo diſcentium mentes omni contradicendi vitio careant. Non igitur corporis ſeiunctio impedit, quin ad excellentiam ſapientiæ & humanitatis vos effingat, mentem ipſis corporis finibus non circumſcribens, neque lingua ſermocinandi facultatem terminans; dat vero quid amplius, quam qui ex tempore prodeſſe poſſunt, cum non ſolum longo interuallo diſiunctis, ſed poſtea quoque in lucem edendis ſcientiam tranſmittere valeat. Nobiſque rei huius veritatem experimentum confirmat, quando iam ætate prouecti, iuuenes in litteris ſana doctrina inſtituunt. Nos tanto ſpatio corporibus ſeparati, animo ſemper vobiſcum ſumus, facileque de doctrina, quæ neque terra, neque mari contineri poteſt, conferimus, ſi vobis propriarum animarum cura ſit.

ΜΑΚΑΡΙΩι ΚΑΙ ΙΩΑΝΝΗι.

ΧΧΧ.

Οὔτε γεωργοὺς οἱ κατὰ γεωργίαν ξενίζουσι πόνοι, οὔτε ναύτας κατὰ θάλατταν χειμὼν ἀπροσδόκητος, οὐτε τοῖς μισθαρνοῦσι θερμὸς ἱδρὼς ἀπροσδόκητος, οὔτε μὴν τοῖς εὐσεβῶς ζῆν ἐλομένοις αἱ κατὰ τὸν ἐνεστῶτα κόσμον θλίψεις ἀμελέτητοι: ἀλλ' ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων οἰκεῖος καὶ γνώριμος τοῖς μετιοῦσι σπεύδοντι πόνος, οὐ δι' ἑαυτὸν αἱρετὸς, ἀλλὰ δι' ὑπόλαυσιν ἀγαθῶν προσδοκωμένων. ἐλπίσαι γὰρ τὰ πάντα τῶν ἀνθρώπων συνέχουσι καὶ συγκροτοῦσι βίον τὴν ἐφ' ἑκάστῳ τούτων ἀπραγμονήτην δυσκολίαν. τὸ μὲν ἐν ὑπὲρ γῆς καρπῶν, ἢ τῶν κατὰ γῆν πονέντων, οἱ μὲν πανταπασιν ἐψεύσηνται τὴν ἐλπίδων, μέχρι μόνης φαντασίας τῶν προσδοκωμένων τὴν ὑπόλαυσιν ἐχόντες· οἷς ἢ καὶ κατὰ γνώμην ἐκβεβῆκε σπεύδη τὸ τέλος, δευτέρας ἐδέησε πάλιν ἐλπίδος, ἀπαραμύθητος καὶ μαρανθείσης ταχὺ τῆς προτέρας. μόνοις ἢ τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας καμοῦσιν ἀψευδὴς παρηφάνισε τὰς ἐλπίδας, ἀ τέλος ἐλυμήνατο οὐδ' ἄθλους, βεβαίας καὶ μονίμου διαδεχομένης τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείας. μὴ τοίνυν ὑμᾶς τεραστιέτω διαβολὴ ψευδὴς, μηδὲ φοβείτω τὰ κραδαίνοντα ἀπειλὴ, μὴ γέλως λυπείτω καὶ ὕβρις τὰ γνωρίμων, μηδὲ καταγνώσεις ἀπὸ τὰ κήδους προσποιουμένων, ἰσχυρότατον πρὸς ἀπάτην δέλεαρ προσβαλλομένων διανοίσεως προσποίησιν, ἕως ἂν ὁ τῆς ἀληθείας ἡμῖν συναγωνιζόμενος λόγος. συνμαχείσθω ἢ τοῖς πᾶσι λογισμὸς ὀρθὸς, σύμμαχον διδασκαλῶν γνήσιον καὶ βοηθὸν αὐτὸν τὸ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλον τὸν κύριον ἡμῶν Ιησοῦν, δι' ὃν καὶ τὸ καλοπαθεῖν ἡδὺ, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος.

BASILIVS, MACARIO, ET IOANNI.

XXX.

NEque agricolis noui ſunt agriculturæ labores, neque naucleris inexſpectata pelagi tempeſtas, neque operis mercede conductis æſtiuus ſudor nec-opinantibus accidit. neque profecto iis etiam inexſpectatæ huius mundi ſuperueniunt afflictiones, qui pium ſibi viuendi inſtitutum delegerunt, at vnicuique ſupradictorum notus labor etiam cupientibus accedit: non quia per ſe, ſed propter vſum bonorum quæ exſpectantur, expetendus. Spes ſiquidem humanam & alit, & fouet vitam, & cuique difficultatem reddit leuiorem. Terrenorum igitur fructuum, eorumue qui terram colunt, quique ex omni parte ſpe toties falſi ſunt, ſolo mentis diſcurſu acquirendarum rerum delectationem continentes: quibus vero etiam ex animi ſententia finem tranſcendere contigit, altera iterum ſpe opus fuit præterlabente ſtatim & marceſcente priori exſpectatione. Iis vero ſolis qui in pietate acquirenda piam induſtriam collocant ſpes errore nunquam eluſa eſt, neque finis conatum labefactauit, ſtabili firmoque cœlorum regno ſuccedente. Non igitur vos terreat mendacij calumnia, neque potentium minæ conturbent, neque riſus notorumue procacitas mœrore afficiat, neque damnatio eorum qui triſtitiam ſimulant, valentiſſimam ad fallendum illecebram obiicientes adhortationis eſcam; donec veritatis verbum vobiſcum pugnet. Omnibus propugnet recta ratio, belli ſocium aduocans & adiutorem ipſum pietatis magiſtrum Dominum noſtrum IESVM, pro quo affligi ſuaue, & mori lucrum. *Phil. 1. 21.*

BASI-

A

Θ Ε Κ Λ Η.

X X X I.

Τὸ παριππεῦσαν ἔτος κρυμὸς γέγονε τῇ πατρίδι βαρὺς, καὶ τὰς βλεφαρίδας τῶν ἀμπέλων τὰς ἤδη πρὸς ὠδῖνας λυομένας ἀνέκοψεν· αἱ δὲ ἀτόμειναν στεῖραι, αὐχμηρὰς καὶ ἀδρόχους τὰς φιάλας ἡμῶν ἐξειργάσαντο. Τί δή ποτ' ἂν σοι τῶν τῶν φυτῶν ἀκαρπίαν ἐκτραγωδήσαι πρὸς ἡμᾶς; ἵνα γλυκὴ ἡμῖν, κατὰ τὸν Σολομῶντα, καὶ αὐτὴ ἄμπελος κυπρίζουσα, καὶ κατάκαρπος κλήματις· οὐ βότρυας ἐξανθήσασι, ἀλλὰ τῶν βοτρύων ἐκθλίψασι τοῖς διψῶσι τὸν ὁρόσον. Τίνες δ' εἰσὶν οἱ διψῶντες; οἱ τὸ βέβολον τὸ σωδὸν τειχίζοντες. τούτοις ὀρεινῷ μεθύσμαλι ποτίζειν οὐκ ἔχων ἐγὼ, ἐπὶ τὸν πολυκάρφυλλόν σου κεχώρηκα δεξιὰν· ἵν' ἡμῖν ἐκ ποταμίας ποταμηδὸν τὰς σὰς κελεύσῃς ἐπιῤῥεῦσαι κρηνάς. τοῦτο γὰρ τάχος ποιήσασα, πολλῶν μὲν σώματα ξηρὰ θεραπεύσεις, εὐφρανεῖς δὲ πρῶτον ὡς ἔνι μάλιστα καὶ τὸν ἀττικιστὴν ἐπαινέτην ἐμέ.

BASILIVS THECLÆ.

X X X I.

FRigus anni præteriti huic patriæ molestè accidit, & vinearum gemmas paulo ante ad fœtus educendos solutas proscidit, quæ steriles omnino manentes, siccas arentesque phialas nostras reddiderunt. Sed cur tibi plantarum calamitatem Tragicis prope verbis insinuauimus? vt fiat nobis secundum Salomonem; Et ipsa vinea germinans frugiferaque vitis, non racemo effloresens, sed sitientibus racemorum succum exprimens. Quinam vero hi sitientes sunt? qui munimen statuunt conuentus. Istos ego montano liquore reficere non possum, ad vitiferam tuam dexteram recurro, vt nobis è flumine torrentis in morem scaturigines tuas promanare iubeas. Istud enim celeriter perficiens arentia multorum ora curabis, primum vero quantum fieri potest, me Atticum res tuas laudantem exhilarabis. *Cant. 2. 13.*

B C

ΑΝΤΙΠΑΤΡΩι ΗΓΕΜΟΝΙ.

X X X I I.

D

Ὡς καλὴ ἡ φιλοσοφία, τά τε ἄλλα, καὶ ὅτι ἀσθενῆ ἰατρεύεσθαι πολυτελῶς τοῖς τροφίμοις αὐτῆς ἐπιτρέπει, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ τὸ ὄψον ἐστὶ παρ' αὐτῇ, καὶ πρὸς ὑγίειαν ὀρκεῖ· τὰς γάρ τοι ὀρέξεις ἀποκαμούσας ὡς ἐπυθόμην, κράμβαις ἐν ὄξει παρεχθεῖσαις ἀνεκαλέσω· ἃς ἐγὼ πρότερον μὲν ἐδυσχέραινον καὶ διὰ τὴν παροιμίαν, καὶ ὅτι ὑπόμνημα ἦσαν τῆς σωτηρίας πενίας. νῦν δέ μοι δοκῶ καὶ ἐμαυτὸν μετατεθεῖσθαι, καὶ τὴν παροιμίας καταγελάσεσθαι, ὁρῶν αὐτὴν ὅτως ἀγαθὴν κηροτρόφον, ἣ τὸν ἄρχοντα ἡμῶν εἰς ἀκμὴν ἐπανήγαγε· καὶ οὐδὲν εἶναι δοκῶ λοιπὸν κατ' αὐτὴν ἡγήσομαι, οὐχ ὅπως τὸν Ὁμηρικὸν λωτὸν, ἀλλ' οὐδὲ τὴν ἀμβροσίαν ἐκείνην, ἣ τίς ποτ' ἄρα ἦν, ἣ τοὺς ὀλυμπίους χορταζούσα.

E

ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΙΩι.

X X X I I I.

F

Διὰ κράμβη θάνατος, ἡ Βάσκανός φησι παροιμία. ἐγὼ δὲ πολλάκις αἰτήσας, ἅπαξ ἀποθανεῖμαι· πάντως ἢ καὶ μὴ αἰτήσας. εἰ ἢ πάντως· μὴ κατόκνει ἐσθίειν ὄψον ἡδὺ, μάτην τὸ παροιμίας λοιδορηθέν.

ANTIPATER BASILIO.

X X X I I I.

BIs crambe mors est, vt odiosum ait Prouerbium, ego vero sæpius reposcens semel morior: omnino vero & non reposcens: imo vero omnino, dulce edulium mandere ne grauetur, frustra vetere reprehensum Prouerbio.

BASILIVS *Andronico Præsidi.*

XXXIV.

QVod si corpore ita valuissem, vt itineris facile potuissem perferre labores, & hyemis tolerare molestias, vtique non scripsissem: sed ipse ad magnanimitatem tuam veniissem, idque duplici nomine. Primum, vt quod olim pollicitus sum præstarem. Noui enim me aliquando Sebastiam venturum, atque illic integritate tua potiturum recepisse: quod quidem feci: verum præsentiam tuam non sum assequutus: propterea quod paulo post probitatem tuam inuisi. Alterius vero legationem & causam per meipsum exequi volui, quem hactenus detrectaueram, tanti me non faciens qui talem mihi conciliarem gratiam. Cogitaui simul, quod neque principi, neque idiotæ quisquam quacumque in re ita per literas fidem facere poterit, atque si ipse coram compareat, vt partim si quid criminis intentatum sit diluere, partim supplicando flectere, & præterea si opus sit veniam petere valeat, quorum sane nihil per literas facile fieri poterit. His omnibus te vnum, diuinum caput, habens quod opponam, & quod tibi satis esse credidi, si nostram hac in re sententiam declarauero, putans quæ reliqua sunt teipsum adiecturum vltro, causam hanc non detrectaui. At ipse vides quomodo vndique moras nectendo cuncter, ac verear causam eorum pro quibus intercedo clare proloqui. Domitianus iste necessarius noster est iam inde à genitoribus, ita vt plane nihil differat à fratre. Quamobrem enim quod verum est non dicam? Hunc, vbi causam cognoui, ob quam ista perpessus est, dignum esse dixi, qui ad hunc modum afficiatur. Neque enim esse licet quenquam, qui si vel parum vel multum in te peccarit, supplicium effugiat. Verum, posteaquam vidimus in metu & ignominia agentem, salutemque ipsius in tua sententia constitutam, satis illum pœnæ dedisse iudicauimus, simulque obsecramus vt & liberaliter & humaniter de illo cogites. Quod enim * immorigeros ac rebelles coërces, dextri ac vere principis, prostratos vero clementer ac benigne suscipere, magnificentia pariter & clementia quosuis superantis est. Itaque licebit tibi si voles in eodem homine pro animi sententia declarare qua sis cum ad vlciscendum tum ad seruandum magnanimitate præditus. Petimus igitur, vt ista supplicij mensura, in castigando Domitiano satis sit: nempe metus eorum quæ expectat: & vt iis quæ meritum ipse se optime nouit, nihil ad vlciscendum addatur. Illud namque tibi animaduertendum fuerit, quod de iis qui deliquerant, multi quidem eorum qui ante nos vixerunt, supplicium sumpserunt, quorum iam apud posteros nulla prorsus est ratio. Qui vero in philosophia quam plurimos excelluere, animi indignationem remiserunt, quorum immortalis memoria per omnia secula durat. Addatur igitur & hoc præconiis tuis. Largire nobis nomen tuum celebrare cupientibus, vt humanitatis tuæ encomia hactenus dedicata, nouis istis superemus. Ad hunc modum & Crœsus pueri occisori vltionem remisisse dicitur, cum is vltro seipsum ad supplicium sisteret, & magnus ille Cyrus amicus esse Crœso post victoriam factus. Istis te adnumerabimus, & pro viribus hæc de te prædicabimus, nisi impares omnino iudicemur, qui tanti viri præcones simus. Hoc autem ante omnia necessarium est vt dicam, quod eos qui quacunque in re deliquerunt, non eorum gratia quæ commissa iam sunt (nequit enim fieri vt facta quę sunt, facta non sint) sed magis ob eam rationem punimus, vt vel ipsi deinceps emendentur, vel reliquis vt sapiant, exemplo suo seruiant. Horum vero neutro impręsentiarum isti necessarium esse dici potest. Nam & ipse horum quæ patitur post mortem quoque memor erit, & reliquos formidine iam quam ex huius exemplo concipiunt, emori puto. Itaque quicquid isti supplicio adiecerimus, irati animi nostri affectum explere videbimur, quod procul abesse, vt de te vere dici possit, ego certe dixerim. Et sane haud facile adductus fuissem, vt istis rationibus quicquam dicendo præferrem, nisi plus gratiæ danti quam accipientibus inesse vidissem. Neque enim paucis conspicua & illustris erit ingenij tui liberalitas. Nam vniuersa Cappadocia quid futurum sit obseruat, cui hoc precor, vt reliquis tuis dotibus quas habes, etiam istam liberalitatem & animi magnificentiam connumerare valeat. Hæsito, quomodo literas has finiam, veritus, ne non, si quid omisero damni quicquam sit laturum. Tantum hoc adiungam, quod cum hic noster multorum habeat Epistolas, qui supplicio exemptum cupiunt, nostram tamen omnibus præstantiorem arbitratus est vnde is didicerit, nescio, aliquam apud integritatem tuam nostri iniri rationem. Itaque ne & ipse concepta spe fraudetur quam de nobis habet, & vt nobis occasio sit honoris apud nostros, patere, vt exoreris tandem mi Domine præcellens & eximie, vt petitioni nostræ annuas. Omnino autem nihilo deterius, quam qui vnquam philosophati sunt, res humanas consideraueris. Et nostri quam bonus sit thesaurus omnibus iis qui operam suam egentibus ac supplicantibus impendunt, iam olim reconditus.

Iustitiam Laudat, sed quæ clementia temperetur.

τοὺς ἀνιθέντας ὑποχείρια λαμβάνειν.

Iniuriarũ remissio immortalis famæ est.

Ab exemplo Crœsi.

BASILIVS *Eustathio Philosopho.*

XXXV.

CVm iam defatigatus essem crebris illis offensaculis & incursionibus fortunæ, quam vocant, à qua perpetuo ne præsentia tua frui liceat, impeditus sum, mirum in modum me sacris recreasti consolatusque es scripturis. Etenim nescio quo pacto mecum ipse reputabam, num veri aliquid haberet, quod à multis iactatur, videlicet, quod fatalis quædam sit necessitas, quæ res nostras quaslibet seu modici sint, seu magni momenti, vi sua impellat & agat, ita vt nos homines nulla simus arbitrij libertate præditi. Aut, si hoc non sit, esse quanquam fortunam, quæ omnino vitam humanam infectetur. Et istis meis cogitationibus facilè ignosces, vbi cognoueris, quibus de causis in illas inductus sim. Reliqueram Athenas philosophiæ tuę celebritate permotus, contemptis, quæ illic magni æstimantur. Ciuitate ea quæ est ad Hellespontum, maiore cautione præterita quam vllus vnquam Vlysses * Sirenum cantus declinauit. Asiam quidem admirabar: ad Metropolim vero, bonorum eorum, quæ in illa sunt, gratia, properabam. Ad patriam cum veniissem, ibique te, quem vt ingens lucrum quærebam, non inueniissem, ex eo mihi deinceps multæ sunt & variæ obortæ remoræ. Aut enim omnino confecto corpore ægrotandum, adeoque & deficiendum erat, aut Orientem petenti impossibile futurum, vt tibi itineris comes esse possem. Vbi vero sero tandem multis laboribus Syriam veniissem, fieri non posse, vt Philosopho potirer, ad Ægyptios profecto. Itaque vltra prolixo & molesto itinere petendam Ægyptum, & tum ne hic quidem voti compotem futurum, verum adeo infelici amore præditus eram, vt vel ad Persas eundum, vnaque proficiscendum mihi fuerit, etiam ad extremos vsque barbaros (nam & ad illos abieras, tanta erat contentio aduersæ fortunæ) aut hic residendum, vel certè in ea quæ est Alexandri, id quod & contigit. Puto namque mihi, nisi instar pecudis ostensum ramusculum frustra sectantis, tandem defatigatus defecisse, extremum Indicum sinum superandum: aut si quisquam est orbis nostri extremus locus, & in illo oberrandum fuisse. Et quid opus est multis? Imo ne iam quidem, postremo cum in eadem sis regione vna esse licuit, propter prolixas ægrotationes quibus confectus sum, quæ nisi mitiores posthac reddantur, neque ad futuram hyemem prudentiam tuam conuenire poterimus. Ista non sunt ex fato? dicas quæso, non sunt necessitatis? ista non & poëtarum prope de Tantalo fabulas superarunt? Ast, vt dixi, melius sentio ex scripturis, & iam non sum amplius in illa fati ac fortunæ sententia, sed magis dico, danti Deo quod bonum est, gratias esse agendas: differenti vero, non succensendum. Itaque si largietur nobis, vt conuenire liceat, optimum ac iucundissimum putabimus: si vero hoc nondum largietur, placido animo hoc damni feremus. Nam omnino prouidentia sua res nostras multo dispensat melius quàm nos optare poterimus.

Caue, suspiceris Basil. negare libertatem arbitrij, quam tot aliis locis astruxit.

σειρήνων μέλη.

τοσαύτη τις ἄνυδρία καὶ ἀφιλοξενία τοῦ δαίμονος. Simile.

Purgat se ab ea suspicione.

Prouidẽtia substernit omnia.

BASILIVS

BASILIVS Diodoro.

De libris, & dialogis.

XXXVI.

ACcepi libros, quos R. T. miſit, & altero quidem ſummopere delectatus ſum, non ſolum propter illius breuitatem, vt par erat vſuenire ei, qui iam ad omnia ſegniter & ægrè affectus eſt, ſed & propterea quod denſus eſt ſimul, & refertus ſententijs, ac † contrariorum obiectiones & reſponſiones illis ſubiectas, haud confuſè ſed *recto ordine digeſtas habet. Et præterea dictionis inaffectata & incompoſita *ſimplicitas, decora mihi videbatur & conueniens profeſſioni Chriſtiani hominis, cuius eſt non ad oſtentationem magis ſcribere quàm ad publicam vtilitatem. Prius vero volumen eandem quidem in rebus facultatem habens, dictione vero inſtructiore & figuris dicendi varijs ac dialogica feſtiuitate ornatius, multum mihi videbatur cum temporis ad perlegendum, tum laboris ad intelligendum poſcere, ad hoc, vt ſenſus & colligantur, & memoriæ mandentur. Calumniæ namque aduerſariorum & conſenſiones noſtrorum interſertæ, licet Dialecticam quandam ſuauitatem commentario adferre videantur, eo tamen quod tantum generant morarum, mentis intentionem confundunt ac conuellunt, & ſermonis quoque ſtrenui vigorem remiſſum reddunt. Illud enim omnino prudentiæ tuæ notum eſt, quod & inter externæ Philoſophiæ profeſſores, qui dialogos * conſcripſere, Ariſtoteles quidem & Theophraſtus mox rectam tractationem rerum aggreſſi ſunt, quod ſibi conſcij eſſent penurię cuiuſdam dicendi, deſtituti copia & ſuauitate Platonica. Plato vero ſermonis facultate præditus, dogmatis quidem decertat, ſimul vero inductas perſonas Comico more perſtringit. In *Thraſymacho* audaciam ac temeritatem, in *Hippia* animum lenem ac remiſſum, in *Protagora* arrogantiam ac faſtum traducens. Vbi vero indefinitas perſonas dialogis ſuis inducit, interloquutoribus vtitur, diſtinctionis gratia. Ex perſonis vero nihil præterea argumentis quæ tractat annectit, quod in Legibus fecit. Quapropter & nobis, qui non inanis gloriæ gratia, ſed ob id ad ſcribendum accingimur, vt fratribus vtilium ac ſalubrium ſermonum monimenta relinquamus, ſi perſonam quandam, quæ propter morum peruicaciam omnibus iam antea & nota ſit & proclamata induxerimus, & de qualitate illius ſermoni quædam ſunt attexenda, ſiquidem omnino nobis, relictis ipſis rebus tales perſtringere homines conuenit. Si vero indefinitum ſit de quo loquimur, contentiones illę perſonales connexionem quidem ſermonis interrumpunt, nihil vero vtilitatis tandem adferunt. Iſta ſcribo, vt declaretur, quàm non in adulatoris manum labores tuos miſeris, ſed fratri germaniſſimo communicaueris. Et hæc quidem dixi, non ad correctionem eorum quæ ſcripta ſunt, ſed ad cuſtodiam & cautionem futurorum. Prorſus enim qui tantum habitus & ſtudij ad ſcribendum impendit, & in poſterum non deſinet ſcribere; quandoquidem nec illi deſinunt, qui argumenta ſcribendi exhibeant. Nobis verò ſuffecerit quidem vt quę vos ſcribitis legamus. Vt autem ſcribere poſſimus, non minus ea in re impares ſumus, quam prope dixerim, in ipſa corporis valetudine, aut in eo, vt vel mediocriter ocium ab occupationibus agere liceat. Remiſi tibi iam per lectorem maius ac primum volumen, quod quantum licuit percurri: alterum vero detinui, curare cupiens vt tranſcriberetur, verum nondum datus eſt quiſquam eorum qui ſcribendi facultate valent. In tantam enim rerum penuriam abijt parca Cappadocum egeſtas.

† τὰς ἀντιθέσεις.

*λυκρινῶς. *Chriſtiana oratio qualis.*

Attẽde quæ in Dialogiſmis requirat Baſil.

**Vide Sigoniũ de Dialogis. Platonis Dialogi.*

Plato in 12. legũ libris.

Perſtringẽde perſona quarũ deplorata eſt malitia.

BASILIVS *Eunomio.*

XXXVII.

QVi ea quæ ſunt, ſcrutatu facilia eſſe dicit, omnino viam quandam ac rationem ex eorum quę ſunt cognitione, mente ſua complexus eſt, & in ijs quæ comprehenſibilia ſunt & minutiora exercitatus, per huiuſmodi cogni-

Aduerſus hunc Eunomiũ hæreticum exſtant S. Baſilij eiuſq; fratris Gregorij Nyſſ. Epiſc. Apologiæ de Spiritu ſancto.

A tionem & incomprehenſibilem phantaſiam vltra omnem cogitationem promouit. Itaque qui ſe Exiſtentium ſcientiam aſſecutum eſſe gloriatur, exponat nobis quomodo quod minimum eſt eorum quæ in lucem prodierunt, natura habeat, & quæ Formicæ ſit natura, dicat, An ſpiritu vel anhelitu vita ipſius contineatur; an corpus habeat oſſium diſtinctione concinnatum ac diſcretum. Neruiſne ac nodulis coniuncturarum roborata ſit. An muſculorum & glandularum complexu neruorum natura vndiquaque conſeruetur. An è ſyncipite per dorſuales nodos ad caudam vſque medulla prorogetur. Vtrum ex neruoſæ pelliculæ complexione motis membris ſit progrediendi facultas. Habeatne hepar, an ſub hepate ſit flauæ bilis folliculus, vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata. Nudane ſit vel crinita. An *vnius tantum generis aut multifariis vtatur pedibus. Quandiu viuat. Et quæ ſit illis propagandæ poſteritatis ratio. Quotuplo fœtu dum generat fœcundetur. Et quomodo nec pedeſtres omnes ſint formicæ, nec alatæ omnes, ſed aliæ humi repant, aliæ vero per aëra volitent. Dicat itaque formicarum nobis naturam, qui eorum quę in natura ſunt, ſcientiam cum faſtu ſe prædicat aſſecutum, atque ita demum de potentia illa omnem intellectum ſuperante diſputet. Si vero ſcientia minutiſſimæ formicæ nondum es aſſecutus naturam, quomodo incomprehenſibilem Dei potentiam imaginatione C tua comprehenſam eſſe gloriaris?

Eunomij intolerabilem arrogantiã. ad infirma reuocat. De formica

χολιδόχου ἀγγεῖον.

**Vniunguibus.*

Δῆγμα in Eunomij temeritatem.

BASILIVS *Olympio.*

XXXVIII.

QVænam ô mihi ſuſpiciende iſthæc ſunt, quæ facit? Tun' paupertatem quam ſic amanter complector, vtpote philoſophiæ altricem abuſque finibus ſuis exiges, profligabis, depelles? Crediderim equidem te peragi poſſe reum, qui hanc poſſeſſione ſua excluſeris, dum te ab eiuſdem congreſſu ſubmoues ac proripis longiſſime, ſi modo huic adeſſet ſermonis patrocinium. diceret enim: Vt quid iſti viro cohabitare volui, nunc Zenonem laudanti, qui cum in naufragio omnia abiiceret, nihil non virile loquebatur, ſed euge dicebat ô fortuna, coniicis nos in veſtem attritam ac laceram, nunc vero Cleanthen, qui mercenariam operam ſuam locauit hauriendis fontibus, vnde & ipſe ſibi victum comparabat, & mercedem præceptoribus reddebat. Quin & Diogenem nunquam non celebranti, qui iis rebus tantum viuere ac contentus eſſe conatus eſt, quæ eſſent ex ipſa natura, ita vt & paſtorale poculum abiecerit, cum à puero quodam concauis manibus deflexo capite bibere didiciſſet. De iſtis ac talibus te domeſtica noſtra paupertas incuſare poſſet, munificentia tua nunc domo excluſa. Adiiciet autem & nonnihil minarum, quod ſi te denuo hic prehendero, efficiam vt priora Siculas aut Italicas delicias fuiſſe dicas, atque ita per meipſam probe vltionem de te mihi ſumam. At de iſtis hactenus. Gauiſus ſum autem vbi audiui te iam medendi finem aſſequutum, & opto, vt profit medicina. Conuenit enim ſacræ illi animæ tuæ corporis obſequium quod alacre ſit ac nihil habens moleſtiæ.

Argumenta congerit, ab exemplo.

χισσύβιον.

Eidem. XXXIX.

ET literas R. T. aſſequutus, meipſo factus ſum hilarior & alacrior, & filiorum tuorum nactus colloquium, teipſum coram videre viſus ſum. Illi animum meum admodum afflictum ita recrearunt & affecerunt, vt oblitus ſim veneni illius, quod * coniectores apud vos & ſomniorum caupones in gratiam eorum quibus veluti ſtipendio accepto obnoxij ſunt, aduerſum nos circumferunt. Epiſtolas, alias quidem miſi, alias vero tandem, ſi voles, dabimus, modo ſit aliqua illarum vtilitas accipientibus.

*ὀνειροπόλοι καὶ ὀνειροκάπηλοι.

Eidem.

Eidem. XL.

PRimum nobis pauca scripsisti, nunc vero ne pauca quidem, & visa est breuiloquentia illa temporis progressu omnino mutata facta. Redi igitur ad institutum. Deinceps enim non incusabimus amplius Laconicè ad nos scribentem, sed & modicas literas symbola existentes magnifici tui affectus plurimi faciemus, modo scribas nobis.

Eidem. XLI.

Collatio.

QVemadmodum maturitas rerum ita habet, vt quęque suis temporibus colligantur, *vere flores, æstate spicæ, autumno poma*, ita & hyemis fructus sunt Literæ.

Litterariæ studia senectutẽ oblectant, peregrinantur, &c. Cicero

Candidiano. XLII.

CVm epistolam tuam in manus sumerem, auditu dignum quid contigit. Illius suffugiebam & subuerebar lectionem tanquam adferentis aliquid publici mandati, atque interea dum eam resignabam, ceramue resoluerem, aspicere non audebam, plus illam reueritus, quàm nullus Spartanus reus Scytalem Laconicam. Vbi vero illam resignaueram, & iam singula perlegeram, in risum soluebar, cum præ gaudio quod nihil quod recentioris esset notæ gestum audiebam, tum quòd tua conferebam cum ijs quæ Demosthenj acciderunt, quòd ille quidem cum paucis quibusdam choreutis & tibicinibus constitutus esset choregus, noluerit amplius Demosthenes, sed choregus vocari, tu vero idem ipse & choregus es & non es: Choregus pluribus militum myriadibus, quam ille viris necessaria suppeditauerit, quique nobis non pro dignitatis forma quam geris, sed consueto more scribis, & de disciplinarum studio nihil remittis: sed instar Platonis in negotiorum tempestate ac fluctibus, ad firmum ac tutum munimentum confugis, ne vlla perturbatione animi tui tranquillitas disturbetur. Imo neque alios, quoad poteris, perturbari sinis. Et res tuæ quidem tales sunt, magnæ & admirandæ ijs qui eas cognoscere possunt. Et rursus admirandæ non sunt, si quis illas ad instituti ac sententiæ tuæ propositum contulerit. Audi vero & nostra, quæ præter quidem nostram expectationem, sed merito, nobis accidunt. Morosus quidam & agrestis homo, ex illis qui in Annesis habitatione nobis coniuncti sunt, mortuo famulo meo, cum quo sibi nonnihil fuisse controuersiæ dicit, me non interpellato, præter omnem præmissam accusationem, imò etiam petitionem vt quicquam à voluntario cum vieret, acciperet, citra vllas etiam violentæ coactionis minas si non accipiat debitum, ex insperato quibusdam paris audaciæ complicibus adiutus, in ædes nostras irruit, mulierculas domus custodes percutiendo attriuit, fores domus effregit, omnia exportauit, alia ipse sibi sumens, alia quorumlibet rapinæ exponens. Itaque ne nos omnium imbecillium extremi simus, & nemini non ad opprimendum apti & expositi videamur officij sedulitatem quam erga nos hactenus declarasti in omnibus negotijs, vt & nunc impendas, exorari te sinas obsecro. Nam in hoc solo nobis vitæ tranquillitas seruabitur, si tribunali tuo coniuncti & commendati fuerimus. Sufficiet autem nobis ea vindictæ mensura, vt per carceralis custodiæ præfectum siue lictorem captus breui tempore in carcere detineatur. Etenim non solum illa quæ ab ipso perpessi sumus ægrè ferimus, sed & securitate deinceps opus habemus.

σκυτάλη tabella criminalis.

χορεύται quichorum conficiunt.

χορηγὸς choreæ princeps.

Basilius Firmino. XLIII.

LIteræ tuæ ad nos, & raræ sunt, & præterea breues: siue propter scribendi desidiam, siue quod ita institueris cauere, ne illarum multitudine mihi satietatem incutias, aut certe quod ad breuiloquentiam teipsum assuefeceris. Nobis sane nullæ literæ satietatem adferunt. Sed etiam si nos multitudine illarum adobruas, desiderio tamen nostro haud satisfacies: propterea quod prorsus de singulis rebus tuis edoceri cupio, quomodo valeas corpore, quomodo in pietatis exercitio promoueas, an perdures in iis quæ ab initio didicisti: siue quicquam eorum mutaueris animi sententia, ad ea quæ coincidunt, transfata. Quod si constanter adhuc tibi similis es, literarum multitudinem haud exegerimus, sed sufficerit nobis si tantundem scribas. Firminus Basilio. Bona nos esse valetudine scias. Vale. Quoniam vero audimus, quæ & dicere erubescimus, quod relicto bonæ memoriæ progenitorum instituto & proposito, ad auum paternum transfugeris, ac Bretannius pro Firmino fieri studeas, requirimus hæc ipsa ab te audire & cognoscere, quibus rationibus, vt hanc viam ingredi volueris, inductus sis. Verum quoniam ipse de his rebus obticuisti pudore instituti tui cohibitus, nos te admonemus, ne velis ea meditari, quæ turpitudini sint obnoxia, & si quid horum mentem tuam subiit, reiecto illo, tibi ipsi restituare, ac militia ista, & armis, & exercitus molestiis æternum valere iussis, ad patriam reuertare, satis ad vitæ securitatem & splendorem fore ratus, si ex æquo ciuitate illa cum progenitoribus potiare, id quod absque vlla molestia tibi successurum credimus, respicientes cum ad commoditatem eam quam ex fide habes, tum ad hoc, quod neminem habebis qui reluctetur. Siue igitur hic animus tibi ab initio non fuit, siue cum fuerit iterum excidit, significa nobis propere. Si vero, quod absit, eadem tibi instituti consilia manent, ipsa nobis istud nuntiet calamitas, literas vero non requiremus.

ὁ δεῖνα τῷ κεῖνι, λακὼνισμὸς.

Iulitæ liberæ. XLIV.

ARs quædam est aucupandi columbas, videlicet talis: Vbi vnam ceperunt, qui capiendis illis studeant, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum assuefaciunt. Deinde vnguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus: illa vero per vnguenti fragrantiam, agrestem illum ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert eius, cuius ipsa est domestica. Bene olentes namque sequuntur & reliquæ, atque ita in potestatem columbarij veniunt. Quamobrem vero literarum istarum istud exordium esse volui? Quoniam Dionysium filium, aliquando Diomedem, nactus, diuino vnguento animæ illius alas perunxi, & ad honestatis tuæ grauitatem misi, vt & teipsam illi iungeres, & ad nidum acciperes, quem ipse apud nos compegit. Quod si ista in vita mea fieri, & istam honestatis tuę grauitatem ad sublimem hanc vitam transferri videro, multis personis Deo dignis, opus habeo, vt debitas illi gratias agam.

ἀλληγωρικῶς.

Anepigraphos epistola nullius inscripta nomine. XLV.

QVod te diligam, ex eo quod scribo disce. Quod tu me odio persequare, ex eo quod taces cognoui. Scribe vel deinceps, calamo, atramento & charta quamlibet breui, eos qui te diligunt diligens.

AMPLIS-

AMPLISSIMO CARDINALI

PHILIPPO BON-COMPAGNIO,

FLAMINIVS NOBILIVS

S. D.

SI veterum & clarorum virorum minuta etiam ſigilla, ac numiſmata ab eruditis hominibus laudabiliter colliguntur, & oblata magnis principibus gratum munus accidunt, profecto neq; ij reprehendendi, opinor, ſunt, qui ſanctiſſimorum Patrum, quibus Sancta Dei Eccleſia doctoribus vtitur, exigua etiam monumenta ſummi illorum ingenij, ac cœleſtis planè doctrinæ imaginem exprimentia ſedulo indagant, & colligunt: quinimo ſperare non iniuria poſſint, fore, vt Chriſtianæ Reip. principes ſibi donata non aſpernentur. Quamobrem cum Cardinalis Sirletus vir non minus probitate, ac ſcientiæ copia, quam iſto altiſſimo honoris gradu clariſſimus, ex codice manuſcripto duas D. BASILII Epiſtolas deſcribendi poteſtatem mihi feciſſet, agnoui optimæ notæ aurum, & artis politiſſimæ opus. Sunt enim à Sanctiſſimo & doctiſſimo illo patre ad duos quaſi hominum conuentus ſcriptæ nonnihil in cauſis Eccleſiaſticis diſſidentes, quos ita conciliare inter ſe ſtudet, vt in præcipuis tamen dogmatis, id eſt in iis, quæ ab Eccleſia ſunt definita, aut ex ſacra ſcriptura manifeſto deducuntur, concordes eſſe velit. Itaque optimam hæ, niſi fallor, Epiſtolæ diſſenſionum ſedandarum rationem docent. Quinetiam, cum præter ea, quę in Symbolo Nicææ conſtituto ſancita ſunt, quædam alia exprimi vult, ſatis oſtendit hoc multo magis Eccleſiæ Latinæ licuiſſe: qua de re in Ferrarienſi Concilio diu eſt diſputatum. Quamobrem & iſtas ego Epiſtolas egregie charas habui, Latinaſque ſtatim feci, & nunc vt facilius breuitatem ſuam ab iniuria temporum tuerentur, nonnullis D. Joannis Chryſoſtomi aureis ſcriptis coniunctas ad Amplitudinem tuam defero, vt eas à te cæteri habeant. Quod quidem meę erga virtutem, atque humanitatem tuam obſeruantię ſpecimen alia fortaſſe aliquando, ſi non meliora (id enim fieri vix poteſt) at certe operoſiora conſequentur. Vale.

BASILIVS PRESBYTERIS TARSENSIBVS.

POSTQVAM cum veſtro homine ſum congreſſus, magnas habui Deo ſancto gratias, qui me & illius præſentia in magnis meis angorib. conſolatus eſt, & veſtram charitatem per ipſum perſpicue oſtendit. Nam veſtrum fere omnium erga veritatem zelum ex vnius hominis inſtituto cognoui. Quæ igitur priuatim inter nos loquuti ſumus, ea ipſe ad vos deferet. Quæ autem ex me charitatem veſtram cognoſcere par eſt, hæc ſunt. Magna eſt inclinatio temporis ad Eccleſiarum euerſionem. Atque id iam diu quidem eſt, cum intelleximus. Ædificatio autem Eccleſiæ, erratorum correctio, erga fratres, ſi infirmiores ſint, conſenſus quidam humanitatis plenus, ſin recte valeant, propugnatio ipſorum ſalutis, plane nulla, ac ne præſidium quidem, quod aut præſentem morbum curare queat, aut impendentem propulſare. Omninoque ſimilis iam eſt Eccleſiæ ſtatus (vt ſimilitudine vtar, quamuis vilior videri poſſit, euidenti tamen) veteri veſtimento, quod vel leui de cauſa facile diſcinditur, priſtinam vero ſoliditatem recuperare nullo pacto poteſt. Igitur, in tali tempore, magnum ſtudium, magnaque diligentia opus eſt in quibuſdam eccleſiis iuuandis: iuuabuntur autem, ſi quæ nunc diuulſa ſunt, coniungentur: coniungentur, ſi quibus in rebus nullum animabus detrimentum afferimus, voluerimus nos infirmioribus accommodare, & obſequi. Quoniam igitur multorum ora ſeſe aduerſus Spiritum ſanctum aperuerunt, multorumque linguæ ad iaciendas in illum blaſphemias ſe acuerunt, optimum factu eſſe ducimus, vt quantum in vobis eſt, blaſphemorum numerum minuatis, & ad paucos redigatis: atque eos, qui Spiritum ſanctum creaturam eſſe negant, in communionem recipiatis, vt ſoli relinquantur blaſphemi, atque ita vel pudore ad veritatem adducantur, vel ſi in peccato maneant, ob paucitatem indigni putentur, quibus fides habeatur. Ergo nihil vltra quæramus, ſed fratribus qui nobiſcum coire ſocietatem volunt, fidem, quæ Nicææ ſancita eſt, proponamus, ac ſi in ea conueniant, illud quoque exigamus, Spiritum ſanctum neque creaturam dici oportere, neque eos, qui dicunt, in communionem ipſis eſſe recipiendos. Nihil aliud eſt, quod præterea nobis inquirendum cenſeam. Perſuaſi enim mihi, ſi quid etiam eſt, quo ad ampliorem euidentiam addito opus ſit, id frequenti collationi, miniméque contentioſæ inter nos exercitationi daturum eſſe Dominum, qui ipſum diligentibus omnia cooperatur in bonum.

Iis qui Tarſi ſunt.

QVantum ſit pacis bonum, minimè narrato opus eſt, cum viris ſermonem habenti, qui ſunt filij pacis. Quando igitur hoc ipſum tam ſuſpiciendum bonum, tamque omnibus, qui Dominum diligunt, curandum periclitatur iam, ne ad inane quoddam nomen redigatur, eo quòd cumulata iam ſit iniquitas, & charitas in multis refrixerit, oportere arbitror in hoc vno ſtudio eos verſari, qui verè, ac germanè ſeruiunt Domino, vt Eccleſias, quæ multis ex partibus, multiſque modis à ſe mutuò diſciſſæ ſunt, ad concordiam, vnitatemque adducant. Quod cùm ego quoque aggrediar facere, non eſt, quod nimium ſeduli, atque in aliena negocia ſe intrudentis hominis crimen meritò pertimeſcam. Nihil enim tam proprium Chriſtiani eſt, ac pacem conciliare. Quamobrem etiam pro hoc opere maximam nobis mercedem Dominus pollicitus eſt.

Ergo cum fratribus congreſſus, cum perſpexiſſem, valde quidem

quidem fratres ab ipsis diligi, vosque amari, sed multo adhuc magis amari Christum, & exquisitam, atque integram fidei rationem, & vtrunque ipsis magnoperè esse cordi, tum à vestra charitate ne segregentur, tum verò vt sanam fidem ne prodant, bonam hanc ipsorum mentem amplexatus, scribo ad grauitatem vestram, omni obsecrans charitate, vt illos vobis ex animo coniungatis, omnisque Ecclesiasticæ curæ participes habeatis, quemadmodum illis quoque vicissim spopondi rectam esse vestram mentem, vosque etiam, Dei gratia, pro vestro erga veritatem zelo ad omnia subeunda paratos esse, quæcunque pro veritate subire opus sit. Quæ autem, & vobis quantum mihi persuadeo, minime aduersantur, & patribus, quos commemoraui, apta sunt quæ animum expleant, hæc sunt: vt fateamini recipi à vobis fidem à patribus nostris, qui Nicææ quondam A conuenerunt, expositam, nullamque earum, quæ illic, dictionum reiiciatis, sed exploratissimum habeatis, tercentos decem octo patres, qui minime contentionis cupidi conuenerunt, non sine spiritus sancti actu, & operatione loquutos esse, hoc etiam addentes fidei illi, Spiritum sanctum minime dicendum esse creaturam, neque cum iis, qui dicunt, communicandum, vt pura sit Ecclesia Dei, nullum zizanium secum admissum habens. Hac de re, si vestra illis intima dilectio satis fecerit, ipsi quoque parati sunt, eam vobis, quam par est, subiectionem præstare. Ego enim pro fratribus spondeo, nulla illos in re contradicturos, sed maiorem in modum erga vos omnem modestiam adhibituros, si hoc vnum, quod à vobis expetunt, vestra ipsis perfectio libenter dederit.

XXI. EPISTOLÆ BASILII MAGNI,

Ex editione Parisiensi.

Occidentalibus Basilivs.

QVoniam in se sperantibus Deus pollicitus est, quòd eos ex omnis generis tribulatione velit educere, quamuis in medio malorum pelago detineamur ac sæuissimis procellis à spiritibus malitiæ excitatis agitemur: perduramus tamen in Christo, qui nos confirmat: nec vigorem eius studij remittimus, quo curam gerimus Ecclesiarum: neque veluti de salute propter excrescentem tempestatem desperantes, animi dissolutionem patimur: sed adhuc, quoad eius fieri potest, omnem operam impendimus scientes, etiam eum quem cœtus deuorauerat, quoniam animum non desponderat, sed ad Dominum clamauerat, salutem esse consequutũ. Ad hunc sanè modum & ipsi licet in extrema inciderimus, spem tamen quam in Domino collocatam retinemus, non abiicimus: sed vndequaque auxilium illius circunspicientes requirimus. Vnde est quòd ad vos quoque respeximus, fratres venerandissimi, quos in præsenti tribulationum tempore frequenter ad nos venturos sperauimus. Verum spe ista frustrati, ipsi quoque illud nobis occinimus. Expectaui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Sunt enim eiusmodi nostræ afflictiones, vt & ij qui extremum Occidentem incolunt, meritò ad hunc nostrum orbem sese recipere deberent: &, quoniam vno membro afflicto, reliqua simul omnia compatiuntur, conueniebat vt & nobis, iam diu admodum laborantibus, affectu commiserationis condoleretis. Non enim locorum vicinitas, sed coniunctio spiritus conciliare & propinquos facere solet, quam inter nos ac delectionem vestram intercedere persuasi sumus. Quî fit igitur, quòd nullas consolationis literas, nullam fratrum visitationem, nec aliud quicquam normæ ac debito dilectionis conueniens à vobis accepimus? Iam enim tredecimus annus est, ex quo nobis hæreticum hoc est bellum exortum, in quo pluribus tribulationibus afflictatæ sunt Ecclesiæ, quàm ab eo tempore commemorari possunt, quo primum Euangelium Christi annunciari cœpit. Quarum vobis singulas recensere nolumus, ne malorum istorum euidentiam sermonis nostri imbecillitas subobscuret. Simul etiam haud necessarium esse iudicamus, vt hisce de rebus doceamini, cum veritatem illarum iam olim vel famæ indicio cognoueritis. Summa autem mali huius est. Plebs oratoriis relictis, in solitudine congregantur. Spectaculum videretis miserabile. Mulieres, paruuli, senes, & aliàs imbecilles, imbrium vehementissimorum, niuium, ventorumque molestiam, sub gelu hyemali, consimiliter & Solis ardorem æstate sub dio agentes perferunt. Et hæc propterea patiuntur, ne prauum illud Arrij fermentum recipere cogantur. Quomodo poterit autem fieri, vt ista vobis sermone aliquo perspicua reddantur, nisi ipsa vos experientia, & spectaculum in oculos incurrens ad compassionis affectum permoueat? Obsecramus itaque vt vel nũc tandem manum orientalibus porrigatis Ecclesiis, quæ iam velut in genua depressæ inclinant: ac viros aliquos mitta- B tis, qui illas de præmiis admoneant, quæ patientiæ ac passionibus pro Christo toleratis reseruantur. Haud enim tantũ habet efficaciæ sermo consuetus, quantum vox peregrina ad consolandum deiectos valet: præsertim si illa adferatur à viris, qui cum primis gratia Dei instructi esse cognoscuntur: quales vos cunctis mortalibus prædicamini, quod in fide illibati permaneatis, & Apostolicum, depositum illæsum seruetis. Non sic habent res nostræ: sed sunt apud nos quidam, qui gloriæ desiderio, & maximè inflatione ista, qua Christianorum animi subuertuntur, perciti verba quædam nouandi studio excogitata inducere præsumunt, vnde Ecclesiæ debilitatæ quasi vascula quædam laxata influentem hæresim receperunt. Vos itaque, ô dilecti ac C desiderati fratres, sitis vulneratorum medici, & eorum qui adhuc sani existunt pædotribæ, quod morbidum est curantes: & quod sanum, ad pietatem instruentes.

Vox maximè peregrina valet ad consolandũ.

Ciuibus Satalanis Basilivs.

II.

ET vestris & totius populi precibus motus, Ecclesiæ vestræ curam susceпi: sumque vobis in conspectu Domini pollicitus, nihil me non facturum eorum quæ viribus meis præstari poterunt. Quapropter coactus sum, iuxta quod scriptum est, quasi oculi mei pupillam attrectare. Sic enim excellentia illa honoris, quo vos prosequor, nullius me recordari permisit, non cognationis, non consuetudinis inde à puero cum hoc mihi viro, antequam vestræ petitiones intercederent, contractæ: sed omnium eorum quę mihi familiaritatis ratione in hoc viro propria existunt, oblitus: nec vlla habita ratione neque multorum gemituum quibus plebs aduersum me ingemiscit, patrocinio ac cura illius priuata, neque lacryniarum vniuersæ illius cognationis, imò ne matris quidem, iam senis, & propter ea quod cura illius quam habuit vnicam priuatur, fluctuantis mœstitiam commiserationis affectu expendens: sed simul hæc omnia eiusmodi ac tanti momenti existentia contemnens, in id vnum incubui, vt Ecclesiam vestram talis viri cura & gubernatione ornarem: & post diuturnam istam disertionem ad genua vsque depressæ, plurimoque & valido adiumento, vt erigatur, opus habenti succurrerem. Sic quidem nos comparati sumus: à vobis verò quæ reliqua sunt expetimus, poscimusq; ne minora inueniantur quam speramus, & quam sunt ea quæ viro huic promisimus, cum ad familiares illum & amicos mitteremus: sic vt quisque vestrum studio & dilectione erga eum alios excellere satagat. Vt igitur honestam hanc honorificentiam ostendatis, per officij excellentiam cordi illius consolationem adferte, quo & patriæ, & cognatorum, ac simul populi obliuiscatur: qui perinde atque infans recens natus maternis vberibus sic ipsius est gubernatione priuatus. Præmisimus autem Niciam, vt quæ gesta sunt reuerentię vestrę manifestet: & præuenientes diem festum agatis, ac Domino gratias agatis, qui per nos quod petijstis implere dignatur.

Palladio

Palladio & Innocentio presbyteris ac monachis, BASILIVS.

III.

QVàm vehementer vos diligam, argumentum ex eo ipso colligere debetis, quòd nos & ipsi diligitis. Et pacis quidem conciliator esse perpetuò desideraui: verum voto hoc frustratus licet contrister, nec immeritò, nemini tamen inimicus esse possum, vel hanc ob causam, quòd bonum pacis nobis iam olim subreptum esse scio. Quòd si alij dissidiorum causas subministrant, det Dominus, vt cohibeãtur dissensionum authores. Non hoc à vobis peto, vt perpetuò apud me sitis. Quapropter non est quòd hac de re vos excusetis. Noui enim, esse vos viros qui & molestum viuẽdi genus sitis amplexi, & quæ necessaria sunt vestris ipsorũ manibus comparetis, ideoque à rebus vestris haud diu abesse possitis. Verùm vbicunque locorum sitis, memores este nostri, & Dominum pro nobis orate, vt vel inter nos & cum Deo pacem seruemus, nec vlla in cogitationibus nostris perturbatio resideat.

Ad Ecclesiam Parnasenum consolatoria BASILII.

IIII.

VT & veterem morem, qui prolixa temporum serie inoleuit, sequamur: & fructum spiritus, dilectionem videlicet secundum Deum, erga vos demonstremus, literis hisce reuerentiam vestram inuisimus, & in tribulatione quæ vobis accidit, & præsenti vestra cura vobiscum communicamus. Quod itaque res tristes concernit hoc dicimus, quòd tempestiuum sit ad ea respicere, quæ nobis ab Apostolo sunt præscripta, ne videlicet contristemur, sicut cæteri qui spem non habent. Haud quidem exigitur, vt nullo sensu eorum quæ accidunt afficiamini: sed, vt acceptum quidem damnum sentiatis, verùm sub dolore isto haud concidatis: & vt pastorem propter illius exitum felicem iudicetis, vt qui vitam hanc satis integra senectute absoluerit, & maximis iam honoribus à Domino recreetur. Quod verò ad reliqua attinet hortamur, vt õni posita mœstitia, sicuti conuenit, ad vos ipsos redeatis, & ad necessariã Ecclesiæ curam exurgatis, quò Deus & gregis sui curã gerat, & pastorem vobis pro sua ipsius voluntate largiatur, qui vos cum scientia pascat.

Ad coniugem Arinthæi Prætoris consolatoria BASILII.

V.

CONueniebat quidem, & debebatur hoc dilectioni tuę, vt ipsi præsentes eorum quæ facta sunt participes essemus. Nam hoc pacto & animi nostri mœstitiam mitigassemus: & honestati tuæ, quoad eius fieri posset, consolationis officium impleßemus. Verùm quoniam corpus hoc debile longioris profectionis motum ferre non potest, visum est literarium vsurpare alloquium, ne prorsus erga ea quæ acciderunt, animo videamur esse alieno. Quisnam igitur virum hunc non suspiret & ingemiscat ademptum? Quis adeò est corde lapideo, vt illius gratia non acerbè illacrymetur? Me verò præcipua quædam mœstitia repleuit, recogitantem cum quo me vir ille sit honore prosequutus, tũ quæ sit Ecclesijs communiter adempta gubernatio. Attamen expendimus, quòd cum homo esset, & quæ in hac vita obtigerant temporibus concessis administrasset, à Deo res nostras disponente est reuocatus: quæ vt & prudentia tua cogitet, & casum hunc mitius, & quantum fieri potest, calamitatem istam moderatè ferat, obsecramus. Ipsum quidem tempus cor tuum lenire, & cogitationibus transitum parare potest: verùm suspectum est nobis vehemens illud studium tuum erga maritum, & humanitas erga quæuis relucens, ne fortè propter morum simplicitatem tristitiæ affectui obnoxiam te constituas, & profundiorem tristitiæ plagam recipias. Est quidem nunquam non vtilis ea doctrina, quæ ex passionibus obuenit, præsertim in huiusmodi occasionibus. Quapropter memor esto sententiæ conditoris nostri, per quam, quotquot ex terra nati sumus, ad terram reuertimur. Nec adeò magnus est quisquam, vt dissolutionis huius victor esse possit. Erat quidem ille honestus, magnus, celebris, & animi virtutem robore corporis adæquabat, quod & ipse fateor, & vtroque nomine excellebat: attamen homo erat, & mortuus est sicut Adam, sicut Abel, sicut Noe, sicut Abraham, sicut Moses: & si quem alium eiusdem naturæ consortem nominaueris. Ne igitur molestè feramus, quòd illo priuati sumus: sed ob id potius, quòd illi conuiximus, gratias agamus ei qui nos initiò coniunxerat. Quod virum amisisti, commune tibi cum alijs est mulieribus. De tali verò coniugio non arbitror esse aliam quampiam ex mulieribus, quæ pari modo gloriari possit. Etenim virum hunc Deus, qui nos condidit, tanquam singulare quoddã humanæ naturæ exemplum constituerat, sic vt omnium oculi in illum dirigerentur, & omnis illum lingua celebraret. Pictores ac figuli formæ dignitatem non expresserunt: historici, viri bellica facta narrantes, ad incredibiles fabulas exorbitant: quapropter etiam plurimi famæ, qua triste illud nuncium circumfertur, haud quaquam credere sustinent, nec vllo modo recipiunt quòd mortuus sit Arinthæus. Verùm passus est ea, quæ & cœlo, & Soli, & terræ contingent. Discessit moriens spendidè, nec senectute decrepitus, nec aliqua parte celebritatis suæ diminutionem passus: sed magnus adhuc in præsenti hac vita, & magnus in futura, nec ex præsenti splendore damni quicquam in futura ac sperata gloria expertus: propterea quòd in ipso vitæ exitu cunctam animæ maculam lauacro regenerationis accepto repurgauit: cuius rei cum illi conciliatrix & cooperatrix fueris, maximam ex ea consolationem cape, & animum tuum à præsentibus ad futurorum curam transferre satage, quo digna per bona opera ad hoc reddare, vt pari cum illo refocillationis loco potiare. Parce matri iam seni, parce filiæ iuuenculæ, quibus sola consolationis ęs gratia relicta superstes. Esto reliquis mulieribus fortitudinis exemplum, atque perturbationem hanc moderare, vt nec corde concidas, nec dolore supprimare. In omnibus ad magnam illam patientiæ mercedem prospice, quæ à Domino nostro Iesu Christo in retributione nobis eorum quæ in hac vita gessimus, est promissa.

Terentio Comiti BASILIVS.

VI.

QVamuis admodum magna diligentia in id incubuerim, vt ex parte saltem tam regio mandato, quàm amicissimis Reuerentiæ tuæ literis obtemperarem, cuius ego quemcunque sermonem, & quamuis sententiam recta voluntate & bona mente plenam esse persuasus sum: haud tamen permissum mihi est, vt animi mei propensionem in opus perducerem. Causa huius primaria ac verissima peccatis meis debetur, quæ nusquam mihi non occurrunt, & gressus meos subuertunt. Deinde in causa est, quod alienatus à nobis est Episcopus ille, qui nobis cooperationis est gratia datus. Haud enim noui, quid Reuerendissimo fratri nostro Theodoto acciderit: qui cum nobis initio pollicitus esset, quòd in cunctis adiutor esse vellet, & à Getasibus nos Nicopolim deduxisset, vbi nos in ciuitate vidit, ita est abominatus, & sic sibi à peccatis nostris metuit, vt nos nec ad matutinas nec ad vespertinas preces assumere sustinuerit: qua in re, quod ad nos quidem attinet, iustè & vitæ nostræ conuenienter egit: verùm haud vtiliter cõmuni Ecclesiarum constitutioni consuluit. Huius autem nobis causam assignauit, quòd venerandissimum Episcopum Eustathium in communionem receperimus. Est autem, quod nos fecimus, huiusmodi. Cum ad Synodum, quæ à fratre Theodoto celebrabatur, vocati, illoque profecti essemus, vt vocationi propter charitatem obtemperaremus, ne ignaui illic & ociosi videremur, studiosè curauimus, vt colloquium cum prędicto fratre Eustathio miscerem us: proposuimusque illi, quæ in causa fidei à Theodoto illi obijciebantur: ac simul ab eo petiuimus, vt manifestum nobis faceret, rectámne fidem sequeretur, quo consortes esse possimus: si verò alienatus esset, vt perspicuè sciret, nos quoque à se fore abalienatos.

Matutinas & vespertinas horas.

Disputatio cum Eustathio.

Igitur cum multis inter nos ea de re contulissemus, totumque diem illum causam hanc inquirendo consumpsissemus, appetente vespera alius ab alio auellimur, nulla dum certa colloquij nostri conclusione posita. Sequenti die rursus mane considentes, ijsdem de rebus disserere cæpimus. Cũ autem & Pœmenus frater, Sebastianæ ecclesiæ presbyter accessisset, & aduersariam nobis doctrinam vehementer vrgeret, paulatim nos & ea diluimus, quæ nobis obijcere videbatur: & illos ad consensionem eorum quæ à nobis quærebantur, induximus, sic vt per gratiam Domini, ne in minimo quidem à nobis inuicem diffidere deprehenderemur. Igitur circa nonam horam ad precandum surreximus, ac Domino gratias egimus, qui dedisset nobis idem & sentire & loqui. Præterea oportebat me scriptam quandam ab eo viro confessionem accipere, quo & aduersarijs illius manifestaretur consensus, & reliquis sufficienter viri huius propositum monstraretur. Verùm volebam ipse multa diligentia cum fratribus, qui circa Theodotum sunt conuersans, scriptum fidei ab illis accipere, & dicto Eustathio proponere vt vtraque ista fierent: ipse videlicet rectam fidem confiteretur: & illi de veritate hac persuasi, nullam retinerent contradictionis occasionem, si ab ipsis proposita fuissent accepta. At Theodotus, priusquam cognouisset quam ob causam conuenissemus, & quidnam eo colloquio effecissemus, dedignatus est nos amplius vocare ad Synodum. Itaque è medio itinere reuersi sumus tristes, quòd labores nostros pro pacandis Ecclesijs susceptos inefficaces reddidisset. Postea cum in Armeniam necessariò proficiscendum esset, sciremque viri huius mores & ingenium, ac sub fide digno teste & gestorum reddere rationem, & illi satisfacere vellem, veni Getasa, in agrum Deo dilectissimi episcopi Meletij, vbi & ipse dictus Theodotus comparebat: atque ibi, quoniam ab illo fueramus propter Eustathij coniũctionem accusati, quid eo congressu effecissemus exposui, quòd videlicet deprehenderim eum nobiscum sentire per omnia. Cum autem ille affirmaret, eum post discessum nostrum consensum hunc abnegasse, & suis discipulis affirmasse quòd haudquaquam nobis in causa fidei cõsensisset: respõdi ad ista (tu autem celeberrime virorum considera, annon iustissimè & irrefragabiliter responderim.) Ego, inquam, hoc mihi persuadeo, coniectura ex reliqua viri huius constantia sumpta, haud ita leuiter virum illum in contrarium mutari, vt iam confiteatur, iam quæ dixerit neget, qui etiam in vulgaribus rebus mendacium perinde atque rem horrendam auersatur: tam abest, vt in rebus tanti momenti, & sic apud quosuis celebratis, veritati vllo pacto aduersari velit. Esto tamen, vera sint quæ à vobis sparguntur: oportet illi scriptum proponere, quod cunctam rectæ fidei apodixim contineat. Quod si eum dato scripto consentientem reperero, manebo in illius communione: si verò recusantem deprehendero, deficiam ab illius consortio. Cum ista probaret Meletius Episcopus, & frater Diodorus sympresbyter (nam & ille aderat) consentiens venerandissimus frater Theodotus, hortabatur nos vt Nicopolim descenderemus, & Ecclesiam ipsius inuiseremus, ac Satalos vsque comitè ipsum itineris reciperemus, sic vt nos Getasis relinqueret. Vbi Nicopolim venimus, oblitus eorum quæ à nobis audierat, & quæ nobis pactus fuerat, contumelijs illis, ac probris, quorum paulò ante mentionem feci, nos iterum affecit, & à se dimisit. Quomodo igitur, venerandissimum caput, fieri potuisset, vt aliquid eorum quæ iniungebantur efficerem, & Episcopos Armenię darem, cum ad hunc modum affectus erga me sit is, qui curarum debebat esse consors ac particeps? apud quem ego me viros aptos & commodos inuenturum sperabam, quod sint in ipsius parœcia & religiosi & prudentes, ac simul linguæ huius experti, & qui reliqua Gentis huius idiomata sciant: quorum nomina cognita volens tacebo, ne quid impedimenti nasca ur, quo minus alio saltem tempore Armeniæ prosim. Et nunc Satalis cum eiusmodi corpore constitutus, reliqua quidem cum gratia Dei pacificatis Armeniæ Episcopis constituere visum est, & quę conueniant illis proponere, quo consuetam negligentiam abijciant, & sinceram Domini pro Ecclesijs curam in se suscipiant. Simul & exempla illis proposui de ijs quæ per negligentiam illegitimè sunt in Armenia gesta, quomodo ipsis eorum curam gerere conuenerit. Et suffragia quoque ab Ecclesia Satalorum accepi obsecrationem habentia, vt detur ipsis à nobis Episcopus. Et illud quoque curæ mihi fuit, vt in blasphemiam Cyrillo fratri nostro Episcopo Armeniæ obiectam inquirerem: & per gratiam Domini deprehendimus, illam falso ab inimicis illius esse motam; quam & manifestè coram nobis sunt confessi. Et populum quoque Sataleum mediocriter erga illum, ac placidè se gerere probauimus, sic vt communionem illius non fugiat amplius. Quod si hæc modica & nullius sunt momenti, haud tamen amplius quicquam à nobis fieri potuit propter dissensionem illam, quæ inter eos ipsos per diaboli curiositatem versatur. Erant hæc obticenda, ne mea ipsius probra publicare videar: verùm quoniam nulla alia ratione magnificentiæ tuæ satisfacere potui, necessariò adactus sum, vt cunctam tibi gestorum veritatem exponerem.

Hora orationis nona.

Ad Nectarium Consolatoria Basilii.

VII.

CVm nondum triduum aut quatriduum præterijsset, ab eo quo me intolerabilis calamitatis rumor perturbauerat: & adhuc hæsitarem, propterea quòd & is qui tristem hunc casum significabat, nihil certi exponere poterat: & quòd vera esse deprecando, ægrè credebam quæ spargebantur: literas Episcopi accepi, nimis euidenter auersandum hoc nuncium significantes, quibus lectis quantum ingemuerim, quantumque lacrymatus sim, quid attinet commemorare? Etenim quis adeò est corde lapideo, aut sic prorsus humanæ naturæ expers, vt nullo casus huius sensu tangatur? aut cuius animus mediocri tantum doloris affectu corripiatur? Splendidæ domus hæres, generis fulcimentum, patriæ spes, piorum parentum proles, sub innumeris votis educatus, in ipso ætatis flore, è medijs paternis manibus abreptus obijt. Quam adamantinam naturam ista ad compassionem trahere & inducere non sufficerent? Quare magnum non est, quod & nos malum hoc nonnihil altius perculit, qui vobis inde ab initio prorsus addicti sumus: & quæ vobis vel læta vel tristia accidunt, communia nobis esse ducimus. Quanquam ad hoc vsque præsens tempus modica esse videntur, quæ vos tristia corripuerint, in plurimis verò prospero rerum successu potiti estis. Verum per inuidiam dæmonis subitò omnis illa cum domus felicitas, tum animorum alacritas interijt, factique sumus triste huius vitæ exemplum. Igitur, etiamsi quiritari & illacrymari propter hanc calamitatem voluerimus, totum huius vitæ tempus non suffecerit: & si cuncti mortales nobiscum ingemiscant, afflictionem hanc planctu adæquare non poterunt: imò si fluuiorum vndæ in lacrymas vertantur, casus huius lamenta adimplere nequibunt. Si verò donum hoc Dei, quod cordibus nostris inditum est, proferre voluerimus, rationem dico, sobriam illam, quæ & in rerum prosperitate mensuram animis nostris præscribere, & in tristioribus casibus in memoriam nos rerum humanarum inducere, & eorum admonere nouit, quæ tam vidimus quam audiuimus, quod videlicet hæc vita huiusmodi sit afflictionibus referta: multa sunt humanarum calamitatum exempla. Et prærer hæc omnia mandatum Dei est, non esse propter eos qui obdormierunt, lugendum Christi fidelibus propter spem futuræ resurrectionis. Et præclaræ quoque magnæ patientiæ ab athlotheta sunt coronæ gloriæ repositæ. Quod si rationi ista nobis occinere permiserimus, forsan mediocrem aliquam mali huius solutionem consequemur. Quapropter tanquam generosum te decertatorem adhortor, vt aduersus plagæ huius magnitudinem firmus persistas, nec grauitati doloris succumbas, neque animum despondeas: illud persuasus, quod etiamsi nos ratio eorum lateat, quæ à Deo dispensantur, prorsus tamen quicquid à sapiente & nos amante disponitur, acceptabile est, etiamsi molestum sit, ac laboriosum. Nouit enim ipse, quomodo vnicuique

quod

quod vtile sit dispensset, & qua de causa impares ponat vitæ nostræ terminos. Est enim mortalibus incomprehensibile, quanam ratione alij citius ex hac vita discedant, alij verò diutius in hac dolorosa vita defatigari permittantur. Debemus itaque in omnibus illius adorare philanthropian, nec grauatim quæ fiunt ferre, memores magnificæ illius & celeberrimæ vocis, quam magnus athleta Iob proloquutus est, cum in vno conuiuio decem liberos suos exiguo temporis momento contritos cerneret, Dominus, inquit, dederat, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, sic & factum est. Et nobis admirabilem hanc vocem communem faciamus. Æquali mercede à iusto iudice remunerantur, qui æqualem probitatem ac dexteritatem ostendunt. non sumus filio priuati: sed restituimus illum ei, à quo fuerat accommodato datus. Neque extincta est illius vita, sed ad meliorem translata sortem: nec tellus dilectum nostrũ obtegit, sed cœlum susscepit. Duremus paulisper, & vnà erimus cum desiderato. Nec prolixum est quod intercedit temporis spatium, quo cuncti in hac vita, quasi quodam itinere ad vnum diuersorium tendimus: in quod alij iam diuerterunt, alij accesserunt, alij adhuc properant. Omnes autem vno fine comprehendentur. Licet enim citius ille iter hoc confecerit, omnes tamen eôdem proficiscimur, & cũctos idem diuersorium manet. Id tantum nobis contingat, vt per virtutem pares illius puritati reddamur, quo morum & ingenij sinceritate, eadem cum paruulis in Christo refocillatione fruamur.

Simile.

Ad coniugem Nectarij consolatoria, BASILII.

VIII.

Simile.

SIlentio erga honestatem tuam vti statuerã, cogitãs quòd quemadmodum oculo inflãmato etiam tenerrima adhibita mitigatio dolorem adfert: ita & animus tribulationis pondere pressus, etiamsi plurimum consolationis adferat sermo, molestus tamen videtur, si in ipso doloris fuerit articulo adhibitus. Verum vbi recogitaui, loquuturum me esse Christianæ, iam olim in rebus diuinis institutæ, & ad ferenda humana paratæ: haud arbitratus sum æquum fore, si quod me concernit omitterem. Noui quomodo sint comparata materna viscera: & vbi peculiariter considero, quæ tua sit benignitas & placiditas erga quosuis, facilè colligo, quantum tibi doloris in præsenti calamitate contingat. Filium amisisti, quem cum in hac vita versaretur, cunctæ matres fælicem esse prædicabant, & vt ipsorum filij tales essent optabant: mortuum verò perinde luxerunt, ac si suum quæque filium telluri sepeliendum tradidisset. Mors illius vtrique patriæ plagam intulit, nostræ videlicet, & Cilicũ. Magnum illud & illustre genus vnà cum illo, quasi fundamento sublato, concussum est, & prolapsum. O incursum malicio- E si dæmonis, quantum potuit inferre damni! O tellurem illam, quæ tantum in se calamitatis susscipere coacta est! Et sol ipse si quo esset sensu præditus, tam triste spectaculum exhorruisset. Et quônam pacto quisquam tantum lamentetur, quantum animi suggerit inopia? Verum non sunt improuisa quæ nobis accidunt, quemadmodum ex Euangelio didicimus. Neque enim passerculus delabitur sine voluntate patris nostri. Quare si quod nobis accidit, accidit illius voluntate qui nos condidit, voluntati verò Dei quis restitit? Amplectamur igitur, quod accidit. Etenim si molestè tulerimus, neque quod factum est reparabimus, & præterea nos ipsos quoque simul perdemus. Ne culpemus iustum Dei iudicium. Insipientiores sumus, quàm vt arcana illius F iudicia exploremus. Nunc experimentum de te sumit Dominus, quomodo se diligas. Nũc tempestiuum est, vt per patientiam partem martyrum accipias. Machabæorum mater septem filiorum necem spectauit, & nec ingemuit, nec ignobiles lachrymas emisit: sed Deo gratias egit, cernens eos igne & ferro, & sæuissimis verberibus confectos, carnis liberari vinculis. Et coram Deo probata est, & coram hominibus celebris habita. Magna est afflictio. fateor & ego. Verum magna est etiam patientibus à Domino reposita merces. Cum mater esses facta, & filium cerneres, gratias agebas Deo: sciebasque planè, quòd mortalis existens mortalem peperisses. Quid igitur habet insolentiæ, quòd mortuus est, qui erat mortalis? Sed turbat nos, quòd immatura est morte abreptus. Incertum est hoc, an non sit satis opportuno ac maturo tempore mortuus. Etenim nostræ scientiæ non est, quæ animabus nostris conducant eligere, & humanæ vitæ terminos definire. Totum mundum circumspice, in quo habitas: & cogita, quæcũque videntur esse mortalia, & in vniuersum corruptioni subiecta. Suspice cœlum: & illud aliquando soluetur. Solem intuêre: nec iste manebit. Stellæ vniuersæ, animantia terrestria, & aquatilia, & ornatus terræ, ipsa quoque terra, omnia sunt corruptibilia, omnia paulò pòst non erunt amplius. Horum consideratio solamen adferat huius quæ accidit calamitatis. Illam nolis in seipsa metiri. Sic enim considerata, intolerabilis videtur. Verum si cunctis illam humanis miserijs conferas, mitigationem illius inuenies. Præterea illud abs te ante omnia contendo: Parce marito tuo. Alter alteri solamen estote. Noli hanc illi calamitatem aggrauare: quod factura es, si te ipsa dolore confeceris. Omnino autem arbitror non sufficere verba ad consolationem: sed aduersum præsentia incommoda opus esse precibus iudico. Oro igitur Dominum ipsum, vt in inenarrabili sua virtute cor tuum contingat, & animum tuum bonis cogitationibus illuminet, quò exte ipsa consolationis habeas argumenta.

Nicopolitanis BASILIVS.

IX.

CVm sanctitatis vestræ literas consequutus essem, admodum ingemui ac lamentatus eam sum ob causam, quòd mala ista meis ipsius percepisse auribus: vtpote verbera & probra vobis illata, populationem ædium, desolationem ciuitatis, totius patriæ subuersionem, persequutionem Ecclesiæ, fugam sacerdotum, insolentiam luporum, ac dispersionem gregum: verum vbi à gemitibus ac lacrymis quieui, & ad Dominum in cœlos suspexi, cognoui persuasusque sum, quòd & vobis notum esse volo: quòd citò aderit auxilium, nec in finem vsque deferendi sumus. Quod enim passi sumus, propter peccata nostra passi sumus. Auxilium verò suum benignus Deus, propter dilectionem & misericordiam qua erga Ecclesias afficitur, declarabit, Haud tamen negleximus, quo minus simul & præsentes illis qui rerum potiuntur, supplicaremus: & ijs qui nos diligunt, in castra scriberemus, quò iram insanientis cohibeant. Et arbitror illum à multis fore reprehendendum: nisi forsan impletum tumultuationis tempus tantum ocij non permittat illis qui rebus gerendis occupantur, vt hisce de rebus agant.

Nicopolitanis presbyteris BASILIVS.

X.

ACcepi Reuerentiæ vestræ literas: nec quicquam magis præter opinionem accidit, quàm vt de illis edocerer, quæ iam antea cognoueram. Nam fama omnem hãc viciniam peruagata est, & turpitudinem eius qui apud vos prolapsus est diuulgauit. Motus ille inanis gloriæ cupidine fœdissimam sibijpse contraxit ignominiam: & præterquam quòd præmijs fidei propter philautiam excidit, ipsam quoque infelicem gloriolam, præ cuius desiderio impietati venundatus fuit, propter iustum odium eorum, qui Dominum timent, non est consequutus. Verum ille hoc suo proposito euidentissimum totius vitæ suæ specimen protulit: declarauitque, quòd nũquam spe repositorum ac à Domino promissorum bonorum vixerit, sed si quid sibi rerum humanarum consequutus est, vtpote verba fidei, & figmenta religionis, omnia illa ad hoc contulit & accommodauit, vt accedentes ad se falleret. Vos autem vt quid iste fatigat euentus? Vt quid hac in re priores euadi- tis? Vnus ex albo vestro defecit, & hunc vnus & alter consequutus est. Miserabilis est horũ casus. Verũ corpus vestrũ

adhuc est per gratiam Domini integrum. Etenim & quod inutile erat, effluxit, & quod mansit haudquaquam est mutilatum. Si vero id vos turbat, quòd extra muros eiecti estis: at in protectione Dei cœli commorabimini, & angelus ille Ecclesiarum præses vobiscum est egressus. Quare vacuis ædibus quotidie condemnantur illi, qui propter populi dispersionem graue sibijpsis iudicium ascisc unt. Quod si res ista molestia non caret, confido in Domino, fore illam vobis non inanem: sic vt quo pluribus tentationibus obnoxij estis, hoc precios iorem mercedem à iusto iudice expectetis. Quapropter nec molestè feratis præsentia, nec spe deficiatis. Etenim adhuc admodum modica mora restat, & veniet ad vos auxiliator, nec tardabit.

Nicopolitanis presbyteris BASILIVS.

XI.

REctè feciſtis, cum quòd ſcripſiſtis nobis, tum quòd per hunc virum ſcripſiſtis: qui etiam ſine literis ad hoc ſuffecit, vt & curis noſtris ſolatium adferret, & de rebus geſtis nos accuratè doceret. Erant enim multa, quæ ab eo quæſituri eramus, qui nos perſpicuè inſtruere poſſet: propterea quòd incerti rumores ad nos deferri ſolent. Omnia autem nobis conſtanter & peritè expoſuit deſideratiſſimus & venerandiſsimus frater noſter Theodoſius conſenior. Igitur ea ipſa ad pietatem veſtram ſcribimus, quæ nobis ipſis conſulimus. Quod iſta videlicet & multis & vobis communiter contigerunt: & non ſolum hoc præſenti, ſed præcedenti tempore innumera talium rerum exempla ſunt edita: quorum alia nobis hiſtoriæ literis mandata reliquerunt, alia ſine literis memoriæ beneficio ab illis qui ea nouerunt, accepimus: quòd nimirum & viritim, & per ciuitates, perſequutiones propter nomen Domini illatæ, apprehenderint eos qui in illum ſperabant. Verum tranſierunt hæc omnia, nec quicquam ex triſtibus dolorem adfert immortalem: ſed perinde ſunt atque grandines & torrentes, & quæcunque alia ſubita ſunt ac temporaria, quæ mollia quidem facilè lædunt ac diſsipant, à ſolidis verò & reſiſtentibus in illa inciderint, magis patiuntur aliquid, quam vt illis incommodent. Sic & vehementes illæ tentationes contra Eccleſiam motæ, imbecilliores deprehenſæ ſunt, quàm vt robur fidei quæ in Chriſtum eſt, infringerent. Itaque quemadmodum vbi grandinis nubilum præterijt, & torrens alueo ſuo effluxit, illud in ſerenitatem diſſoluitur, iſte profundo abſorptus viam qua fluxerat ſiccam & aridam relinquit: ita & tempeſtas illa quę nos iam apprehendit, paulo pòſt non erit, modò ſuſtineamus non inſpicere præſentia, ſed ſpem in ea extendere quæ paulo ſunt vlteriora. Quare etiamſi grauis ſit tentatio, toleremus, fratres, ea quæ ſunt moleſta. Nemo enim coronatur, qui nec percuſſus eſt in certamine, nec luctatus. Si verò leuia ſunt iſta diaboli ludibria: & qui nobis immiſi ſunt, eam quidem ob cauſam moleſti ſunt, quòd talis ſunt hoſtis miniſtri: ob id tamen contemptibiles exiſtunt, quod malitiæ illorum Dominus impotentiam coniunxit. Caueamus ne condemnemur, tanquam propter res minutas magnopere lugentes. Etenim vnum hoc tantum dolore dignum eſt, quod perijt ille qui temporariæ gloriæ gratia (ſi tamen gloria vocari debet, quod publico cum dedecore geritur) ſempiterno ſeipſe priuauit honore. Eſtis filij confeſſorum, eſtis filij martyrum, qui ad ſanguinem vſque peccato reſtiterunt. Vtatur proprijs quiſque exemplis aduerſus inſtantiam, qua pietas impugnatur. Nemo veſtrùm plagis affectus eſt, nullius ædes publicatæ ſunt, nondum in exilio viximus, nec carceres experti ſumus. Quidnam mali pertulimus? Niſi id forſan triſte eſt quod nihildum perpeſſi ſumus, nec digni habiti qui pro Chriſto patiamur. Si verò quod ille domum orationis occupat, * vos vero ſub dio Dominũ cœli ac terræ * *adoratis*, id vos turbat: cogitate vndecim quoque Apoſtolos in cœnaculo fuiſſe concluſos, cum interea qui Dominum crucifixerant in templo celebri Iudaicum cultum perficerent. Iudas etiam, quoniam ſuffocationis mortem dedecoroſæ vitæ prætulit, illis ſe præferendum oſtendit, qui nullo nunc pudore ab omnibus hominibus damnati afficiuntur, atque eam ob cauſam impudenter quæ turpia ſunt committunt. Id tantum curetis, ne mendacijs illorum decipiamini, quibus fidei rectitudinem profitentur. Nõ enim Chriſtiani ſunt tales, ſed Chriſtempori: * qui magis hoc quærunt, quod ad hanc præſentem illis vitam conducit, quàm vt ſecundum veritatem viuant. Vbi vanum hũc principatum adipiſci ſe poſſe iudicarunt, Chriſti ſe coniunxerunt inimicis. Vbi plebem irritari viderunt, rurſus fidei rectitudinem prætexunt. Non agnoſco Epiſcopum, nec Chriſti illum ſacerdotibus adnumerarim, qui à prophanis eſt manibus ad fidei deſtructionem præſul electus. Hæc mea eſt de illo ſententia. Vos, ſi quam nobiſcum partem habetis, eadem etiam nobiſcum ſentietis. Si verò veſtro ipſorum conſilio vtimini, ſuæ quiſque ſententiæ poteſtatem habet, nos inſontes erimus ab hoc ſanguine.] Hæc non ideo ſcripſi, quòd vobis diffidam: ſed vt quorundam hæſitationem declaratione meæ ſententiæ confirmem, ne quis ad illorum communionem præripiatur: néue, ſi manus illorum impoſitionem quiſquam acceperit, poſt reddita pace Sacerdotali ordini ſeſe accenſere contendat. Clerum vniuerſum, qui in ciuitate, tum qui in parœcia eſt, cum omni timentium plebe Dominum ſalutamus.

Ad clericos Nicopolitanos BASILIVS.

XII.

QVod ab vno pio factum eſt opus, certò nobis perſuadet, factum eſſe conſilio Spiritus ſancti. Etenim vbi nihil quod humanum ſit præ oculis eſt, neque proprij oblectamenti gratia ad operandum mouentur ſancti, ſed quòd Deo probatur ſpectant: manifeſtum eſt, Dominum eſſe, qui corda eorum dirigat. Vbi verò ſpirituales viri authores ſunt conſiliorum, & hoſce plebs Domini concordi ſententia conſequitur, quis ambiget conſilium eiuſmodi communicatione factum eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſanguinem ſuum pro Eccleſijs effudit? Vnde & ipſi rectè iudicaſtis, Deo dilectiſſimum fratrem noſtrum & comminiſtrum Pœmenium, ſecundum Deum fuiſſe motum: qui & in tempore vobis ſuccurrit, & hunc modum cõſolandi vos aggreſſus eſt: in quo ego non ſolum vtilitatis adinuentionem laudo, ſed & animi dexteritatem ac fortitudinem celebro, quòd cauſam hanc nulla dilatione protraxit: qua etſi inquiſitorum ſtudium diſſoluiſſet, ſimul tamen & aduerſarijs cautionis occaſionem dediſſet, & obſeruatorum inſidias excitaſſet: ſed confeſtim quod bene cæperat conſilium, ad effectum perduxit. Paneſtium Dominus gratia ſua cuſtodiat, vt Eccleſia ſibijpſi ſimilis permaneat, in cõcordi cum præcedentis traditione & ſucceſſu, nec locum det malo: qui ſi vnquam, nunc iſtum egerrimè fert Eccleſiarum ſtatum & ordinem. Fratres autem qui ſunt in Colonia, & nos literis plurimum adhortati ſumus: & vos quoque illorum diſpoſitionem probare magis debetis, quàm eos quaſi propter tenuitatem contemptibiles irritare, & contemptu ad contentionem prouocare. Solent enim qui contendunt, inconſultius pleraque agere, & ſuis malis impenſius affici quo aduerſarios turbent. Nemo autem vſque adeò tenuis eſt, qui iam magnorum malorum occaſionem, his qui volunt occaſionem, ſubminiſtrare nequeat. Et hoc non ex coniecturis, ſed noſtrorum malorum experientia edocti loquimur: quæ propter preces veſtras auertat Deus. Simul autem & pro ſanitate noſtra orate, vt præſentes illic apud hunc paſtorem veſtrum agamus, & vnà conſolationem ſuper obitu communis patris noſtri capiamus.

Ciuibus Nicopolitanis BASILIVS.

XIII.

DIſpenſationes Eccleſiaſticæ fiũt quidem per eos, quibus eſt illarum cura concredita, verùm à plebe cõfirmantur. Itaque quod Deo dilectiſsimos epiſcopos concernebat, impletum eſt: quod reliquum eſt, ad vos ſpectat, vt videlicet datum vobis Epiſcopum ex animo complecti dignemini, & pericula extrinſecus imminentia fortiter repellatis. Nihil enim ſic abſterret tam principes, quàm reliquos pacatum hunc vobis ſtatum inuidentes, atque cõcors erga traditum vobis epiſcopum dilectio, & infracta reſiſtentia.

Similè.

Ferendas eſſe tentationes.

Ex Photij Nomocanoni additis à Io. Tilio V. C. Partiſijs an. 1561. pa. 85.

* *nos:* * *adoramus*

* *al. Chriſti cauponatores.*

Chriſtempori *eſt, qui quæſtũ & nũdinationem ſub prætextu Chriſti ſectatur.*

tia. Incutit enim illis omnium malorum conatum desperationem, si nec clerum nec plebem adinuentiones ipsorum amplecti viderint. Igitur quem habetis animum erga bonũ, illum ciuitati cõmunem efficite: & quæ decora sunt populis ac cunctis in ea regione habitantibus proponite, & bona illorum proposita cõfirmate, quo sincera vestra erga Deum cũctis innotescat dilectio. Optamus autẽ, vt & nos aliquando digni habeamur, qui ad vos veniamus, & Ecclesiam pietatis altricem inuisamus: quam tanquam recte doctrinæ metropolim propterea veneramur, quòd ab honestis viris & electis Dei gubernata est, qui fideli secundum doctrinam sermoni adhæserunt, quibus dignum esse hunc præsentem & vos iudicastis, & nos consensimus: modò per gratiam Dei custodiatur, qui & praua inimicorum consilia dissipat, & animis nostris robur & constantiam ad conseruandum ea quæ bene sunt tradita confert.

Theodoto Episcopo Nicopolitano BASILIVS.

XIIII.

GRauis tempestas est, & longissimè extenta, sic vt ne literaria quidẽ consolatio facile nobis expediri possit. Vnde me rarò & ad te scripsisse & literas abs te accepisse scio. Verùm quoniã desideratissimus frater noster Sagetesimus presbyter, ad vos vsque proficisci statuit, per illum Reuerentiam tuam salutamus, & vt pro me oret obsecro: ac simul dicto iam fratri aurem accommodet, vt ab illo, quo nunc in statu sunt Ecclesiæ, discat, & studiũ pro viribus ad ea quæ proponuntur curanda impendat. Scias autem, venisse ad nos Faustum à Papa missum cum literis, quibus petebatur, vt ordinaretur Episcopus. Cum autẽ & reuerentiæ tuæ & reliquorum Episcoporum testimonium posceremus, cõtemptis nobis abijt ad Anthimum: & ordinatione ab illo, sine nostra admonitione accepta, ad suos reuersus est.

Theodoto Episcopo BASILIVS.

XV.

REctè nos & competenter reprehendis, venerandissime, & reuera desideratissime frater: propterea quòd ab eo tempore, quo à reuerentia tua propositiones illas de fide ad Eustathium ferentes discessimus, nihil tibi nec modicè nec magnum de causa illius significauimus. Ego verò id non eam ob causam feci, quòd susque deque faciam, quasi contemptibilia quæ in nos ille commisit: sed quòd fama illorũ ad quosuis passim peruagata est: & nemo sit qui opus habeat, vt à nobis quodnã sit viri huius propositum discat. Nam hoc & ipse curauit, veluti metuens, ne paucos habeat sententiæ suæ testes ac conscios: ideoque & ad quosuis cõfines epistolas suas aduersum nos scriptas emisit. Itaq; à cõmunione nostra seipse auulsit, quandoquidem nec in locum determinatum conuenire nobiscum sustinuit: nec discipulos suos, quod tum pollicitus fuerat, adduxit: sed nos etiam in frequentissimis synodis perstrinxit, vnà cum Theophilo Cilice, nuda & manifesta blasphemia, quasi aliena à doctrina sua animis plebis insinuet dogmata. Sufficiebant quidem & ista ad dissoluendum omnem nostram coniunctionem. Postquam verò & in Ciliciam venit, ibique cum Gelasio quodam degens fidem illi exposuit, quæ à solo Arrio, vel germano aliquo illius discipulo conscribi debuisset: tum adhuc amplius ad separationem ac disiunctionem obfirmati sumus: cogitantes fieri non posse, vt vel pellem suam vnquam mutet Æthiops, vel maculas suas pardalis: vel qui peruersis est dogmatibus innutritus, malum hæreseos abstergere queat. Et tamen vltra hæc & illud temeritatis ausus est. Scripsit contra nos, imò conscripsit sermones prolixos, omnis generis conuitijs & sycophantijs refertos, quibus hactenus nihil respondimus, propterea quòd ab Apostolo docemur, ne nos ipsi vlciscamur, sed locum iræ demus. Et simul vbi de profunditate hypocriseos cogitamus, qua se nobis toto tempore blandiuscule insinuauit, stupore quodam præ consternatione corripimur. Etiamsi nihil illorum esset, tamen quod iam recens ausus est, cui non honorem incuteret? qui, sicuti audio (modò verus est rumor, & non figmentum delationis gratia compositum) etiam manum quibusdam denuò imponere præsumpsit: quod nemo vnquam ex hæreticis fecisse videtur. Itaque quomodo fieri potest, vt talia placidè feramus, & viri huius delicta curabilia esse putemus? Quare videte, ne falsis sermonibus seducamini: neue prætextibus virorum istorum, omnia ad malum facillimè excipientium, fidem accommodetis. Ista quomodo in nullo discrimine ponemus? Scias itaque desideratissime ac venerandissime, haud conscium esse me, quod vnquam tantum doloris in animo meo conceperim, quantum hunc ex eo patior, quod Ecclesiasticas leges confundi percipio. Verum id vnicè precare, vt largiatur nobis Dominus, nihil ex affectibus iræ moliri: sed retinere dilectionem, quæ nihil agit indecenter, nec inflatur. Etenim vide, quomodo qui illa carent, supra humanæ mediocritatis mensuram elati, turpiter & indecenter viuant, ea facere præsumentes, quorum nulla præteritum tempus habet exempla.

Heretici nõ emendãtur.

Diodoro BASILIVS.

XVI.

ALlatæ sunt nobis literæ, epigrapham habentes Diodori: reliqua verò illarum alteri cuipiam magis quàm Diodoro competere videbantur. Etenim mihi quisquam ex artificiosis personam tuam ad hoc induisse videtur, vt hoc pacto fide dignum se reddat auditoribus, quasi interrogatus à quoquam, liceatne demortuæ vxoris sororem matrimonio ducere, ab ea quæstione non abhorruerit, sed aurem placidè accommodauerit, ac obscœnam concupiscentiam vnà cum illo admodum fortiter & concertatim pertractarit. Mississem hoc scriptum ad te, si ad manum fuisset, suffecisseque vt & teipse & veritatem vindicares. Quoniam verò qui illud ostenderat mox abstulit, & tropæi cuiusdam loco aduersum nos circumtulit, quòd rem hanc initio prohibuerimus, & scriptam se potestatem habere dixit, iam ad te scripsi, quo ambabus manibus adulterinum hoc scriptum deprehendamus: nec aliquid illi roboris relinquamus: ne facilè possit nocumentum inferre legentibus.

Principio igitur, quod in huiusmodi rebus maximum momenti est, morem qui apud nos est obijcere possumus, quòd is legis vim habeat: propterea quòd sanctiones istæ à sanctis nobis sunt viris traditæ. Est autem hic mos talis. Si quis affectu immunditiæ conceptus, ad illicitam duarum sororum communicationem exorbitauerit, id neque coniugium esse censendum: neque talem ad Ecclesiasticum cœtum admittendum, priusquam à se inuicem dirimantur. Quare etiamsi nihil aliud dici posset, sufficeret mos iste, ad cauendum hoc malum. Quoniam verò qui epistolam hanc scripsit, adulterina argumentatione tantum malum in vitam humanam inducere conatus est: necesse est, vt nec nos cessemus, quo minus rectæ ratiocinationis subsidium adferamus. Quanquam in illis rebus quæ admodum sunt perspicuæ, maior est apud vnumquemque prænotio, quàm vlla sit sermonis argumentatio.

Mos pro lege habẽdus.

Soror vxoris non est ducẽda, aut ambarum nuptiæ simul appetẽdæ.

Scriptum est, inquit, in Leuitico, Mulierem ad sororem eius non accipias æmulam, vt reueles turpitudinem eius, adhuc illa viuente. Manifestum ex hoc est, inquit, quòd permittitur, vt mortua illa accipiatur soror eius. Ad hoc primum illud dico: quòd quæcunque lex dicit, ijs, qui in lege sunt dicat: alioqui & circuncisioni, & sabbato, & abstinentiæ ciborum subijciemur. Etenim non conuenit, vt subijciamus nos iugo seruitutis legis, si quid quod voluptatibus nostris consonum sit inuenerimus: si vero graue quid in legalibus visum fuerit, tum ad libertatem quæ in Christo est confugiamus. Interrogati sumus, an scriptum sit, vt accipiatur mulier ad sororem ipsius. Diximus, quod & certum nobis est, & verum: videlicet, non esse scriptum. Id verò quod tacitum est, ex illatione consequentiæ colligere, legislatoris est, non eius qui legem recitat. Alioqui, si quis audere velit, etiam viuente adhuc vxore sororem eius accipere licebit. Nam hoc ipsum sophisma etiam illi congruit. Scriptum enim est, inquiet: Non accipies æmulam. Ergo

Leuit. 18. Æmulam, Græcè ἀντίζηλον, Vulgata Latina habet, In pellicatum.

extra æmulationem accipere non prohibuit. Qui affectioni huic patrocinatur, ingenium sororum alienum esse à zelotypia affirmabit. Quare sublata causa, propter quam legislator ambarum connubium prohibuit, quid impediet, quo minus duæ sorores accipiantur ? Verùm ista scripta non sunt, dicemus. At nec illa determinata sunt. Intelligentia vero consequentiæ vtrisq; pariter libertatem ac licentiam confert. Verum recurrendum paulisper erat ad ea quæ legẽ hanc præcedunt, quò quæstio ista solueretur. Apparet enim legislatorem non quasuis delictorum species comprehendere: sed ea peculiariter prohibere, quæ Ægyptiorum, à quibus liberatus erat Israel, & quæ Chananæorum erant ad quos ducebatur. Sic enim ad verbum dicit, Secundum studia Ægypti, in qua peregrinati estis, non facietis: nec secũdum studia terræ Chanaan facietis, in quam ego vos ducã: neque in illorum legitimis ambulabitis. Igitur genus hoc peccati locum non habet, vbi non habitatur inter gentes: ideoque nec legislatori opus erat, vt cauendi illius gratia quicquam statueret, cum sola consuetudo citra doctrinam ad reprehensionẽ sceleris huius sufficeret. Quomodo ergo, cum quod maius est prohibuisset, de minori tacuit? Quoniam exemplum patriarchæ Iacob multis carnaliter affectis hominibus hactenus esse noxium videbatur, vt & ipsi duarum sororum adhuc viuentium nuptias appeterent. Nobis verò quid faciendum est ? An quæ scripta sunt dicendum, vel quæ silentio præterita sunt faciendum? Mox occurrit illud, quòd non licet patri ac filio vna vti amica. Id quidem in istis non est scriptum legibus: apud Prophetam verò, maximoperè reprehenditur. Filius, inquit, & pater ad eandem puellam ingressi sunt. Quàm multa sunt autem & alia immundarum affectionum genera, quæ doctrina dæmoniorum adinuenit, & D. scriptura tacuit, honestatem suam turpium rerum nomenclatura fœdare nolens, sed generalibus nominibus immũditias illarum complexa est, sicut & Apostolus Paulus dicit, Scortatio verò & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicuti decet sanctos. Nomine immunditię nefandam masculorum ac mulierum obscænitatem comprehendit. Itaque silentium de hisce flagitijs, non adfert licentiam & impunitatem voluptuarijs. Ego verò neque de hac causa legislatorem tacuisse, sed admodũ vehementer interdixisse dico. Illud enim, Non introibis ad omnem carnis tuæ affinem, vt reueles turpitudinem earũ, etiam hãc cognationis speciem complectitur. Etenim quid viro affine magis est, quam sit illius vxor, imò illius caro? Nõ enim duo sunt, sed vna caro. Per vxorem igitur, & soror illius ad affinitatem viri transit. Nam sicuti vxoris suæ matrem non ducet, nec filiam vxoris, propterea quòd nec matrem nec filiam suam accipiet: ita nec sororem vxoris, ob id quòd nec suam ipsius sororem sibi coniunget. Ac viceuersa neque vxori licet, vt viri sese affinibus coniungat. Sunt enim vtrinque communia cognationis iura. Ego verò cuilibet de nuptijs consilium petenti testificor, quod mundi huius figura prætereat, & tempus contractum existat: ideoque conducat, vt qui vxores habent, sint tanquam non habentes. Quod si mihi vicissim legerit illud, Crescite & multiplicamini: respondebo, esse hoc eius hominis adferre in medium, qui inter legislationum tempora non discernit. Secundæ nuptiæ scortationis remedium censendæ sunt, nõ lasciuiæ compendium. Si se non continent, nubant, inquit: non dicit, Etiam nubendo illegitimè agant. An non vel ad ipsam naturam dedecorosa hac affectione, veluti lippitudine quadam cæcutientes respiciunt, quæ iam olim appellationes generis discreuit? Etenim cuiusnam cognationis nominibus eos qui ex huiusmodi connubio nascuntur, appellabunt? Fratresne, vel consobrinos voeabunt? Nam vtraque illis appellatio propter confusionem congruet. Ne cõmitas, ô homo, vt auuncula sit mater infantium: neque, vt quæ illos matris loco fouere debebat, implacabili aduersus illos zelotypia armetur. Etenim solum hoc nouercarum genus sic comparatum est, vt odium etiam in mortuas extendat. Imò cum alij hostiliter affecti mortuis reconcilientur, nouercæ odia post mortem inchoant. Sit autem hæc summa eorum quæ diximus, Si quis legitimè ad nuptias aspirat, patet illi totus orbis. Si verò affectionibus percitus est, ob id magis excludatur & coerceatur, quò vas suum in sanctimonia & honore, non in passione concupiscentiæ possidere discat. Plura dicturum epistolæ modus cohibet. Oro autem, vt vel admonitio nostra hanc inordinatam affectionẽ retundat, vel scelus hoc in nostram regionẽ non serpat: sed in quibus præsumptum est locis, in illis detineatur.

Nouercarũ odium.

Paregorio presbytero BASILIVS.

XVII.

LEgi litteras tuas magna cum animi lenitate: admiratusque sum, quomodo coneris rebus incurabilibus longis mederi sermonibus, cum breuiter nobis & facilè reipsa satisfacere valens, in illis de quibus accusaris, permanere constitueris. Nec primi, nec soli, Paregori, sanciuimus, nõ debere mulierculas cohabitare viris. Lege Canonem à sanctis patribus nostris in Nicæna synodo constitutum, qui manifestè interdixit, Ne quis mulierculam subintroductam habeat. Cœlibatus autem honestatem suam in eo habet, si quis à nexu mulieris secesserit. Itaq; si quis cœlibatum nomine tenus professus, reipsa faciat ea quæ à coniugatis fiũt, manifestum est, quòd virginitatis honestatem nuncupatione quidem illius præstet, verum interea ab inconuenienti voluptate non desistat. Tanto facilius admonitioni nostræ acquiescere poteras, quantò magis liberum esse te à corporalibus affectionibus affirmas. Neque enim credo virum 70. annos natum, cum eiusmodi affectionibus cohabitare mulierculæ: neq; propterea ista determinaui, quòd aliquid absurdi designaueris: sed quòd ab Apostolo edocti sumus, non esse fratri ponendum offendiculum vel scandalũ. Scimus autem vsuuenire, vt quod à nõnullis rectè geritur, alijs in occasionem peccati cedat. Ob hanc causam, constitutionem sanctorum patrum sequuti, præcepimus, vt à muliercula separeris. Vt quid igitur Chorepiscopum accusas, & veteris inimicitię mentionem facis? Imò quid nos quoque, quasi aures habeamus delationibus admittendis procliues? & non magis teipsum reprehendis, quòd à consuetudine mulierculæ abstinere detrectas ? Eijce igitur illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium. Sit illa cum virginibus, & tu inter viros ministra: ne nomen Dei propter vos blasphemetur. Donec ista feceris, etiamsi innumera per epistolas causeris, nihil efficies: sed ociosus morieris, dabisque Domino ocij tui rationem. Si verò sine correctione tuipsius, ausus fueris sacerdotij retinere functionem, anathema eris omni plebi: & si qui te receperint, per omnem Ecclesiam excommunicabuntur.

ἀγαμία ἐστὶ σήμερον, ἀλλ' οὐκ ἀπαρνεῖας· οὕτως ἀγαμίας ἐρόδιον γέγονε πρὸς τὴν πορνείαν.

Chorepiscopus.

Ociosus, id est, sine functione presbyterij.

Presbyteris Antiochiæ BASILIVS.

XVIII.

SOllicitudinem illam quam pro Ecclesijs Dei geritis, ex parte recreabit desideratissimus ac religiosissimus frater, & consenior noster Sacteſimus, qui vobis totius occidentis erga nos charitatem & affectum exponet: & rursus ex parte animos vestros excitabit, & adhuc amplius prouocabit, dum vobis per seipsum luculenter declarabit, quantũ studij ac diligentiæ res præsentes exposcant. Etenim aliorũ quilibet veluti dimidiato de sentẽtijs virorũ occidẽtalium, & statu rerum narrauit: ipse verò, quoniam sufficiens ad hoc fuit, vt & voluntatem virorum cognosceret, & de statu rerum exactè inquireret, narrabit vobis omnia, ac bonum vestrum studium ad cuncta veluti manducat, quo conuenientem materiam ad hoc habeatis, vt propositum vestrum perficiatis, quod indesinenter pro Ecclesijs Dei sollicitũ ostendistis.

Desideratissimis ac religiosissimis fratribus & sympresbyteris, Acacio, AEtio, Paulo, Syluano, & diaconis etiam, & reliquis monachis fratribus, BASILIVS *epis.*

XIX.

CVm de graui persecutione aduersum vos excitata percepissem, & quòd confestim post Pascha, qui ad iudicia & pugnas

& pugnas ieiunarant, in tabernacula vestra irruentes labores vestros igni tradiderint, cognouissem (qui vobis quidē domum in cælis sine manibus constructam, sibiipsis verò ignis, quo ad nocendum vobis vsi sunt, thesaurum pararunt) ingemui quidem super eo quòd accidit, non vt vobis fratres (absit) sed vt illis condolerem, qui vsque adeò absorpti sunt à malicia, vt in tantum vsque facinus nequitiam suam extenderint. Verùm expectabam futurum, vt confestim ad humilitatem nostram, tanquam paratum refugium, vniuersi accurreretis: sperabamque, daturum mihi Dominum indesinentium dolorum meorum refocillationem è vestro complexu, & sudore illo, quem propter veritatem destillatis, in corpus hoc ocioſum excepto, habiturum me consortium præmiorum illorum, quæ vobis à iudice veritatis sunt recondita. Postquam autem id vobis ne in mentem quidem venit, nec aliquid refocillationis à nobis expectastis, continuam mihi ad vos scribendi occasionem dari optaui: vt quemadmodum aliqui decertantibus acclamant, ita ego & bono vestro certamini adhortatione aliqua per literas acclamarem. Fuit autem nobis ne hoc quidem factu facile, idque duabus de causis. Vna, quòd ignorabam vbinam locorum ageretis: altera, quòd non adeò multi sunt, qui ad vos proficiscantur. At hunc verò obtulit nobis Dominus desideratissimum ac religiosissimum fratrem Sacteſimum presbyterum, per quem charitatem vestram salutamus: obsecramusque vt pro nobis quoque oretis, lætantes & exultantes, quod merces vestra multa est in cælis: & quoniam fiduciam habetis in Domino, ne cessetis noctes ac dies clamare ad illum, vt certamen hoc Ecclesiarum compescat, plebibus pastores restituat, & Ecclesiam ad pristinam suam dignitatem redire faciat. Persuasus enim sum, si vox aliqua reperiatur, quæ optimum Deum flectat, non elongaturum eum miserationes suas: sed daturum nobis posthac vnà cum tentatione & exitum, vt ferre possimus. Cunctam in Christo fraternitatem nostro nomine salutate.

Scholastici cuiusdam pueri parenti, Consolatoria BASILII.

XX.

QVoniam nos Dominus in secundarium parentum ordinem Christianis constituit, dum nobis puerorum in se credentium formationem quæ per pietatem est concredidit, calamitatem illam quæ in obitu beati iam filij tui accidit, etiam ad nos propriè pertinere iudicamus. Ingemuimus quidem, propter immaturum illius discessum: tibi potissimum condolentes, ac recogitantes, quàm sit grauis dolor ei, qui secundum naturam parens est, quando & nobis secundum mandatum Dei affinibus tantum ex hoc casu acciderit mœstitiæ. Super illo quidem nihil triste nobis nec patiendum est, nec loquendum: verùm illi miserabiles, ac reuera multis lacrymis ac suspirijs digni censendi sunt, qui spe de eo concepta fraudati: & puerum, quem in ipso ætatis flore ad hoc à se dimiserant, vt in studio differendi exerceretur, silentem iam, idque silentio hoc prolixo & auersando, receperunt. Hæc nos quidem confestim, tanquam homines, commouerunt, illacrymatique sumus immodicè, & inconditos gemitus ex intimo cordis emisimus, propterea quod affectio ista rationem nostram veluti nebula quædam subitò occupauit: vbi verò ad nos reuersi sumus, & mentis oculo ad humanarum rerum naturam respeximus, de eo nos coram Domino repurgauimus, quòd animus noster veluti raptu quodam in hoc casu percitus commiserat: ac simul nos ipsos admonuimus, esse ista moderatè ferenda, quæ vitæ humanæ sorte hæreditaria secundum antiquam Dei sententiam contingunt. Mortuus est puer, secundum ætatem vitalis, in choris coætaneorum honestè se gerens, acceptus doctoribus simplici alloquio etiam ferociſſimum quemque ad beneuolentiam pertrahere valens, acutus in disciplinis, mansueto ingenio, & supra ætatem modesto: & si plura quis referat, adhuc tamen minus quàm veritas exposcit, narrabit: verum homo erat, ab homine prognatus. Quid igitur talis pueri parentem cogitare decet? Quid aliud, quam vt suiipsius parentis recordetur, quòd & ille sit mortuus? Quid habet ergo insolentiæ, quod è mortali natus, mortalis filij factus est pater? Quod autem immatura morte, & priusquam hac vita saturaretur, mensuramque adultæ ætatis consequutus hominibus innotescere, & generis sui successorem relinqueret, hinc est abreptus: non faciunt ista, meo iudicio, ad augmentum calamitatis, sed magis ad solatium. Gratiæ sunt agendæ diuinæ dispositioni, quòd nullos post se in hac terra pupillos, nec viduam prolixæ tribulationi expositam, aut alteri viro cohabitaturam, & priora pignora neglecturam reliquit. Quòd autem vita illius non est in hoc mundo amplius prorogata, quis adeò est insensatus, qui id nō maximi boni loco ducat? Etenim quo quis diutius in hac vita moratur, hoc plurium malorum occasionibus objcitur. Non patrauit malum aliquod, non struxit dolos proximo: non in id necessitatis venit, vt malè agentium conuenticulis misceretur: non est malis forensibus intricatus, non sustinuit peccandi vim, non mendacium, non ingratitudinem, non auaritiam, non studium voluptatum, non carnis affectus, qui imperitis animis innasci solent, expertus est, nec vlla vitiorum istorum cicatrice in anima notatus hinc migrauit, sed purus ad meliorem sortem discessit. Tellus dilectum non operit, sed cælum susceptit. Deus, qui res nostras dispensat, & temporum terminos singulis constituit, inque hanc vitam puerorum induxit, idem illum etiam transtulit. Documentum habemus ad quod in extremis calamitatibus respiciamus, celebrem illam vocem magni Iob, qua dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicuti Domino placuit, sic factum est.

Alia consolatoria BASILII.

XXI.

OPtabile quidem erat, vt primam epistolam mittētibus lætius esset scribendi argumentum. Nam sic nobis res ex animi sententia succesſissent, propterea quòd cupimus illis qui piæ vitæ prædi ti sunt proposito, cunctam vitam ad id quod bonum est prosperari. Verùm quoniam Dominus, vitæ nostræ dispensator, secundum inenarrabilem sapientiam suam ista prorsus ad animarum nostrarum emolumentum disposuit, quibus & tibi lugubrem vitam imposuit: & nos dilectione, quæ secundum Deum est, coniunctos, in compassionis affectum induxit, ex eo quòd à fratribus nostris, quid tibi acciderit, percepimus: necessarium iudicauimus, vt te, quo ad eius fieri possit, aliqua consolatione erigamus. Quod si possibile fuisset ad eum quoque locum vsque proficisci, in quo generositas tua degit, id sanè ante omnia feciſſem. Quoniam verò & corporis infirmitas, & multitudo negotiorum, quibus occupamur, etiam iter illud cuius moleſtiam subiuimus, multo Ecclesiarum nostrarum detrimento affecit, honestatem tuam literis inuisere, & admonere constituimus, tribulationes istas non ociosè seruis Dei inferri à Domino, qui nos inuisit, sed ad probandum quàm vera simus erga eum dilectione præditi, qui nos condidit. Quemadmodum enim athletas certaminum labores ac coronas, sic Christianos exploratio quæ per tentationes est, ad perfectionem adducit, si quæ à Domino dispensantur, competenti tolerantia & cum omni gratiarum actione ferenda susceperimus. Bonitate Domini disponuntur omnia. Nihil eorum quæ nobis accidunt, tanquam triste aliquid accipiendum est, etiamsi ad præsens infirmitatem nostram lædat. Nam etiamsi rationes ignoramus, propter quas singula quæ contingunt, tanquam bona nobis inferuntur; illud tamen persuasos nos esse conuenit, quod omnino vtile sit, quod contingit, vel nobis, propter patientiæ mercedem: vel animæ quæ hinc absumitur, ne diutius in hac vita moretur, malicia quæ in hoc mundo obtinet repleatur. Quòd si spes Christianorum ad hanc esset vitam determinata, non immeritò moleſtum videretur, si quis citius à corpore separetur. Si verò solutio ista, quæ à vinculis corporis liberatur anima, illis qui secundum Deum viuunt, veræ est vitæ principium: quid contristamur, quasi spem non habentes? Admitte igitur consolationem, nec subiace affectionibus, sed celsiorem te illis ac superiorem ostende.

INDEX EPISTOLARVM
BASILII MAGNI
AD
GREGORIVM NAZIANZENVM
POTISSIMVM ET ALIOS.

Gregorio Nazianzeno. I. II. III. IV. VII. X. XIII. XXVII.
Gregorij Nazianzeni Theologi cognomento Basilio Magno. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXVI. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV.
Eiusdem Gregorij Cæsarienſibus. XXIV. *&* XXV. *Epiſcopis, ex patris ſui nomine.*
Euſebio Samoſatorum Epiſcopo. V. VI. VIII. IX. XI.
Greg. Theologi Nicobulo. XII.
Maximo Philoſopho. XXXV. XXXVI.
Greg. Nyſſeno Epiſc. de differentia οὐσίας *&* ὑποστάσεως. XXXVII. XXXVIII. (*De hoc fratre ſuo Epiſt.* X.)
Greg. Patruo. XXXIX. XL.
Athanaſio Magno. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI.
Athanaſio Epiſc. Ancyræ. XLVII. *huius patri, Athanaſio quoque.* XLVIII.
Ambroſio Epiſc. Mediolanenſi XLIX.
Meletio Epiſcopo. L. LI. LII. LIII.
Antiochenæ Eccleſiæ. LIV.
Epiſc. & fratribus Occidentis. LV. *&* LXVIII. *de hæreſi Euſtathij, Apollinarij & Paulini.*
Eccleſiæ Neocæſarienſi, Conſolatoria in obitu Euſebij Neocæſar. LVI.
Clero eiuſdem Apologetica. LVII. LVIII. LXIX.
Sozopoli agentibus. LIX.
Nicopolitanis, Conſolatoria. LX.
Ancyranæ Eccleſiæ, de morte Epiſc. conſolatio. LXI.
Senatui Tyanorum. LXII.
Italis & Gallis Epiſcopis. LXIII. LXIV.
Alexandrinis. LXV.
Euaiſenis. LXVI.
Aſcetis, Monachis. LXVII.
Suis Epiſcopis, ne ob pecunias manus imponant. LXX.
Tranſmarinis Epiſcopis. LXXI.
Fidei ſuæ teſtimonium, cui & Euſtathius Epiſc. Sebaſtiæ ſubſcripſit. LXXII.
Euſtathio Epiſc. Sebaſtiæ. LXXIII. *Quæ de ſua ad pietatem conuerſione agit.*
Euſtathio Medico. LXXIV. LXXV.
Patrophilo Epiſcopo. LXXVI. LXXIX.
Leontio Sophiſtæ. LXXVII.
Sophronio Magiſtro. LXXVIII.
Boſporio Epiſcopo. LXXX.
Ad Simpliciam hæreticam. LXXXI. LXXXII. *Baſilij & Nazianzeni ſunt.*
Cæſarianis, de ſuo ab illis diſceſſu, & de Fide. LXXXIII.

Baſilij Magni, Libanij Sophiſtæ, & Iuliani Imp. Epiſt. quibuſdam Græco-latinis additis.

Baſilius Libanio. I. III. V. VIII. X. XIV. XVI. XVII. XIX. XXII.
Libanius Baſilio. II. IV. VI. VII. IX. XI. XII. XIII. XV. XVIII. XX. XXI.
Baſilius Iuliano Imp. XXIII. XXVII. XXVIII.
Ex Epiſt. ad Iulianum Apoſtatam. Confeſſio Fidei. XXIV.
Iuliani Baſilio. XXV. XXVI.
Baſ. Feſto & Magno. De litterarum fructu. XXIX.
Macario & Ioanni. XXX.
Theclæ. XXXI.
Antipatro Præſidi. XXXII.
Antipater Baſilio. XXXIII.
Andronico Præſidi. XXXIV.
Euſtathio Philoſopho. XXXV.
Diodoro, de libris & Dialogis. XXXVI.
Eunomio. XXXVII.
Olympio. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI.
Candidiano. XLII.
Firmino. XLIII.
Iulittæ Liberæ. XLIV.
Anepigraphos Epiſt. XLV.

Tarſenſibus Presbyteris Epiſtolæ II. Interprete Flaminio. Item alijs miſſæ.

I. *Occidentalibus.*
II. *Satalanis ciuibus.*
III. *Palladio & Innocentio presbyteris.*
IV. *Parnaſenum Eccleſiæ.*
V. *Arinthæi Prætoris coniugi, Conſolatoria.*
VI. *Terentio Comiti.*
VII. *Nectario, Conſolatoria.*
VIII. *Nectarij coniugi, Conſolatoria.*
IX. XIII. *Nicopolitanis.*
X. XI. XII. *Nicopolitanis Presbyteris.*
XIV. XV. *Theodoto Epiſc. Nicopolitano.*
XVI. *Diodoro.*
XVII. *Paregorio Presbytero.*
XVIII. *Antiochiæ Presbyteris.*
XIX. *Acacio, AEtio, Paulo, Siluano, & reliquis Monachis.*
XX. *Parenti Scholaſtici pueri, Conſolatoria.*
XXI. *Conſolatoria alia.*

TYPOGRAPHVS

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVÆ sequuntur Epistolæ tres non sunt in exemplaribus Græcis aut Latinis quæ hactenus excusa circunferebantur. Sed eas descripsimus ex quodam vetustissimo codice Latinè manu scripto, quem è Bibliotheca Regij Collegij Nauarræ mutuo rogatum acceperamus. Compluribus mendis scatebant, quibus nec licuit omnino mederi, quòd non succurreret aliud exemplar è quo transferri, aut ad quod conferri, & restitui posset planior aut latinior oratio. Quicquid autem fuit, maluimus durum, incultum, fortasse & barbarum edere, quàm omnino perditum relinquere, cùm certò deprehenderimus esse D. Basilij tum ex orationibus à Simone Magistro quondam ex eodem Basilio decerptis, tum ex Canone eiusdem Basilij, de differentia ciborum.

EPISTOLA EXCERPTORVM EX VARIIS DIVI BASILII CÆSARIENSIS ARCHIEPISCOPI [AD AMPHILOCHIVM ICONII EPISCOPVM:] INCERTO INTERPRETE:

nec Græce reperitur edita.

INQVISITVM iam à multis Euangelicum dictum * quasi ignoret Dominus noster Iesus Christus diem finis & horam, maximè ob hoc quia frequenter ab his qui dissimile asserunt profertur ad amputandam gloriam vnigeniti, & ad ostensionem dissimilitudinis essentiæ, & eius quæ secundum dignitatem est ὑφεσιν id est, minorationem, quemadmodum non valẽtem, nec eandem habere naturam, nec in simili dignitate intelligi eum qui non omnia nouit, ad illum qui cognitionem omnium comprehendit præscienti & complectiua futurorum virtute: Istud nunc à tua prudentia nobis quasi nouum propositum est. Quæ ergo à pueritia ex patribus audiuimus, & quę propter eam quam ad id quod bonum est amicitiam sine examinatione susćepimus, hæc dicturi sumus impugnantium quidem Christum inuerecundiam nobis soluentia (quæ enim apparebit ratio impetu eorum valentior?) Ijs autem qui diligunt Dominum, & qui eam quæ ex fide est, ab ea quæ ex ratiocinatione est firmiorem posident facultatem, sufficientem prorsus tribuentia satisfactionem. Id ergo quod dicitur, nemo, generalis quidem esse sermo videtur, quasi nulla persona ab hac voce subtrahatur. Non autem sic est à scriptura relatum, quemadmodum custodientes inspeximus in id quod dictum est: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Nõ enim ibi semetipsum extra ponens à boni natura filius ista dicit, sed qui primum bonum est pater, id quod dictum est, *nemo*, subaudiendum est primus, esse dictum. Credimus similiter & id quod dictum est, *Nemo nouit filium nisi pater.* Neque enim ibi spiritus ignorantiam accusat, sed primum patri adesse agnitionem suæ naturæ testatur. Sic & hoc quod dictum est, nemo scit, primam scientiam & eorum quæ sunt, & eorum quæ futura sunt ad patrem referentis, & per omnia primam causam hominibus subostendentis dictum esse arbitramur. Non quomodo vel reliquis testificationibus Scripturæ consonat dictum, aut communibus nostris intelligentijs potenit conuenire, qui credimus imaginem Dei esse inuisibilis vnigeniti: imaginem autem, non figuræ corporalis, sed ipsius deitatis & magnorum omnium quæ in essentia Dei intelliguntur, imaginem virtutis, imaginem sapientiæ, secundum quod dictum est: *Christus Dei virtus & Dei sapientia.* Manifestum est autem quòd pars sapientiæ sit agnitio, cuius nõ seruat omnem imaginem filius, si in aliquibus deficit. Quomodo autem & pater ei *per quem fecit secula* istam extremam partem seculorum & horum diem illam non ostendit? Et quomodo factor omnium, extremæ partis eorum, quæ ab ipso facta sunt scientia defecit? Qui autem dicit, iuxta finem illa & illa & in cœlo signa & super terram per loca apparebunt, quomodo ipsum finem ignorat? In hoc enim quod dicit: nondum est finis, non quasi ambigens, sed quomodo sciens determinat. Deinde etiam sana mente inspicienti multa & ab humana parte Dominus eloquitur. *Da mihi bibere*, vox est corporalem necessitatem exprimens: & tamen is qui patebat non erat caro inanimata, sed deitas carnem animatam vtens. Sic ergo & nunc id quod ignorantiæ est ad id quod proficit apud Deum & homines sapientia & gratia accipiens quis extra pium intellectum non eijcitur. Tui autem erit amabilis laboris proponere Euangelicas voces & conferre adinuicem Matthæi & Marci. Isti enim soli inuicẽ ad eundem locum adducti ex alterutro apparent. Matthæi igitur textus sic se habet: *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi pater solus.* Marci autem: *De die autem illa & hora nemo nouit, neque angeli de cœlo, neque filius, nisi pater.* Quid igitur in istis putamus significari dignius? Quia Matthæus quidem nihil dixit de filij ignorantia. Videtur autem Marco simul referre secundum intelligẽtiam, ex hoc quod dicitur, *Nisi pater solus.* Nos autem arbitramur quod dictum est, *solus*, ad angelorum distinctionem: Filium autem non comprehendi pariter cum suis seruis ignorantia. Verax est enim qui dixit, quia *quæcumque habet pater mea sunt.* In ijs autem quæ habet & agnitio est diei illius & horæ. Reticens igitur suam personam, sicut manifestum est in Matthæi dicto, Dominus angelos dixit ignorare: scire autem Patrem solum, patris cognitionem etiam suam, licet reijciat, esse dicens. Propter quod

* De die illa autem & hora nemo scit. &c. Matth. 24. Marc. 13. *Supra in Apologia ad Cæsarianos hæc disputantur eadẽ, in epistolis, quæ sũt comparãda.*

Matth. 19.

Luc. 10.

1. Cor. 1.

Luc. 21.

Matth. 24. Ioan. 4.

Matth. 24. Marc. 13.

Ioan. 17.

quod & in alijs dixerat: *Sicut cognoscit me pater, & ego cognosco patrem.* Si autem cognoscit pater filium totum ex toto, ita vt & reposítam in ipso omnem sapientiam agnouerit, secundum similem manifestè mensuram & cognoscitur à filio cum omni quæ inest ei sapientia & præscientia futurorum. Istam ergo dignam arbitramur interpretationem ex eo quod in Matthæo iacet, *nisi pater solus.* Quod autem Marco manifestè videtur & filium amputare ab cognitione, sic intelligimus: Quia nemo nouit neque Angeli, sed nec fortè filius sciret, nisi à patre ei esset data cognitio. Hoc autem prædicabile est & Deo dignum de filio dicere: quia cui est consubstantialis, ex ipso & agnitionem habet, & id quod in omni sapientia & gloria quæ deitatem eius condecet inspicitur. De Iechonia autem, quem abiectum esse de terra Iuda, propheta Hieremias asserit, dicens: *Hiere. 22.* *Deputatus est Iechonias sicut vas confractum quo opus non est, & quia proiectus est ipse & semen eius, & non exurget vltra de semine eius, qui sedeat super thronum Dauid, princeps Iuda.* Planè euidens ratio est. Exterminata enim Hierusalem à Nabuchodonozore, regnum quidem dissolutum est. Nequaquam autem vlterius paternæ successiones regentium sicut prius erant. Nam ab initio quidem vsque ad captiuitatem regnabant qui ex genere Dauid fuerunt. Regressi autem, Salathiel & Zorobabel populariter præerant populo, principatu iam in sacerdotium declinante, propter quod commixtæ erant sacerdotalis & regalis tribus. Vnde & Dominus rex est & sacerdos ad Deum: & non defecit quidem regalis tribus vsque ad Christi aduentum. Non tamen sedit super thronum Dauid de semine Iechoniæ. *Thronus* enim manifestè dicitur regalis dignitas omnis. Non autem historiam recolis, quia subiecta erat Dauid omnis Iudæa & Idumæa regio, & Moabitarum, & Syriæ, & quæcumque iuxta vel porrò erant vsque ad Mesopotamiam, & ab alio latere vsque ad flumina Ægypti. Si ergo nemo apparuit postea in tanta dignitate, quomodo non verus Prophetæ sermo est, quia non vltra sedebit super thronum Dauid de semine Iechoniæ. Nullus ergo videtur ex ipso derelictus, qui huius fuerit dignitatis. Non tamen defecit Iuda, vsque dum veniret cui repositum erat, qui nec ipse sedit super corporalem thronum, decedente iam Iudaïco regno in filium Antipatri Ascalonitæ Herodem, & eius filios, qui in quatuor principatus sortiti sunt. Iudæam quidem regente Pilato: vniuersam autem principatus Romani potestatem habente Tiberio. Sed thronum dicit Dauid super quem Dominus sedit, regnum quod auferri non poterit: *Gen. 49.* *Esaiæ 11.* *ipse est enim expectatio gentium*, non paruæ particulæ vniuersi orbis. *Gen. 17.* *Erit enim*, inquit, *radix Iesse & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Posui enim te in fœdus generis in lucem gentium,* *Psal. 88.* *& ponam*, inquit, *in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies seculi.* Iste igitur & sacerdos permansit, & quamuis sceptrum Iudææ non acceperit, & rex omnis terræ Deus, *Gen. 26.* & benedictio Iacob confirmata est: *Et benedicentur in semine tuo vniuersæ tribus terræ, & omnes gentes beatificabunt Dominum.*

Vide an rectè legatur Can. de differentia ciborum.

Fastui autem Encratitarum ad magnificam illam propositionem, propter quod & nos non omnia comedimus, illud dicendum est, quia quod & superfluum nobis deserimus: secundum dignitatem enim & olera fœni sunt nobis carnes, secundum discretionem autem eorum quæ expediunt, sicut in oleribus quæ noxia sunt ab alterutro separamus. Sic est in carnibus, id quod expedit ab eo quod nocet discernimus. Olus enim est & cicuta, sicut & caro est vulturina. Verumtamen nec * hyoscyamum comedit qui sensum habet, nec carnem caninam attingit, nisi magna necessitate cogente: sicut quis comedens non aget iniquè. Doctrina autem de *eleuatione in baptismate*, nescio quæ tibi emersit interrogare. Si tamen suscepisti trinam demersionem, typum trium dierum explet: baptizari enim tertio impossibile est, nisi toties eleuetur.

* *Scriptum erat* Simponiarum *quod nihil significat, voluerat fortassè scribere*, Apolinarium.

Essentia autem ab *hypostasi*, id est subsistentia, hanc habet differentiam, qualem habet id quod commune est ab eo quod ad vnumquemque est: & quomodo se habet Animal ad quendam hominem. Propter hoc *Essentiam* quidem vnam deitatem confitemur, quatenus essendi verbum indifferenter reddatur. *Hypostasis* autem, id est, id quod ad seipsum est inconfusè nobis & planissimè de Patre & Filio & Spiritu sancto intelligenda existit. Non enim intelligentibus nobis segregabas vnicuique figuras, velut paternitatem, filiationem, & sanctificationem: sed ex communi intelligentia confitentibus Deum impossibile est salubriter verbum fidei reddere. Oportet igitur eo quod commune est ad id quod proprium est adiecto sic fidem confiteri. Commune est deitas, proprium paternitas, sic coniungentes dicere: *Credo in vnum Deum patrem omnipotentem:* & iterum in filij confessione id quod vicinum est facere * ei quod commune est coniungere quod proprium est, & dicere, *In Deum Filium*: similiter & de Spiritu sancto secundum consequentiam habitudinem proferendæ exclamationis assumentes dicere: *Credo in diuinum Spiritum sanctum*, vt vndique vnitas saluetur in vnius deitatis confessione: & id quod personarum est proprium, confiteamur in eo quod segregatim in vniuscuiusque proprietatibus intelligitur. Qui autem idipsum dicunt essentiam & hypostasin, cogunturpersonas solùm differentes confiteri, & ad id quod circunstat dicere res hypostasis, inueniuntur non effugientes. Sabellij malum sicut & ipse sæpius confundens intelligentiam præsumit diuidere personas * easdem hypostasin dicens, ad vnicuique indecentem operationem transformari. Sed & de quibus inquisisti quomodo erga nos media ista & indifferentia dispensentur, vtrum euentu aliquo subito, an iusta Dei prouidentia, illud dicimus, * quia salus & ægritudo, diuitiæ & paupertas, gloria & * honoratio secundum hoc quidem quia non faciunt possidentes bonos, non sunt ex ijs quæ naturaliter sunt bona: secundum hoc autem quòd prosperitatem quandam præstant nostræ vitæ, electiosa sunt ab ijs quæ aduersantur præcedentia, & habere aliquam dignitatem dicuntur. Hæc igitur quibusdam quidem per dispensationem dantur à Deo, quomodo Abraham & * Iob & ijs qui huiusmodi sunt. Deterioribus autem prouocatio est secundum aliquem modum ad meliora: vt qui post tantam Dei prosperitatem permanet in iniustitia sine vlla contradictione semetipsum reum esse adiudicationi constituit. Iustus autem neque præsentes auersatur diuitias, neque absentes quærit: non enim perfruitur ijs quæ sibi data sunt, sed dispensat. Nullus autem sensum habentium discurrit vt vacet alienorum possessioni, nisi ad multorum respiciat gloriam, qui admirantur & zelant eos qui in potestate sunt constituti aliqua. Ægritudinem autem iusti quomodo concertationem suscipiunt, magnas tolerantiæ suæ sustinentes coronas. Alterum autem aliquem præficere gubernationi talium, non solum spernendum, verumetiam impium est.

* *Vel aliquid abundat, vel desideratur.*

* *Vel eadem. De diuitijs.*

* *Emendari possit hic locus ex oratione de diuitijs & paupertate.*

* *inhonora.*

* *Iacob.*

Epistola D. Basilii *ad Terentium: incerto interprete.*

QVando audiuimus venerationem tuam iterum compulsam esse ad eam quæ est communium rerum diligentiam, mox quidem conturbati sumus (veritatem enim loquimur) cogitantes quomodo tibi contra voluntatem esset dimittéti semel publicas sollicitudines, & vacanti ad tuæ animæ diligentiam, iterum cogi ad * eadem retorqueri. In mentem autem reuersi, quia fortè Dominus volens multimodis doloribus, qui nunc nostras ecclesias comprehenderunt, vnam hanc largiri consolationem placitam sibi, venerationem tuam iterum dispensauit in causis apparere. Pro qua re animæ quiores sumus, sicut quibus futurum est vel semel adhuc priusquam de hac * descendamus vita, simul ad conspectum venire honorabilitatis tuæ. Sed iterum nos detinuit alia opinio, quasi Antiochiam commoreris, & quæ in manibus sunt causæ cum magnis dignitatibus dispenses. Superistam autem famam iterum apprehendit nos auditus, quòd & fratres qui cum Paulino constituti sunt, colloquuntur aliqua tuæ rectitudini * de ea quæ nobiscum est vnitione. Nos autem dico patris hominis Dei Meletij Episcopi * quos audio & literas nunc occidentales alium circumferre, præcipientes eos habere episcopatum Antiochenæ ecclesiæ, reijcientes admirabilem episcopum veræ Dei ecclesiæ Meletium. Et non admiror istud. Quidam enim omni modo ignorant ea quæ in istis sunt partibus: quidam autem, etsi videntur scire, concertando magis quàm veritatem dicendo

* *eadem.*

* *discedamus.*

* *Vel, eam quæ nobiscum est vnitionem.*

* *Desideratur aliquid. Meletius Episc.*

dicendo eis referunt. Et illos quidem nihil mirum est aut ignorare veritatem, aut occultare causam propter quam *perductus. ascribendo Paulino * productus est beatissimus Episcopus Athanasius. Tuam autem perfectionem ibi habentem, quæ postea sub principatu Iobiani inter Episcopos facta sunt, integrè referre rogamus, vt ab ipsis quæ acta sunt discas. Veruntamen quia nullum accusamus, oramus autem magis ad omnes habere charitatem, & maximè ad domesticos fidei: congratulamur ijs qui apportauerunt de Roma literas, etsi magnam aliquam & venerabilem habent eorum testificationem, & oramus illam veram esse, & ex operibus ipsis confirmari. Non tamen propter hoc possumus nobismetipsis aliquando suadere, quia Meletium ignoremus, aut vt eam quæ sub ipso est ecclesiam obliuiscamur, aut inquisitiones pro quibus ad initio dissensio facta est minimas arbitremur, aut putemus modicam habere differentiam ad eam quæ de pietate est intentionem. Ego enim non ob hoc quia epistolam alicuius hominis accipiens ex ipsa superbia subduci ab studio aliquando suscipio, sed nec si ex ipso venit cœlo, & non congruit saluberrimæ fidei rationi, possum illum communicatorem arbitrari sanctorum. Cogita enim, ô magnifice, quia deprauatores veritatis qui Arianum schisma salubri Patrum fidei superinducunt, nullam aliam causam proferunt, pro qua non suscipiunt pium Patrum dogma, nisi intellectum homousij, quem ipsi dolosè & ad accusationem totius fidei exponunt, dicētes vnum secundum hypostasin homousion dici à nobis: quibus si quam dederimus accusationem ex hoc quod circunferunt eorum qui ex simplicitate magis quàm malitia ista vel istis vicina loquuntur, nihil prohibet nos quoque sine vlla controuersia, & aduersus nosmetipsos dare obligationes, & validam illorum constituere * quibus vna meditatio est in ecclesiasticis verbis non quæ sua sunt construere, sed quæ nostra sunt accusare. Quæ autem peior ab hac detractione inuenietur? & quæ magis possit multos permouere, quàm si inueniantur aliqui ex nobis Patris & Filij & Spiritus sancti vnam hypostasin dicentes? Nam si euidenter omnimodo personarum differentiam dogmatizent, hoc tamen est quod à Rabellio prolatum est, vnū quidem atque ipsum dicētes secundū hypostasin Deum. Diuersos autem à scriptura, & differenter personis aptari secundum proprietatem subiectæ * vnicuique personæ χρείας, id est necessitatis: & nunc quidem paternas ei apponerent voces, quando tempus ipsius personæ est. Nunc autem filio dicentes, quando ad nostram diligentiam aut alias operationes dispensatorias subingreditur. Nunc autem spiritus induit personam, quando tempus huiusmodi personæ voces postulat. Si ergo & à nobis esse appareant aliqui vnum esse subiectum Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicentes, tres autem perfectas personas confitentes, quomodo non euidentem & sine contradictione præstare videntur probationem, vera esse quæ dicunt de nobis? Quia verò ὑπόστασις & οὐσία, id est *subsistentia & essentia* non idipsum est, & ipsi quantum arbitror significauerunt qui ab occidente sunt fratres in his in quibus angustiam linguæ suæ aspicientes *ousiæ* nomen Græco vocabulo tradiderunt. Vt si qua est differentia intellectus, conseruetur ei perspicua & inconfusa distantia nominum. Si autem oportet & nos in breui quod nobis videtur dicere, illud dicemus: Quia quam habet rationem id quod commune est ad id quod proprium, hanc habet *Essentia ad hypostasin*. Vnusquisque enim nostrum & commune essentiæ tatione vt sit participat, & ijs quæ circa ipsum sunt propria ætatibus, ille est & ille: sic & ibi essentiæ quidem ratio communis, velut bonitas, deitas, vel si quid aliud intelligitur. *Hypostasis* autem in propria ætate paternitatis aut filiationis aut sanctificantis virtutis inspicitur. Si ergo ἀνυπόστατα, id est *insubstantiales* dicunt esse personas, ex hoc ipso habet sermo absurditatem. Si autem concedunt, inuertas ὑπόστασιν id est subsistentiam esse quod confitentur & numerant: vt & homousij ratio conseruetur, & in vnitate deitatis & pietatis agnitio Patris & filij & Spiritus sancti, in ea quæ perfecta & plenissima est vniuscuiusque eorum quæ nominata sunt hypostasis prædicetur. Verumtamen illud volo persuadere venerationi tuæ, quia & te & omnem qui vt tu similiter pro veritate curam gerit, & eos qui pro veritat. decertant, non exhonorat, sustinere oportet ad congregationem & pacem istam ecclesiarum defensores, quos ego columnas & firmamentum veritatis reputo, & tantò magis eos reuereor, quantò magis longius expulsi fuerint pro vindicta eis apposita ista segregatione. Rogo igitur conserua nobis teipsum sine imminutione, vt habeamus in te saltem * repausatio- * Requiem. nem, quem in omnibus nobis baculum & fulcimentum Dominus donauit.

Epistola D. Basilii *ad Ancillas Dei: incerto interprete.*

QVantum exagitauit nos primùm mœstificus rumor auditum nostrum circunsonans, tantum lætificauit nos Deo amabilis Episcopus frater noster Bosporius meliora de Veneratione vestra referens. Dixit enim per Dei gratiam omnia illa quæ commota fuerant, hominum esse confictiones non perfectæ scientiæ eius quæ erga vos est veritatis. Addidit autem, qui detractiones apud vos inuenit aduersum nos impias, & tales quales illi forsitan dicunt, qui non expectant de otioso sermone reddere rationem omnium iudici in diem retributionis eius iustam. Ita vt gratias agerem Domino, quia & ego sanatus sum ab ea quam de vobis calumniatoribus, vt assolet, hominibus acceperam læsionem. Et vos audiens deposuisse falsas de nobis opiniones ex his quæ audistis fratre nostro asseuerante, lætatus sum. In ijs enim quæ de semetipso vobis repræsentauit, pariter ostendit omnimodo & quod nostrum est. Vnus enim in vtrisque nobis fidei intellectus est: quia & eorumdem Patrum hæredes simus, qui in Nicæa aliquando magnam illam pietatis euangelizauerunt prædicationem. Cuius omnia quidem alia inaccusata patent omnibus. *Homousij* autem vocem malè à quibusdam iectam, sunt aliqui qui nec adhuc susceperunt, quos & culpet quis iuste, & iterum dignos venia dijudicet. Non enim sequi Patres, & eorum voci valentiorem ponere suam cogitationem, accusatione dignum est, vt præsumptionis plenum. Quod autem iterum ab alijs male diffamatam eandem vocem suspectam habent, istud aliquo modo videtur ab accusatione eos mediocriter liberare. Reuera enim qui sub Paulo Samosateno conuenerant, detraxerunt ducto quasi indecoro. dixerunt enim illi *Homousij* vocem repræsentare intelligentia essentiæ & ea quæ ab ipsa sunt, vt quasi partitam essentiam præstaret Homousij eloquutio in ijs in quibus diuisa est. Istud enim de ea re quidem, & quæ ex ipso sunt figurata habet aliquam rationem intelligentiæ. De Deo autem Patre, & de Deo Filio non est antiquior essentia nec superposita vtrisque conspicitur. Hoc enim transcendit omnem impietatem & intelligere & dicere. Quid enim erit Ingenito antiquius? Tollitur autem ex ipsa blasphemia & ea quæ in Patre & Filio est fides: cognata enim adinuicem sunt quæ ex imo subsistunt, & quia ex non extantibus in id quod est adductum esse Filium, adhunc tunc erant qui deiecerunt, vt & hanc abscinderent impietatem Patres *Homousion* addiderunt. Sine tempore enim & sine interuallo filij ad patrem copulatio est. Iudicant autem & præcedentia verba hanc esse eorum intelligentiam. Postquam enim dixerunt *lumen ex lumine*, & de essentia Patris filium *natum* esse *non factum*, addiderunt istis *Homousion*, ostendentes quia quidem quis reddiderit rationem luminis de Patre, ipsa apta & de Filio. Lumen enim verum ad lumen verum secundum eandem luminis intelligentiam nullam habet commutationem. Quia ergo est sine principio lumen Pater, genitum verò lumen Filius: *lumen* autem *de lumine* vtrumque *Homousion* iustè dixerunt, vt æqualem naturæ ostenderent dignitatem. Non enim cognata adinuicem Homousia dicuntur, (quod quidam suspicati sunt) sed quando & causatiuum & id quod cum causatiuo existentiam habet eiusdem existit naturæ, *Homousia* & dicuntur & sunt. Hæc autem vox & Sabellij mala corrigit. amputat enim identitatem *Sabellius.* ὑποστάσεων, id est substantiarum, & introducit perfectam personarum intelligentiam. Non enim sibijpsi aliquid est Homousion, sed aliud alteri, & bene se & piè habeat & hypostaseon determinans proprietatem, vt id quod natura immutabile est repræsentet. Quando autem & de

essentia

*Deest aliquid.

*Fortasse, vniuscuiusque.

Paulus Samosatenus.

essentia patris filium esse docemur, & *natum* non *factum*, non decedamus ad corporales passionum intelligentias. Nec enim diuisa est essentia à patre in filium, nec per decursionem genera uit, nec proferendo sicut arbusta fructus, sed ineffabilis est nec intelligibilis cogitationibus hominum diuinæ generationis modus. Reuera enim humilis est carnalis intelligentia rem corruptibilem & temporalem assimulare sempiternæ arbitrari, quia sicut ista corporalia, sic generat & Deus. * Similiter oportet ex contrarijs accipere occasiones ad pietatem. Quia ergo * mortalia sic, immortalis non sic. Nec negate ergo oportet diuinam generationem, nec corporalibus intelligentijs sordidare eorum intelligentiam. Spiritus autem sanctus patri quidem & filio connumeratur, propter quod & super creaturam est. Constitutus autem est, sicut in Euangelio edocti sumus, à Domino dicente: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Qui autem præponit illum filio, vel antiquiorem dicit patre, hic resistit Dei ordinationi, & alienus est à sua fide, non conseruans quem accepit glorificationis modum, sed sibimetipsi inaniloquium ad hominum placentiam excogitans. Si enim superior Deo, non ex Deo: scriptum autem est: *Spiritus ex Deo*, quomodo antiquior est illi ex quo est? Qualis autem vecordia est, vt dum vnus existat vnigenitus, aliquod dicere ingenito superius? Sed nec vnigenito anterior, nec enim aliquid inter filium & Patrem medium. Si autem non est ex Deo, & Christus est, nec est omnimodo, vnde ipsa ordinis nouitas ipsius * essentiæ effectionem habet, & totius fidei abnegatio est? Similiter ergo & impium est, & ad creaturam deducere diuinum Spiritum, & superponere illum aut Filio aut Patri, siue secundum tempus siue secundum ordinem. Quæ ergo agnouimus exquiri à vestra veneratione, ista sunt. Si autem dederit Dominus & in idipsum nos alterutrum fieri, forsitan & de ijs aliquid amplius dicemus: & ipsi ex ijs quæ inquisituri sumus, inueniemus aliquam à nobis satisfactionem.

* aliquid deesse videtur.
* Vel mortalis.
Matth. 28.
* existentiæ.

CANONES LXXXIV.

SANCTI BASILII

ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ,

COMMENTARIIS BALSAMONIS ANTIOCHENI PATRIARCHÆ EXPLICATI:

AD AMPHILOCHIVM ICONII EPISCOPVM,

EPISTOLA PRIMA CANONICA:

GENTIANO HERVETO interprete.

Canon I. *De hæreticis.*

Prou. 13.

TVLTVS, inquit Salomon, *qui sapientem interrogauerit, sapiens reputabitur.* Sapientem itaque, vt videtur, interrogare, etiam stultum sapientem efficit: quod mihi Dei gratia accidit, quoties laboriosæ tuæ animæ literas accipio. Nobis enim ipsis scientiores & prudentiores ab ipsa interrogatione reddimur, & multa, quæ nescie-
D bamus, docemur, & respondendi studium nobis doctrina efficitur. Certè enim & nunc cum tua interrogata nunquam nobis in mentem venissent, coacti sumus & accuratè considerare, & si quid à senioribus audiuimus, in memoriam reuocare, & ijs quæ docti sumus cognita animo apud nos cogitare. Quæ itaque ad *Catharos* pertinent quæstiones & prius dictæ sunt, & rectè admonuisti, quod oportet vniuscuiusque regionis morem sequi, quod variæ fuerint de Baptismate dissensiones eorum qui ab ipsis acceperunt. Pepuzenorum autem Baptismus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum quomodo hoc Dionysium, qui fuit
E canonum peritus, præterijt. Antiqui enim illum Baptismum susciendum putarunt, qui nihil fidei transgreditur, vnde alia quidem Hæreses nominauerunt, alia vero Schismata, παρασυναγωγάς, hoc est peruersas à congregatione dissensiones. *Hæreses* quidem, eos qui omnino abrupti sunt, & in ipsa fide sunt abalienati: *Schismata* autem eos qui propter aliquas ecclesiasticas causas & medicabiles quæstiones inter se dissident. *Paraſynagogas* autem: congregationes quæ fiunt ab insolentibus presbyteris, vel Episcopis. Vt si quis peccauisse conuictus sit, à sacra obeundi ministerio prohibitus, & is Canonibus se non submisit, sed sibi præsulatum, & sacrum ministerium attribuit: & quidam vnà cum eo
C recesserunt, relicta Ecclesia Catholica, id est *paraſynagoga*. *Schisma* autem est, in pœnitentia aliter se gerere quàm qui sunt Ecclesiæ. *Hæresis* autem est, vt Manichæorum, & Valentinorum, & Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum. Statim enim de ipsa in Deum fide est dissensio. Visum est ergo ab initio hæreticos quidem omnino abolere. Qui se autem abscisderunt, qui *Schismatici* dicuntur, vt qui adhuc sint Ecclesiæ, admittere: Eos autem qui sunt in paraſynagogis, conuenienti pœnitentia & conuersione correctos rursus Ecclesiæ coniungere, vt sæpe ij qui in gradu collocati cum insolentibus abierunt, postquam eos pœnituerit, in
D eundem ordinem admittantur. *Pepuzeni* ergo sunt apertè hæretici. In sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano, & Priscillæ *Paracleti* appellationem nefariè & impudenter attribuentes. Siue ergo, vt qui homines in deos referant, sunt condemnandi, siue vt qui Spiritum sanctum per concretionem cum hominibus & commixtionem iniuria afficiant, sic quoque sunt æternæ condemnationi obnoxij, quòd non sit concedenda blasphemia in Spiritum sanctum. Quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptisma iudicari, qui in Patrem & Filium & Montanum Priscillamque baptizant? non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quare etiamsi hoc magnum Dionysium præterijt, nobis tamen non est seruanda erroris imitatio. Ipsa enim absurditas est omnibus aperta, & euidens, qui modo rationis vel parua ex parte sunt participes. *Cathari* sũt & ipsi ex ijs qui sunt abscissi. Verum enimuero antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro * Furmiliano, eos omnes vni calculo subijcere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastas, quoniam separationis quidem principium per schisma. Qui autem se ab ecclesia abiunxerunt non habent amplius in se gratiam spiritus. Defecit enim traditio, quòd dississa sit consequentia: qui enim primi recesserunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritalem gratiam. Qui autem abrupti sunt, laici effecti

Cathari, qui & Nouatiani. Baptisma.
Hæresis quid & Schismata.
Haretici.
Schismatici.
Pepuzeni.
Cyprianus.
* Fort. Firmiano: qui Lactantius est.
Encratitæ.

effecti nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, vt qui non possint amplius Spiritus sancti gratiam aliis quoq; præbere à qua ipsi exciderunt. Quare eos qui ab ipsis baptizati erant, tanquamà laïcis baptizatos, iusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesię Baptismo expurgari. Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur. *Encratitarum* autem facinus oportet nos intelligere, quod vt se reddant non suscipiendos ab Ecclesia, aggressi sunt deinceps proprio Baptismati relinquere. Vnde suam quoque consuetudinem deleuerunt. Existimo ergo, quod, quoniam nihil est de his apertè dictum, oportet nos eorum Baptismum abrogare, & si quis ab eis acceperit, eum ad Ecclesiam accedentem baptizare. Quòd si hoc vniuersali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine vtendum est, & sequi oportet patres, qui quæ ad nos pertinent prouiderunt. Vereor enim ne vt eos voluimus circa baptismum tardos facere, eos qui seruantur impediamus propter tarditatem mandati. Sin autem illi nostrum Baptismum seruant, hoc ne nobis ægrè sit: neq; enim illis gratiam reddere tenemur, sed canonum subtilitati seruire. Omni autem ratione statuatur, vt qui ex illorum Baptismo accedũt, vngantur scilicet in fidelibus, & sic ad Mysteria accedant. Scio autem, quòd fratres Ixoem, & Saturninum, qui erant ex illorum ordine, in Episcoporum cathedram susceperimus. Quare eos qui illorum ordini coniuncti sunt, non amplius possumus ab Ecclesia separare, vtpote tanquam Canone aliquo communionis cum ipsis edito per Episcoporum susceptionem.

BALS. Postquã fecit Sanctus proœmiũ, & se quidem ad vltimam humilitatem redegit, Sanctum autem Amphilochium, qui interrogationes fecerat, valde laudauit, respondit de iis quæ fuerat interrogatus, & dicit, quod an oporteat baptizari Nouatianos, *qui etiam se ipsos* Catharos *nominant, diuersæ sententiæ processerunt, quemadmodum tu quoque commonuisti, & placuit sequi morem vniuscuiusque regionis. Deinde de* Pepuzenis *respõdere incipiens, docet quid sit* hæresis, *& quid* schisma, *& quid* paraſynagoga: *& hæreticorum quidem Baptisma dicit penitus aboleri, eorum autem qui se abscíderunt, seu schismaticorum admitti: eos autẽ qui per paraſynagogas seiuncti sunt, rursus Ecclesiæ coniungi pœnitentiam agentes, vt etiam ad priores gradus sæpe admittantur.* Pepuzenos *ergo, vt qui in sanctum Spiritum blaſphement*, & Montano, & Prisc illæ Paracleti *appellationem tribuant, dicit esse hæreticos.* Encratitas *autẽ*, & Hydroparastatas, *quemadmodum & vltimus secundæ synodi Canon definit, non rebaptizandos pronunciauit, sed sancto Chrismate inungi, & sic esse Sacramentorum participes, & existentes Episcopos, in suos thronos suscipi. Et sunt* Encratitę *quidem, qui nuptias reijciunt, & eas Satanæ esse dicũt, & omnem animatorũ esum prohibent.* Nouatiani *qui &* Cathari *dicti sunt, à Nouato quodã Romano, qui bigamos abhorrebat, & pœnitentiam non admittebat:* Hydroparastatæ *autem, qui aquam incruento sacrificio offerebant, & nuptias fornicationem appellabant.*

Nouatiani, qui & Cathari.

Encratitæ qui.

Hydroparastatæ.

Canon II. *Mulier fœtum in vtero corrumpens: seu fœtum perimens pharmaco: quæq; mortem sibi conscíuit.*

Quæ de industria fœtum corrupit, cędis pœnas luat. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur: hic enim non solum quod nascendum est vindicatur, sed etiam ipsa quæ sibi insidias parauit, quoniam vt plurimum eiusmodi incœptis vnà quoque mulieres intereunt. Ei autem accedit fœtus quoque interitus, alia cædes, eorum quidem certè, qui hæc audient, existimatione. Oportet autem non vsque ad obitum eorum confessionem extendere, sed decem quidem annorum mensuram admittere. Definire autem non tempore, sed modo pœnitentiæ medicinam.

BALS. De iis quæ fornicantur, & suos fœtus perimunt medicamentis, vel aliquo alio modo, dictum est in x. cap. xiij. tit. Nomocanonis Photij. Præsens autem Canon decernens eas quæ tale quid agunt homicidarum pœnis subijci, adijcit non esse differentiam vllam abortiui fœtus: siue enim est informe quod abortu eiectum est, sine formatum & quod habet hominis characterem, eadem est ratio. Hoc autem dictum est propter eos qui dicunt, quòd quoniam semen in matricem deiectum, non statim formatur in hominem, sed prius quidem sit sanguis, deinde in carnem humanam concrescit. Deinde effingitur, & formatur in membra & partes, non sit cædes quando abortio facta fuerit fœtus qui nondum est formatus. Præterea adijcit sanctus, quod non solum propter fœtus interitum sit cædis vindicatio, sed etiam propter insidias, quas sibi parauit mulier grauida. Vt plurimum enim matres quoque vnà pereunt propter eiectionem. Pœna autem, inquit, ne extendatur vsque ad finem vitæ eius quæ cædem perpetrauit, sed in decem annos. Porrò tale quoque tempus licet sit à Canone constitutum, oportet tamen medicinam, non tempore, sed modo circunscribi: scilicet si quæ peccauit quidem, pœnitentiam aspernari videatur, non solum decennium finietur, sed etiam augebitur. Sed si serio agat pœnitentiam, decennium quoque minuetur. Atque hæc quidem præsens Canon. Tu autem lege xci. Can. syn. in Trullo & quæ in eo sunt, & finem lxxx. Canonis præsentis epistolæ, & scies quod non solum quæ fœtum in vtero corrupit, subijcitur Canonico homicidæ supplicio, sed etiam quæ dat venena fœtus perimentia & quæ habet, & quæ accepit, etiamsi fœtum non peremerint. Cum autem præsens Canon hanc mulierem decennali supplicio puniat, consequenter xxj. Canoni Ancyranæ synodi, & lvij. S. Basilii *sic apertè dicentis:* Qui nõ sponte interfecit xj. annis non sit Sacramentorum particeps, *dicunt quidem inuoluntariã cædem perpetrare eam quæ data opera fœtum qui erat in vtero corrupit. Mihi autem videtur eam voluntariam quoque cædem perpetrare, vt hoc ex fine octaui Canonis ostenditur, & eam etiam loco eius haberi quæ sibi mortem conscíuit, si ea ratione perierit: voluntariæ autem cædis supplicio non subijci, quod in rerum natura non sit fœtus qui est in vtero: & quòd non male affecta mortem molita sit, sed propter metum non illiberalem, parentibus, forte vel domino, vel aliquo alio periculo minitante. Quod autem corrumpatur, & fœtus qui est in vtero, & infans in lucem egressus, manifestum est ex lib. Exodi: dicit enim hic liber Mosaicus:* Si duo viri pugnent, & prægnantem mulierem percutiant, & egressus fuerit infans non formatus, ea pœna multabũtur, quam mulieris maritus imposuerit. Sin autem formatus fuerit, dabit animam pro anima. *Ex xxxiij. Can. & lij. dicit enim, quæ sui fœtus curam non gesserit, veluti cædis accersatur. Atqui quæ per negligentiam fœtum eijcit, tanquam homicida reputabitur. Ex his ergo pulchre elicitur, quod quæ fœtum suum corrupit, voluntariorum homicidarum pœnis subijcietur.*

Canon III. *Diaconus fornicans.*

Diaconus post diaconatum fornicatus, à diaconatu quidem eijcietur, in laïcorum autem locum extrusus, à cõmunione nõ arcebitur, quoniam antiquus est canon, vt qui à gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur, primis, vt existimo, legem illam secutis: *Non vindicabis bis in idipsum:* & etiam propter aliam causam, quod qui sunt quidẽ in ordine laïco à loco fidelium eiecti, rursus in eum ex quo ceciderunt locum recipiuntur. Diaconus verò, semel habet quod sufficiat, depositionis iudicium. Tanquam ergo ei nõ reddendo diaconatu, in ea sola punitione steterunt. Hæc quidem sunt quæ ex Constitutionibus habentur. In summa autem verior est medicina, recessus à peccato. Quare qui propter carnis voluptatem gratiam vilipendit, per carnis afflictionem, & in omnis generis seruitutem, ad temperantiam à voluptatibus deficiens, à quibus fuit oppugnatus perfectam suæ curationis demonstrationem efficiet. Nos ergo vtrumq; scire oportet, & quæ sunt summi iuris, & quę sunt consuetudinis: sequi autem in iis quæ summum ius non admittunt, formam traditam.

Naum 1. v. 9. *iuxta* LXX. Vulg. *Non consurget duplex tribulatio.*

BALS. Vicesimus quidem quintus Canon Apostolicus, & præsens de Episcopo, & diacono dicit: sed xxxij. Canon S. Basilii *decernit quemuis sacratum, si peccatum ad mortem peccauerit, deponendum: non tamen à fidelium etiam communione, ne scilicet in Ecclesia congregetur, separari. Hic autem dicit Sanctus duas eius rei causas: vnam quidem illud:* Non vindicabis bis in idipsum: *alteram vero, quod laïci quidem propter sua peccata à fidelium congregatione excidentes, per pœnitentiã rursus in pristinum locum restituantur: sacrati autem non amplius reuertuntur ad sacerdotium à quo exciderunt. Tanquam ergo sufficiens habentes pro suis peccatis supplicium depositionem, à cõmunione non arcentur. Sed sunt hæc canonicarum, inquit, constitutionum. Est autem vera peccati medicina, ab ipso recessus. Etsi enim qui fornicatus est depositus fuerit, non consequẽter ita punitus esse videtur, vt etiam misericordiam à Deo consequatur, si adhuc in peccato perseuerauerit, nec Deũ clara contritione placauerit. Quare debet huius animæ vulneris, medicus scire quidem, & summum ius, scilicet punitionem clerici, qui fornicatus est, per depositionem: eam tamen non necessario sequi, vt eum etiam qui post depositionem fornicatur, impunitũ relinquat, vt iam per depositionem punitum, sed vt etiam eum segreget qui laïci locum subiit, & aliter eum puniat pro eius facultate cui medicina præbe-*

Naum 1. 9.

na præbetur. Lege & 59. Canonem huius epistolæ, qui fornicatorem septem annis punit.

CANON IIII. *De Trigamis & Polygamis.*

Trigamorum,& polygamorum eundem Canonem definimus,quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis,alij vero duos annos. Trigamos autem sæpe tribus & quatuor annis segregant. Id autem non amplius coniugium, sed polygamiam appellant, vel potius castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ quæ quinque maritos iam habuerat. *Quem nunc*, inquit, *habes non est* Ioan. 4.18. *maritus*,nempe quòd digni non sint qui à digamiæ mensura exciderunt, vt vel mariti, vel vxoris nomine appellentur. Consuetudine autem accepimus in trigamis quinquennij segregationem, non à Canone, sed ab eorum qui præoccuparunt consequentia. Oportet autem non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus, vel tribus annis:& postea permittit quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, à boni tamen communione abstinere, & sic postquam pœnitentiæ fructum vllum ostenderint,communionis loco restituere.

BALS. Postquam dixisset hic Magnus Pater antiquos Patres ne coniugium quidem nominasse trigamiam,sed polygamiam,*vel potius* castigatam fornicationem,*seu non effusam & passim sine vllo discrimine peruadentem,sed contractam, & in vna muliere circumscriptam,& Scripturæ dictis probasset, trigamiam non esse matrimonium,subiunxit eam quoque puniri conuenienter digamiæ, proportione vtriusque habita, vt ex hoc loco appareat trigamiam, sicut & digamiam non separari, sed puniri. Sed* digamiam *quidem ij. annis*: trigamiam *verò v. stare autem in loco audientium iij. annis, & postea cum fidelibus consistere ad quinquennium vsque trigamos, & ab eo tempore ostensis fructibus dignis pœnitentia in communionis locum restituere, atque hæc quidem Sanctus. Vnionis verò decisio, Tomus qui factus est sub Constantino Porphyrogeneta, & Romano, Constantino quidem imperante, socero autem eius Romano patris Imperatoris auctoritatem ac dignitatem obtinente, anno 6429. indictione 9. & qui singulis annis legitur in suggestu, mense Iulio, hæc dicit circa* " *finem: Deinceps autem communi sententia ac iudicio pronunciamus,* " *ex præsenti anno,qui est 6429. ind. 9. neminem oportere se quarto* " *matrimonio iungere,sed esse omnino reiciendum: & si quis ad eius-* " *modi coniugium venire voluerit, esse omni Ecclesiastica congregatione* " *priuatum,& ab ipso in sanctum templum ingressu alienum, donec in* " *coniugio permanserit. Hoc enim etiam Sanctis Patribus, qui nos præ-* " *cesserunt,visum est. Nos verò etiam sententiam apertiorem reddentes,* " *ipsum vt à Christiana republica alienum abdicamus. Ac sic quidem de quarto matrimonio. Vt autem quæ ad alia quoque matrimonia pertinent decentius constituantur,& non Christiana vita indignam institutionem habeant, de tertio quoque matrimonio definiamus, vt non absolutè ac simpliciter & temerè perficiatur. Etenim à Patribus quidem vt sordes permissum est,non sic tunc quidem vt nunc,re citra vllum ruborem impudenter peracta, & indiscriminatim contracta: sed quemadmodum si quis qui in domo in angulum incidit, multas sæpe sordes sitas viderit, nunc autem quando libertatem accepit, & perinde ac si nihil habeat dedecoris,& sordis reputatur,rectè dictum est hoc repurgare,quemadmodum & turpitudinem non in angulum coniectam,sed in ædibus diffusam,nullo modo permittimus, sed repurgamus,& quod molestum est & indecorum ab eo reijcimus, & humanæ cedentes infirmitati,honestatis autem Christianæ vitæ conuenientis curam gerentes,hoc in tertijs nuptijs seruandum statuimus. Vt si quis qui xl. annum excesserit,& nec naturam reueritus, nec honestæ vitæ quæ à Christianis debetur,vllam curam gerens, sed sola libidinis perturbatione victus,se in tertium matrimonium proiecerit, is cum omni diligentia & obseruatione sit vsque ad quinquennium sacramenti communionis minime particeps, & nec hoc tempus illi contrahatur. Qui enim post annum xl. sordem in Christi Ecclesia esse vel dici amauit,quod melioris vitæ argumentum præbebit,propter quod tempus sacramentorum participationis ei contrahatur. Sed & postquam impolluta participatione dignus habitus fuerit,non erit ei permissum in alio tempore ad participationem accedere,quam in sola salutari Christi & Domini nostri resurrectione propter ex præcedente ieiuniorum abstinentia repurgationem. Hæc autem dicimus, quando ex prioribus matrimoniis nõ fuerint liberi iis qui post xl. annum tertiam vxorem ducere voluerint. Nam si liberos habuerint, eis nullo modo tertium permittitur matrimonium. Etenim valde iniquum tempestiuæ libidini indulgere, priorum autem matrimoniorum liberis non prospicere, vt sint securi,& à molestia,& à perturbatione remoti,quæ solent euenire hominibus ex filiorum multorum susceptione. Quod si quis xxx. annos natus, & ex prioribus matrimonijs habens liberos, tertiæ mulieri coniunctus fuerit, is quoque nulla ei venia data ad iiij. vsque annum communionis sacramentorum sit expers, quia manifestum est eum sola intemperantia motum, & quod sit carnalis libidinis seruus, ad hoc se matrimonium conferre & postquam etiam sacramentorum participatione dignus fuerit habitus, semel quidem in salutari Christi & Domini nostri resurrectione: secundo autem in dormitione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ: & tertio in natali Christi & Dei nostri,quòd in his præcedat ieiunium, & eius vtilitas: sin autem non sint liberi, quia liberorum susceptionem desiderare facile est condonandum, & sola ea pœna quæ ab initio & hucusque seruata est,in eum animaduertetur. Hæc etiam de tertio matrimonio. Atqui nec secundum nec primum extra cautionem adhibitam relinquimus,sed & illa sic contrahi statuimus,vt nullam malam causam habeant,vel ex raptu,vel ex præcedente clandestino concubitu,sed legitimè,& ab iis qui ab eiusmodi inquinamentis & fornicatoria impuritate mundi sunt. Si quis ergo prædictis Constitutionibus neglectis, ad matrimonij consuetudinem primam,vel secundam processerit, eum Christi Ecclesia,quæ est pura, immaculata, & sine ruga, salutaribus examinationibus subijcit,nec prius ad diuinorum mysteriorum participationem admittit, quam definitum ipsum in fornicatione tempus expleuerit,nisi forte necessarius è vita excessus vrgeat,donec scilicet vij. annus completus fuerit. Sacerdos autem, qui ausus fuerit,præter id quod statutum est,diuina participatione aliquem dignari, de proprio gradu in periculum veniet,eo videlicet qui præter formam constitutam diuina communione dignus est habitus ad excommunicationem redacto,vsque ad vij.anni complementum. Sed hæc quidem vt ostensum est,ab iis qui olim imperauere, facta sunt. Hunc autem Patris & Filij & sancti Spiritus gratia & purissimæ Dei Matris & magni cœlestis militiæ principis [Michaelis] intercessionibus eos qui nonaginta ante annis pro causa & occasione prius ostensa abrupti erant sacerdotes,& monachos,à Deo coronatorum Imperatorum nostrorum, Romani & Constantini,coniunxit & vniit imperium,& vnam fecit Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: vnde merito sunt prædicandi & laudandi, qui tam pium opus, & tam dignum compleuerint. Cum Canon & nouella hæc statuerint, Ecclesia hucusque nostris temporibus tertium matrimonium fieri non permisit, nescio quam ob causam.*

CANON V. *De Hæreticis.*

Hæreticos,qui in excessu è vita pœnitentiam agunt,recipere oportet:recipere autem,non sine iudicio,sed examinantes, an veram pœnitentiam ostendant, & si fructus habent qui salutis studium testificentur.

BALS. Præsens quidem Canon statuit hæreticos,qui in fine vitæ fecerint pœnitentiam & petiuerint admitti,prius examinatos,an vere agant pœnitentiam, scilicet an à suis dogmatis desciscant, & fructus pœnitentiæ ostendant. Alij autem Canones, etiam hæreticos, qui sani sunt accedentes,& examinatos,similiter admitti iubent.

CANON VI. *De Canonicis.*

Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur,sed eorum coniunctio omnino diuellatur. Hoc enim & Ecclesiæ ad securitatem est vtile, & non dabit hæreticis aduersus nos ansam,quod propter peccãdi libertatem ad nos attrahamus.

BALS. Canonicos *seu* Regulares *eos dicit,qui in Canone enumerantur,* Clericos, *scilicet* monachos, monachas, *& quæ* virginitatem professæ *sunt. Si quis ergo ex his fornicatus fuerit, non permittetur ei deinceps peccare. Est enim verisimile Canonicũ qui peccauerat,sacerdotio motum ob fornicationem dixisse; Quoniam à dignitate excidi,voluptate certe perfruar: & sit mulier cum qua peccaui in societate & consortio coniugali. Lex enim dicit in lib. xxviij. Titu. iiij. cap. xvj. Qui cum libera quæ non quæstus gratia facit sui corporis potestatem,habet consuetudinem, ipsam non concubinam, sed vxorem habere videtur. Hoc inquit,non est permittendum, sed eorum coniunctio* " *est omnino separanda, & à se inuicem seiungenda. Quoniam leges in laicis locum habent, & hoc est Ecclesiæ vtile. Si ipsi enim à libidine alienati fuerint, nec alij audebunt tale quid facere, vt quibus non sic peccare permissum post Ecclesiasticæ dignitatis ademptionem. Sed hæreticis quoque non dabitur aduersus nos ansa, vt dicant quod propterea post fornicationem permittitur fornicatoribus peccare, vt ab aliis sectis propter corporis voluptatem ad nostra attrahantur, & alliciantur. Et hæc quidem facti species rectè ponitur, quod ad clericos attinet.*

Canonici seu Regulares, qui.

attinet. Quod ad monachos autem, & virgines, & monachos non sacratos attinet, quoniam eis honoris ablatio non inducitur, eos dixerit quispiam legem superius positam magis posse pro se adducere. De monachorum autem fornicatione & virginum Deo dedicatarum lege Syn. vj. Can. iiij. Sancti BASILII, *Can xviij. xx. lx. & lib. iiij. Imp. Tit. pr. cap. v. quod positum est in xxx. cap. noni. tit. Nomoc. Photij. Lege & cap. viij. xxxvij. tit. lx. lib.*

CANON VII.

Masculorum & animalium initores, & homicidæ & venefici, & adulteri, & idololatræ, eadem condemnatione digni habentur. Quare quam in aliis habes formam, in iis quoque serua. Eos autem qui in xxx. annis propter immunditiam pœnitentiam egerunt, & ignorantia fecerunt, nos quidem nec eos esse recipiendos dubitare oportebat. Nam & ignorantia eos venia dignos facit, & spontanea confessio, & temporis diuturnitas. Ferè enim tota hominis ætate Satanæ traditi sunt, vt discant nō se turpiter gerere. Quamobrem iube eos absque dilatione suscipi, maxime si lachrymas habeant, quæ tuam clementiam moueant, & vitam miserico rdia dignam ostendant.

BALS. Alij Magni Patris Canones sic definiunt, vt quotannis puniri debeant, qui in præsenti Can. comprehenduntur. Præsens autem Canon, etiam si dicit eos eadem condemnatione dignos, non tamen de pœnarum generibus intelligendus est: alio enim & alio modo puniuntur, & clarum quod ipsorum condemnationem, in formam, quæ consecuta est, distulerunt. Eos autem eadem condemnatione dignos esse habitos dictum est, quod omnes quatuor pœnarum locis subijcerentur, & ea in re similiter puniri. Quoniam autem nōnulli qui Incestum per ignorantiam commiserunt (hæc est enim immunditia, quæ in Canone comprehenditur, & non reliqua peccata, vt quæ nec sua natura possint per ignorantiam committi) cum xxx. annis pœnitentiam egissent, admitti volebant, dicit sanctus exinde eos esse recipiendos, probabiles quoque causas inducens. Debes autem idololatras *hic intelligere præstigiatores. Christiani enim, qui idolis sua sponte sacrificarunt, debent tota vita pœnitentiam agere. Illi autem dicuntur traditi esse Satanæ, qui à Christianorum communione separantur. Qui tanto ergo tempore separati fuere, Satanæ veluti traditi sunt.*

Incestuosi.

Idololatra.

CANON VIII.

Qui securi in ira aduersus vxorem suam vsus est, est homicida. Rectè autem me admonuisti, & vt tuam sapientiam decuit, vt fusius de ijs dicerem, quoniam multæ sunt in voluntariis, & inuoluntariis differentiæ. Est enim omnino inuoluntarium & multum ab eo qui incœpit remotum, vt qui lapidem in canem vel arborem iaceret, hominem assequeretur. Ei enim in animo bestiam vlcisci, vel fructum excutere, ictum autem casu subiit is qui in ipsum transeundo incidit. Quare hoc quidem certè est inuoluntarium. Inuoluntarium autem est, & si quis volens aliquem in melius conuertere, loro, vel virga non dura eum percutiat, mortuus autem sit qui percussus est. Propositum enim hic consideratur, quod peccantem corrigere volebat, non autem interimere. Est illud quoque & ex inuoluntariis, vt quispiam in pugna se ligno vel manu acriter defendens in præcipuas partes ictum torqueat, vt eum lædat, non vt omnino interficiat. Sed hoc quidem ad voluntarium magis accedit. Qui enim eo instrumento ad se defendendum vsus est, vel qui acriter minimeque parcens ictum inflixit, satis præ se tulit se animi perturbatione victum homini non peperciſſe, similiter & qui ligno graui, & qui lapide maiore, quam pro viribus humanis vsus est, inuoluntariis annumeratur, vt qui aliud quidem voluerit, aliud vero fecerit. Ita enim commotus eum ictum intulit ita vt percussum interficeret: quamquam is fortè contendebat eum humi affligere, & conterere, non autem penitus morte afficere. Qui autem ense vel aliquo alio eiusmodi vsus est, nullam habet excusationem: & maximè, qui securim iaculatus est. Neque enim manu percussisse videtur, vt in eo esset ictus moderatus, sed iaculatus est, vt & ferri grauitate, & acie, & vehementi per magnum spacium motu, necessario fieret pernicioſus ictus. Rursus autem omninò est voluntarium, & quod nullam habet dubitationem, quale est quod fit & à latronibus, & à bellicis incursionibus. Illi enim propter pecunias interimunt probationem fugientes: & qui bella gerunt, ad cædes faciendas accedunt, non terrere, nec castigare, sed aduersarios palam & ex professo interficere statuentes. Atqui, & si propter aliquam aliam causam curiosum medicamentum quis miscuerit, & interfecerit, id inter voluntaria ponendum est, vt fere faciunt mulieres, quæ quibusdam incantationibus, & amuletis, ad suum amorem attrahere conantur, & dant eis medicamenta, quæ mentibus tenebras, & caliginem offundunt. Hæ ergo si interfecerint, etiamsi aliud volentes, aliud fecerint, tamen propter curiosum & prohibitum exercitium inter voluntarias homicidas reputabuntur. Itaque, & quæ abortum cientia præbent medicamenta, sunt & ipsæ homicidæ, sicut & quæ fœtus necantia venena accipiunt. Hæc quidem hucusque.

Inuoluntarium.

BALS. Interrogatus Sanctus, an sit homicida, qui securim iaculatus in propriam vxorem, eam percussit, pronunciauit eum esse voluntarium eius homicidam. Deinde facit differentiam voluntariarum & inuoluntariarum cædium, & eum qui lapidem in bestiam vel arborem iaculatus est, transeuntem autem illac hominem fortè percussit, eumq; qui loro, vel leui virga aliquem docendi eum gratia percussit, si percussus mortuus fuerit, cædem inuoluntariam fecisse appellat. Eum autem qui in contentione aliquem virga duriore percusserit, vel in eo percutiendo manui non pepercerit, etiamsi eum qui percussus est, interficere noluerit, sed vel tantum lædere, vel se defendere, dicit ad eum qui cædem fecit voluntariam, proximè accedere, eo qui percussus est mortuo. Eum quoque qui ligno graui, & magno lapide vsus aduersus aliquem, eum interfecerit, cum nollet interficere, inuoluntarium homicidam definit. Eum autem qui quouis ense aduersus hostes & latrones vsus est, voluntarium homicidam pronunciat, sicut & eos qui curiosa dant medicamenta, & abortum cientia. Atque hæc quidem Canon. Tu autem lege xxvj cap. ix. tit. Nomoc. Photij, & quæ in eo scripta sunt de homicidis. Similiter lege & ij. Canon. huius sancti. Quia autem de homicidis, & veneficis non pauca tractat xxxix. tit. lx. lib. eum quoque lege: quinetiam ij. thema eiusdem tit. & lib. quòd hæc expresse tractat: Qui interficere constituerat, & si non interfecerit, sed vulnerauerit, est homicida: & qui noluit interficere, etiamsi interfecerit, non est homicida. *Affectio autem ex instrumento quod percussit, probatur. Dixerit quispiam, ei capiti aduersari præsentem Canonem decernentem inuoluntariæ cædis crimini subijci eum qui lapidem in canem vel arborem iaculatus fuerit, & hominem fortè occiderit. Dicimus ergo, quod dicta lex quæ de cæde voluntaria docet, eum qui non data opera interfecit, non nominat voluntarium homicidam. Est autem hic inuoluntarius homicida, sicut præsens quoque decernit, & punitur secundum thema antepenultimum xvj. cap. lj. tit. lx. lib. & secundum v. cap. xxxix. tit. eiusdem lib. definientem eum etiam qui per delicias, & ludum interfecit, in quinquennium exterminandum. Ita concorda caput Legis & Canonem. Et nota ex Canone & Lege, quod inuoluntarius quidem homicida ex euentu, seu cæde condemnatur: voluntarius autem, ex solo proposito. Etsi enim non interfecerit, vt homicida punitur propter solum propositum. Nam & xij. cap. dicti xxxvj. tit. dicit:* Nihil refert an occidas, an mortis causam præbeas. *Voluntariorum autem homicidarum pœna ostenditur in penultimo themate iij. cap. xxxvj. tit. quod dicit: Pœna aduersus homicidas, in iis quidem qui sunt bonæ existimationis, est relegatio, & perfecta publicatio: in vilibus autem & abiectis, ensi & bestiis obijci. Quia autem de voluntariis homicidis mense Aprili ind. xiiij. à potentissimo & sancto Imperatore nostro Domino Emanuele Comneno, Nouella edita est, eam manda memoriæ, quæ sic habet, post proœmium sic tractans,* Iubet *ergo omnibus qui sunt in regionibus iudicibus, & militaribus quæ sunt in eis copiis, & earum ducibus, vbi fuerit cædes voluntaria, & tale quidpiam ausus fuerit aliquis, vt omnes statim excitentur ad apprehendendum homicidam, & eum vinctum mittant ad Imperatoriam circunspectionem, vel si ea absit, ad Dei obseruatricis magnæ Vrbis præfectum, vt ipse in custodiam publicam introducatur, & tam in corpore quàm in bonis secundum legum & Nouellarum Constitutionum potestatem puniatur, & alia supplicia subeat, scientibus his omnibus. quod si probatum fuerit potuisse quempiam homicidam apprehendere, & non fecerit, eum non secus condemnandum quàm si imperio insidiatus fuerit: sin autem latuerit fortasse quispiam, & ad sanctissimam Dei magnam Ecclesiam confugerit, postquam pœnæ Ecclesiasticæ aduersus eum processerint, ex legali obseruatione*

eo quidem præsente qui reginæ Vrbium Imperium obtinet, ab eo mittetur in regionem, quam censuerit, vt totum vitæ suæ tempus illic transigat, nec illinc effugiat vt recurrat in eum locum in quo facinus execrandum admisit. Absente autem forte Imperatore, à Præfecto, vt dictum est, in aliquam remotiorem regionem exterminabitur, & illic vitæ suæ tempus peraget. Sin autem non solum voluntariè, sed etiam præmeditato, captoq; consilio cædem perpetrauerit, non cogetur ex prædicta regia constitutione tonderi. Si enim eum qui sua sponte ad tonsuram accedit, non eo ipso statim admittit Canonica subtilitas, sed ei sufficiente tempore attributo, & per ipsum mente eius acceßit firma, & stabilis examinata, si quidem hominem inuenerit in eo quod primum habuit proposito perseuerantem, & monastico habitu, & corporis mortificatione se impigre præparantem, boni quoque operis ei affert complementum, eo in monasticam institutionem statúmque suscepto: quomodo non fuerit à ratione alienum, & à legibus spiritualibus dißidens, aliquem necessario tondere, eúmque homicidam, quem Deus eo vsque reliquit vt etiam manus fraterno sanguine polluere t? Timendum est etenim, ne inuitus vitam Angelicam ingressus, eáque vi suscepta, venerando habitu in ludibrium vtatur. Qui enim homines leuiores in † dementiam inciderunt, ij peßimas & peruerßißimas actiones suapte natura aggrediuntur. Loco ergo tonsuræ statuit mea Imperialis Majestas; vt qui voluntariam cædem capto consilio perpetrauerit, in custodia toto vitæ suæ tempore degat: & nec illinc quidem educatur iussu fortè Imperatorio per obliuionem exhibito. De eorum autem facultatibus fiat, sicut iußit Imperator memoratus. Quia autem plures homicidæ, qui cædem meditato & consilio capto perpetrant, ad sanctißimam Dei Ecclesiam postea accedentes; non vt facta est à se, sed vt ad suam facit vtilitatem cædem confitentur, iubet mea Imperialis sublimitas, vt à sanctißimo huius temporis Patriarcha ad regionis Antistitem, & qui ei subest clerum, quinetiam ad regionis iudicem cum pœna scribat, & quemadmodum factam esse cædem ex illius rescripto intellexerit, ita eam quoque persequatur: & non eum qui capto consilio cædem facit propter falsam suam confessionem, ad easdem pœnas, & eadem supplicia admittat, ad quæ, qui fortuito & improuiso in tale aliquod crimen incidit. Si quis autem homicida, qui ad sanctißimam magnam Ecclesiam confugerat, & vel perpetuo exilio condemnatus vel in vinculis esse, vel in perpetua esse custodia toto vitæ suæ tempore iussus erat, solutus inuentus fuerit in loco vbi cædem perpetrauit ambulare, vinctus ab exactore qui est in regione, ad meam Imperialem sublimitatem mittetur, & quæcunque quidem res tunc ei inuentæ fuerint, exactori in lucrum cedent, & ei qui homicidam indicauit ex æquo diuisæ. Omnino autem curæ erit iis qui sunt in sanctißima magna Ecclesia illorum iudicibus, vt cum conueniente Canonica seueritate crimina cædis puniant, & tempora non temerè contrahant, nec pluſquam par sit in iis quæ non decet, se leues & clementes præstent. Imperialis autem meæ constitutionis exempla, ab iis qui præsunt iudiciis descripta, missa ad Ecclesias quæ sunt in regione, ibi reponentur, vt eorum quæ sunt constituta omnes scientiam habeant, vt faciant quemadmodum eis comprehenditur. Quod si is qui capto consilio cædem fecit, tonsuram sua sponte elegerit non absque probatione, inter monachos cooptabitur, sed sufficienti tempore accuratißime & diligentißime ex canonicis constitutionibus examinatus, & probatus, in monasterio vel inuitus toto tempore manere cogetur, nec ei vnquam exire permittetur. Monasterium autem erit omnino in alia prouincia, & non in ea terra quæ mortui sanguinem dehiscens male suscepit.

† ἀπόνοιαν.

Canon IX. *De Diuortio*

Domini autem dictum secundum sententiæ consequentiam ex æquo & viris, & mulieribus conuenit, quod *non liceat à matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem.* Consuetudo autem nõ ita habet, sed in mulieribus quidem multum accuratè & diligenter obseruari inuenimus, cum Apostolus quidem dicat: *Quod qui adhæret meretrici, fit vnum corpus:* Hieremias autem: *Quòd si fuerit mulier cum alio viro, non reuertetur ad virum suum, sed polluta polluetur.* Et rursus: *Qui habet adulteram, stultus est & impius.* Consuetudo verò etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes, iubet à mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hic attigit mulierem, quæ dimisit. Quamnam ob causam à coniugio decessit? si enim pulsata, & verbera non ferens? pati satius erat quàm à coniuge separari: siue iacturam in pecunijs non ferens, nec ipsa est iusta excusatio. Sin autem quod ipse viuat in fornicatione, non habemus hanc obseruationẽ in Ecclesiastica constitutione, sed etiã infidelis viri *iussa est mulier non separari*; sed remanere propter incertitudinem euentus. *Quid enim scis mulier, an virum tis seruatura?* Quare, quæ relinquit est adultera, si ad alium virum accesßit. Qui autem reliquit, est dignus venia & quæ ei cohabitat, non ideò condemnatur, sed si vir qui ab vxore discesßit, accesßit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari; & quæ ei cohabitat est adulteram, eo quod alienum virum ad se traduxit.

Matth. 19.

1. Cor. 6.

Ierem. 3.

1. Cor. 7. 13.

1. Cor. 7. 16.

BALS. Sanctus interrogatus quid debet fieri coniugibus, si quis ex ipsis se ad aliud matrimonium contulerit, vel etiam fornicatus fuerit: fecit responsum ex diuersis Scripturis, & ex consuetudine quæ tunc seruabatur. Quia autem, quæ in hoc Canone sita sunt, cxvij. Imperatoris Iustiniani Nouella, quæ in 6o. 28. libri titulo posita est, penitus immutauit, lege ea, similiter & iij. Nouellam, & vt semel dicam, à primo capite eiusdem titul. vsque ad vj. & scies quot modis soluantur coniugia, & quomodo à lege Ciuili puniuntur qui adulterant à suis coniugibus, vel etiam fornicantur, præterea autem & qui præter rationem vitæ societatem relinquunt. Lege etiam iura quæ ad finem vsque primi capitis ij. titu. Nomoc. Photij. sita sunt, similiter & interpretationem ix. capitis eiusdem tit. & ex his omnibus fuse de his intelliges.

Canon X.

Qui iurant se ordinationem non admittere, eiurantes ne cogantur peierare. Etsi enim videatur esse aliquis Canon qui eis concedit: experientia tamen cognouimus eos qui peierarunt non recta via ingredi. Considerandæ autem sunt, & verba iusiurandi, & affectio, & res pro qua iurarunt, & quæ subtiliter in verbis facta sunt additamenta. Nam si nulla sit penitus excusatio, ij sunt omnino dimittendi. Seueri autem negotium de presbytero ab eo ordinato, talem mihi videtur habere excusationem, si tibi itidem videtur. Agrum autem Mesthiæ subiectum, cui homo renunciatus est, iube Masodis subesse: sic enim nec ille peierabit à loco recedens. Et Longinus habens secum Cyriacum, Ecclesiam non deseret, nec suam animam propter ocium damnabit, nec nos videbimur aliquid concedere præter Canones Cyriaco, qui se in Mindanis quidem permansurum iurauit, translationem autem suscepit. Reuersio enim erit iusiurandi obseruatio. Quod autem œconomiæ, & dispensationi cesserit, id ei ad periurium non imputabitur, quod non iurii urandoadiectum sit ne paululum quidem à Mindanis recessurum, sed deinceps permansurum: Seuero autem obliuionem causanti nos condonabimus, dicentes quod occultorum cognitor non videbit suam Ecclesiam ab eo damno affectam qui ab initio quidem non fecit canonicè: iureiurando autem præter Euangelia se adstrinxit: eo autem quod translatus est peierare docuit, nunc autem mentitur, quoniam obliuionem præ se fert. Quoniam autem non sumus cordium iudices, sed ex iis quę audimus iudicamus, demus Domino vindictam, ipsi autem indistincte suscipiamus, humano vitio, obliuioni scilicet, veniam dantes.

Rom. 12. 19.

BALS. Quidam vt ordinarentur euocati iurarunt se ordinationem non admissuros. Dicit ergo sanctus non oportere eos cogi peierare. Et si enim, inquit, videatur iis qui ex se ipsis iurarunt, vel qui aliquod sibi vinculum iniecerunt, vel carnem non comedendi, vel vinum non bibendi, vel nec illud faciendi, licere rursus vinculum soluere, & à iureiurando deficere, sed experientia didicimus, quod qui peierarunt, non recta via ingrediuntur, sed à Deo sinuntur propter periurium tentari. Oportet autem, inquit, in his sacramenti quoque formam quærere, an in Deum iurans dixerit, an in aliquid aliud; & verba eius qui iurauit, & affectionem qua iurauit, & etiam subtilia in verbis additamenta. Est enim consentaneum ex sacramenti qualitate, & ex verbis, & ex affectione, an scilicet pusillo, & infirmo, an constanti, & firmo animo iurauit, considerantes comprehendere. non prohiberi oportere eum qui iurauit à iureiurando desistere, & an eos oporteat non permittere peierare. Negocium autem Seueri, seu causa, erat eiusmodi: Longinus quidã habebat agrum qui dicebatur Mindana, qui quidem erat Misthiæ Episcopatui subiectus: Seuerus autem cum esset Maraduni Episcopus quendam Cyriacum ordinauit presbyterum, in templo quod erat in

Seuerus Episc. Maraduni. Longinus.

erat in agro, iureiurando prius adactum quod in templo permaneret, vel potius Episcopatui esset subiectus: sed Episcopus regionis cui erat ager subiectus prohibebat Cyriacum ab alio ordinatum sacra celebrare in Ecclesia quæ ad ipsum pertinebat, & ideò Cyriacus ea relicta aliò translatus est. Porrò Longinus quoque id ægre ferens, minatus est se Ecclesiam desertam relicturum. De ea ergo re interrogatus Magnus BASILIVS, respondit crimini subijci eum qui lapidem in canem vel arborem iaculatus fuerit, & hominem forte occiderit. Dicimus ergo, quod dicta lex quæ de cæde voluntaria docet, eum qui non data opera interfecit non nominat voluntarium homicidam. Post autem hic inuoluntarius homicida, sicut præsens quoque, agrum cui renunciatus est Cyriacus, in quo scilicet presbyter nominatus est, oportere esse Masadaurum Episcopatui subiectum, & nisi esset alius regionis, & Cyriacum illuc reuerti. Sic enim, inquit, Nec ille faciet præter sacramentum, nec Longinus Ecclesiam desertam relinquet vel etiam destruet: nec suam animam propter ocium condemnabit, seu subiectam reddet, vt qui orationibus, & diuinis hymnis nō vacet, sed ab eis cessabit. Nos quoque, inquit, quæ ad Cyriacū pertinent dispensantes, & permittentes vt redeat ad Ecclesiā in qua se perseuerare iurauit, nō videbimur facere præter Canones, nec ille iusiurandū transgredi videbitur. Reuertēs enim videtur seruare iusiurandum, quia iuriiurādo adiectum non est se non ad breue tempus excessurum ex agro Mindanorum. Vide ergo quomodo ex verborum examinatione & consideratione sanctus sententiam venatur, vt is qui iurauit non videatur peierare. Hæc ergo de Cyriaco. Seuerus autem accusatus quod in agro qui erat alij regioni subiectus ordinasset, dicebat se hoc obliuione fecisse, nesciens agrum alij esse subiectum. Quoniam ergo, inquit, ad sui defensionem ignorantiam allegat, oportet ei ignosci, eumq; Dei iudicio relinquere, & quoniam cordium cognitores non sumus, sed vt audimus, iudicamus; demus Deo vindictam, condonantes propter obliuionem, quæ est humanum vitium. Et Canon quidem in his consistit. Tu autem lege xvij. cap. xiiij. Titu. Nomoc. Photij, & quæ in eius interpretatione scripta sunt de retractatione iurisiurandi. Tu autem habe in memoria id quoque quod à sancto scriptum est de facto, quod incidit in ordinatione Cyriaci, & de periurio quod ab eo commissum est: & nota quod propterea, vt est verisimile, ignoscitur regionis Antistitibus, qui in quibusdam Patriarchalibus Ecclesiis sacra celebrant. Nisi enim ignorantiæ prætextus Seuero auxilium tulisset, depositus esset, quòd vltra suam diœcesim ordinationem fecisset. De sacerdotibus autem falso testificatis lege LXXVI. Imperatoris domini Leonis sapientis Nouellam, quæ continet: Quod si sacerdos falsum testimonium iuratus dixerit, deponitur. Quòd si iusiurandum non accesserit, in monasterium ad triennium seperetur, & sic pristino ordini restituatur. Nos autem in xxviij. & xxix. Canonis huius sancti Patris interpretatione multa scripsimus de iureiurando. Quia autem audiui aliquem dicentem eum esse iuratorem, qui iurat per meam animam, per orationem sanctorum Patrum, per remissionem peccatorum meorum, & quæ sunt huiusmodi, dico Magnum BASILIVM scripsisse in suis Asceticis, ea non esse sacramenta, sed vota, & sacramentorum species, quæ dicuntur, vt auditoribus satisfaciamus: & ideo vitio non dantur. Nam & Ioseph, inquit, iurauit per salutem Pharaonis, & Apostolus scripsit ad Corinthios, per nostram gloriationem: & rursus. Benedictus Deus, veritatem dico, non mentior.

Sup. Cano. VIII.

Rom. 12. 19.

Asceticæ Basilij Mag.

Gen. 42. 15.
2. Cor. 7. 14.
Rom. 9. 1.

CANON XI.

Qui autem inuoluntariam cædem fecit, in vndecim annis abunde iudicio satisfecit. Clarum est enim, quòd in iis qui percussi sunt, quæ voluit Moyses, obseruauimus, vt eum quidem qui propter plagas quas accepit, decubuit: rursus autem virga sua innixus ambulauit, occisum esse non reputabimus: sin autem post ictus non surrexit, cum eum tamen nollet interficere, qui verberauit, est quidem homicida, sed inuoluntarius propter propositum.

BALS. Quinquagesimus sextus Canon sancti Patris eos qui inuoluntariam cædem fecere, vndecim annis à diuinorum sacramentorum participatione separat. Præsens autem Canon dicit: eum qui non solum decennio sed etiam vndecim annis sacramentis non communicauit, inuoluntarium spontaneum occiforem, satis superque fecisse. Deinde adijcit, eum non ideo vt homicidam condemnari qui aliquem percussit, etiamsi in principali aliquo, & opportuno loco plagam infixerit, non tamen cum occidendi proposito: sed oportet, inquit secundum legem Mosaicam, eius qui percussus est rationem ducere: & si postquam ab ictu decubuit, non conualuit, sed mortuus est is qui percussit inuoluntariæ cædis crimine tenebitur: sin autem ab ictu surrexit, & virga sua innixus ambulauit, hoc est, non perfectè à morbo est liberatus, deinde mortuus est, eum qui percussit non reputari vt homicidam. Quare nota etiam ex hoc, quemadmodum diximus, & in viij. Can. inuoluntariam cædem ex effectu ostendi. Propterea enim nec de ictu laboramus an sit magnus, an paruus, sed de morte quæ ex ictu processit. Nota autem ex præsenti Canone quòd in cæde inuoluntaria nonnulli malè sunt nimium curiosi, quærentes quo die vulneratus est, & post quot dies eum qui percussus est mors consecuta est, & si etiam longum tēpus post ictum præterierit, ex hac tamen causa mortuus est, qui ictum sustinuit, nihilo secius factam esse dicemus cædem inuoluntariam. Lege & viij. Canonem huius sancti Patris, & eius interpretationem.

CANON XII.

Digamos Canon omnino à ministerio excluſit.

BALS. Sanctus hic Canonem xvij. Canonem Apostolorum dicit, & ministerium dicit Ecclesiasticum clericatum: & lege dictum Canonem.

CANON XIII.

Cædes in bellis factas patres pro cædibus non reputauere, vt mihi videtur, ignoscentes iis qui pro pudicitia & pietate decertant. Rectè autem fortè habet consulere vt qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant.

BALS. Per præsentem Canonem Sanctus consulendo suggerit, vt qui in bello cædem fecerunt, toto triennio à communione abstineant: etiamsi patres eis veniam dederunt, & inter homicidas eos non reputauerunt, qui pro pudicitia & pietate decertauerunt fidelium, qui erant in seruitutem redigendi. Hic autem Canon diuini Patris sanctitati conuenienter editus est, sed non est in vsu, eo quòd ex eo eueniret, si admitteretur, vt milites sacramentorum nunquam essent participes, cum in bellis alij aduersus alios perpetuò versentur, vt hostes interficiant: quod est non ferendum. Scriptum est enim, quòd cum Phocas ille Imperator vellet eos Martyribus annumerari qui in bellis occiduntur, qui tunc erant sacerdotes hoc vsi Canone imperatoriam instantiam silentio mandarunt, dicentes. Quomodo eos qui in bellis ceciderunt inter Martyres annumerabimus, quos Magnus BASILIVS, vt qui non essent puris manibus, triennio à sacramentis prohibuit? Cum autem multi sacerdotes, & vnus quidem ex eis Episcopus, se iussu Imperatorio synodaliter stitisset, & cum hostibus se manus conseruisse fassi essent, diuina & sancta Synodus consequenter huic canoni, & xlv. eiusdem sancti, & aliis diuinis Constitutionibus, volebat ipsos non amplius sacra celebrare. Complures autem, & qui erant paulo magis militares, eos etiam præmiis dignos esse contendebant. Multi autem qui in tempore ludicri cum virgis certaminis homines interfecerant, homicidis annumerati sunt, qui inuoluntariam voluntariè cædem perpetrarunt, vtpote cum hoc ludicrum non sit ex iis quinque quæ lege agnoscuntur, quæ etiam certamina agones dicuntur, scilicet pugilatus, cursus, saltus, discus, palæstra. Quare qui in eis ludicris interficiunt, præiudicio non afficiuntur.

Phocas Imp.

Ludi V.

CANON XIV. *De Clericis vsurariis.*

Qui vsuras accipit, si iniustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab auaritiæ morbo deinceps liberari, est ad sacerdotium admittendus.

BALS. Sanctorum quidem Apostolorum Canon xlv. Episcopos, vel diaconos fœnerantes cessare, vel deponi oportere definit. xvij. autem Canon primæ Synodi omnes Canonicos fœnerantes deponi iubet. Lege ergo eorum Canonum interpretationes. Sed quia lex ciuilis non punit laicos fœnerantes; sed etiam permittit ad vsuram mutuò dare: nonnulli autem, vt est verisimile, fœnerantes volebant ad sacrum ordinem promoueri, & propter turpe lucrum eis non permittebatur: dicit ergo Sanctus eos etiam ad sacerdotium admittendos, si quæ ex vsuris collecta sunt in pauperes consumpserint, & se id asseruerint non amplius facturos.

CANON XV. *De auium piscium q; generatione.*

Admiror autem tuam † litteralem in scriptura subtilitatem, & accuratam diligentiam qui postules, vt reputes coactam

† γραμματικήν.

coactam esse dictionem, vtpote interpretatione, quod à se bene significatur exprimente, non quòd à voce Hebræa denotatur transferente. Quia autem oportet quæstionem quæ à viro † quærendi studioso posita est, non ociosè præterire: *Volucres cœli, & pisces maris,* etiam in mundi creatione eandem generationem sortita sunt. Ambo enim genera ex aquis producta sunt. Causa autem quòd vtrisque eadem est proprietas. Hi autem per mare, illi verò natant in aëre. Propterea ergo eorum communiter meminit. Figura autem orationis vt ad pisces quidem † conuenienter reddita: vt autem ad omnia quæ degunt in aquis, valde etiam propriè. Nam & volucres cœli homini subiecti sunt, & pisces maris, & non ipsi solum, sed & omnia quæ maris semitas perambulant. Non enim si quid est aquatile, est etiam piscis, vt sunt cete, balenæ, & zygenæ, & delphines, & phocæ, & præterea equi, & canes, & ferræ, & gladij, & boues marini: si vis autem etiam vrticæ, & pectines, & omnia testacea, quorum nihil est piscis, & omnia quæ vias maris perambulant, vt sint tria genera, volucres cœli, pisces maris, & quæcunque aquatilia à piscibus distincta ipsa quoque maris semitas perambulant.

† ζωπλικὰν. *Psal. 8. 9.*

† κατὰλληλως.

Canon XVI.

Naaman autem non magnus apud Dominum, sed *apud dominum suum:* hoc est, vnus erat ex iis qui magnam obtinebant potestatem apud Regem Syrorum: Scripturę ergo diligenter mentem adhibe, & inuenies hinc solutionem Quæstionis.

4. Reg. 5. 1.

B A L S. Præsentes duo Canones xv. & xvj cum nullam canonicam, & communem faciant traditionem, sed Scripturæ tantum dicta explicent, non sunt à nobis interpretati: vt qui Scripturæ dicta explicare non statuerimus, sed Canonica & legalia præcepta.

Canon XVII. *De Iureiurando.*

Cùm pridem ad tuæ sanctitatis nobis propositas quæstiones respondissem, non misi litteras, partim quidem à longa & periculosa infirmitate detentus, partim verò propter ministrorum inopiam. Pauci enim sunt apud nos, & viæ periti, & ad huiusmodi ministeria parati. Quare cum non nostræ tarditatis causas didiceris, da nobis veniam. Admirati autem sumus simul tuam discendi cupiditatem, & humilitatem, quòd velis discere, cum docendi locus sit tibi creditus, & à nobis discere, in quibus nihil est magnum ad cognitionem. Sed tamen quia propter Dei timorem non recusas hoc facere, quod quidem non sit facile ab alijs, oportet nos tuæ alacritati, & bono studio etiam supra vires opem ferre. Interrogasti nos de Bianore presbytero, an propter iusiurandum sit in clerum suscipiendus. Ego verò commune iam quoddam decretum de omnibus qui simul iurauerunt, ijs qui Antiochiam sunt clericis me edidisse memini, vt ipsi à publicis conuentibus abstineant, priuatim autem presbyterorum munera obeant: eodem autem modo & ad suum ministerium ei potestatem præbere oportet, quia non est Antiochiæ sacerdotium, sed Iconij, quod vt ipse ad nos scripsisti, Antiochia ad habitationem permutauit. Est ergo vir ille suscipiendus à quo tua pietas postulatur, vt ob facilitatem iusiurandi eum pœniteat, quod sub infideli viro iurauit, cum parui illius periculi molestiam ferre non potuerit.

B A L S. Quidam Antiocheni sacerdotes, quorum vnus erat etiam Bianor, propter infidelis cuiusdam minas, nefarium iusiurandum iurarunt, & multos ideo Orthodoxos offenderunt, vt qui infidelis modestiam non sustinuerint. Cùm itaque Bianor ex Antiochia Iconium migrasset, & sanctus Amphilochius, qui erat Iconij antistes, sanctum interrogasset, an sit Bianor in clerum suscipiendus, respondit sanctus: commune decretum, seu Canonem edidi de sacerdotibus, qui Antiochiæ iurarunt, vt ij à publicis quidem, seu communibus conuentibus abstineant, priuatim autem presbyterorum munera obeant, quòd Bianori quoque licet facere: & eo magis, quòd nec Antiochiæ quidem est sacra celebraturus, nec videntes eum post iusiurandum sacrificantem offensurus, sed Iconij quò migrauit: & fortè nec offendiculi quidem causa fuerit, cum multi illius iusiurandi formam nesciant. Sed inquit, etiamsi ad sacra sit faciendæ admittendus, petatur tamen ab eo vt facilitatis iusiurandi eum pœniteat, quòd scilicet facilè promptęq; iurauerit, cedens propter metum parui periculi.

Canon XVIII. *De lapsis Virginibus.*

De lapsis Virginibus quæ vitam in honestate Domino professæ sunt, deinde quoniam carnis perturbationibus subiectæ sunt, sua pacta conuenta infirmarunt, Patres quidem clementer & leniter in eorum qui labuntur infirmitatem se gerentes, esse admittendas censuerunt post annum, ad similitudinem digamorum decernentes. Mihi videtur, quòd quoniam Dei gratia procedens Ecclesia fit fortior, & ordo Virginum nunc augetur, est adhibendus animus rei quæ per intelligentiam cernitur, & sententiæ Scripturæ quæ potest ex consequentia inueniri. Viduitas enim virginitate minor est. Ergo & viduarum delictum à Virginum delicto secundum est. Videamus ergo quid à Paulo ad Timotheum scriptum est: *Viduas iuniores deuita. Quando enim in Christo deliciatæ fuerint, volunt nubere, habentes iudicium quod primam fidem irritam fecerunt.* Si vidua itaque grauissimo iudicio subiecta est, vt quæ fidem in Christum irritam fecerit, quid de Virgine putandum est, quæ est sponsa Christi, & sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum, ancillam quoque, quæ clandestinis matrimoniis * tradit stupri domum implere, & possessorem per malam vitam iniuria afficere. Sed multo est grauius sponsam fieri adulteram, & vnione cum sponso ignominia & dedecore affecta, se incompetentibus voluptatibus tradere. Vidua itaque vt corrupta ancilla condemnatur. Virgo verò adulteræ iudicio subijcitur, sicut eum, qui cum aliena muliere cohabitat, adulterum nominamus, eum non prius ad communionem admittentes, quàm à peccato cessauerit: ita videlicet & in eo qui virginem habet, afficiemur. Illud autem nobis confiteri est necessarium, quod Virgo nominatur, quæ se sua sponte Domino obtulit, & matrimonio renunciauit, & vitam in sanctificatione prætulit. Professiones autem ab eo tempore iudicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his esse ratas existimare oportet: sed eam quæ supra sedecim, vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos, & diu examinata probataque perseuerauerit, & vt admittatur precibus contendit, tum oportet in sacrarum Virginum catalogum referri, eiusque confessionem comprobare, & illius infirmationem inexorabiliter punire. Multas enim parentes, & fratres offerunt, & quidam eorum qui eas cognatione attingunt, ante ætatem non ex se ipsis ad cælibatum incitatas, sed aliquid, quod ad victum suum pertinet procurantes, quas non facilè admittere oportet, donec apertè propriam suam sententiam perscrutati fuerimus.

Vidua & Virginis lapsus differentia. 1. Tim. 5. 11.

* *f. tradita, stupris.*

Virgo, quæ.

Professio quando.

B A L S. Diuersis in locis diximus quòd mulieres, virgines, & viduæ Ecclesias cum laico habitu accedentes, illæ quidem virginitatem, hæ verò continentiam profitebantur, & tanquam Deo dedicatæ ab Episcopis omni corporali studio & prouidentia dignæ habeantur. Interrogatus itaque sanctus, quid debeat fieri in Virgines, quæ fornicantur, dixit quòd Patres quidem decernunt eas sicut & bigamas puniri, easq; post annum sancta communione dignas haberi. Ego verò videns Ecclesiam in bonum proficere, & sacras Virgines augeri, dico eas debere potius vt adulteras puniri. Et dictum suum hinc comprobat, dicens quòd viduitas est minor Virginitate. Si ergo vt dicit Apostolus, habent iudicium, seu condemnantur viduæ, quæ suam professionem irritam faciunt, multo magis condemnabuntur virgines. Similiter ancillam quidem viduæ assimilat: Virginem verò sponsæ alicuius patrisfamilias, & ita ex omnibus colligit adulterij crimine rectè teneri lapsas Virgines. Deinde subiungit se de illis Virginibus dicere, quæ se Domino sua sponte obtulerunt, & matrimonio renunciarunt in ætate sedecim vel septemdecim annorum. Quæ autem in minori ætate fiunt professiones, dicit non admittì debere. Multas enim, inquit, offerunt patres etiam inuitas propter paupertatem vel aliquam aliam causam. Hæc cum decernat Canon, ne dixeris id intelligi de monachis, vel ascetriis: etsi enim in minori ætate crimen seculare deposuerint, prima erit, vt mihi videtur, ad id quod deinceps sequitur ipsorum professio.

Viduæ, Virgines, Monachæ.

1. Tim. 5. 11.

Canon

Canon XIX. De virorum cælibatu.

Virorum autem professiones nō nouimus præterquàm si qui seipsos monachorum ordini adiudicarint : qui tacitè videntur cælibatum admittere. Sed in illis quoque illud existimo præcedere oportere, vt ipsi interrogentur, & euidens ipsorum accipiatur professio, vt postquam se ad libidinosam & voluptariam vitam conuerterint, eorum qui fornicantur punitioni subijciantur.

Monachorū professiones.

BALS. Nota ex præsenti Canone dicente, Virorum autem professiones non nouimus, præter quam si qui se ipsos in Monachorum numerum retulerint, quod in xiiij. Canone, non dixit de monachis, sed de virginibus Deo cum laico habitu segregatis. Lege Carthag. Syn. vi. Can. xliij. & cxxv. Monachos autem dicit, etiamsi tacitè videantur castitatem profiteri, debere tamen eos etiam interrogari, & cælibatum profiteri, vt si mentiti fuerint vt fornicatores puniantur. Etsi autem hæc ita se habeant, ne dixeris quòd Monachi, qui hanc professionem non fecere, insontes nulliq; culpæ obnoxij seruabuntur. Etsi enim non fuerit tonsus quispiam, sed ῥαϹοφορήσει, non poterit mutare habitum & ad nuptias conuolare, sed inuitus ad habitum monasticum reuerti cogetur, sicut hoc sæpe diximus. Idem erit & de monachis, & de omnibus clericis tribunalis. Nam & ij omnes tacitè profiteri videntur se matrimonium non contracturos post ordinationem: & canonem transgredientes, deponuntur. Quære sanctorum Apostolorum Canonem xxvj. Ancyr. Syn. can. x. & Syn. in Trullo can. vj.

Canon XX. De mulieribus nubentibus.

Quæcunque mulieres virginitatem professæ sunt, deinde postea matrimonium maluerūt, non existimo eas oportere condemnari. Quæcunque enim dicit lex, ijs dicit qui sunt in lege. Quæcunque autem iugum Christi nondum subierunt, eæ nec Domini leges norunt. Quare sunt ab Ecclesia cum omnibus suscipiendæ, & propter hoc habent remissionem ex fide in Christum, & omnino quæ in catechumenica, seu quæ initiatur, vita fiunt, in iudicium non vocantur. Clarum est autem quod eas Ecclesia non sine baptismo recipit. Quare generationis priuilegia sunt in ipsis necessaria.

BALS. Vt est verisimile, hæreticæ mulieres virginitatem profitebantur, deinde se viris nuptum dabant: ad ecclesiam autem accedentes, reprehendebantur, vt mentitæ. Dicit ergo sanctus, eas non esse cōdemnandas, de iis quæ mentitæ sunt antequam crederent. Deinde in summa tradit, Canonem non punire eos qui crediderunt & baptizati sunt, de iis quæ ante baptismum commiserunt. Hæreticos autem eos intellige, qui non suscipiuntur nisi prius baptizati fuerint. Sunt enim quidam hæretici, qui sunt etiam sine baptismo suscipiendi. Lege vij. can. ij. syn. & can. xvij. sanctorum Apostolorum.

Canon XXI. De adulteræ diuortio.

Si vir cum muliere cohabitans postquam matrimonio non delectatus in fornicationem inciderit, eum fornicatorem iudicamus, & eum pœnis amplius grauamus : Canonem tamen non habemus, qui eum adulterij crimini subijciat, si in solutam à matrimonio peccatum cōmissum sit. Nam adultera quidem, inquit, polluta polluetur, & ad

Prou. 18. 22.

virum suum non reuertetur, *& qui adulteram detinet, stultus est & impius.* Qui autem fornicatus est, non excludetur à cohabitatione cum vxore, quemadmodum mulier maritum suum à fornicatione reuertentem excipiet. Vir autem eam quæ polluta est, à suis ædibus amandabit. Ac eorum quidem ratio minimè est facilis. Consuetudo autem sic inualuit.

BALS. De fornicatione & adulterio lege v. cap. xiij. titu. Nomoc. Photij, vt canones, & leges quæ in eo sitæ sunt. Hic autem sanctus eum qui habet vxorem, & cum alia muliere fornicatus est, fornicatorem dicit, non adulterum : Mulierem autem marito coniunctam, quæ cum vllo alio viro quàm cum marito rem habuit, vocat adulteram, adijciens quod eam quidem maritus non cogetur inuitus in ædes suas recipere; sed eo ipso ab ea separabitur. Virum autem qui fornicatus est, à legitima vxore matrimonium nō separat. Quamnam autem ob causam hæc inquit, ita lege cauta sunt, non est intellectu facile. Nota autem ex præsenti Canone, non esse vnius tantum speciei fornicationem, nec illam eisdem pœnis curari. Eum enim magis debere puniri, qui habet vxorem legitimam & fornicatus est, maxima autem pars pœne medici animæ iudicio relinquitur.

Medici animæ iudicio.

Canon XXII. De rapientibus mulierem.

Eos qui ex raptu habent mulieres, si alijs quidem desponsas abripuerint, non prius oportet admittere quàm ab eis ablatæ sint, & sit in eorum potestate quibus desponsæ fuerant, an eas velint accipere, an desistere. Si quis autem † vacantem acceperit, auferre quidem oportet, & suis restituere, illorum autem sententiæ permittere, siue sint parentes, siue fratres, siue quicunque alij virgini præsint, & si ei quidam tradere voluerint, matrimonium cōstituere: sin autem renuerint, non cogi. Ei autem qui mulierem vel vi, vel clam à se vitiatam habet, necesse est fornicationi pœnas imponere: est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipsos deflere ad fores Ecclesiæ. Secundo autem, ad auditionem admitti. Tertio, admitti ad pœnitentiam. Quarto, ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione, deinde eis permitti boni communionem.

† σχολάζουσαν.

BALS. Vigesimus septimus Canon Calchedon. syn. qui idem est omnino canon. xcij. sextæ synodi, decernit quid debeat fieri iis qui mulieres rapiunt nomine coniugij. Præsens autem Canon iubet eos qui mulierem alteri desponsam rapuerint, non aliter ad pœnitentiam admitti quam raptas prius dederint, vt sponsi earum ipsas, si velint, accipiant: sin minus, sit apud suos cognatos. Ab eis vero qui mulierem liberam, seu nulli desponsam rapuerint, eam itidem auferri & tradi parentibus, vel iis qui alioqui ad eam attinent: vt eam si velint, raptori coniungant, cum eius consensu: sin autem hoc eis non placuerit, ne fiat. Quomodocunque autem res habeat, siue raptæ raptor coniungatur, siue non, pœnis erit fornicatorum obnoxius, & non solum sic punietur raptor, sed & is qui puellæ clam vitium attulit. Fornicatorum autem pœnas in quatuor annos definit. Et in his quidem Canon consistit. Lex autem ciuilis alio modo raptores punit : nec vllo modo permittit vt raptor raptæ coniungatur. Et tu lege xxvij. can. Syn. Calched. & xcij. vj. & can. lxvij. sanctorum Apostolorum, & cap. xxx. ix. titu. Nomoc. Photij, & quæ in eis sunt. Cum autem audis lxxxiij. can. dicentem, ex consensu parentum, vel cognatorum puellæ eam dari nuptum ei qui rapuit, ne dixeris parentum consensum eumq; solum sufficere. Quoties enim sunt legitimæ nuptiæ, necessarius quoque est eorum qui coniungantur consensus, siue sint sui iuris, siue in potestate. Dicit ij. cap. iiij. titu. xxviij. lib. hæc expresse, Non sunt legitimæ nuptiæ, nisi ij qui coniunguntur consenserint, & qui eos habent in potestate: si autem ex hac lege, iis qui sunt in potestate suus est necessarius consensus: multo magis non fiet matrimonium eorum qui sunt sui iuris, nisi ipsi quoque consenserint.

† ἀπαράλαϛον.

Consensus parentum in matrimonio filiorum.

Canon XXIII.

De his autem qui duas sorores vxores ducunt, vel eis quæ duobus fratribus nubunt, à nobis edita est epistola, cuius exemplum tuæ pietati misimus. Qui autem sui fratris vxorem accepit, non prius admittetur, quam ab ea recesserit.

BALS. Incestus quoque peccatum, sicut & alia peccata, ab ecclesiastica medicina curabitur. Interrogatur ergo sanctus, quid iis fieri oporteat qui cum duabus sororibus rem habent, & contra, dixit se de iis scripsisse epistolam : Ea est autem quam scripsit ad Diodorum, & illic ostenditur quid agendum. Debent autem qui hoc nefarium matrimonium contraxerunt, à malo recedere: & ita de curatione sciscitari. Lege ergo Epistolam ad Diodorum, & quæ in ea sunt, & ij. cap. xiij. titu. Nomoc. Photij.

Infra.

Canon XXIIII. De viduis nubentibus denuo.

Viduam, quæ in viduarum numerum relata est, hoc est, quæ ab Ecclesia in diaconatum susceptæ est, censuit Apostolus nubentem † despici. Viro autem viduo nulla est res imposita, sed digamorū eis pœna sufficit. Porrò vidua sexaginta annos nata, si rursus cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessauerit. Sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra est, non mulieris culpa.

1. Tim. 5.

† παραφαίνω.

† διαχεόντο.

BALS. *Quemadmodum virgines mulieres cum laico habitu in Ecclesiis collocabantur, & ex Ecclesiæ redditibus † alebantur ita, & viduæ cum eodem habitu ordinabantur. Dicit ergo sanctus, quod magnus Paulus, eam quæ post quam in ecclesia ordinata est, secundò nupsit, censuit seu definijt despici, hoc est ab ecclesia expelli, & si ipsa quidem ante sexagesimum annum secundò nupserit, eam solam pœnam sustinebit: est enim digna venia, vt quæ propter iuniorem ætatem secundò nubere coacta sit, & ij potius qui eam antequam sexagesimum annum compleuerit, ordinarunt, sunt reprehendendi, vt qui Apostolicam constitu-*

1.Tim.5.9. *tionem transgressi sunt, quæ dicit,* vidua eligatur non minor lx. annis. *Quæ autem post annum sexagesimum continentiam infirmãs, secundò nupsit, à sancta communione erit separata, donec ab impuritate cum viro abstinuerit. Sanctus enim* impuritatem *appellauit, in ea ætate matrimonium. Virum autem, inquit, qui secundò vxorem ducit, non vllo alio modo lex punit, quàm per digamorum pœnam, quæ est ad vnum annum segregatio. Quia autem sanctus præcepti Apostolici meminit, debes scire quod magnus Apostolus ad Timotheum scribens, dicit:*

1.Tim.5.3. & 5. † μεμονωμένη. Vulg. desolata. 1.Tim.5.16. † ἐπαρκείτω. 1.Tim.5.11. Honora viduas, quæ verè sunt viduæ. *Et paulo post:* Quæ est autem verè vidua, & † sola, sperauit in Deum, & permanet in precibus, & orationibus. *Et rursus post ea:* Si quis vel quæ fidelis habet viduas, eis † suppeditet, & ne grauetur Ecclesia, vt ijs quæ verè sunt viduæ opem ferat. *Et rursus,* Iuniores autem viduas deuita. *Et hæc quidem de viduis mulieribus, quæ in Ecclesia cooptatæ sunt. Quæ enim tales non sunt, quotiescunque secundò nupserint, in bigamorum pœnas incident, æquè ac viri: Lege & ij. caput xiij. tit. Nomoc. Photij. Ne mireris autem, quomodo non definierunt, vt viri vidui cum laico habitu ordinentur. Patres enim maiorem mulierum quàm virorum rationem habent. Mulieres enim, vt quæ non tenẽt modum eorum parandorum, quæ sunt vitæ necessaria, ad secundas fortè nuptias necessario diuertunt, licet velint esse continentes: & ideo eis succurrit Ecclesia ne secundò nubant paupertatis prætextu. Viri autem, qui multis modis quæ sunt ad victum necessaria comparant, nõ possunt paupertatem prætexere ad depellendam secundi matrimonij reprehensionem, & propterea nec ab Ecclesijs quidem admittuntur, & aluntur.*

Mulieres secundo nubentes. *Consequenter autem huic rationi ne dixeris debere mulieres impunitas remanere, vt nonnulli dicunt, quæ secundò nupserint. Sed & ipsæ secundò nubentium pœnæ subijciantur. Intelliges autem ex xiiij. titu. xxviij. lib. quòd mulieres quæ secundo nubunt magis puniuntur quàm viri, qui vxores secundò duxerunt.*

CANON XXV. *De muliere constuprata.*

Qui à se stupratam mulierem detinet, stupri quidẽ pœnam subibit: Ei autem mulierem habere permittetur.

BALS. Stuprum *propriè dicitur in virginibus, & in impubere. Dicit ergo Sanctus, quòd qui virginem nondum sibi sponsatam, in legitimum coniugum stupraverit, etiamsi velit post stuprum eam vxorem habere, non iuuabitur ad hoc vt stupri pœnam effugiat. Debebat enim primum efficere, vt ea sibi desponderetur, & ita cum ea rem habere. Quod si hoc non fecerit, in stupri quidem pœnam incidet, in legitimam autem vxorem eam habere illi permittetur. Hoc autem fiet, si illius etiã parentes consenserint. Est enim stupri pœna triennium, per quod similiter punitur & qui stuprauit, & quæ stuprata est. Lege xxxviij. Can. præsentis Sancti. Hæc autem locum habent in iis qui sunt in patria potestate. Qui enim sunt sui iuris, in pœnam quidem incidunt, secundum leges autem consentientes coniunguntur. Sin autem vir nolit eam quæ à se stuprata est vxorem ducere, fiet secundum caput iij. xxxvij. titu. lx.*

† ὁ παλλακευόμενος. * f. exercet petul. *libri, quod sic dicit, Qui venerandam & nobilem mulierem † stuprat, seu habet in concubinatu, nec hoc suo facit testimonio manifestum, vel eam ducit vxorem, vel hoc recusans, in eam * petulantiam, & etiam adulterij reus est, videlicet ex suo corpore quæstum non facit. Quære etiã xxviij. lib. iij. cap. xij. xiij. & lib. xl. vij. titul. vj. cap. xxvj.*

CANON XXVI. *De fornicatoribus.*

Fornicatio non est matrimonium, sed nec initium matrimonij. Quare si fieri possit, vt qui per fornicationem cõiunguntur, separentur, id est melius. Sin autem eis omnino placeat consortium, fornicationis quidem pœnam agnoscant: ne separentur autem, ne quid deterius accidat.

BALS. *Postquam dixit sanctus quid eis debet fieri, qui virginem stuprant, nunc decernit de iis qui in fornicationem coierunt: & dicit quòd fornicatio nec matrimonium existimatur, nec matrimonij occasio, vt alter alteri necessario matrimonio iungantur, sed optimum quidem est eos separari, non permitti scilicet inter eos intercedere matrimonialem coniunctionem, quoniam nefarium est, & damnandum harum nuptiarum fundamentum: sin autem eis ita placeat vitæ societas, vt à se inuicem discedere sibi nequeant persuadere, puniantur quidẽ vt fornicatores, eis autem habitare permittatur, ne quid deterius accidat: ne scilicet separati rursus clanculum fornicentur, hoc est ne aliis personis coniuncti in legitimo matrimonio non permaneant, sed adulteriũ committant: vel ne prohibiti sibi manus afferant propter amoris vehementiam. Hæc autem, vt mihi videntur, locum habuerunt, quãdo solo consensu contrahebatur matrimonium, non autem etiam hodie, quãdo per sacrum officium & diuinam corporis & sanguinis Christi participationem constituitur. Quomodo enim ij quibus fornicationis pœna iuncta est, nec sacramentorum fuere participes, inter se matrimonialiter conuenerint? Quod si dixeris, postquam iis qui fornicati sunt pœna iuncta fuerit, ne triennio fornicentur, non prohibeberis eis concedere, vt post triennium legitimo matrimonio coniungantur. Interrogauerit autem quispiam, cur virginem quidem post stuprum decernit sanctus raptori legitime coniungi, eos autem qui fornicati non sunt matrimonio coniungi non sinit, nisi cum distinctione? SOL. Virginem quidem post ei allatum stuprum nemo fortasse volet in matrimonium accipere, & nisi illi permittatur ei qui stupravit nubere, contumelia & dedecore affecta, ac miserabilis relinquetur. Quæ autem stuprata est, non tanto damno afficitur, si ei quæ cum ipsa fornicata est, non nupserit: est enim ab alio deuirginata. Si ergo non magnum malum ex eorum qui fornicati sunt separatione euenit, & nec qui fornicati sunt toto animo matrimonio insistunt, præferetur separatio, & per ipsam abstinentiam à malo. Præterea interrogabit quispiam, cum iij. cap. xxxvij. titu. lx. lib. decernat vt qui cum † honesta muliere in concubinatu rem habet, eam ducere cogatur, quomodo decernit præsens canon vt qui fornicati sunt separentur? SOL. Differentia est inter concubinam seu pellicem, & † fornicatricem. Concubina enim, quæ cum vno tantum peccat, à lege agnoscitur. Quæ autem cum multis fornicata est, nec à lege quidem agnoscitur, sed etiam à fornicatoribus ædibus expellitur, vt de quo diximus, caput dicit. Præsens itaq; caput loquens de fornicatrice rectè legiq; consentanee decernit, cum hac distinctione, vt qui fornicati sunt, legitimè coniungantur.*

† σώφρονα. † παλλακὴ πόρνη.

EIVSDEM BASILII M.

EPISTOLA CANONICA II.

CANON XXVII.

DE presbytero, qui per ignorantiam nefarijs nuptijs implicatus est, diffiniui quæ oporteat esse quidem cathedræ participem, à reliquis autem actionibus abstinere: ei enim sufficit venia. Vt is autem alijs benedicat, qui sua debet negotia curare, non est consentaneum. Benedictio enim est, sanctificationis communicatio. Qui autẽ eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodo alijs communicabit? nec ergo publicè, nec priuatim benedicat, nec Christi corpus alijs † impertiat, nec aliquod aliud sacrum ministerium obeat, sed † quod præsideat contentus, alijs, & Christo defleat, vt sibi ignorantiæ peccatum condonetur.

† καταινέτω. † τῇ προεδρίᾳ ἀρκούμενον.

BALS. *Prohibitæ nuptiæ trifariã diuiduntur, 1. in nefarias, quæ præter leges dicuntur, vt si quis eam cuius tutelam gerit, vel ipse, vel pater ipsius vxorem ducat, vel eam quæ est sub ipsius tutelari, vel patris potestate. 2. Damnatas, seu condemnatas, vt si fiat matrimonium cum monacha, vel alia Deo dedicata. 3. Incestas, quæ hic etiam nefariæ dicuntur, vt si quis cum quauis sua consanguinea contraxerit. Cum ergo quidam sacerdos nefarium per ignorantiam matrimonium contraxisset, & propterea solutum esset, & ipse in depositionem incidisset, interrogauit quispiam sanctum, an is sacerdos debeat post depositionem sacerdotale quidpiam exercere. Dicebant enim nonnulli, quòd quoniam sacerdos per ignorantiam lapsus esset, non subijcietur depositioni. Sin autem fuerit depositus, ab actionibus quidem quæ fiunt intra tribunal arcebitur, sed non ab actionibus quæ sunt extra tribunal. Dicit ergo sanctus, eum fortè debere deponi, & post depositionem eum quidem esse solius honoris participem, vt scilicet sedeat cum presbyteris, à reliquis autem sacerdotalibus actionibus abstineat, vt scilicet neque orationem dicat publicè seu in ecclesia, nec priuatim, id est extra ecclesiam. Sed neque sancta tractet, nec ipsa aliis communicet, nec aliquid aliud sacerdotale exerceat. Sit autem contentus sessionis honore, qui illi propter ignorantiam concessus est. Eum autem alijs benedicere non*

oportet

Benedictio quid.

oportet. Benedictio *enim est sanctificationis impertitio. Qui autē non habet sanctificationem, quomodo eam aliis impertiet? Venia autem ei datur, non solum quòd sedeat cum sacerdotibus, sed & quòd non alio modo puniatur. Si enim sciens Deo consecratam fœminam, vel suam cognatam, vxorem accepisset, alio etiam modo, & pecuniariè scilicet, & criminaliter punietur, quæ quidem ei propter ignorantiam non infliguntur. Lege xvj. titu. xxviij. lib. Postquam autem sanctus ei omni sacerdotali actione interdixisset, desleat inquit alijs, & Domino: Domino, vt qui potest peccata remittere: alijs, vt pro eo rogent Dominum, vt condonet ei delictum à se & nefario matrimonio commissum. Rogauerit autem quispiam, cum tribus modis puniantur nefariæ nuptiæ, deponetúrne quispiam, qui contra leges matrimonium contraxerit, vt pote is qui eam cuius ipse, vel pater eius tutor fuit, duxit in matrimonium? SOL. Quoniam hoc matrimonium vt legibus contrarium dissoluitur, hic quoque post diuortium, vt qui fornicatus sit, necessario deponetur: & si quæ illi contra leges coniuncta est, fuit antea sub illius tutela, ne cathedra quidem dignus censebitur, vt qui non possit ignorantiam pretexere. Lege & xxvij. cap. primi tituli. Nomoc. Photij x. canonem synodi Neocæsariensis, & ea quæ in eo sunt & xxj. & xxvj. can. syn. in Trullo. Sed quia videtur in his emergere repugnantia (alij enim canones dicunt eos qui sunt depositi, in locum laicorum deturbari: aly verò eos ea solum quæ extra tribunal fiunt exercere. Alij solius esse cathedræ participes) distingue & dic: Aliter puniuntur, & conuicti deponuntur: aliter, qui scientes quidem peccant sponte autem à malo desistunt: aliter qui per ignorantiā peccarunt, & confessi sunt: & aliter qui peccatum quidem ignorarunt, ab ipso autem non desiterunt, nisi condemnati. Nota autem differentiam & peccatorum, & personarum, & dic Episcoporum iudicio aliquando quidem ignoscī ijs qui deponuntur: aliquando verò non ignoscī, & sic contrarietatem, quæ videtur inesse contrariis, dissolui.*

Canon XXVIII. *De votis ineptis.*

Vota ridicula.

Illud quidem mihi visum est ridiculum, vouere aliquem à carnibus suillis abstinere. Quamobrem dignare eos docere, vt ab ineptis votis, & promissis abstineant, vsum quidem esse indifferentem permitte. Nulla enim Dei creatura est reijcienda, quæ cum gratiarum actione accipitur. Quare votum est ridiculum, abstinentia non est necessaria.

1. Tim. 4. 4.

Canon XXIX. *Malum iusiurandum, & Votum.*

Id quoque quod est, iurare principes quòd subiectis malè facturi sint, magna quoque medicina opus habet. Medela autem eorum est duplex: vna quidem, vt ipsi doceantur non facilè iurare. Altera autem ne in malis iudicijs persistant. Quare qui se alteri malefacturum iurare anticipauit, quod ad iurandum nimium facilis fuerit, se pœnitere ostendat: non autem pietatis prætextu suam improbitatem confirmet. Neque enim Herodi iurare profuit, qui ne peieraret, prophetam occidit. Semel enim iusiurandum est prohibitum: multò autem magis consentaneum est, id esse condemnatum, quod propter malum iuratum est. Quare eum qui iurauit † pœnitere, non impietatem studere, confirmare oportet. Eius enim absurditatem fusius exquire. Si quis se fratris oculos effossurum iurauerit, eine honestum est hoc ad effectum deducere? Si quis se interfecturum, si quis omnino iurauerit mandatum aliquod transgressurum? *Iurauī enim & statui,* non peccatum, *sed seruare iudicia iustitiæ tuæ.* Quemadmodum autem mandatum est immutabilibus iudicijs confirmandum, ita peccatum omninò infirmare, & delere oportet.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 3.

† μετανοεῖν.

Psal. 118.

De iuramentis & votis. Iurare, an prohibitum sit omnino.

BALS. Præsentes duo canones iubent infirmari sacramenta à quibusdam facta, vt mali aliquid fiat, vel etiam quidpiam ridiculum. Dicit enim eum qui vouit, vel iurauit se carnem suillam non comesurum, vel ijs qui sibi subsunt malefacturum, docendum esse à stultis & ineptis sacramentis abstinere, & quod semel iurare est prohibitum, & licet carnem suillam comedere, & malum non facere sub prætextu ne peieret. Vsus est autem exemplo quoque Herodis qui iurauerat se Baptistam interfecturum, & ne peieraret cædem commisit. Oportebat enim, inquit, ipsum resipiscere, seu reuocare, & contemnere iniustum iusiurandum, sed non per actionem impietatem confirmare. Lege xviij. cap. xiij. titu. Nomoc. Photij, & quæ in eo sunt, x. can. sancti Basilij lxiij. & lxxxij. qui periuros puniunt. Cum alij autem canones, qui in dicto xviij. capite continentur, decernunt eos non esse puniendos qui peieraruntquemadmodū Canones ante positi iubent, dixerit quis canones esse inter se cōtrarios. Sed mihi non videtur, sed quādo legitimū iusiurandum quispiam sine vlla necessitate infirmauerit, vel falsò iurauerit, magis punietur. Quando autem hoc vi fecerit, leuius punietur, secundum xcij. canonem præsentis sancti Patris. Sin autem non est sacramentum legitimum, sed vt absurdum quid fieret, vel ne boni quid fieret, processit, vel etiam iurauit se facturum aliquid, quod non debet in iusiurandum deduci, tunc impunè potest irritum haberi. Audiens tamen sanctum dicentem debere eos quoque doceri ne sint ad iusiurandum faciles, & quod semel iurare est prohibitum, dico quod & si ij qui huiusmodi iuramenta iurauere, sine periculo peierant, non erunt tamen omnino impuniti, sed modicè pro Episcopi arbitratu punientur. Quia autem ex eo, quod decernant Canones puniendos periuros, apparet eos non puniri, qui eos non transgrediuntur, & ex eo etiam ostenditur legitima iuramenta permitti, ne dixeris hæc esse aliquantulum definita aduersus Euangelicum præceptum: quod dicit, non esse omnino iurandum, neque in cœlo, neque in terra, *quia cœlum Dei thronus est: terra autem est pedum eius scabellum, esse autem nobis* næ, næ, & non, non. *Hoc enim est eorum qui sunt valde perfecti. Illud autem secundum, & non reijciendum, vel legitimum: cuiusmodi est & illud:* Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. *Si enim omnes hoc coguntur facere, quis ea emet? alioqui si omne iusiurandum prohiberetur, ne propheta quidem dixisset,* Iurauī, & statui seruare mandata tua: *nec qui leges composuerunt Orthodoxi Imperatores leges edidissent, quæ permitterent iusiurandum: quare non omnino iusiurandum est prohibitum, tam quod est legitimum quam quod est contra leges, sed solum quod est contra leges, & quod est ineptum. Cum autem quidam nobilis tertio die vnius hebdomadæ dixisset potenti & sancto nostro Imperatori, se non debere carnem comedere, quamuis festiū esset natiuitatis Christi & Dei nostri, quod iurasset tertias ferias omnium anni hebdomadūm à carnibus abstinere in honorem venerabilis Præcursoris, statuit, à Deo coronatus noster Imperator synodaliter interrogari, an sit canonicum hoc iusiurandum seruari, & dominicum festum quod est Paschale, incelebratum dimittere: & facta interrogatione dixit sanctissimus ille Patriarcha Dominus Lucas cum Synodo quæ aderat, cum dixisset bonum esse omni tempore ieiunare, subiunxit non oportere hoc iusiurandum Domino & Deo nostro præferre. si enim Apostolici canones puniunt eum qui in quouis sabbato, vel die dominico genu flectit vel ieiunat, multo magis punietur qui in Paschali Christi festo ieiunat, ne iusiurandum à se voluntariè susceptum contemnatur. Et nobili carnibus vesci permisit. Idem autem Patriarcha Tzitam quoque Eunuchum ad sanctorum locorum adorationem ire professum, qui non profectus erat, vt qui pœnitentia ductus esset, synodaliter à periurio absoluit, mediocri pœna imposita ei medicinam exhibens. Ex verbis autem Canonis, quæ ita habent,* Nulla enim Dei creatura est reijcienda, quæ cum gratiarum actione accipitur, *ne dixeris nobis esse permissum omnibus † bestiis vesci, sed dic Canonem de illis intelligere, quæ ab Orthodoxis comeduntur ex consuetudine & Ecclesiastica traditione.*

Lucas Patriarcha.

Absolutio à periurio.

1. Tim. 4. 4.

† κτίσμα Θεοῦ.

Canon XXX. *De raptoribus.*

De his qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus, vt ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes. Quod autem non est violentum, nulli est pœnæ obnoxium, quando nec stuprum nec furtum rem præcesserit: Est autem vidua sui iuris, & in eius est potestate sequi. Quare non est nobis † figurarum ac prætextuum vlla cura gerenda.

† σχημάτων

BALS. In lxxij. can. Apostolicum, in xxvij. Chalced. in cxij. Synodi in Trullo, & in xxij. præsentis sancti, multa scripsimus de iis qui rapiunt mulieres, & de iis qui illis consentiunt. Et lege ea, & xxx. cap. ix. titu. Præsens autem Canon decernit raptores & qui illis consentiūt, eisq; opem ferunt, esse triennio extra orationes, stare scilicet cum iis qui audiunt oportere. Sin autem inquit, mulier se ipsam sua sponte tradiderit, cum nec stuprum, nec furtū, hoc est clandestinus concubitus præcessisset, nulli est crimini obnoxius, qui eam accepit. Similiter nulli quoque pœnæ est subiectus qui viduam hoc modo recepit. Illud autem, non est nobis figurarum, & prętextuum vlla cura gerenda, *est huiusmodi, similiter inquit, fortasse erubescens, se amatori vel amato, qui supplex erat, tradere, finxit se verè raptam esse, eum tamen sua sponte secuta est. figuræ inquit, seu simulationis nullam curam gerimus,*

gerimus, sed veritatem attendimus. Et lege liij. can. cum hac interpretatione. Quod autem is qui mulierem sua sponte rapuit, non sit crimini obnoxius, accipe quantum ad hoc, ne ei pœna canonica infligatur. Qui enim mulierem, quæ est in potestate vel quæ est sui iuris, seu voluntate ipsius, seu sola sua voluntate rapuit, raptus lege tenetur, ad multorum insolentiam vindicandam, & reliquorum comprimendam, sicut hoc dicit j. cap. xxxviij. titul. lib. lx. quod circa finem sic dicit. Omnia autem † seditionis supplicia sint aduersus eos qui rapuerunt, & eis in raptu opem tulerunt. Qui consiliarij quidē fuerunt, & opera sua iuuerunt, & susceperunt, dictæ pœnæ subijciantur seu volentibus, seu nolentibus mulieribus raptus factus sit. Hoc autem in imperatorio quoque tribunali sic iudicatum est in causa Seth, qui rapuerat filiam eius qui recenter fuerat illuminatus. Sin autem velis dicere, in mulierem non reuera factum esse raptum, sed per simulationē, vt superius dictum est, nec pœnæ canonicæ locū habebunt, nec leges quæ raptores puniunt: sed solū actione iniuriarū Patribus tenebūtur, qui eas ceperūt quæ erāt in potestate, adeò vt & matrimoniū, quod inter eas interceßit præter eorum voluntatem, qui eas habent in potestate sit separandum, lege xxxviij. can. huius sancti, xlj. & xlij. Sanctus autem rectè meminit stupri & furti. Stuprum enim sit propriè in virginem. Furtum autem, seu † furtiuus concubitus in liberam, quæ non est huiusmodi. Amborum autem meminit, quòd etiam absque eo quod fiat raptus, & stuprator, & fornicator puniuntur.

† διαστάσεως.

† κλεπτιγάμου.

Canon XXXI.

Quæ cum vir seceßit, & non apparet, antequam de eius morte certior facta sit, cum alio cohabitauit, mœchatur.

BALS. Præsens Canon expresè situs est in xciij. can. syn. in Trullo, & quoniam illic est expositus, lege quæ sunt in illo.

Canon XXXII.

Qui peccatum ad mortem peccant clerici, à gradu quidem deponuntur, à laicorum autem communione non arcentur. *Non enim vindicabis bis in idipsum.*

Naum 1. 9. Secundum LXX.

BALS. Clericos, qui peccatum ad mortem peccant, sanctus quidē deponi iubet, eos autem fidelium communione non priuat, seu non segregat. Non enim vindicabis, *inquit*, bis in idipsum. *Peccatum autem ad mortem dicunt nonnulli esse, actionem eam à voluntate & sensu distinguentes. Hæc enim dicunt non esse peccatum. Mihi autem videtur* peccatum *esse* ad mortem, *omne peccatum, quod capitale inducit supplicium, mortem scilicet peccatori: & sanctum decernere, quod si quis clericus ob quoduis peccatum condemnatus fuerit, etiam si non leue aliquod, sed ad mortem vsque vltimum, quod capitale, vt quod mortem, vel id quod morti est æquale, inferat, appellatur, supplicium subierit, solum deponetur, nec amplius ab Ecclesia punietur. Dicebant enim nonnulli quod propter fornicationem quidem, & furtum, & quædam leuia huiusmodi peccata solum deponetur clericus: propter eadem autem & maius aliquod peccatum, non solum depositioni subijcietur, sed etiam segregabitur, quod non admisit sanctus: & propterea statuit eum qui est depositus, non segregari oportere, etiam si propter extremum peccatum, quod est ad mortem, condemnatus est: est enim sufficiens supplicium depositio. Quod autem propter solum consilium & consensum, quidam etiam vltimo supplicio afficiuntur, patet ex xxxvj. tit lx. lib. docente de insidiatoribus, & decernente legi* περὶ καθοσιώσεως, *eos esse obnoxios qui aduersus Imperatorem, vel ciuitatem, vel magistratum aliquod consilium inierunt, etsi opus non fecerint. Cum autem inueneris xxviij. can. Apostolicum, xxix. xxx. & lxiij. quosdam simul deponentes, & segregantes, aliquādo autem etiam à communione vel ecclesia abscindentes, ne dixeris eos præsenti can. aduersari. Sunt enim * specialia, ad exemplum non trahuntur. Excipe mihi eos qui propter causas dogmaticas cōdemnantur. In illis enim id quod est synodaliter decernendum, debet fieri, quoniam nec ad peccatum, nec ad crimen reducuntur hæresum scelera, sed sunt maiore animaduersione digna.*

Peccatum ad mortem. Peccatum ad mortem quale.

Voluntas pro facto.

* ἰδικά.

Hæreses.

Canon XXXIII. *De partu neglecto.*

Mulier quæ in via peperit & sui fœtus curam non gessit, cædis crimine teneatur.

*BALS Mulier quædam grauida iter ingressa, in via peperit, & cum posset quod partum erat * viuum tueri, ipsum neglexit. Dicit ergo sanctus eam homicidij crimine omnino teneri, etiam si non mortuus sit infans, sed ab alio educatus sit. Quod enim in crimen incidat, infante mortuo est extra controuersiam, & nulli penitus dubium. Sin autem non fuerit in eius potestate infantem viuum tueri, quod ab hostibus fortè vt captiua traheretur, minimè punietur. Et lege liij. can. huius sancti, qui præsentem etiam canonem interpretatur. An autem essent puniendæ, quæ proprios filios in diuinorum templorum aditibus exponunt, an non, in synodali congressione variè disceptatū est, & placuit eas vt homicidas puniri, etsi infantes ab aliquibus educentur. Lege & cap. iiij. vj. titu. xxx. lib. quod sic dicit. Occidit fœtum, non solum qui suffocat, sed etiam qui abijcit, & non nutrit, & in publicis locis exponit ad misericordiam, quam ipse non habuit. Lege & totum ij. titu. xxxij. lib. qui decernit eos qui exponuntur, etiam si serui sint, eo ipso liberos effici. Debet tamen puniri mulier propter magnam negligentiam, quæ dolo æquiparatur; quæ quidem à iuris peritis lata culpa nominatur. Fortè enim cum esset alioqui in rebus huiusmodi diligens & sollicita, in educando infante fuit negligens. Nam si in huiusmodi rebus esset negligens, vel vt quæ esset nobili loco nata, nec sciret quomodo infantum esset habenda cura, vel alioqui natura ad hæc non apta, & contigit infantem ea ratione non educari, sed perire, non punietur, vt puto.*

Expositi pueri.

* ζωογονῆσαι.

Canon XXXIV.

Adulteratas mulieres, & confitentes, vel quomodocunque conuictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne conuictis mortis causam præbeamus. Eas autem stare sine communione iusserunt donec impleretur tempus pœnitentiæ.

BALS. Adulteri secundum lviij. Can. stant in quatuor annis cum deflentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum supplicibus, & duobus cum iis qui consistunt absque communione. Dicit ergo sanctus, si quæ adulterata mulier peccatum confessa fuerit, vel quomodocunque conuicta sit, non oportet eam publicare, id est eam in dictarum pœnarum locis statuere. Qui enim eam viderit extra diuinos Ecclesiæ ambitus stantem, vel etiam cum catechumenis exeuntem, primo aspectu omnino intelliget, propter adulterij crimen eam illi esse pœnam iniunctam, & fiet punitio causa mortis, post futurum fortè viri reditum, qui id animaduerterit. Permittitur ergo consistere, & cum fidelibus comprecari, à Sacramentorum autem communione abstinere, donec pœnitentiæ tempus completum fuerit. Hac autem humanitate in mulieres vti oportere sanctus definiuit, propter eam quam diximus rationem. Viri enim adulterium confitentes immisericorditer dictis pœnis subijciuntur, quia non est timor in eis, qui de mulieribus dictus est, qui præsumuntur esse etiam aliis fortasse criminibus obnoxij, & iure puniri. Quomodocunque autem conuinci mulieres, non debes accipere de omnibus nota probatione, sed de mulieris conscientiæ probatione, hoc est siue mulier sua sponte confessa sit, vel vt etiam à pariendi periculo coacta, vel aliquo alio modo, clanculum, & non publicè se ipsam condemnans, enunciauerit. Si enim dixeris publicè factam esse probationem, & veluti in triumphum esse ductum adulterium, rectè omnes pœnæ in eam congerentur. Neque enim Canon in ea locum habet, quoniam semel publicata est, & ex viri reditu nulla cædis suspicio tenetur propter pœnarum denuntiationem. Ex eo autem quod dicit sanctus, Ne demus conuictis causam mortis, conuictis scilicet, & publicatis per pœnas, nec dixeris concedi maritis adulteras suas mulieres interficere. In sola enim propria domo in facto ipso deprehensū potest maritus adulterum occidere, & eum scenicum, vel alium qui sit infamis. Et lege xxv. cap. xxxvij. tit. lx. lib. xxvij. xxix. & alia capita. Sed accipe etiam verbum sancti, ne fiant pœnæ causæ magni scandali inter maritum & vxorem, & fortè etiam vt procedat ad iniustam illius cædem.

Quando fas adulteram necare.

Canon XXXV.

In marito qui ab vxore relictus est, considerare oportet causam derelictionis, & si præter rationem eam seceßisse apparuerit, est maritus quidem dignus venia, illa verò pœna. Ei autem venia, vt Ecclesiæ communicet, dabitur.

BALS. Præsens Canon declaratur per factam à nobis interpretationem in lxxxvij. can. syn. in Trullo. Et lege ea, & ix. can. sancti patris, & vi primi.

Canon XXXVI.

Militum vxores, quæ cum mariti ipsarum non appareāt, nupserunt, eidem rationi subijciuntur, cui & quæ propter marito-

maritorum peregrinationem & absentiam reditu non expectato nupserint. sed res nonnullam hic veniam admittit, quod maior sit mortis suspicio.

BALS. Hic quoque Canon in lviij. syn. in Trullo collocatus, illic est interpretatus.

Canon XXXVII.

Qui postquam aliena ei ablata fuerit, vxorem duxit, in prima quidem adulterij accusabitur, in secunda verò reus non agetur.

BALS. Alienam hic dicit Canon, quæ legitimè nupsit, vel desponsa fuit alicui, si quis ergo adulterium commiserit, aliena in suam proprietatem vsurpata, lege vtique matrimonij, ei quæ ablata fuerit cum legitima scilicet condemnatione: alij autem coniunctus fuerit, pro adulterio quidem secundum Canones punietur, in secunda autem vxore, quæ est à viro libera, reus non agitur. Hæc autem sunt à sancto constituta propter eos qui dicebant nō debere adulterum secundæ vxori coniungi, vt qui in capitalem condemnationem incidisset, & non posset lege veteri contrahere, quæ obseruabatur tempore Basilij, scilicet ante repurgationem. Et si enim in capitale supplicium quis incidat propter adulterium, non est tamen matrimonium contrahere prohibitus, & ideo de eo non punietur, multo autem magis is hodie non punietur, quando capitale supplicium sublatum est, & punitur adulter sola narium abscisione, & bonorum ablatione. Et lege lxxxij. cap. xxxvij. titu. lx. lib. & xxxij. nouellam Imperatoris Domini Leonis sapientis. Hæc autem locum habebant, vt mihi videtur, quando sola affectione constituebatur matrimonium: nunc autem quando cum sacra oratione, & sancto ministerio procedit matrimonium, & sponsalia, adulter mulieri non aliter coniungetur, quam si ab adulterij pœnis fuerit liberatus, quæ declarantur in lviij. Can. præsentis sancti.

Canon XXXVIII.

Puellis quæ præter patris sententiam fornicatores secutæ sunt reconciliatis parentibus, videtur res remedium accipere, sed non protinus ad communionem restituuntur, sed triennio punientur.

BALS. Puellas hic sanctus eas quæ sunt in potestate parentum appellat. Dicit ergo, quod si alicuius puellæ tradent seipsas suis amatoribus præter suorum parentum sententiam, & ab illis vitium illis allatū sit, etiam si matrimonio sibi esse coniunctæ videantur, matrimoniū eius quæ est in parentis potestate, non posit consistere sine paterna voluntate. Sin autem parentes ipsarū eis reconciliati fuerint, & eas cum amatoribus cohabitare voluerint, ei rei illa ratione videtur remediū afferri. Quod enim ab initio malè factum est, parentum postea consensus reparare videtur, vt fornicatio in matrimonium deducatur, sed ea nō est statim ad communionem recipienda, sed post tres annos. Ne facti ante speciem hoc in loco sic posueris raptam fuisse puellam. Ex tricesimo enim can. & ex aliis didicisti, quod si raptus factus fuerit, siue cum puellæ voluntate, siue ea nolente, non consistit matrimonium, etiam si qui habēt in potestate, consentiant. Sed pone eam, quæ est in potestate, non raptā, eum qui illi stuprum intulit, sequi. Propterea enim sequens consensus facit, vt à culpa remotum sit coniugium. Hæc autem vt mihi videtur, locum habebant, quando solo consensu consistebat matrimonium. Hodie autem quoniam sit cum † sacra benedictione etiam si parentes consentiant, non fiet matrimonium cum sacra benedictione, nisi tres pœnitentiæ anni expleti fuerint, vel ab Episcopo pro suo arbitratu ad tempus breuius redacti sint. Cum enim benedictio, quæ consistere non poterat in impubere puella, facta esset, & ij postea matrimonialiter benedicti, matrimonio iuncti essent, quæsitum est, an qui ex eis nascuntur, sint germani, ac legitimi. Dicebant enim nonnulli, quod quoniam matrimonium ab initio non consistet propter puellæ impubertatem: quæ autem ab initio non consistunt, ex iis quæ postea eueniunt non conualescunt, quemadmodū lex dicit; necessariò nisi fiat secunda benedictio, cosne legitimè quidem coniunctos dixerit quispiam? Hoc ipsum autem etiam debere fieri dicebant in filiafamilias, quæ præter patris sententiā benedicta est, insistentes, quod etiam si postea consenserit, qui illam habet in potestate, non consistat matrimonium, nisi etiam fiat benedictio. Macarites autem domini Constantini Nicenus dicebat quidem in filiafamilias non requiri secundam benedictionem, propterea quod solius personæ scilicet patris contemptus interuenerit, & is per cōsensum amputatus sit. In impubere autem voluit secundam fieri benedictionem, quod ius commune contemptum & nihili habitum sit: & non aliter ei remedium afferri, nisi post correctionem: quod mihi non videtur propter benedictionis reuerentiam.

De parētum consensu in matrimonio contrahendo.

† ἱερολογία.

Canon XXXIX.

Quæ viuit cum adultero, est omni tempore adultera.

BALS. Mulier quædam quæ adulterata fuerat, & cum adultero vna viuebat, punita est. Cum autem mortuus esset eius maritus, volebat coniungi adultero. Dicit itaque sanctus, quod ne hoc quidem fiet, sed etiam donec viuit cum adultero, pœnam subire debet, etiam si xv. anni pœnitentiæ transacti sint. Illi enim demum eas quæ in pœnitentia dantur pœnas subijsse videntur, & veniam adipisci, qui à malo abstinent. Qui autem perseuerant, eidem pœnæ sunt obnoxij, etiam si eam millies subierint. Ita ergo in Canone facti speciem propone: & ne dixeris omnem mulierem quæ cum adultero cohabitat, esse adulteram. Eius enim vxor legitima illi cohabitans, est à reprehensione aliena, & quæuis alia præter adulteram. Et lex quidem ecclesiastica hæc decernit. Ciuilis autem, adulteræ nullo modo permittit cum adultero coniungi. Dicit enim lxvj. cap. xxxviij. tit. lx. lib. Quæ semel adulterium commisit, si eius qui eam adulterauit, postea vxor fuerit, nō extinguitur prætextu matrimonij, quod post adulterium factum est. Et xiij. cap. xlij. tit. eiusdem libri. Si propter vxoris adulterium condemnatus ipsam duxero, etiam si ipsa non est condemnata, non est validum matrimonium: sed etiam si ipsam hæredem scripsero, vel ipsa me, publicatur hæreditas, nec quis militariter testans potest eam hæredem scribere, quæ ex stupro est cognita & ei fuit concubina, sed si tale quid contingat, locus datur publico. Et iij. thema x. cap. xxviij. lib. Qui propter adulterium vxoris accusatus est, non potest eam vxorem ducere.

Canon XL.

Quæ præter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est. Quæ autem postea libero matrimonio vsa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verò matrimonium. Eorum enim qui sunt in alterius potestate, pacta conuenta firmi nihil habent.

BALS. Ancilla quædam cuidam viro libero matrimonialiter cōiuncta erat, præter mentem sui domini. Cum autem aliquantum temporis processisset, vel libertate donata, quod cum priore viro contraxerat liberum habuit matrimonium, vel etiam eius dominus prius facto, quod non consistebat matrimonio, consensit. Interrogatus ergo sanctus, an quod inter eos factum est matrimonium, castigari non debeat, dixit quod quoniam eorum qui sunt in potestate consensus infirmi sunt, & non possunt consistere, ideo non constitutum est legitimum matrimonium tempore seruitutis, etiam si domini consensus postea secutus, vel eadem ancilla manumissa, ad prius matrimonium se contulit, non videtur quod factum est etiam ab initio legitimum propter sequentem consensum, secundum legem, quæ dicit. Quæ ab initio sunt infirma, ac inualida, ex ijs quæ postea eueniunt non confirmantur. Et ideo pro priori quidem tempore fornicationis pœnæ eis imponentur: posterior autem coniunctus pœna carebit. Et hæc quidem quando ancillæ matrimonium, quod consistere non potest, fuerit confirmatum, vel post eius libertatē, vel post manifestum domini consensum, quem etiam tacita libertas necessario consequitur. Quid autem ancilla, quæ libero matrimonio coniuncta est domino sciente, & non contradicente vt fornicatrix reputabitur, eo quod dominus non consenserit, an non? SOL. xlvij. cap. iiij. tit. xxviij. lib. hæc dicit expressè. Si quis ancillam suam tradidit, qui autem liber erat, & ei qui dabat fide habita, eam accepit, & forte etiam dotalibus confectis instrumentis, vel non confectis quidem, sed eius tamen voluntate rem tractauit, non iustum fuerit, non hoc matrimoniū constitui, sed etiam tacitam libertatem consequi, siue vir fuerit, siue mulier, & cum hoc à domino factum sit, eum eamq; decernimus ad ingenuitatem arripi, remq; tanquam in liberis, & ingenuis iudicari. Si autem ipse quidem matrimonium non constituerit, alterutrius personæ dominus, cum autem sciret quod fiebat de industria celauit, vt aduersus coniunctorum alterutrum negotium postea consarcinaret, eiusmodi quidem maleficium siquidem clarè ostensum fuerit, punimus, & eis qui tam improbum consilium ceperunt, dominū auferimus, & hoc sit rursus quoque matrimonium, proinde ac si is consensisset ab initio qui possidebat. At ille quidem à domino excidat: rursus autem seruus ad ingenuitatem rapiatur. Cum hoc itaque euenit, vel si consensit, vel si se improbè gessit Dominus, clarum est quod qui ex his matrimonijs nati sunt, erunt nobis ex hac lege liberi & ingenui. Et quoniam ex hoc ostenditur, ad libertatem arripi mulierem, quæ cum Domini tolerātia nupsit libero, qui cōiuncti sunt, nulla pœna affecti conseruabūtur. Quod enim ad veterem legem attinet, quæ matrimonium solo consensu fieri decernit,

decernit, eiusmodi quoque peractum est matrimonium per tacitum domini consensum. Si quis autem dixerit, quòd cum non facta sit benedictio, vt hodie obseruatur, ij pœnas non effugient, etiam si matrimonio coniuncti sunt, domino vidente, & patiente, audiet quòd quātum attinet ad pœnarum rationem, magis consideratur affectio quam nouellarum constitutionum summum ius.

Canon XLI.

Quæ in viduitate habet sui potestatē, cohabitat ab omni accusatione libera, si nemo est qui coniugium diuellat, cum dicat Apostolus: *Si mortuus sit maritus, libera est, vt nubat cui velit, tantum in Domino.*

1. Cor. 7. 39.

BALS. Mulier quædam vidua volebat alij matrimonio cōiungi: & non ei permittebatur, vel etiam coniuncta puniebatur. Sanctus ergo de eo interrogatus est, & respondit, quod est in viduæ potestate, vt alij viro coniungatur, si tunc est sui iuris. Hoc autem in sola digamia seruabitur: neque enim sanctus trigamiam permittit. Rectè itaq; mulier vidua secundo nubet, & cum secundo nupserit, non punietur: siquidem non est filiafamilias, sed si sit in potestate parentis constituta, quoniam qui eam habet in potestate, potest matrimonium dissoluere, ipsa quoque, vt quæ sit fornicata, punietur. Sed & mulieres quæ secūdò nubunt, digamorum supplicio subiiciuntur, vt sæpe diximus. Cum autē audis sanctum dicentem esse in potestate viduæ nubere cui velit, *ne dixeris eam posse impio, vel alicui alij suo genere indigno coniungi. Sed dic eam debere secundum leges, & Canones secundo viro nubere. Dicit enim primum cap. iiij. tit. xxj. lib.* Matrimonium *est viri & mulieris coniunctio, & totius vitæ consuetudo, diuinarum & humanarum rerum† societas. & xxxj. syn. Laodicenæ Canon, & ij. can. syn. in Trullo, prohibendo Orthodoxos cum hæreticis coniungi, & ij. thema vij. cap. v. tit. xxviij. lib. dicit. Non est validum matrimonium filiæ vel neptis viri † Senatorij cum libertino vel scenico, vel scenici, aut scenicæ filio. Potens autem, & sanctus Dominus noster & Imperator, cum nobiliū aliquot mulierum, cum viris ignobilibus cōtracta essent matrimonia, ea separauit, & separatos valde punijt, vt fecit in regium dominum Theodorum, Mesaritemq; qui Augusti Briennij filiam, absque Imperatoris scientia in vxorem acceperat. Quod autem adijcitur Canoni, & dicit,* Solum in Domino, *adiectum est propter infideles.* In domino *enim matrimonium contrahit, quæ cum Orthodoxo, non cum hæretico matrimonium contrahit.*

Matrimonium quid.

† συγχρότησις.

† ἀξιωματικοῦ.

Canon XLII.

Quæ † sine ijs qui habent potestatem fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo viuente patre, nec domino, ij qui conueniunt sunt ab accusatione liberi, donec coniugio Domini annuerint: tunc enim accepit firmitatem coniugium.

† ἄνευ τῶν κρατούντων. *Parentum in contrahendo matrimonio consensus.*

BALS. Hic Canon est veluti summa proximorum Canonū. Dicit enim, quod si filiafamilias, vel ancilla matrimonium cum aliquo contraxerint sine voluntate eorum qui ipsas habent in potestate, hoc existimatur fornicatio, vtpote quod non possit consistere. Quare & tāquam fornicatores punientur, & matrimonium tanquam quod non possit consistere, soluetur. Sin autem ij qui in eos habent potestatem, annuerint, hoc est admiserint, & voluerint, matrimonium tunc firmū reputabitur. Quæ autem de eorum qui sunt in potestate, & dominorū consensu dicuntur, interpretare secundum Canones proximè interpretatos. De filiis autem familias, & seruis vxorem ducentibus, vel etiam fornicantibus, lege quæ in lxxxv. can. syn. in Trullo scripta sunt, & ix. cap. xiij. tit. Nomoc. Photij.

Canon XLIII.

Qui mortis ictum dedit proximo, est homicida, siue prior percussit, siue vltus est.

BALS. Percussit quispiam aliquem, & interfecit, & cum uberetur reddere rationem cur interfecisset, dicebat. Non sui causa cædis, sed is qui occisus est, vt qui pugnæ initium fecit, & me prior percussit. Sanctus ergo de eo interrogatus, respondit, Homicida est qui quomodocunque hominē interfecit: siue primo loco eum qui interfectus est, percussit, siue eum vlciscens, vt qui prior percussisset, vulnus ei intulit. Interrogauerit autē quispiam cum lex dicat in sexagesimo libro xxxix. tit. cap. j. themate vltimo. Impunè quis illum interficiet, qui vel ipsum, vel suos cogit ad libidinem, & in titulo eiusdem libri. Vim vi licet repellere & arma armis: quomodo dicit canon eum qui se defensurus percussit, & occidit, puniri vt homicidam? SOL. Pœnæ Ecclesiasticæ non puniunt, sed sanctificant & medentur: & ideo decernit Canon, vt qui quomodocunque Dei permissione in cædem inciderit, & ipsi etiam qui in bello occiderunt, in anima medicinam accipiant: & si hic quidē maiore opus habet medicina, vt qui sponte interfecit, ille vero minore, vt qui non voluntariè, vel in sui defensione, vel in bello. Lex autē ciuilis punit, non medetur. Vnde etiam eum qui habet affectum interficiēdi, punit vt homicidam: eum verò qui inuoluntariè interficit, non punit: & eum qui illū perimit, qui ei vim afferebat, impunitum conseruat, vt qui non ex se, sed ab eo qui fuit interfectus ad occidendum impulsus est. Existimo autem, quod qui etiā in sui defensione occidit, tunc impunè abibit, quando eum interfecit, qui vulnus illi mortale inflixit, vel vim similem. Non autem eum, qui leuem ac medicabilem illi plagam attulit. Tunc enim vt homicida punietur. Dicit enim xiiij. caput xxxix. tit. lx. lib. Qui eum interfecit, qui ita inuadebat, vt in vitæ periculum adduceretur, non est reus homicidij. Et secundum eius thema, latronem inuadentem impunè licet interficere. Ego autem vidi sacerdotem synodaliter depositum, quod alterum sacerdotem, qui præter eius voluntatem librum ex Ecclesia sua accipiebat, detinuit, & librū proprium è manu eius contentiosè recepit, & ex eo euenit, vt sacerdos cui liber ablatus est, deliquium animi pateretur & ipsa hora moreretur. Alius autem monachus & sacerdos ex Tyrij monasterio, similiter est depositus, quod monachum quendam, qui eum iniuria affecerat, grauiter vicissim iniuria affecit, & accidit, vt qui sic iniuria affectus est, simul ac iniuriam audiuit, gemeret, & animam eructaret. Antistes quoque qui Agarenum interfecerat, qui ensem in ipsum vibrauerat belli tempore, similiter depositus est.

Canon XLIIII. *De Diaconissis.*

Diaconissa, quæ vnà cum Græco fornicata est, est ad cōmunionem admittenda; ad oblationem autem septimo anno admittetur, scilicet si in castitate vitam agat. Græcus autem qui post fidem rursus ad sacrilegium accedit, ad vomitum reuertitur. Nos ergo diaconissę corpus vt consecratum, esse in casu carnali non amplius permittimus.

BALS. Quomodo, & quænam mulier diaconissa dicitur, ex diuersis Canonibus didicisti. Diaconissa ergo mulier alicui Græco fornicatoriè coniuncta, non solum est deposita, sed etiam segregata, & qui cū ea rem habuit Græcus fidelis effectus, voluit eam vxorem accipere, tanquam qui per sanctum Baptismum à Græca immūditia liberatus esset, & qui ei coniungi non impediretur, quæ per priorē fornicationem diaconalem auctoritatem depositam, & esset veluti libera. Sanctus ergo de vtrisque fuit interrogatus, & respondit, quod diaconissa, quæ fornicata est, & propterea fuit deposita, non segregabitur, vt non in ecclesia versetur, sed ad orationem, & stationem cum fidelibus admittetur. Dictum enim est in xxxij. eius can. quod clerici, qui peccatum ad mortem peccant, solum deponuntur, non etiam segregantur. Non enim vindicabis bis in idipsum. *Porro & diaconissa propter fornicationem deposita ab Ecclesiastica synaxi non segregabitur. Illi enim pro quauis pœna sufficit depositio. Quia autem qui fornicantur, triennio non sunt sanctorum mysteriorum participes, statuit sanctus, vt ea magis puniretur, quod cum Græco rem habuerit, eaq; esset post septennium sacramētorum particeps. Græcum autem qui credidit, & eam, quæ aliquando fuit diaconissa, habere quærit, sacrilegij condemnationi subijcit, si diaconissæ corpus, quod Deo semel est dedicatum, per coitum coinquinauerit. & eum adeo canem vocat, qui ad suum vomitum reuertitur, hoc est ad priorem infidelitatem, per nefarium coitum. Quamobrem eam quæ semel Deo est dedicata, etiam si fuerit deposita, nullo modo finit alicui coniungi, quod sit corpus eius consecratum, & seruari debeat ab omni coitu, & omni vsu carnali. Nota ergo hæc propter clericos & monachos, qui transformant & mutant habitum, & monachas etiā, & ascetrias volentes legitimis vxoribus aut viris coniungi. Existimo autem eas ab hoc Canone rectè secundò nubere prohibendas, nec sacerdotum vxores, sicut nec qui sunt sacrati sacerdotium recusantes, permittentur viuere vt laici & secundo matrimonium contrahere: sacerdotum enim vxores, vnum corpus & vna caro sacerdotalis, per legitimam sacerdotij coniunctionem appellatæ, & ea de causa veluti consecratæ, non prophanabuntur per secūdas nuptias. Sacerdotes autem, qui semel secundas nuptias eo quod Deo sunt consecrati reiecerunt, & Deo hoc vtique professi sunt, non sinentur per carnalem cupiditatem sacerdotalem dignitatem repudiare, & quam Deo fecerunt professionem infirmare, & carnali libidini seruire: sed etiam si semel sacerdotium renunciauerint, corpora sua, quæ sunt Deo semel consecrata, prohibebuntur secundis nuptiis prophanare.*

Cum diaconissa habere.

Naum 1. 9.

Nec monachi monachæue habitū mutantes, nec sacerdotes sacerdotio renunciantes possunt ij matrimoniū contrahere.

Canon

Canon XLV.

Si quis accepto nomine Christianismi Christum contumelia afficit, nulla est illi appellationis vtilitas.

BALS. Infidelis quispiam baptizatus, & dignus habitus, qui Christianus diceretur, in Deum quidem fidem habuit Orthodoxam, non agebat autem secundum opera Christianorum: sed Ecclesiasticas fortè traditiones, & Canonicas definitiones vituperabat, infidelium operationes præferens, & eo modo Deũ iniuria afficiens. Interrogatus est ergo sanctus, an is propterea à fidelium communione expellatur, an potius nequaquam sit accusandus, vt qui fidem Orthodoxam elegerit, & dixit quod accipere aliquem nomen Christiani ipsum non iuuat, nisi in omnibus, vt par est Orthodoxos, vitam instituat: necessario ergo, vt membrum putridum ab integritate exscindetur sani corporis Christiani populi. Si velis autem canonem aliter quoq; interpretari, quod non est propriè Christianus, qui facit mandata Christi, nihil vetabit. Iac. 2. 14. *Dicit enim sanctus Iacobus frater Dei in sua Epistola hoc modo:* Quid iuuat, fratres mei, si quis se fidem habere dicat, opera autem non habeat? *non potest fides eum seruare. Et Apostolus,* Fides sine operibus mortua est. Ibid. 17. & 26.

Canon XLVI.

Quæ per ignorantiam nupsit ei qui ab vxore ad tempus dimissus est, deinde dimissa est, vt prior ad ipsum reuertatur, fornicata quidem est, sed per ignorantiam. A matrimonio ergo non prohibebitur, sed melius est, si sic manserit.

BALS. Hic Canon situs est in contextu xciij. can. syn. in Trullo, & quia de eo fusius illic tractatum est, lege eum & ix. Canonem præsentis sancti patris.

Canon XLVII.

Encratitæ, & saccophori, & apotactitæ subijciũtur eidem rationi, cui & Nouatiani, quia de illis editus est canon, etsi diuersus: quæ autem sunt aduersus eos, silentio prætermissa sunt. nos autem vna ratione eos rebaptizamus. si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicuius œconomiæ gratia, nostra tamen oratio vires obtineat, quandoquidẽ est veluti Marcionistarum germen eorum hæresis, nuptias abhorrentium, & nuptias auersantium & Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos ergo in ecclesiam non admittimus nisi in nostrum baptismũ baptizati fuerint. Ne dicant enim, In Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum baptizati sumus, qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis, & reliquarum hæresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures simul esse Episcopos, & sic Canonem exponere, vt & is qui fecit sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur.

BALS. Sunt quidã Encratitæ, Saccophori, Apotactitæ, Nouatiani & Marcionistæ, & quænam sunt hæc hæresum genera, in diuersis Canonibus dictum est. Præsens autẽ Canon non eget interpretatione, quia nec vt decretum à sancto scriptum est, sed vt sententiæ suæ explicatio. Legitimam enim constitutionem ad synodalem definitionem remisit. Tu autem lege vij. can. ij. syn. & disce quinam ex hæreticis baptizantur, postquam recepti fuerint, & qui non.

Canon XLVIII.

Quæ à marito dimissa est, mea quidem sententia manere debet. Sic Dominus autẽ dixit: *Si quis reliquit vxorem præterquam ratione fornicationis, facit eam adulterari,* ex eo quod eã adulterã nominet, exclusit eam à societate cum alio. Quomodo enim potest vir quidam esse reus, vt auctor adulterij, mulier autem nulli esse culpæ affinis, quæ adultera appellata est, propter consuetudinem cum alio viro?

BALS. Vt est verisimile, sanctus interrogatus est, an debet marito legitimè coniungi quæ præter rationem à proprio marito separata est. Dixit itaq; quod quia Dominus eam esse adulteram pronunciauit quæ extra fornicationem à suo marito dimissa est, si alij omnino coniuncta fuerit, debet ea mulier quiescere, & alij non coniungi. Suum itaque dictum confirmans adijcit, quod etsi ea dimissionis causam dederit, non maritus, ipsa tamen si iniustũ diuortium non toleranter tulerit & ad suum coniugem redierit, sed alij coniuncta fuerit, vt adultera accusabitur. Eius autem maritum dicit esse reum, vt qui fuerit auctor adulterij. Et in his quidẽ consistit Canon. Tu autẽ lege lxxxviij. can. & xciij. syn. in Trullo, & quæ in his à nobis scripta sunt de ijs, quæ suos maritos reliquerunt & contra. Interrogauerit autem quispiam, cui pœnæ est obnoxius maritus mulieris, quæ iniustè dimissa est, & cũ alia vitæ societatem iniyt. SOL. Quidam dixerunt eum esse reum adulterij: sed mihi non ita videtur. Quoniam enim in mulieris voluntate situm est vt ipsa alij iungatur, & sic adulteretur, & toleranter pati, & non fieri adulterium, quomodo maritus, qui non est adulteratus, vt adulter punietur? Existimo ergo quod vt adulter quidem non punietur, agetur autem in eum, vt qui præter rationem diuortij libellum emiserit, vt vult xiij. cap. cxxiiij. Iustiniani nouellæ seu iiij. cap. septimi tit. xxviij. lib. quod sic habet. Quia autẽ nõnulli studeant nostrã legem transgredi in qua specialiter causas enumerauimus, ex quibus solis potest emitti diuortium, vel à viro, vel à muliere, iubemus præter illas causas nullo modo fieri diuortium, vel factum confirmari, vel ex consensu matrimonium dissoluere, & peccata aliis condonare. Sin autẽ præter causas à nobis definitas voluerint aliqui dissoluere matrimoniũ, iubemus, si quidem descendentes habeant, siue ex ipso, siue ex alio matrimonio, dare illis eorum substantias, secundum legum ordinem, virumq; & mulierem intrudi in monasterium toto vitæ suæ tempore, & ex vniuscuiusque facultatibus circiter quatuor vncias monasteriis in quæ immittuntur separari, marito scilicet ne vsum quidẽ habente eius partis, quæ datur liberis. Sin autem descendentes non habeant, sed adscendentes inueniantur, ipsi tertiam partem facultatum accipiant, præterquam si matrimonij solutioni consenserint. Duæ autem partes monasterijs in quæ vnusquisq; injicitur, separentur. Sin autem nec descendentes nec ascendentes fuerint, vel si etiam ascendentes ei quod factum est cõsenserint, iubemus omnes facultates dari monasteriis in quæ coniecti sunt, ne propter hanc † inuentionem, Dei quoque iudicium contemnatur, & lex nostra transiliatur. Sed & eos, qui eiusmodi matrimonij solutionibus deseruiunt, vel eiusmodi nefarios cõtractus componunt, corporalibus pœnis subijci iubemus, & mitti in exilium. Si autem ij qui matrimonium soluere conati sunt, rursus velint se ipsos matrimonio coniungere, priusquam in monasterium injiciantur, damus ci hoc agendi facultatem & prædictas illi pœnas condonamus, & vt facultates habeant ipsis concedimus, & vt ita inter se viuant, perinde ac si nihil inter se huiusmodi peccassent: si vna autem persona velit reuocare matrimoniũ, nisi altera persona consenserit, aduersus eum qui non vult, pœnæ seruentur. Hæc autem omnia seruari iubemus, & in hac vrbe Regia, & in prouinciis, & per comitem priuatorũ, & per præsides prouinciarũ, & eorum ordines ipsis scientibus. quod si eo peccante se signiter gesserint, & non hæc omnia seruauerint, & exterminationem, & publicationem subibunt. Hæc autem ipsa seruare iubemus loci quoq; sanctissimos Episcopos, vt eorum prouidentia, personæ, quæ traditæ sunt, in monasteria conjiciantur, & ex rebus ipsis ea quæ à nobis definita sunt, monasterijs præbeantur.

† περίνοιαν

Canon XLIX.

Stupra quæ per vim inferuntur, non sint accusationi obnoxia. Quare etsi ancillæ vis allata fuerit à proprio domino, ea culpa est libera.

BALS. Præsens edita est responsio pro aliqua ancilla, quæ à suo domino vim passa est. Dicit enim, quod quoniam alia quoque stupra, quæ necessitate, & vi perpetrantur, ab hostilibus scilicet in captiuas, & à personis quæ regunt, in eas personas quibus præsunt, necessario quoq; ancilla, quæ vi cum suo domino rem habuit, non incidet in pœnas fornicatorum. Lege Canonem primum sancti Dionisij Archiepiscopi Alexandrini ex eodem Canone in Pascha. Hæc autem, vt mihi videtur, seruabuntur, quantum ad hoc, vt quæ stuprata fuerunt, propter stuprum, fornicationis supplicio afficiantur. Nam si per vim vel ignorantiam aliquis in rem inciderit, quæ eum à sacerdotali ministerio arceat, non adiuuabitur ad hoc vt sit deinceps cum sacratis, quoniam nõ propria voluntate in hoc malum inciderit: sed deponetur. Et lege primũ Canonem synodi Ancyranæ, & xxvij. can. præsentis sancti patris. Propterea enim, vt existimo, nec qui imperatoria auctoritate tondentur, possunt transformari, habitúmve mutare, sancti Basilij præsentẽ can. producentes. Sed erunt necessario monachi, etiã si vi tonsi fuere; quemadmodum & quæ vi stuprata est, si erat diaconissa, in pœnam quidem non incidet, sed nihil amplius diaconicum exercebit, quod ea Dei permissu in malum inciderit, quod ei ausert diaconicam auctoritatem.

Sacerdos, qui incidit in rẽ quæ eum arcet à sacerdotio.

Canon L.

Præfertur polygamia soluta ac liberæ fornicationi.

Trigamiæ lex non est. Quare lege tertium matrimonium non prohibetur. Verumtamen ea vt ecclesię inquinaměta

videmus: sed publicis condemnationibus nō subijcimus, A vt quæ soluta ac profusa fornicatione sunt magis expetēda.

BALS. Cum audis sanctum dicentem non esse legem in trigamia, ne dixeris etiam à lege ciuili prohiberi trigamiam. A lege enim cōcessa est, sed Ecclesiasticam hic legem intellige. Legem autem ciuilem dic antiquam, quæ ante sanctum patrem obseruabatur, non autem eam quæ multis post seculis lata est, scilicet Porphyrogennetæ, & Imperatoris domini Constantini decisionem, quæ sita est in primo Canone huius sancti, quam etiam lege, vt dicit Zonaras. Neque enim fieri potest vt hoc dicat quod in sancti mentem venire nō poterat, vtpote quod multis post seculis factum est. Quod autē etiam à lege antiqua tertiū matrimoniū permissum est, lege lib. xxviij. titu. viij. cap. lxiij. thema vj. & tit. xiiij. cap. iiij. Nota autem, quod ex hoc præsenti Canone apparet nō separari tertium matrimonium vt contra leges factum. Dicit enim, quod inquinamenta quidem Ecclesiæ tertia matrimonia omnino re- B putantur, vt quæ ab Ecclesia non permittuntur, si rogata fuerint. Publicis autem condemnationibus, seu manifestis diuulsionibus non subijciuntur, quod sint eiusmodi coniugia fornicatione meliora. Qui autē matrimonium ita contraxerunt, per polygamiam minus effusè peccant. Qui autem fornicantur, laxis habenis in vitia feruntur, vt qui indiscriminatim ex alia muliere ad aliam transeant.

EIVSDEM BASILII AD EVNDEM AMPHILOCHIVM Epistola Canonica tertia.

C

Canon LI. *Clerici ordinati, & qui characterem susceperunt.*

QVod aduersus clericos statutum est, canones indefinite ediderunt, vnum in ijs qui lapsi sunt, supplicium decerni iubentes, à ministerio scilicet motionem, siue sint in gradu, siue etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseuerent.

BALS. In xxxij. Can. Sanctus Basilius definijt propter omne peccatum Clericos per solam depositionem puniri. Sed quia nonnulli dixerunt illos reputari Clericos, qui ordinati sunt, non autem eos qui per solum characterem constituti sunt in gradibus Ecclesiasticis. (Illos D enim magis puniri volebant) definijt Sanctus per præsentē Canonem, omnes similiter clericos per solam depositionem, seu promotionem à conuenienti sacro ministerio puniri, siue sint ordinati, vt presbyteri, diaconi, hypodiaconi: siue per solum characterem operationem sacerdotalem habeant, vt lectores, cantores, ianitores, & similes. Et hæc quidem de clericis per ordinationem, vel characterem in Ecclesiasticis gradibus collocatis. Si quis autē ab Episcopo, vel monasterij præfecto tonsuram habens in crimen inciderit, isne aliquo modo punietur? SOL. Et quoque est clericus, & condemnabitur vt reliqui clerici: prohibebitur enim quoduis opus exercere, cuiusmodi exercent qui habent tonsuras: quemadmodum non conseendet tribunal, non leget in ambone, ad sacerdotalem gradum non promouebitur. Miror autem, quomodo nonnulli depositi chartullarata Ecclesiastica exercent, quæ quidem soli E sacrati exercent. Similiter miror, quomodo qui solas habent tonsuras, & peccantes examinantur, & omnino vt laici puniuntur. Vidi enim hoc aliena quadam ratione, & per abusum fieri. Nota autem ex præsenti Canone, quod quoniā officia dantur per characterē, sunt autem & ij gradus, iniuria afficiuntur, qui ab Episcopis ex ipsis officijs indicta in iudicio causa expelluntur. Neque enim habent Episcopi facultatem hoc in eis faciendi post characterem, quod non possunt facere in diaconis dignitatibus.

Canon LII.

Quæ fœtus in via nati curam non gessit, si cum posset F quidem seruare, neglexerit, vel se ideo peccatum celare existimans, vel etiam omnino belluina, & inhumana ratione vtens, tanquam propter homicidium iudicetur. Sin autem eum concinnare & componere non potuit, & propter solitudinem, rerumque necessariarum inopiam fœtus interijt, matri ignoscendum est.

BALS. In xxxiij. Can. Sanctus Basilius de ea, quæ in via peperit, & fœtum neglexit, angustius statuit: nunc autem fusius decernit de speciebus negligentiæ, & dicit, quod si quæ ex fornicatione quidē, vel adulterio clam vel concepit, vel peperit, & timens ne conuincerētur, statuit per nati fœtus interitum celare peccatū, vel etiam belluinè, seu inhumanè in fœtum se gessit (hoc est instar ferarum, quæ carnes humanas deuorant, & eis non parcunt) eius non misera est, debet instar homicidæ puniri. Sin autem volebat quidem infantem seruare, sed non potuit propter solitudinē & rerum inopiam, & eo factum est, vt interiret, digna erit cui ignoscatur. Sed quia in xxxiij. Can. diximus, quod quæ in via peperit, & negligenter, vel etiam fraudulenter in id quod natum est, affecta est, vt homicida iudicatur, non solum si interijt quod natum est, sed etiam si ab alio educatum sit. Rursus quoque dicimus, quod etiā ex ijs quæ illic scripsimus, hoc probatur. Non minus autē & ex præsenti Canone apparet. Illic enim sanctus mulieris contemptū, vel fraudē inducit: non addit autem fœtus interitum. Sed dicit, tanquam ob homicidium matrē condemnari, hoc est etiam si fœtus non fuerit interfectus, condemnari autem propter malam affectionem. Infante enim illius dolo vel socordia interfecto, debebat sine cōtrouersia vt homicida puniri. Quando autem nec per negligentiam, nec per dolum matris id euenerit, dicit illi quoque ignosci oportere, & adijcit fœtum interire à solitudine, & à rerum necessariarū inopia. Si enim vixisset, nec matris negligentia processisset, quomodo quis eam criminandam esse diceret? Illud autem, matrem belluinè affici, accipe secundum præsentem interpretationem, & non vt dicebant aliqui, secundum ferarum maternam educationem. Permultæ enim feræ pullos suos di- Fera vincunt ligenter curant, & educant, & pro eis pericula subeunt, nec sunt eis cō- sæpe in fœtus ferendæ mulieres, dolosæ, & socordes, matres scilicet. Iam enim leæna cura femitantam suorum catulorum curam gerit, vt antro egrediens, & pedum nas. suorum vestigia cauda confundens, non sinat antrum suum inuestigari à venatore, & fœtus suos interimi.

Canon LIII.

Vidua ancilla fortè nonmultum lapsa est quæ sub raptus simulatione, secūdum matrimonium eligit. Quamobrem eam de illo accusare non oportet: neque enim simulatio iudicatur, sed voluntas. Clarum est autem quod illam manet pœna digamiæ.

BALS. Ancilla, inquit sanctus, vidua, & volens quidem secūdum matrimonium contrahere, fortè autem ne hoc faciat retardata, propterea quod à suis filijs vel à primis coniugij cognatis damnaretur, & propterea se raptam fuisse præ se ferens, per futurum coniugem accusari non potest, quia non est verus raptus, sed velatus sub secundi matrimonij prætextu. AEquum est autem neminem à prætextu seu simulatione damnari, sed ex affectione & voluntate. Quare si non suberat secundi matrimonij ratio, sed propter fornicationem se raptam esse simulauit, vt quæ fornicata sit puniatur. Viduam autem ne dixeris esse & ancillam, sed fuisse quidem aliquando ancillam, nunc autem liberam. Ipsa enim potest primò, & ij contrahere matrimonium, sed non ancilla, quæ à lege non cognoscitur, & à legitimis contractibus. Quoniam autem nonnulli, Canone ad ancillas traducto, dixerunt quod post simulatum raptum dominus secundo matrimonio annuit, & sic quoq; fortasse existimauerunt fornicationem effugere, tanquam matrimonio per domini consensum confirmato, audiant quod quoniam primum matrimonium factum est ancillæ cum libero, tunc autem necessario quoque consensus domini consequutus est, est superuacaneum, vel potius non admittendum, vt supponatur eam fuisse ancillam tempore simulati raptus. A primo enim matrimonio, quod domini cōsensu factum est, ancilla tacitè liberata est, nec amplius opus habuit consensu eius qui fuit aliquando dominus, ad secundum matrimonium. Interrogauerit autem quispiam, cum Leges & Canones, quemadmodum sæpe dictum est, non permittant vt raptores raptis legitimè coniungantur, etiam si raptarum voluntate fiat raptus, quomodo dicit præsens Canon à raptu simulato non impediri secūdum matrimonium? SOL. Hic raptus à viro factus non est, nec vlla actio, quæ raptum constituat, sed mulier quæ volebat secundo nubere, se raptam fuisse simulauit propter causas dictas superius. Si enim raptus omnino factus est, nec matrimonium quidem inter eos intercedet, sed raptorum, & fornicatorum pœnis omnino subijcietur.

Canon LIIII.

De inuoluntarijs cædibus scio me ante hoc tempus in octauo canone, cuius est principium, *Qui securi*, ad suam Pietatem scripsisse pro viribus, & nihil vltra illa possum dicere: est autem tuæ Prudentiæ pro circumstantiæ proprietate pœnas intendere vel remittere.

BALS.

BALS. Sanctus rursus etiam interrogatus est, quomodo debent puniri qui cædes inuoluntariè perpetrant, & respondit, Plus quam dixi in octauo canone, non possum de inuoluntariis homicidiis dicere.

Pœnas augere vel minuere potest sacerdos.

Concessit autem ei qui administrat, qui inuoluntarium homicidium commisit, vel pœnam augere, vel minuere secundum proprietatem circumstantiæ, seu secundum modum & causam cædis, & secundū qualitatem personæ quæ interfecit eiusq; affectionem. Quod autem variè scilicet aliquando quidem grauiter, aliquando leuiter punientur cædes inuoluntariæ, clarum est ex ijs quæ quotidie accidunt circa infantes, quæ in matrū vlnis sæpe moriuntur. Si enim ex ebrietate mater graui somno affecta, relicto incurato infante dedit causam cædis, acerbè punietur. Sin autem ex mala valetudine profundè dormijt, & infantulo mortiferum somnum præbuit, leuius punietur. Ego autem vidi quādam mulierem diuitem & delicatam, grauiter punitam, quod per se, & non per nutricos infantem mamma aleret, & propter insciti am importunè eum lactans, pro lacte, mortifero eum veneno potauit.

Canon LV.

Qui se latronibus aduersos obijciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, à boni communione arcentur: si sint autem
Mat. 26. 52. Clerici, à gradu deponuntur. *Quicunque enim*, inquit, *gladium accepit, gladio peribit.*

BALS. In xiij. Canone sanctus Bas. consulendo definijt, vt qui in bello interfecissent à sacramentorum communione abstinerent tribus annis integris. Hic autem eos qui se latronibus opposuerant, & eos interfecerant, si sint quidem laici, arcet à sancta communione. Clericos autem depositioni subijcit, & dicit se hoc definijsse, secundum scripturā quæ dicit, Qui cunq; gladium acceperit, gladio peribit. Gladium *autem, & mortem vocat, depositionem, & sacramentorū priuationem. Ab ijs enim qui sapiunt hæc mortiferum supplicium existimantur. Quia autem xiij. Can. instar consilij editum dicebant nonnulli, non asserre necessitatem, & propterea despici, dicimus quod ex præsenti Canone, qui indistinctè punit eos qui se defendunt, & latrones interficiunt, apparet illum etiam Canonem iam asserre necessitatē & Ecclesiastica quidem lex eos sic punit, secundum autem thema & cap. xxxix. tit. lx. lib. sic dicit expresè,* Inuadentem latronem licet sine periculo occidere: *tempore autem sanctissimi illius Patriarchæ domini Constantij Chliareni, cum quidam accessissent ad sanctissimā Dei magnam Ecclesiam; & se armatos in latrones incidisse dicerent in clausura sancti Basilij, & eos interfecisse, & vellent scire quid agendū, synodaliter disputatum est, an omnes qui latrones interficiunt debeāt indistinctè puniri: & dixerunt nonnulli, quod si quis potens latronis insidias effugere hoc non fecit, sed eum dedita opera interfecit, non punietur secundum præsentem Canonem, sed tanquam in homicidam grauius in eum animaduertetur. Quis enim scit, inquit, an qui in eum impetum faciebat latro, si vixisset, Dei prouidentia à latrocinio cessasset, & Deo adhæsisset? Vtebantur autem & antiqua superius sita lege, quæ dicit: Si non posset tuto effugere, crimini non datur. Sin autē latro violentam manum aduersus eum qui ipsum interfecit intentauit, fiet quod præsens Canon decernit. Atqui Lex quoque superius dicta sic habet:* Si autem qui occidit nec latronē prosequutus est, *nec dum latro eum persequeretur ipsum occidit: sed propter cōmunem vtilitatem incitatus hoc molitus est, & ipsum interfecit, nec legitimè, nec Ecclesiasticè punietur. Is enim, inquiunt, præmiis quoq; dignus est, vt qui multorum animas à morte liberauerit, & locum qui latronis insidiis, tanquam quibusdam spinis & tribulis suffocabatur, mansuefecerit. Hoc quoq; confirmabant ex lege, quæ sita est in primo tit. iij. lib. & decernit eum non esse infamem, qui pro ostentanda virtute cum bestijs pugnauerit, & pro oppugnanda bellua absque canum venatione mercedem acceperit, cum ea bellua prouinciam magnopere læderet: Synodo autem visum est, vt quod ad leges Ecclesiæ attinet, & qui se defendentes, & qui propter publicam vtilitatem inuitati, latrones interfecerunt, puniantur, quemadmodum puniuntur qui in bello occiderunt: Is autem qui latronem interfecit, quando poterat suum latrocinium effugere, amplius puniatur. Tamen secundum iura legitima superius dicta diuisio, non repudiabitur. Et hæc quidem de laicis. Clerici enim quomodocunque occidentes deponuntur, nulla habita differentia hostium, vel latronum, vel aliquorum aliorum. lege xxiij. cap. xiij. tit. Nomocan. Photij.*

Canon LVI.

Qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentia ductus est, xx. annis sacramento non cōmunicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quat uor annis flere stans extra fores oratorij, & fideles ingredientes rogans vt pro eo precētur, suam iniquitatem pronuncians. Post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis cum ijs qui in † substratione orant egredietur. In quatuor annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis, erit sacramentorum particeps. † ὑποπτώσεα.

Canon LVII.

Qui non volūtariè interfecit, vndecim annis sacramentis non communicabit. Vndecim autem anni sic in eo dispensabuntur. Duos quidem annos deflebit, tres autem annos inter auditores perseuerabit, in quatuor † substratus, & anno solum consistet, & deinceps ad sacra admittetur. † ὑποστάτων.

BALS. Præsentes duo canones describunt quomodo debeat puniri qui voluntarias & inuoluntarias cædes fecere. Pœnarum autem etiam modos definiunt.

Canon LVIII.

Qui adulterauit, in quindecim annis sacramentis non communicauerit. In his autem quindecim annis sic quoq; dispensabitur. Quatuor annis erit deflens, quinque audiēs, quatuor † substratus, in duobus consistens sine communione. † ὑποστάσεων.

Canon LIX.

Fornicator septem annis sanctis non communicabit, duobus deflens, & duobus audiens, & in vno solo consistens; octauo autem ad communionem admittetur.

BALS. Etiamsi, quæ præsentibus duobus Canonibus decreta sunt, quod ad dictionem attinet, clarissima, sed tamen quod ad praxin attinet, sunt omnino difficillima. Nemo enim ea, quæ illic continetur, ratione curatur: & nisi esset inenarrabilis clementis misericordia, omnis caro periisset. Ne autem contrarius esse sibi videatur xxij. Canon sancti patris, qui dicit, eos qui ex raptu mulieribus stuprum asserunt quadriennio puniri. Illic enim sanctus ea quæ ab iis qui eum præcesserunt patribus statuta sunt ostendit, nunc autem suam sententiam protulit.

Canon LX.

Fornicatarum virginum, & monacharum pœna.

Quæ virginitatem professa à voto suo ac professione lapsa est, peccati adulterij tempus in suæ vitæ dispensatione complebit. Idem & in ijs qui vitam monasticam profitentur, & labuntur.

BALS. Sæpe diximus, quod virgines mulieres dedicabantur Ecclesiis cum laico amictu, & ab Episcopis nutriebantur, vt quæ, & virgines esse, & Ecclesiis assidere profiterentur. Hanc ergo virginem quæ hæc professa est lapsa, seu fornicata est, decernit Sanctus, vt adulteram tractari, seu puniri, & non solum eas, sed & monachos, & monachas similiter post conuersionem curari. Ne tibi autem videatur aduersari xix. Can. Synodi Ancyranæ, decernens lapsas virgines pœnis digamorū subijci. Is enim à præsente Canone sublatus est, qui est multo antiquior: lege & xviij. Can. præsentis sancti, & nota quod ex præsenti Canone monachi qui fornicantur, & non deponuntur, vt qui non habeant lectoris characterem à suo præfecto, vel Episcopalem ordinationem, post defectionem, seu delictum, instar adulterorum puniuntur. Similiter etiam ascetriæ, & monachæ. lege & xj. tit. Nomocan. Photij, cap. v. viij. & ix.

Canon LXI.

Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus seipsum accusauerit, anno à sola sacramētorum communione arcebitur. Sin autem conuictus fuerit, duobus annis tempus illi ad † substrationem diuidetur, & consistentiam, & tunc communione dignus habeatur. † εἰς ὑπόπτωσιν. Confessio peccati.

BALS. Diuini Canones lenius puniunt eos qui sua peccata confitentur, & ideo statuit magnus Basilius, vt qui suum furtum confessus est, sola Sacramentorum communione anno vno arceatur: is autē qui vt fur condemnatus est, vel in furto fuit deprehēsus, biennio puniatur, nec in deflentis, nec in audientis, sed in substrati, & consistentis loco ponatur, & post duorum annorū lapsum sacramentorum cōmunione dignus habeatur. Tu autem opta, ne præsens Canon secundū furis definitionem

Fur quis, & multitudo furum.

nitionem intelligatur, quæ dicit, Fur est, qui præter domini voluntatem aliena contrectat, sciens se eum molestia afficere. *Nullus enim ferè eorum qui in vita versantur sacramentis, vt mihi videtur, communicabit, si hoc datum fuerit. Nam monasteriorum quoq; ministri, etiam si sint religiosissimi, præter suorum Præfectorum sententiam, aliquid sibi modicum ad vitam sustentandam priuatim accipiunt, & ad alios transferunt, & filij à parentibus subripiunt. Mitto* † λειξυρίας. *seruorum* † *nequitias & clandestinas subreptiones eorum, quæ ad dominos suos pertinent. Hæc sunt malorum Ilias, & malum dilatant. Sed vt intelligatur editus hic Canon in fures impudentes, lege & lxvj. cap. xij. Tit. lx. lib. quod dicit, Fur etiamsi pœnitentia motus rem domino reddiderit, fur esse non desinit.*

Canon LXII.

B

Qui in brutorum concubitu suam impietatem profitetur, eadem ratione confitens seruatur.

BALS. Tanquam adulteros definit sanctus puniri masculorum concubitores, & qui bruta ineunt omnino oportere, postquam scilicet à malo defecerint, & confessi fuerint. De masculorum autem concubitoribus, lege etiam vltimum caput xxxiij. tit. lx. lib. quod dicit: Iis qui bruta ineunt, seu pecora insiliunt, caput abscindatur.

Canon LXIII.

Periurus vndecim annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor substratus, anno solum consistens, & tunc cõmunione dignus habebitur.

C

BALS. De periurijs lege xviij. cap. xiij. titu. Nomocan. Photij, & quæ a nobis in illis scripta sunt.

Canon LXIIII.

Qui præstigias, vel veneficium fatetur, is homicidę tempore confitebitur, ita dispensatus, vt qui in vno quoq; peccato se ipsum conuicit.

BALS. Præstigiæ *quidem sunt, per solas incantationes, ac inuocationes quamcunq; actionem facere.* Veneficium *autem est, per noxia pharmaca esculentum vel poculentum aliquod componere, & hominem veneno perimere. Lege autem xx. cap. xiij. tit. Nomoc. Photij, & quæ in eo sunt, & xxv. cap. ix. tit. operis eiusdem.*

D

Canon LXV.

Qui sepulchra effodit, vndecim annis carebit communione.

BALS. De sepulchrorum effossoribus, lege caput xxiij. xiij. titu. Nomoc. Photij, & xxvij. cap. ix. tit. operis eiusdem.

Canon LXVI.

Cum sorore coitus homicidæ tempore punietur.

E

Canon LXVII.

Prohibitæ cognationis in matrimonium coniunctio, si deprehensa fuerit, vt quæ in hominum peccatis facta est, subibit adulterorum pœnas.

BALS. Lege xxix. cap. ix. tituli Nomoc. Photij, & xx. cap. xiij. tit. & lib. lx. tit. xxxvij. cap. lvij. quod dicit. Quæ matrimonio coniunguntur, vel alias carnaliter copulantur * πάσδελφοι. *patrueles fratres, & liberi qui ex eis nascuntur, & solum, quinetiam pater & filius cum matre & filia, vel duo fratres cum duabus sororibus, vel duo fratres cum matre & filia, vel consobrinus cum ea quæ fuit vxor auunculi, vel auunculus cum ea quæ fuit vxor consobrini, præter separationem etiam verberentur.* F *Et hæc quidem hoc modo. Quia autem in interpretatione ij. cap. xiij. tit. Nomoc. Photij ostendimus, quod regium quidem iussum factum est, prohibens vnum & eundem duabus secundis * sororibus patruelibus* * πασδέλφαις. *legitime coniungi, non fuit autem prius positũ, sed & Ecclesia prohibet eiusmodi matrimonium, debes scire, quod postquam nos hæc scripsimus, tempore sanctissimi & vniuersalis Patriarchæ domini Theodosij xxx. Iulij mensis, xiij. indictionis facta est declaratio Synodalis, quæ ad verbum sic habet. Sanctissimus Metropolitanus Apro. Frater & comminister vestræ mediocritatis, Romanus Artabasdus, allato synodaliter scripto, quod hæc his verbis cõtinebat: Puella quædam, quæ Irene dicitur, sponsalia contraxit cum quodam Ioanne, nata decem annos. Cum autem dicta essent illicita illius sponsalia, facta est iudiciaria declaratio permittens eos vtique separari, qui sponsalia contraxissent: quod essent, vt dictum est, sponsalia contrà leges facta. Vult ergo Irene hodie legitimè coniungi Theodoro, qui est Ioannis secundus patruelis, & interrogat, an habeat aliquod impedimentum, rogauit nostram mediocritatẽ, & sacram fraternitatem, vt ab ea edisceret, an nullum habeat impedimẽtum contractus, de quo scriptura facta est. Abea ergo audiuit, & præsente fratrum congregatione, quod eiusmodi contractus nullo modo est prohibitus. Quia enim quæ cum Ioanne contracta sunt sponsalia, vt quæ propter Irenes ætatem consistere non possent, soluta sunt, rectè Irene secundo eius patrueli lege matrimonij coniungetur. Neq; enim Irenem cognatam personam reputat Theodorus, nec cognationis vinculis ac finibus constringitur, eo quod sextum cognationis gradũ excesserit. Nota quod ex præsenti synodali declaratione permissum est vnum & eundem duabus secundis patruelibus sororibus coniungi, quod mihi non placet, & lege factam à nobis de hac quæstione dijudicationem sitam in fine libri.*

A

Canon LXVIII.

Lector, si cum sua sponsa ante matrimonium commercium habuerit, postquam anno cessarit, ad legendum recipietur; manens non vlterius promouendus. Quod si absque desponsatione furtim coierit, cessabit à ministerio. Idem & minister.

C

BALS. Cum quidam Lector cum sua sponsa ante matrimonium eius voluntate congressus esset. (Id enim significat, commercium habuit,) *Sanctus interrogatus est an is debeat, vt qui furtim congressus est, castigari post matrimoniũ. Dicebant enim nonnulli, quod quoniam sponsalia non sunt perfectum matrimoniũ: potest enim pars, quæ accipit arram, quæ sponsalia constituit eam reddere duplicatam, & soluere sponsalia, existimatur Lector non cum legitima vxore: sed cum muliere libera rem habere, & ideo cũ ijs annumerari qui furtim coeũt. Dicit itaque sanctus, quod is Lector qui cum sua sponsa, non cum omnino alia muliere coijt, tanquam fornicatus sit, non reputabitur. Sed quia non exspectauit perfecti matrimonij mysterium, vt* † ὡς μικροψυχήσας. *† qui pusillo & non constanti animo sit, punietur, id est, anno vno segregabitur: deinde admittetur ad hoc, vt sit solum Lector. Ad maiorem enim promo-* D *tionem non prouehetur, hoc est, neque diaconus erit, nec sacerdos, multo autem minus Episcopus. Sin autem inquit, Lector cum muliere aliqua coierit, quæ non sit sibi desponsa, & si cum ea forte locutus erat de ea accipienda in vxorem, etiamsi post coitum eam in vxorem acepit, non solum non promouebitur, sed etiam eo ipso depositioni subijcietur, nihil ex eo adiutus, quod eam postea legitimè vxorem acceperit. Idem autem erit etiam in ministrũ, seu hypodiaconũ. Nam & is cum eo modo furtim coierit, deponetur. Ad vnum autem factum, quod est de furtiuo coitu, refer quod de diacono definitur, non autem etiã ad hoc vt promoueatur, postquam cum sponsa coierit, vel non. Non enim permittitur hypodiacono, sicut & lectori, post ordinationẽ desponsam habere mulierẽ, & matrimonium contrahere. Dicit enim Apostolorum xxvj. can. hoc modo. Eorum qui ad clerum non ducta vxore peruenerunt, iubemus volentes solum lectores, & cantores matrimoniũ contrahere. Si* E *quis autem furtiuo concubitu congressus, postea diaconus factus sit, suo gradu exturbetur cognito crimine. Et hæc quidem hoc modo. Scias autẽ quod quæ hoc canone continentur, in synodali iudicio variè disceptata sunt, & dixerunt nonnulli hæc locum habuisse, quando sponsalia consensu contrahebãtur, & dissoluebantur. Nunc autem quando nõ aliter contrahuntur, nec soluuntur, nisi iis modis, & causis, quibus perfectum quoque matrimonium contrahitur, & soluitur, hæc omnia exoleuerũt. Vnde nec permittitur alicui eorum qui sunt ex tribunali, morte vel aliqua alia causa à sua sponsa separato, alij mulieri cõiungi, & is qui hoc fecerit, vt bigamus deponitur: similiter & Lector qui in tale quid incidit, ad alium gradum non promouetur. Volebant autem eum quoq;, qui hodie cum sua sponsa rem habuit, id impune fecisse, quod nõ possint* F *solui sponsalia. Cum autẽ Augustus ille, & magnus* † *Drungarius dominus Stephanus Comnenus esset matrimonio iungendus dominæ Eudochiæ Augusti illius, & magni domestici domini Ioannis filiæ, & prohiberetur, eo quod soror eius domina Irene desponsa esset illi Augusto domino Alexio in primis Augusti domini Ioannis inclyti Imp. filio, qui erat primus patruelis magni Drungarij, & fieri nõ poterat, vt duo primi patrueles duabus sororibus coniungerentur, synodicè agitatum est tempore sanctissimi Patriarchæ domini Nicolai Muzalonis, an ex eo impediatur magni Drungarij contractus: statutum est autẽ impediri, eo quod sponsalia perfecti matrimonij locũ non teneãt. Porrò sanctissimus quoq; Patriarcha dominus Theodosius, concessit Mesopotamitano dom.* † δρουγγάριος. *Sponsalia nõ tenent locum perfecti Matrimonij.*

Michaeli,

Michaeli, cui Maria quædam desponsa fortè fuerat, & quod ea ante matrimonium aliam acceperat, vt alij sine præiudicio post mortẽ eius coniungeretur, maximè cum & liberos haberet, & xxx. annum excessisset, dicens non reputari trigamiam, vtpote cum sponsalia pro perfecto matrimonio non sufficerent. Hæc autem ita statuta sunt, quòd non dictum sit interceßisse copulam inter sponsos: si ea enim interceßisset, nihil tale decretum esset, ne manifestus † incestus & nefarium matrimonium permitteretur. Nam etsi non interceßisset copula, quoniam ex xcviij. can. syn. in Trullo, & ex ij. cap. lviij. tit. lx. lib. & ex tertio themate xij. cap. xxxvij. tit. eiusdem lib. ostenditur eum esse adulterij crimini obnoxium, qui alij desponsam vxorem duxit, quando & sponsalia cum pœnæ datione soluebantur, & matrimonio non æquiualebant, sicut hodie, dico non esse sine periculo, quæ sic permittuntur, cum præsentis quoque Canonis potestate concurrens.

† ἀμομιξία.

Canon LXIX.

Diaconus qui pollutus est in labris, & se eo vsque peccasse confessus est, à ministerio prohibebitur: vt autẽ sit sacramentorum cum diaconis particeps, dignus habebitur. Si quis autem amplius peccasse deprehensus fuerit, in quocunque sit gradu, deponetur.

BALS. Diaconum vel sacerdotem, qui in labris pollutus est, & peccasse confessus est, decernit sanctus esse à sacro ministerio arcendum, non tamen esse à sacramentorum participatione prohibendum, sed intra sacrum tribunal cum gradu sibi æqualibus sacerdotibus, vel diaconis communicare ei permittendum. Eum autem qui non eo vsque solum peccauit, sed amplius etiam lapsus est, vult esse deponendum. Hæc cum can. definiat, sæpe interrogatum est. Quid sit sacratum hominem in labris pollui, & dicebant aliqui esse aliquem peccasse cum muliere ad lasciuum & amatorium osculum, secundum Euangelium dictum quod est; Qui aspexit mulierem ad concupiscendũ eam, mœchatus est in corde suo. Alij dicebant, quod quidam Veneris igne ardenter inflammati, muliebri pudendo, tanquam poculo vtuntur, & per ipsum, (ô execrandum flagitium) execrabilem potum bibunt, & labra sua polluunt. Alij dicebant: nonnulli insano amore capti muliebre pudendum exosculantur: nec erubescunt: sed dicunt labra nostra à nobis sunt. Quis nobis dominus? *Ego autem legens Iuliũ Pollucem, inueni eum in secundo libro Onomastici sui nominantem* μυρτοχειλίδας, *&* κρυμνώματα *&* πτερυγώματα, *quæ sunt hinc & illinc prominentes muliebris pudendi partes, & membra. Doctißimus quoque Aristoteles in sua Physiologia de partibus animalium, ea* labra *nominat. Multi quoque qui scripta amatoria conscripserunt, ea & hiare, & expuere, & lingulis instructa esse dicunt. Existimo ergo quod qui est in sacris si per labra pollutus fuerit, vt qui rem quidem valde exosam, execrandamq; fecerit, ad tempus segregabitur: qui autem perfectum peccatum per coitum non commisit, non deponetur. Quia autem nonnulli dicunt eum qui in labris pollutus est, & confessus, debere deponi, quod dicat sanctus eum non oportere ministrare, dicimus, Sanctum hoc noluisse. Etsi enim videatur esse supplicium acerbius eius qui in labris pollutus est, ex eo quod non tempus definitum prohibitioni ministerij, sed non iam etiam apparet depositio. Illum enim deponendum esse decernit, qui maius aliquid per coitum perpetrarit.*

In labris pollui, quid.

1. *Matth. 5. 28.*

2. *Fellatorum scelus nefandum, apud Martial.*

3. *Psal. 11. 5. Iulius Pollux Onomastici lib. 11. cap. 4. parag. 36. pag. 1110. vers. 22. vbi* χρυμνοὶ *legitur, & in Hippocrate.*

Canon LXX.

Qui vniuscuiusque prædictorum peccatorum fuit conscius, & non confessus, sed conuictus est, tanto tempore quanto malorum effector punitus est, ipse quoque punietur.

BALS. Eos qui sunt conscij aliquorum qui peccata aliqua cõmittunt, & hæc non sua sponte Episcopis confitentur, sed ea celant, statuit sanctus, vt post legitimam omnium probationem, æquè puniantur, ac ij qui mala fecere. Conscium *autem hic ne dixeris eum qui solam habet conscientiam, & prohibere non potest: nec eum qui consuluit absq; improba affectione, sed eum qui opem & auxilium tulit vel dolosè cõsuluit: vel eum qui scit, & potest prohibere, nec prohibuit. Dicit enim ij. thema xlviij. cap. xj. tit. lx. lib. Qui nouit furem, etiam si eum non reuelauerit, fur non est. Qui autem furem occultat, fur est. Et ij. thema l. cap. eiusdem libri & tit. studium, & consilium fit, quando sit propter odium eius cui furto quid auferatur, sicut furtum, ita & studium non fit sine dolo malo. Et consulit quidẽ, qui furtum suadet, studet autẽ, qui operam aliquam, & auxilium ad furtum præbet. Et lx. cap. Qui ei qui fugit viam ostenderit, fur non est. Et cap. iij. vj. tit. eiusdem lib. Qui sine dolo consuluit, non tenetur, nec qui per ludum. Antiqua quoque xj. cap. eiusdem libri & tit. Ex solo enim consilio furti actio non nascitur. Sacer quoque psaltes Dauid non punit eum qui furem vel adulterum aspectat, sed eum qui currit cum fure, vel ei fert auxilium, & eum qui diuidit, hoc est commune facit cum adultero peccatum. Qui ergo mali tantum habet scientiam, & non potest prohibere, & qui consuluit absq; improba affectione, non punietur. Qui autem sciuit, & cum prohibere posset non prohibuit, & qui malo animo consuluit, multo autem magis qui opem tulit, punietur. Nota autem quod vbique confessio leuat pœnam, probatio autem eam auget.*

Canon LXXI.

Qui se vatibus, vel eiusmodi alijs tradit, ipse quoque homicidarum tempore punietur.

BALS. In xxv. cap. ix. tit. Nomocan. Photij, & in xx. cap. xiij. tit. multa scripsimus de vatibus, Magis, & similibus, & lege ea, & quæ in ijs declarantur, canones scilicet, & leges, & scies quomodo hi puniãtur ciuiliter, & ecclesiasticè. Nunc autẽ sanctus decernit eos qui se eiusmodi hominibus dedunt homicidarum quoque tempore puniri. Quia autem nonnulli præsentem Canonem interpretantes dicebant eos sic quoque puniri debere qui ad mulieres accedunt, quæ cum ordeo se quædam incerta, & futura reuelare profitentur, dico esse differentiam vatum, & † *incantatricum vetularum quæ per incantationes simpliciores seducunt. Illi enim dæmones inuocant. Hæ verò virtutem potius, & sanctificationem simulantes, cum diuinis canticis futura nonnunquam describunt, & quæ sunt obscura per ordeum proferunt, vt faciunt, & quæ dicuntur* κρίθινα *& qui saccos, pannosq; induunt promissa barba & coma monachi. Ij enim & seducentes, & seducti futura vaticinantur, tãquam ab Angelica renunciatione edocti. Debent itaque, qui non Deum negarunt, sed per improbitatem sanctitatem simulant, mitius, & non instar eorum qui Deum negauerunt, puniri. Sin autem dixeris ordei* † *latrices, & incantatrices aniculas dæmones inuocare, eæ quoq; necessario vt Magi & vates, extremo supplicio punientur. Lege & lxxxiij. can. præsentis sancti, & quæ in eo sunt.*

† γυτευτριῶν.

† τὰ κριθοφόρα καὶ γυτευλέχα γραίδια.

Canon LXXII.

Qui Christum negauit, & salutis mysterium transgressus est, eum toto vitæ suæ tempore deflere, & confiteri cõuenit in tempore quo è vita excedit, sacramento dignus habitus, propter fidem diuinæ clementiæ.

BALS. Canon quidem clarus est: statuit enim vt qui Christum dominum nostrum negauerunt, & eius quæ in carne fuit œconomiæ mysterium non susceperunt, defleant & confiteantur toto tempore vitæ suæ; in sola autem extrema respiratione digni habeantur sacramentorum participatione. Cum autem Ancyrana synodus, & sacrosanctus Martyr Petrus extremo excommunicationis supplicio neminem subijciant, & præsenti Canoni veluti aduersentur, dic, quod Patres statuerunt pœnas suis temporibus conuenientes. Qui enim erant tempore vehementium persecutionum, quando fides etiam non erat valde stabilis, propterea in eos qui labebãtur, se mitius gerebant, cõcedentes propter persecutorũ necessitatem. Magnus autẽ Basilius qui erat eo tempore quo fides dilatata firmiorq; facta est, fuit vehementior in eos qui fidem negabant. Vel dic, quod Patres quidem de iis statuerunt qui per vim tyrannicam Christum negarunt, & ideò pœnas mitigant. Præsens autẽ Canon de ijs decernit qui sua sponte, & sine aliqua necessitate Christũ negauerunt, & propterea grauem illis pœnam inflixit. Illos autẽ deflere, & per totam vitam confiteri, dicunt nonnulli, non accipi ad hoc vt ponantur in loco deflentium. Hoc enim inquiũt, est à sancti misericordia, & Dei clementia, quæ vincit omne peccatum, alienũ: & ideo volũt eos quidem deflere, & peccatum confiteri toto vitæ tempore, sed loca pœnarum peragrare secundum canones Ancyr. syn. sed sacramentorum cõmunione digni non habebuntur, nisi in extrema respiratione. Ei autem sententiæ assentior et ipse, vt humaniori, et quod nec ex sancti quidem verbis apparet eum qui sic peccauit, statui in loco peccata deflentium.

Canon LXXIII.

Sin autem vnusquisque eorum qui in prædictis peccatis fuere, confessus, bonus euaserit, & is cui à Dei benignitate ligandi & soluendi credita est potestas, si sit clementior, videns summã eius, qui peccauit confessionẽ, ad diminuendũ pœnarum tempus, nõ est dignus damnatione, cum quæ est in scripturis, nobis historia significet, quod qui cum maiori labore cõfitentur, Dei misericordiã celeriter apprehendãt.

Pontifex regionis.

BALS. Ne quis propter temporalium pœnarum longitudinem A tristitia afficiatur, dicit sanctus quod regionis Pontifex, cui quemadmodum & summo inter Apostolos Petro regni cælorum à Deo claues creditæ fuerunt, ligandiq; & soluendi potestatem accepit, si viderit eum qui propter aliquod peccatum pœna affectus est cum gratiarum actione pœnarum medelã suscepisse, & ardentiore studio pœnitentiã ostendere, tempus pœnæ diminuet, non timens condemnationem, tanquam qui vtique canonicam temporis pœnarum definitionem transgrediatur. Docet enim nos Scriptura, quod qui cum maiori labore confitentur, eos Dei misericordia celeriter apprehendit. Et in his quidem can. Tu autem lege xxxix. cap. ix. tit. Nomocan. Photij, & leges quæ in eo sitæ sunt, & ex his scies quod est differentia iudicum, qui pronunciant corporales punitiones aduersus eos qui sunt criminibus obnoxij, & Episcop. qui de- B cernunt pœnas Ecclesiasticas aduersus eos qui animæ peccata confitentur. Illi enim iudices pœnas à lege constitutas nec possunt augere, nec minuere sine iussu Imp. Hi verò nostrorum peccatorum onera suscipientes, tanquam Deo pro nobis rationes reddituri, pro suo arbitratu pœnas & augent, & minuunt, & ideo in eorum est potestate non solum pœnarum tempora minuendi, sed etiam pœnas commutandi. Et si enim constitutum est, vt qui peccauit hanc carnem non comedat, nec cum fidelibus consistat. similiter nec sit diuinorum sacramentorum particeps: qui tamen confessionem suscepit pro personæ cui pœna imponitur qualitate, & eius confessionis vehementia, & pœnitentiæ studio, has quidem pœnas moderabitur, illas verò multiplicabit. Quare non est accipiendus hic Canon vt nonnulli dicebant, ad solam temporis pœnarum diminu- C tionem, sed ad omne pœnæ genus. Cum autem quidam miles in voluntariæ cædis crimen incidisset, & à quodam Antistite, post valde modicũ tempus, datis scriptis, absolutus esset, potens & sanctus noster Imperator, & dominus, id factum ægrè ferens, statuit tempore sanctissimi illius Patriarchæ domni Lucæ, vt synod. aliter consideraretur, an rectè illi militi concessa esset à pœnis absolutio, tanto in eum studio † & per quan- † οὐ σὺμ-παθῶς, ἀλλὰ προπα-θῶς.
dam non misericordiam, sed potius animi affectionem. Cum enim Antistes præsentem Canonem proponeret, & alios moderantes vtiq; eam quæ illi obijciebatur nimiam pœnæ leuitatem, sancta Syn. Canones limitibus circumscribens, secundum diuinissimam inspirationem, quæ ex sancto illis spiritu inerat, militem quidem canonicarum pœnarum rur- † ἀλυκτε-πέδαις.
sus † compedibus subiecit: Antistitem autem ad aliquantum temporis Pœnas canonicas Aranearum filis ligare.
ab officij ac ministerij suspensione puniuit, dicens quod Antistitibus qui- D dem licet pœnas canonicas augere, & diminuere: aranearum autem filis ligare, quæ debent tribus rudentibus alligari, non concessum est. Dicitur autem, quod etiam propter illius militis causam edidit potens & sanctus noster Imperator de voluntariis homicidiis Nouellam, quam etiam lege retro sitam, & hæc quoque cum alijs tractantem. De ijs autem quæ ab illis fiunt, postquam ad sanctissimam Dei magnam Ecclesiam confugerint, imperialis mea Majestas non scit perfectè, audit tamen quæ non bona sunt.

Canon LXXIIII.

Qui cum propria ex matre sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua E & nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati † sensum & animaduersionem venerit, triennio † συναί-σθησιν.
defleat, stans propter fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, vt vnusquisque pro ipso misericorditer ad Dominũ intensas fundat preces. Postea autem alio triennio ad solam auditionem admittatur, & Scripturam ac doctrinam audiens eijciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde si quidem illam cum lacrymis exquisiuit, & Domino cum cordis contritione, & valida humiliatione supplex procidit, detur ei substratio in alijs tribus annis: & sic postquam pœnitentiæ fructus dignos ostenderit x. anno in fidelium orationes suscipiatur sine oblatione, & cum duobus annis vna cum fidelibus ad oratio- F nem substiterit, sic deinceps dignus habeatur boni communione.

Canon LXXV.

Idem est decretum in eos quoque qui suas nurus accipiunt.

BALS. Duo præsentes decernunt canones, quomodo punitur qui cum sua sorore rem habet, etiamsi non ex ambobus ei parentibus connecta sit, sed ex vno, quæ Græcè ἑτεροθαλὴς dicitur, & quomodo punitur qui cum sua nuru polluitur, & dicit eos quidem debere extrudi ab Ecclesia donec à peccato abstinuerint: postquam autem destiterint, distribui in quatuor loca, eorum qui agunt pœnitentiam: & sic sancta communione dignos haberi. Quatuor autem loca xij. annis perficiũtur, lege & ij. caput xiiij. titu. Nomoc. Photij, & nota quod ijs qui desistunt, non ijs qui perseuerant in peccato, dantur pœnæ Canonicæ. His enim nihil quod sit fideliam, penitus communicatur.

Canon LXXVI.

Qui mulierem quidem sibi legitimè copulatam dimittit, & aliam ducit, secundum Domini sententiam, adulterij iudicio subijcitur, & à patribus nostris canonicè statutum est, vt ij anno defleant, biennio audiant, triennio substernantur: septimo cum fidelibus consistant: & ita oblatione digni habeantur, si cum lacrymis pœnitentiam egerint.

Canon LXXVII.

Eadem autem forma obseruetur, & in ijs qui duas sorores in matrimonio accipiunt, etsi diuersis temporibus.

Canon LXXVIII.

Ij autem qui in suas nouercas insaniunt, sunt eidem Canoni obnoxij, cui & ij qui in suas sorores insaniunt.

BALS. Eum qui suam ex altero germine sororem vel suam nurum polluit, xij. annis puniendum statuit sanctus in lxxv. & lxxvj. Canon. Nunc autem scilicet in lxxvij. lxxviij. & lxxix. Can. iubet, vt qui suas consortes dimittunt, & alias ducunt in matrimonium, quinetiam ij qui duas sorores in matrimonium accipiunt, scilicet post vnius mortem, & qui cum suis nouercis polluũtur, vt adulteri puniantur. Addit autem lxxvj. Canon, vt qui suam vxorem relinquit, & alij coniungitur, à patribus septennio puniatur: & sic si cum lacrymis pœnitentiam egerit, sancta communione dignus habeatur. Hæc cum ita se habeant, dicit quispiam quod cum lviij. Can. in quindecim annis puniat adulterum, & præsens canon dicat septem annis puniri eos qui suas vxores dimittunt, & alias coniunguntur, quid nobis sit sequendum.

SOL. Ea quæ in lviij. Can. continentur. Hic enim sanctus Patrum definitionem, non vt decretum, sed vt in memoria reuocationem adduxit, & vt sciamus quid ab illis prius statutum est, & quid ab ipso contra statutum: & hoc significatur, ex eo quod dicit sanctus debere eos puniri, vt adulteros: si quis autem dicat generale iuris dictum seruari, Expressa plus valere quam tacita, audiet: quod si esset quidam alius sancti can. qui xv. annis puniret adulteros, rationem fortasse haberet quod dicitur. Quia autem sunt etiam eiusdem sancti vtrique canones, necessario, quod ab eo posterius cautum est, attendi debet, vt quod iam esset editum per lviij. canonem. De iis autem qui suas vxores relinquunt, lege etiam xxxviij. can. præsentis sancti patris: & antepenultimum thema vlt. cap. xxxvij. titu. lx. lib. quod dicit, Qui duas vxores habere tentauit, non lege, sed facto voluntatis, rectè adulterij crimini subijcitur. Quæ autem illi nupsit posterior, si nesciret eum habere vxorem legitimam, ei venia dabitur. Lege & ij. Can. Neocæsar. synod. qui dicit eos ab Ecclesia ad mortem vsque expelli, & ne tibi contrarius esse videatur, sed dic ante dictæ quidem Synodi Canonem statutum esse de iis qui in modo persistunt: præsentem verò de ijs qui desiterunt, & confessi sunt, & propterea illi quidem perfecta excommunicatione damnantur: hi verò quindecim annis puniuntur. Nota autem ex præ- sentibus Canonibus quod non solum in his peccatis, sed etiam in reliquis cessatio dat locum pœnis. Qui enim in malo perseuerat, etiamsi millies punitus fuerit, & toties bonum fecerit, habet vulnus immedicabile, quod vinculis † quæ cicatricem inducunt non constringitur. † οὐλωτι-κοῖς.
Nota præterea, quod quæ præsenti Canone continentur, ea quæ ab Ecclesia apertè suscepta sunt, exoluere, & qui eis vtitur, iudaizat. Ecce enim apparet, quod etiam apud sanctos patres leges susceptæ sunt quæ ratione † cognationis matrimonia prohibent. Porro Lex quoque † ἀγχιστείας
antiqua, quæ permittit vt frater defuncti eius vxorem accipiat, vt fratri semen suscitet, in vsu non est. Porrò Latini quoq; qui matrimonia, quæ ratione cognationis vetita sunt, indiscriminatim contrahunt, in Canonem impingunt.

Canon

Canon LXXIX. *De Polygamia.*

Patres Polygamiam silentio prætermisere, vt beluinam, & ab omni hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam maius esse fornicatione peccatum, & ideo consentaneum est vt ij Canonibus subiiciantur, vt scilicet postquam anno fleuerint, & tribus subsstrati fuerint, sic susciantur.

Polygamia.

BALS. Cum sanctus Basilivs *in iij. Can. de Trigamis, & Polygamis ea definisset, quæ Spiritus sanctus per eius manum dextram pulchrè describenda curauit, nunc dicit, quod Patres quidem nihil de Polygamia dixerunt, sed eam de industria silentio prætermiserunt, vt beluinam, & ab hominum instituto alienam: sibi autem videtur eam esse fornicatione deteriorem. Quare & eum qui Polygamiæ impuritate propter rationis inopiam alligatus est, Canonicis esse pœnis subiiciendum decreuit: scilicet vt stet anno cum deflentibus, tribus annis sit in subsstratione, & cum catechumenis ingrediatur, & sic admittatur. Rogauerit autem quispiam, cum prædictus liij. Canon contineat Trigamiam & Polygamiam castigatam fornicationem esse à Patribus nominatam, eaq; in omnibus exæquet: quomodo dicit præsens Canon fuisse Polygamiam à Patribus silentio prætermissam, & eius peccatum fornicationem superare? SOL. Trigamia quidem à Lege agnoscitur, Tetragamia autem, & deinceps, nec Canonibus, nec Legibus admissa est. Omnis ergo matrimonialis contractus, qui Trigamiæ limites excedit, nominatur polygamia. Illic itaq; sanctus de Trigamia statuens eam castigatam fornicationem nominauit, sed non Polygamiam, quoniam illa quidem à lege agnoscitur, & non ab Ecclesia diuellitur, quemadmodum dicit Canon decimus. Hic autem de Polygamia decernens, dixit eam esse fornicatione deteriorem, & merito: Qui enim fornicatur, se ipsum atq; adeo solum iniuria afficit: vt qui se in profundissimum intemperantiæ antrum sua sponte iniiciat. Qui autem quartum vel quintum matrimonium contrahit, is legibus & canonibus insultat, qui nefarium hoc opus prohibuerunt: suos quoq; germanos filios iniuria afficit, vt qui germanus eorum satis adultera depranatorum seminum zizania adseminet. Vt ergo fideles ab eiusmodi illicitis matrimoniis abstineant, statuit sanctus, vt ij plusquam fornicatores puniantur, postquam confessi fuerint, & à malo desliterint. Præterea interrogauerit quispiam, cum fornicatio septennio puniatur, vt hoc ex lix. Canone probatur, quomodo præsens Canon, qui Polygamiam fornicatione deteriorem nominat, punit eam quatuor annis? SOL. Nonnulli quidem dubitationem soluentes fornicatores quadriennio puniendos esse dixerunt, vtentes etiam xxij. Can. sancti Patris. Tu autem lege ix. Canon. & eius interpretationem, & dic quod fornicator quidem septennio punitur; Polygamus autem etiã plusquam septennio. Quoniam autem quatuor sunt loca pœnarum, & statutum est vt ij quatuor annis desleant, & in tribus substernantur, conuenienter in reliquis quoq; locis seruire cogentur, audientis scilicet, & consistentis, & si ea non in maius tempus deducantur, ad quatuor quidem certè annorum quantitatem saltem redigentur, vt sint omnes anni pœnæ, octo. Quia autem nonnulli Polygamiam indiscriminatim peruadentem fornicationem nominarunt, audiant quod matrimoniũ non est solum coniungi confusiore modo loquendi, sed viri & mulieris coniunctio, & totius vitæ consortiũ, diuiniq; & humani iuris societas, & quod matrimoniũ non ex sola coniunctione consistit, sed etiam ex eorum, qui contraxerunt, affectione. Dicit autem 4. cap. 4. tit. 51. lib. Dotem quidem efficit matrimonium, sed dos matrimonium non facit: sed eorum qui simul habitant muta affectio. De trigamia autẽ lege & superius positam vnionis decisionem, quæ facta est tempore Constantini Porphyrogennetæ Imperatoris.*

Matrimoniũ.

Canon LXXX. *De fidei violatoribus.*

Qui in Barbarorum incursione fidem in Christum violarunt, factis sacramentis gentilibus, & quibusdam nefariis, quæ idolis magicis oblata sunt, ab eis gustatis, ij secundum leges à Patribus iam editas, & Canones dispensentur. Qui enim grauem necessitatem ex tormentis sustinuerunt, & non ferentes labores ad negationem tracti sunt, tribus annis sint non recipiendi, & in duobus audiant, & cum tribus annis subsstrati fuerint, sic ad communionem admittantur. Qui autem sine magna necessitate fidem in Christum prodiderunt, & dæmoniorum mensam attigerunt, & Græca Sacramenta iurarunt, tribus quidem annis eiiciantur, duobus audiant. Postquam autem in subsstratione tribus annis orauerint, & in aliis tribus fidelibus ad orationem se subsstrauerint, sic admittantur ad boni communionem.

BALS. Ancyrana Synodus satis definiit quid debeat iis fieri qui vi tyrannica idolis sacrificarunt, vel etiam execranda comederunt. His ergo consequenter dicit Magnus Basilivs, *quomodo debeant puniri qui hoc fecerunt, vel vt qui supra modum tormentis affecti sint, vel vt qui sine vi magna fidem in Christum prodiderunt. Quia autem in lxxiij. Canon. eum qui Christum negauit, & salutis mysterium transgressus est, sanctus per totam vitam deflere constituit, morientem autem sacramentis dignum haberi: & videntur Canones inter se pugnare: dic non esse idem negare Christum, & idolis sacrificare, quod idolis immolata gustare vel Græca sacramenta iurare. Illud enim est perfecta fidei abrogatio, hæc vero inquinamentum & abrogationis existimatio, & propterea primum magis punitur. Vel quod in illo quidem Canone, de iis qui abnegationem sua sponte transfugerunt, & sine necessitate fidem contemptui habuere, sanctus decernit: in hoc vero, de iis qui Barbarorũ vehementia victi sunt, & de iis qui vim passi sunt, licet non valde vehementem, & cesserunt. Vnde & mitiores hic pœnas descripsit. Sin autem dicunt fortasse nonnulli ea quæ præsenti canone continentur, locum non habere, quod fides Dei gratia supra rectæ opinionis petram aptè stabiliatur, & tyranni pluribus abhinc annis coniectis à Martyribus lapidibus obruti sunt: sed tamen multi quoque hodie impiis Agarenorum manibus capti, & torti, aliquando quidem fidem Orthodoxam abiurant, aliquando vero in impiam Mahometi religionem iurant. Alij vero sua etiam sponte se in infidelitatis spelũcam proiiciunt. Qui quidem omnes ex hoc præsenti Canone curabuntur, post confessionem, & conuenientem pœnitentiam. De iis autem qui execranda comederunt, lege diuersos Canones Syn. Ancyranæ, & scies quomodo ij puniantur.*

Christum negare, & Idolothyta edere quia differãt.

Canon LXXXI. *In Periuros.*

De iis etiam qui peierarunt, si vi quidem & necessitate sacramenti transgressi sunt, leuioribus pœnis subiiciuntur, vt post sex annos possint suscipi. Qui autem sine necessitate suam fidem prodiderunt, cum duobus annis defleuerint, & duobus annis audiuerint, & in quinto in subsstratione fuerint, & in duobus aliis sine oblatione in orationis communionem suscepti extiterint, ita tandem condigna scilicet pœnitentia ostensa, in corporis Christi communionem recipientur.

BALS. Leges sitæ in xviij. Can. xiij. tit. Nomoc. Photij. sufficiunt ad ostendendum quænam iuramenta retractantur, & ex eis intelliges quinam sint periuri: lxiiij. autem Canon, & hic præsens Magni huius Sancti, non docent, quænam retractentur sacramenta, sed quomodo puniantur qui peierarunt. Et in lxiiij. quidem Canone indefinitè sanctus pœnæ excommunicationis periurium ad decennium subiecit: hic autem facit diuisionem periurorum: & eos quidem qui peierare necessitate coacti sunt, post sex annos suscipiendos decreuit, eos autem qui sine necessitate, post duodecim condigna ostensa pœnitentia. Atque in his quidem consistit Canon. Tu autem dic illos periuros ex hoc Canone castigari, qui sua sponte, & per confessionem de peccato triumpharunt, & medelam petiuerunt: non autem illos qui ex aliorum accusatione periurij condemnati sunt. Illi enim cum pœna pecuniaria ab Ecclesia quoq; magis punientur. Probatio enim, vt superius dictum est, debitum peccati duplicat, & pœnitentia pœnæ trutinam eleuat. Scias autem, quod Periurij peccatum *est multiplex, & propterea curatu difficile. Aliter enim punitur qui per contemptũ iurauerit, & peierauerit, aliter, qui per vim, aliter qui per pœnitentiam, aliter qui propter vindictam, aliter qui per dolum, aliter qui iuramentum soluit, quod propter iudicrum quippiam vel etiam abiiciendum factum est: aliter qui corporale iusiurandum transgressus est, aliter qui quod scriptis mandatum est. Et vt semel dicam, in illius qui confessionem suscepit prudentia ac iudicio sita est periurij medela. Ego enim vidi multos qui Hierosolyma proficisci iurauerant ac peierauerant, nulla pœna affectos conseruatos fuisse, & alios qui sine scriptis in caput Imperatoris iurauerant, acriter fuisse castigatos, & alios qui vi iurauerant, nullomodo punitos. Vidi autem aliquot amoris * insania percitos, qui sine periculo sua sacramenta conculcarunt, & ideo opus est ea exactè examinare, & vt decet iurare.*

Periurij peccatum.

Prudentia & iudicium in eo requiritur qui audit cõfessiones.

** Iuppiter in cœlo periuria videt amantum.*

Canon LXXXII. *De veneficio medelam quærentibus.*

Qui vaticinantur & Gentium consuetudinem sequuntur, & aliquos in ædes suas introducunt ad veneficiorum

inuentionem, & eorum expurgationem, cadant in Canonem sexennij, & postquam anno defleuerint & anno audierint, in tribus annis substrati, & anno cum fidelibus consistentes, sic admittantur.

*BALS. Sæpe quidem simpliciores, & imprudentiores grauius ægrotantes, & non commodè curati, existimant se ex Magica impostura, vel veneficio ita affici, & ideo ad aliquos etiam Gentiles accedunt, afferentes se occulta veneficia in apertum prolaturos, quæ corporalem laborantis sanitatem euertant, & ita se ægrotum ab illo maleficio purgaturos. Eos ergo qui vaticinantur, & non credunt per inuocationem nominis Domini, & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, & Dei Matris, & omnium sanctorum omnem morbum, & omnem ægritudinem curari, omneq; veneficium, & impostu ram satanicam, virtute & præsentia preciosæ & viuificæ Crucis à fidelibus expelli, sed potius miraculorum ostentatores, præstigiatoresq; & Gentium consuetudines sequuntur, & eos in ædes suas introducunt ad purgandam fortè ægritudinem, quæ ex veneficio oritur, dicit sanctus esse sexennio puniendos. Dicet autem quispiam hunc Canonem aduersari LXV. Canoni & LII. Illi enim decernunt, vt ij tanquam homicidæ puniantur, scilicet vt vel xx. annis pœna eis imponatur instar voluntariorum homicidarum, vel decem annos instar inuoluntariorum: hic verò vt sex. Existimo autem esse inter Canones differentiam. LXV. enim Canon de ipsis † opificibus, seu de Magis, & veneficiis decernit. Similiter & LXXII. de iis qui se tradunt vatibus, seu de iis qui eadem cum illis sentiunt. Præsens autem Canon differit de hominibus, qui eos per errorem secuti sunt, quòd asserunt se Magica vincula ac ægritudines soluere & curare, non tamen à fide defciuerunt. Est itaque differentia eorum qui per se exercent, eorumq; qui se tradunt præstigiatoribus, vt fidem etiam negent: & eorum, qui ab Orthodoxa fide non defecerunt, lapsi autem sunt quòd ad eos accesserunt. Et ideo illi quidem longiori tempore puniuntur, hi verò breuiori. Lege etiam ij. Can. Sancti Gregorij Nysseni ex epistola ad Latoium, qui ea ita diuidit. Ex eo autem, quod Canon meminit hominum qui vaticinantur, apparet, vt existimo, quod qui malo abusi sunt, sexennio punientur. Qui autem semel forte errauerunt, & defciuerunt, mitius curabuntur. Cum enim beatæ in Domino vitæ coniux pij & religiosi illius Domini Alexij Comneni filij inclyti Imperatoris in grauem morbum incidisset, & medici de eius sanitate desperassent propter multiplicem morborum contrarietatem, quidam Ethnici se eam curaturos professi, vtpote quæ Magicis artificiis laboraret, effecerunt vt multæ & admirandæ eius fœminæ, & viri etiam examinarentur. Clam autem proiiciebant imagines ex cera factas, & satanicè eorum contrectationem & inuentionem significabant, atque etiam multa alia grauia fecerunt in Dei contemptum, & multorum hominum supplicium. Et ipsi quidem impij cum rem efficere non potuissent, euanuerunt. Nobilissima autem illa mulier non modo nihil adiumenti adepta est, sed etiam diuturno morbo † vexata vita excesserit, malo à se susceptio viatico, diuinorum scilicet Canonum aduersus se indignatione, quam Deus propter alia eius bona opera alleuare dignetur. Post eius autem mortem tempore sanctissimi Patriarchæ domini Leonis Stuppæ, nonnulli quidam eius cognati, & etiam subditi, grauiter puniti sunt, vt qui sæpissime vaticinati essent, & satanicæ nefariæ operationi toto animo credidissent. Alij autem mediocri supplicio curati sunt, vt qui non sæpe, nec ex animo malum illud secuti essent. Est itaq; Canon attendendus, & Dei iudicio relinquenda ægrotantium cura, qui solo verbo dissolutas carnes astringit & colligat: nec se tradere oportet satanicis impostoribus, quæ non solam corporum sanitatem auferunt, sed etiam animarum. Lege & xx. cap. xiij. tit. Nomoc. Photij. & xxv. cap. ix. tit. & xxiiij. can. syn. Ancyranæ. De iis qui ad vates accedunt, & ad incantatores, & ad eos qui faciunt amuleta, & alia quædam dæmoniaca, lege ex Panegyricis Orationibus S. Ioannis Chrysostomi interpretationem Epistolæ S. Pauli ad Colossenses, & sextam eius Orationem aduersus Iudæos, quæ docet, * quod etiamsi quis mortuum suscitauerit, qui non sanctè viuit, non esse ei credendum, sed eum nihili putandum.*

† αὐτουργῶν.

† προσπαλευθεῖσα.

Chrysostomi orationes.

* *Non est ei credendum qui mortuum suscitauerit nisi sanctè viuat.*

CANON LXXXIII.

Hęc autem omnia scribimus, vt pœnitentiæ eorum fructus probetur. Non enim hoc omnino tempore iudicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. Quòd si qui à propriis moribus non facilè auellantur, & carnis voluptatibus potiùs quam Deo seruire voluerint, vitamque ex Euangelio institutam non admittant, nulla est nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente, & contradicente populo audire docti sumus, *Seruans serua animam tuam.*

BALS. In lxxiij. can. definiit Sanctus esse moderandum Pœnitentiæ tempus in iis qui Pœnitentiam sollicitè & diligenter agunt. Hic autem dicit à pœna non liberandos qui pœnis negligenter seruiunt. Statuitur enim vt in eos pœnæ aggrauentur, eorum verò qui à malo non desistunt post confessionem, sed in eo perseuerant, iubet nullam haberi rationem. Audiuimus enim, inquit, ex Scriptura, Seruans serua animam tuam. *Vide scilicet ne te ipsum perdas cum iis conuersans qui corrigi nequeunt. Nota ergo duo pulcherrima ex præsenti Canone, & quòd quemadmodum pœnæ iis minuuntur qui confessioni diligenter seruiunt, ita etiam in negligentibus intenduntur, & quòd illi puniuntur qui à malo desistunt. Qui enim in suis cupiditatibus permanent, absoluta excommunicatione condemnantur.*

CANON LXXXIIII.

Ne itaque cum eis perire in animum inducamus, sed graue iudicium formidantes, & terribilem Dei retributionis diem præ oculis habentes, ne velimus vnà cum alienis peccatis perire. Si enim nos non docuerunt terribilia Dei, nec tot plagæ nos in sensum deduxerunt, quòd propter nostram iniquitatem nos dereliquit Dominus & tradidit in manus Barbarorum, & populus ad hostes captiuus abductus est, & dispersioni traditus, eo quod ea audebant qui Dei nomen circunferebant. Si non nouerunt, nec intellexerunt, quòd propter hæc venit in nos ira Dei, quæ est nobis communionis cum his ratio? Sed & noctu, & interdiu, & publicè, & priuatim ipsis testificari debemus: cum eorum autem improbitatibus abire nolumus, eos quidem lucri facere optantes, & à mali laqueo eripere. Sin autem hoc non possumus, studeamus nostras animas ab æterna condemnatione seruare.

BALS. Hæc verba suasoria sunt ad Antistites, & omnes qui habent potestatem ligandi, & soluendi. Hortatur enim ipsos ne peccatis consentiant, nec eorum communionem sustineant qui in peccatis perseuerant, & ideo cum illis pereant. Sed eos perpetuò admoneant, vt à malo desistant, & orent pro eorum salute. Sin autem, inquit, eos corrigere non possitis, studete vos ab eis alienare, & sic ab æterno supplicio seruemini.

EIVSDEM BASILII EX ALIA EPISTOLA ad Amphilochium,

De differentia ciborum.

EGregiis autem Encratitis ad præclaram eorum obiectionem, cur nos quoq; non omnia comedimus, illud dicatur, quod etiam excrementa nostra abominamur. Nam dignitate quidem olera nobis carnes sunt: quod verò ad eorum quæ sunt vtilia attinet discretionem, sicut & in oleribus id quod est noxium discernimus. Nam olus quidem est cicuta, quemadmodum & vulturina caro, caro est: tamen nec quis hyoscyamum attigerit, si capiat, nec canem attigerit, nisi magna vrgente necessitate. Quamobrem qui comedit, non iniquè fecit.

BALS. Encratitæ, qui continentiam fortè persequebantur, vesci carnibus abhorrebant, & cum eis diceretur id non rectè à se fieri, opponebant Orthodoxis. Vos quoque nonnullos cibos abhorretis, & ideò ab eis abstinetis. Ad hoc dicit Sanctus: Non est mirum si ab aliquibus abstinemus vel aliqua abominamur: nam & nostra excrementa abhorremus, etsi sint ex nostræ carnis substantia. Sunt autem † excrementa, vrinæ, stercora, humores qui per os, & nares emittuntur, & quæcunq; eiusmodi. Quemadmodum ergo illa auersamur, ita cibos quoque aliquos non admittimus. Omnia enim olera carnes à nobis existimantur, quòd omnia comedamus vt olera. Discernentes autem, & separantes id quod est noxium, eo quod non lædit, vtimur: & quemadmodum in oleribus est cicuta, & hyoscyamus, tamen quia sunt noxia, ea fugimus, ita & in carnibus, caro est caro vulturina, & caro canis: sed tamen nemo gustauerit, nisi valde esuriat. Qui autem per vim gustauit, non egit iniquè.

† σκύβαλα.

EIVSDEM BASILII AD DIODORVM:

De eo, qui duas sorores duxit in matrimonium.

An sorore mortua liceat aliam ducere.

EIus *Epistolæ meminit Sanctus* BASILIVS *in xxiij. suo Canone. Missa est autem ad Diodorum Tarsensem Episcopum, qui ab aliquo interrogatus, an posset vxore sua mortua sororem illius ducere in matrimonium, in scriptis respondit eum non prohibere. Cùm autem Magnus* BASILIVS *eiusmodi matrimonium prohiberet, scriptis mandata Diodori responsio illi ostensa est, quæ prædictum matrimonium permittebat.*

Venerunt ad nos literæ Diodori inscriptionem habentes: quæ autem deinceps sequuntur, ea alius potius quam Diodori esse conuenit. Videtur enim † vafer quispiam tuam personam subiisse, vt se sic auditoribus fide dignum efficeret, qui ab aliquibus interrogatus, an fas sit mortua vxore sua sororem Quis in matrimonium ducere? Interrogationem non horruit, sed auditionem æquo animo tulit, & ad salacem eius cupiditatem valde illi strenuè, magnáque contentione auxilium tulit: si ipse itaque literas haberem, eas ad te misissem, ipseque ad te & veritatem defendendam suffecissem. Quia autem is qui ostendit rursus abstulit, & aduersus nos qui ab initio prohibueramus, veluti trophæum circuntulit, dicendo se scriptis mandatam habere potestatem, nunc ad te scripsi, vt manu duplici ad illam adulterinam orationem veniamus, & nullas ei vires relinquamus, ne possit eos facile lædere, in quos incidit.

† τις τῶν τεχνικῶν.

BALS. Quæ à Diodoro scripta sunt, confutaturus Sanctus, confutationem artificiosè aggreditur, & eius dictum ita proponit, vt non videatur ipsum concedere, & ita eum † ad insistendum acriorem efficiat, & dicit: Literæ quidem sub tuo nomine scriptæ fuerant. Mihi autem videtur aliquis eorum qui ad hæc machinanda & excogitanda apti sunt, volens efficere vt quod à se diceretur fide dignum esset, literis tuum nomen subscripsisse. Qui interrogatus an fas esset, seu legitimum, sororem, vxore sua mortua, in matrimonium ducere, ei qui interrogauit, in impia interrogatione auxilium tulit, pro eo quod est intemperantiam, & libidinem permittendo, ipse quoque videtur fuisse actionis particeps. Si itaque, inquit, literas habuissem, eas ad te misissem, teque & veritatem defendissem, seu tibi auxilium tulisses, vt falso accusatus, quòd nefaria diceres, & scriberes, quod te & veritatem tangit. Veritatem quidem, cum falsum illi prælatum fuerit: te autem, vt qui quæ non decet permiseris. Quia autem is qui ostendit, rursus abstulit, & tamquam aliquod trophæum aduersus nos circuntulit. Est autem Trophæum, *signum quod ei datur, qui vincit in bello, vt ex eo sit manifestum quæ pars aduersarios vicerit. Vnde à versis hostibus trophæum nominatum est, à verbo Græco* τρέπω, *quod* verto *significat.*

† ἐνσοφιστικώτερον.

Trophæum, quid.

Quia ergo non habeo literas, nunc ad te scripsi vt aggrediamur, vt duplici manu, tua scilicet, & mea, contendamus aduersus adulterinam illius orationem, alienam, & confictã, & vires ei non relinquamus, vt non facilè eos lædat, qui in eas incidunt, & legunt. Primum ergo maximum est in ijs quæ sunt eiusmodi, quam apud nos habemus consuetudinẽ præponere legis vires habentẽ, eo quòd à sanctis viris sunt nobis ritus † traditi. Ea autem est eiusmodi, Si quis vnquam impuritatis perturbatione superatus, lapsus sit ad nefariam duarum sororum societatem, nec hoc matrimonium existimet: nec eos ad Ecclesiæ complementum prius admittat, quàm ipsos à se inuicem separauerit. Quare, & si nihil aliud dici posset, sufficeret consuetudo ad mali vitationem. Sed quia is qui epistolam scripsit, adulterino argumento hoc malum in vitam inducere conatus est, necesse est nec nos quidem à rationum auxiliis abstinere: & si in valde euidentibus ratione maior est vniuscuiusque præsumptio. Scriptum enim est, inquit, in Leuitico: *Mulierem super sororem suam non accipies in † zelo aduersariam, ad reuelandam turpitudinem eius super ipsam, ipsa adhuc viuente.* Ex hoc ergo clarum esse dicit, quod ea mortua accipere permittitur. Ad hoc itaque primum quidem illud dicam, quòd quæcunque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit. Nam sic quidem, & circuncisione & sabbato, & ciborum abstinentia includentur. Neque enim si aliquid inuenerimus, quod nostris voluptatibus congruat, nos ipsos seruitutis legis iugo submittemus. Sin autem eorum quæ sunt in lege graue aliquid apparuerit, tunc ad libertatem in Christo recurremus. Interrogati sumus an scriptum sit accipere licere vxorem post sororem, diximus id quod est tutum & verum, quòd non scriptum est: ex consequenti autem illatione quod non dictum est colligere, est eius qui legem imponit, nõ eius qui quæ legis sunt dicit. Nam sic quoque licebit volenti, adhuc viuente vxore, sororem accipere. Idem enim sophisma in illo quoq; conuenit. Scriptum est enim: *Non accipies in † zelo aduersariam.* Quare eam quæ est à zelotypia aliena, accipere non prohibuit. Qui itaque suæ perturbationi fauet, dicet mores sororum esse à zelotypia alienos. Sublata ergo causa, propter quam ambarum cohabitatio est prohibita, quid vetabit quominus sorores accipiantur? Sed hæc non scripta sunt, inquiemus. Sed nec illud definitum est. Consequentiæ tamen intelligentia dat similiter vtrisque potestatem. Oportebat autem ad ea quæ paulo ante in lege dicta erant reuerti, & ea molestia liberari. Videtur enim legislator non quoduis peccati genus comprehendere, sed separatim Ægyptiorum peccata prohibere, vnde abierat Israel, & Chananæorum, ad quos transierat. Ita enim habet dictio: *Secundum studia AEgypti in qua habitastis, non facietis, & secundum studia regionis Chanaam, ad quam ego deducam vos, illic non facietis, & in legitimis eorum non ambulabitis.* Quare consentaneum est hoc peccati genus non fuisse vsitatum apud gentes, & ideo nec legislatorem illius cautione opus habuisse, sed non docta consuetudine ad abominationis criminationem contentum fuisse. Quomodo ergo cum id quod maius est, prohibuisset, quod minus est silentio prætermisit? Quoniam existimabat fore vt permulti libidinosi, & carnis amantes, ad hoc vt cum viuentibus sororibus cohabitarent, Patriarchæ exemplum aspicerent. Nos autem quid facere oportet, quæ scripta sunt dicere, an quæ silentio prætermissa sunt, curiosè perscrutari? Iam enim non licere patrem, & filium vna amica vti, in Legibus quidem non scriptum est: sed apud Prophetas maximè accusatur. *Filius enim, inquit, & pater ad eandem puellam ingrediebantur.* Quæcunque autem sunt alia immundarum animi perturbationum genera, dæmoniorum schola inuenit, diuina autem Scriptura silentio præteriit, † maiestatẽ suam turpium rerum nominibus nolens polluere. Sed generalibus nominibus immunditias complexa est, sicut Apostolus dicit: *Fornicatio* autem, *& omnis immunditia ne nominetur quidem in vobis, sicut sanctis conuenit.* Immunditiæ nomine nefanda masculorum & fœminarum flagitia comprehendens. Quare non omnino silentium dat libidinosis potestatem. Ego verò hanc partem ne silentio quidem fuisse prætermissam existimo, sed etiam legislatorem valdè prohibuisse. Illud enim: *Non ingredieris ad quemuis consanguineum carnis tuæ, ad reuelandam eorum turpitudinem*, hoc quoque consanguinitatis genus comprehendit. Quid enim esse possit homini sua vxore magis consanguineum, vel potius sua carne? non sunt enim amplius duo, sed vna caro. Quare per vxorem soror eius transiit ad consanguinitatem. Quemadmodum enim vxoris matrem non accipiet, nec eius filiam, quoniam nec suam matrẽ, nec suam filiam: sic nec sororem vxoris, quoniam nec suam sororem: sunt enim in vtrisque communia cognationis iura. Ego autem cuilibet de matrimonio consultanti testificor, quòd *præterit figura mundi huius: & tempus breue est, vt & qui habent vxores sint tanquam non habentes.* Sin autem nihil illud alleget: *Crescite & multiplicamini*, tideo eum qui legislatorum tempora nõ discernit. Fornicationis † remedium est secundum matrimonium, non ad intemperantiam viaticum. *Sin autem non continent*, inquit, *vxores ducant*: non autem etiam vxores ducentes contra legem faciant. Qui autem nec ad naturam respiciunt, ignominiæ perturbatione animo cæcutientes, quæ quidem generis appellationes discreuit, ex quanam cognatione eos qui geniti fuerint appellabunt. Ipsorum inuicem fratres, vel consobrinos appellabunt. Vtraque enim eis propter cognationem adaptabuntur. Ne feceris ergo, ô homo, amitam infantium nouercam, nec eam quæ matris loco eos debet fouere,

Leu. 18. 18. † ἀνελίζηλον.

Leuit. 18. 3.

Amos 2. 7.

† τὸ ζημνόν.

Ephes. 5. 3.

Leu. 18. 14.

1. *Cor.* 7. 29.

Gen. 1. 22.

† παραμύθιον.

1. *Cor.* 7. 9.

Leu. 18. *v* 18 *iuxta* LXX. † ἀνελίζηλον.

fouere, ac recreare, implacabilibus æmulationibus armaueris. Solum enim nouercarum odium inimicitias etiam post mortem persequitur, & quod magis est, alij quidem inimici mortuis reconciliantur. Nouercæ autem post mortem odisse incipiunt. Eorum autem quæ dicta sunt summa est. Si quis lege quidem matrimonium appetit, patet vniuersus terrarum orbis. Sin autem est illi studium animi perturbatione incitatum, propterea magis excludatur, *vt discat vas suum in sanctificatione possidere, non in cupiditatis perturbatione.* Plura me scribere cupientem modus retinet epistolæ. Opto etiam vt vel nostra suasio animi perturbatione potentior euadat, vel ne hoc scelus in nostra regione versetur, sed in quibus cœptum est locis remaneat.

BALS. Magni patris ad Diodorum Epistola, omni sapientia, & arte dicendi plena est: & sancti Spiritus † *inspiratione dictatur. Sed non est hoc tempore quærenda. Decernit enim ne in matrimonij societate duæ sorores accipiantur, quod Dei gratia hodie ne in mentem quidem venit hominis Christiani, & præterea nec ampliore interpretatione opus habuit. Habe autem hanc diuinam Epistolam assidue in memoria, & si enim id non tractatur quod in ea definitum est, quæ tamen in ea comprehenduntur epicheremata, enthymemata, & epenthymemata, vel potiùs quæcunque ex veteri, & ex magno Paulo & composita, & opposita fuerunt, in aliis causis multum conferunt. Nota autem ex ea, quòd Ecclesiastici etiam non scripti mores, sicut scripti Canones, refutari non possunt, & quòd leges Mosaïcæ non sunt attendendæ. Nota etiam multa alia ex hac Epistola quæ sunt imprimis necessaria, & maximè vtilia.*

† χιγγύρα.

EIVSDEM BASILII AD GREGORIVM PRESBYTERVM.

Vt separetur à muliercula cum qua habitat.

† μεθὰ μακροθυμίας.

LEgi tuas literas † cum omni patientia & longanimitate, & miratus sum quomodo cum posses per res ipsas nobis breuiter & facile respondere, in iis quidem quorum accusaris persistere malueris, prolixa autem oratione, quæ sunt immedicabilia curare volueris. Nec primi, nec soli, ô Gregori, statuimus, ne mulieres cum viris cohabitarent. Sed lege Canonem qui à sanctis Patribus nostris Nicææ editus est, qui apertè prohibet, ne sint * introductitiæ. In hoc autem situm est cælibatus decus & honestas, quòd separatus sit à consuetudine & consortio mulierum. Si quis enim verbo profitens, reuera ea faciat, quæ qui cum mulieribus cohabitant, apertè ostendit se virginitatis quidem laudem nomine tantum prosequi, sed à turpi voluptate non recedere. Tanto magis ergo oportebat te nostræ postulationi facilè acquiescere, quòd dicis te ab omni corporali perturbatione liberum. Neque enim credo eum qui septuaginta annos natus est cum muliere † animi perturbatione commotum habitare: nec tanquam propter turpem aliquam actionem, quæ facta fuerit, statuimus ea quæ statuimus: sed quia ab Apostolo docti sumus, fratri non esse ponendum offendiculum, vel scandalum. Scimus autem quòd id quod rectè & sanè fit ab aliquibus, erit aliis occasio ad peccatum. Ea de causa decreuimus, sanctorum Patrum Constitutionem sequentes, vt à muliere separeris. Quid ergo Chorepiscopum incusas, & veteris simultatis recordaris? Quid autem nos insimulas, quod aures ad admittendas calumnias faciles præbeamus, non autem teipsum, qui à consuetudine cum muliere non potes recedere? Eijce eam à domo tua, & statue ipsam in monasterio, sit illa cum virginibus, & viri tibi seruiant: ne nomen Dei per vos blasphemetur. Quandiu hæc feceris, myriades quas scribis in Epistolis, nihil tibi proderunt, sed ociosus morieris. Deoq; reddes rationem tui ocij: sin autem non correctus ausus fueris sacerdotium apprehendere, eris toti populo anathema, & qui te susceperint, erunt in omni Ecclesia abdicati.

* *De his multa Card. Baronius.*

† ἐμπαθῶς.

BALS. Gregorius quidam presbyter habebat quandam mulierculam ei inseruientem. Quod cum sanctus BASILIVS *intellexisset, petiuit à presbytero vt mulierem domo sua expelleret. Is verò ad ipsum de ea re scipsum defendens rescripsit. Magnus quoq;* BASILIVS *rescripsit ad presbyterum: est autem verisimile presbyterum in sua epistola sanctum rogasse, vt literas cum longanimitate legeret, ad quem rescripsit Pater, Cum omni longanimitate tuas literas legi, & admiratus sum, quòd cùm posses per res breuiter respondere, scilicet per mulieris amandationem, in iis quorum accusaris, rebus scilicet ipsis propter quas accusatio instituta est, permanes: verbis autem te defendis. Deinde dicit, Nos nec primi, nec soli statuimus, ne mulieres cum viris scilicet sacratis cohabitarent, sed lege Can. syn. Nicænæ, qui prohibuit ne sint introductitiæ. Eas autem introductitias appellat tertius dictæ synodi Canon, quæ introducuntur in ædes sacratorum hominum, qui vxores non duxerunt, & cum eis cohabitant. Qui autem cælibatum professi sunt, laudem, & gloriam ob continentiam habebunt, si à mulieribus separentur. Si quis autem virginitatem profiteatur, cum mulieribus verò cohabitet, habet solum nomen, non autem & rem ipsam. Quia ergo, inquit, dicis te esse liberum ab omni perturbatione corporali, eo te* facilius oportebat nostræ *postulationi* submittere, *& mulierculam dimittere. Non dixit autem iussui vel mandato nostro, sed nostræ postulationi, modestiæ causa. Non enim tanquam, inquit, in mulierculam amatoriè affectus sis, & propter turpem actionem decreuimus vt eam eiiceres. Non enim credo eum qui septuagintæ annos natus est amatoriè affectum cum muliere cohabitare, sed propter id quod ab Apostolo dictum est, non esse fratri dandum offendiculum, vel scandalum. Quod enim ab aliis sanè fit, & absque vlla animi perturbatione, erit aliis peccati occasio. Tu enim, inquit, fortasse cum muliere nequaquam in eam affectus cohabitas.*

Alius verò tuum exemplum secutus cum muliere cohabitauit, non sine amatoria animi perturbatione: vel non bonam de te existimationem habebit: & erit hoc in sacerdotij dedecus. Quid ergo, inquit, Chorepiscopum accusas? Est ergo verisimile Chorepiscopum de introductitia mulierecula iudicasse. Quid ergo nos accusas, tanquam qui calumnias facilè admittamus, & non potius teipsum, qui vt à muliere separeris, non possis in animum inducere? Statue ergo, inquit, eam in monasterio, & tibi viri ministrent. Quamdiu hæc facis, ea quæ tu multa esse scribis, nihil te iuuabunt, sed ociosus morieris, pro eo quod est, vsque ad finem vitæ non operaberis vt sacerdos, cum sis segregatus, & Domino rationem tui ocij reddes, vtpote quod tibi ex hac causa iniunctum sit. Sin autem non correctus sacrificare ausus fueris, eris anathema, & qui te sacrificantem suscipiunt, ab omni fidelium cœtu abdicabuntur. Et hæc quidem sic habent. Sed quia nonnulli tertium primæ synodi Canonem afferentes, & verba huius Epistolæ, volunt Episcopos, & Clericos non cohabitare cum suis cognatis personis à suspicione alienis, quæ habent alias sibi deseruientes, dicentes circumscribi Canones, si sub nomine cognatæ non suspectæ, ij qui sunt sacrati fideles offendant per cohabitationem cum aliis mulieribus, dicimus, quòd Episcopi quidem à Iustiniani Nouella, quæ à nobis posita est in interpretatione tertij Canonis primæ syn. prohibentur cùm quauis muliere cohabitare. Clericos autem vellem quidem & ipsos sanctè viuere, & ab omni abstinere habitatione cum vllis mulieribus. Sin autem hoc non possunt, vt mihi quidem videtur, cum matribus, & sororibus, & non suspectis personis absque periculo versabuntur, etiamsi eæ habeant mulieres ad ministerium vtiles. Hic enim Magnus Pater hoc agens vt multorum offendiculum tollatur, statuit vt muliercula à Gregorio discedat, non statuens vt homo sacratus cum mulieribus non suspectis non cohabitet, si alias secum habeant mulierculas. Et quia sacerdote cum non suspecta persona habitante omne malæ suspicionis scandalum tollitur (non enim dicunt eius esse alienas mulierculas, & eo cum muliebri suspecta parte versante, scandalum quod ex improba consuetudine emergit, ministerium adsumit) sine impedimento cum personis non suspectis habitabit sacratus, etiamsi sub se mulieres habeant. Quod si non sint eæ personæ cum quibus habitat, pœna non carebit huiusmodi cohabitatio. Alioqui enim si detur sacerdotem non cohabitare cum vlla muliere non suspecta, cogetur etiam quiuis sacratus nec cohabitare cum patre, nec cum propriis filiis, nec alicui rei seruire, quæ ad victum pertineat. Plurimi enim eorum habent ancillas, seu liberas, quæ suis ministrent: vel dicemus omnes eas personas esse pauperes, & sibi sufficientes ad omne ministerium, quod est absurdum. Porrò vt sacerdos mulieri seruiat, etiamsi cum persona non suspecta cohabitet, malum est: & nec à Canonibus, nec à præsenti Epistola admittendum, & ideo puniendum. Lege etiam v. Can. syn. in Trullo, & xij. His ita dissolutis, dixerit quispiam, cum Epistola Gregorio decernat, vt cohabitantem sibi mulierem in monasterium deducat, ipse eam tondere cogitur, an non? SOL. Nonnulli ex xlviij. Can. syn. in Trullo moti, dicunt ei necessitatem incumbere, vt eam quæ sibi cohabitat, tondeat. Non enim, inquiunt, sancto statutum

statutum est, ei pro carcere & supplicio monasterium appellare. Mihi autem videtur magnam esse differentiam ancillæ, & coniugis legitimæ, & propterea illic quidem Episcopus coactus est curam gerere & corporis & animæ salutis suæ coniugis. Hic autem sacerdos solum habet necesse scandalum per separationem tollere. Sed non ipsam mulierem iure cogi dicit quispiam, vt vel inuita tonsuram suscipiat, & ideo intelligo esse necessariam solam separationem, non etiam tonsuram. Sin autem ea fiat mulieris voluntate, duplicatur bonum, & fit melius. Quia autem nonnulli dixerunt, quòd ex hac Epistola quisquis cum aliena muliere cohabitat, segregatus est etiam ante denunciationem, dico quòd nec præsenti quidem sancto hoc placuit. Ecce enim cum ipse sciret Gregorium cohabitare cum muliere, hoc ei edicto denunciauit, vt ex ædibus mulierem transferret: & si fecisset Gregorius vt ei denunciatum fuerat, in segregationem non incidisset. Quare neuter segregabitur, nisi post denunciationem in cohabitatione cum aliena muliere perseueret.

EIVSDEM BASILII CHOREPISCOPIS:

Ne sine ipso fiant Ministri contra Canones.

Canonum despicientia confusionis causa in Ecclesia.

VAldè malè me habet, quòd Patrum de cætero defecerunt Canones, & omnis accurata disciplina ex Ecclesiis eiecta est, & timeo ne † incuria & despicientia hac via procedente in omne confusionis genus & res Ecclesiasticæ redeant. Eos qui olim Ecclesiæ ministrabant, consuetudo, quæ ex Ecclesiis versabatur, diligentissimè & accuratissimè probatos admittebat, & omnis eorum vitæ agendæ ratio curiosè inquirebatur, an non essent maledici, an non ebriosi, an non prompti ad pugnas, an suam iuuentutem rectè erudirent, ac castigarent, vt possent sanctificationem rectè gerere, sine qua nemo Dominum accipiet. Et hæc quidem examinabant presbyteri, & diaconi qui cum eis versabantur. Referebant autem ad Chorepiscopos, quia verè testificantibus susceptis suffragiis, & eorum admonitis Episcopis ita ministrum in sacerdotalem numerum cooptabant. Nunc autem nobis primum extrusis, nec ad nos referre in animum inducentes, omnem in se auctoritatem transferunt. Deinde re per summam † socordiam tractata, presbyteris, & diaconis permisistis, quos voluerint, vita eorũ non examinata, ex affectione vel cognationis, vel alicuius alius amicitiæ, indignos in Ecclesiam introducere. Et ideo multi quidem numerantur ministri in vnoquoq; pago, sed nemo est dignus ministerio altaris, vt vos ipsi testificamini, qui hominibus indigetis in † electionibus. Quia ergo rex deinceps eo processit, vt curari non possit, maximè cum nunc plurimi † metu ne in milites referantur, seipsos ministerio ingerant, necessario me contuli ad renouandos Patrum Canones, & scribo ad vos vt ad me mittatis indicem ministrorum vniuscuiusque pagi, & à quo vnusquisque introductus sit, & in quo sit libro. Habete autem & ipsi apud vos iudicem vt vestræ literæ cum iis quæ apud nos repositæ sunt conferantur: & nemini liceat se ipsum quando velit inscribere. Sic itaque post primam † indictionem si qui à presbyteris introducti sunt, ad laïcos reijciantur. † De integro autem fiat eorum à nobis examinatio, etsi sint quidem nostro digni suffragio, suscipiantur. Purgate etiam Ecclesiam, indignos ab ea expellentes, & deinceps quidem indignos examinate, & suscipite: in numerum autem ne referte, priusquam ad nos retuleritis, vel scitote quòd erit laïcus qui se nostra sententia in ministerium admissus est.

† καταρ᾽ ῥαθυμοῦντες.

† ψηφηφορίαις.

† φοβωτῆς στρατολογίας.

† ἐπινέμησιν.

† ἄνωθεν.

Chorepiscopi, qui.

BALS. Quinam erant Chorepiscopi, *& quænam iura habebant, dictum est in xiiij. Can. synodi Neocæsarianæ & in xviij. Can. Antioch. syn. & ideo hic mihi superuacaneum visum est eadem repetere, & eo magis, quòd, quæ in præsenti Epistola continentur de Chorepiscopis, omnino exoleuerunt, & omnes Clerici fiunt ab Episcopis sola ipsorum probatione.*

INDEX

Index Canonum Basilij Magni.

I. CANON De Hæreticis.
II. Mulier fœtum potione abigens, seq; necans.
III. Diaconus fornicans.
IV. De Trigamis & Polygamis.
V. De Hæreticis.
VI. De Canonicis seu Regularibus fornicantibus.
VII. De homicidis, veneficis, adulteris, & masculorum concubitoribus.
VIII. Homicida vxoris, voluntarius aut inuoluntarius.
IX. De diuortio.
X. De iurantibus & periurantibus.
XI. De cæde inuoluntaria.
XII. De Digamis.
XIII. Cædes in bellis facta.
XIV. De Clericis vsurariis.
XV. De auium, piscium q; generatione opinio.
XVI. De Naaman 4. Reg. 5.
XVII. De iureiurando.
XVIII. De Virginibus lapsis, viduis & monachis.
XIX. De virorum cælibatu.
XX. De mulieribus nubentibus.
XXI. De adulteræ diuortio.
XXII. De rapientibus mulierem.
XXIII. De duas sorores in vxorem ducente.
XXIV. De viduis nubentibus.
XXV. De muliere constuprata.
XXVI. De fornicatoribus.
XXVII. De presbytero nefariis nuptiis implicato, &c.
XXVIII. De votis ineptis.
XXIX. De malo iusiurando & voto.
XXX. De raptoribus.
XXXI. De muliere cum alio cohabitante.
XXXII. De Clericis peccatum ad mortem peccantibus.
XXXIII. De partu neglecto.
XXXIV. De adulteratis mulieribus.
XXXV. De marito ab vxore derelicto.
XXXVI. De militum vxoribus.
XXXVII. De eo cui aliena ablata est.
XXXVIII. De puellis fornicatores sequentibus.
XXXIX. De viuente cum adultero.
XL. De tradente se viro præter domini sententiam.
XLI. De vidua.
XLII. De matrimonio.
XLIII. De proximum lethaliter vulnerante.
XLIV. De Diaconissis.
XLV. De nomen Christianismi accipiente.
XLVI. De per ignorantiam nubente.
XLVII. De encratitis, saccophoris, & apotactitis.
XLVIII. De à marito dimissa.
XLIX. De stupris.
L. De trigamia.
LI. De statutis aduersus Clericos.
LII. De in via pariente.
LIII. De vidua ancilla.
LIV. De inuoluntariis cædibus.
LV. De se latronibus aduersos obijcientibus.
LVI. De sua sponte interficiente.
LVII. De non voluntariè interficiente.
LVIII. De adultero.
LIX. De fornicatore.
LX. De fornicatarum virginum & monacharum pœna.
LXI. De fure.
LXII. De in brutorum concubitu suam impietatem profitente.
LXIII. De periuro.
LXIV. De præstigias vel veneficium fatente.
LXV. De sepulchra effodiente.
LXVI. De coitu cum sorore.
LXVII. De prohibitæ cognationis in matrimonium coniunctione.
LXVIII. De lectore habente commercium cum sua sponsa ante matrimonium.
LXIX. De Diacono in labris polluto.
LXX. De quorundam peccatorum consciis.
LXXI. De Magis se tradente.
LXXII. De Christum negante.
LXXIII. De peccatore confesso, bonoq; euadente.
LXXIV. De cum propria ex matre sorore polluto.
LXXV. De suas nurus accipientibus.
LXXVI. De mulierem sibi legitimè copulatam dimittente.
LXXVII. De duas sorores in matrimonio accipientibus.
LXXVIII. De in suas nouercas insanientibus.
LXXIX. De Polygamia.
LXXX. De fidei violatoribus.
LXXXI. De periuris.
LXXXI. De veneficio medelam quærentibus.
LXXXIII. De à propriis moribus non facilè se auellentibus.
LXXXIV. Hortatur ad non peccatis consentiendum.

EIVSDEM BASILII

De differentia ciborum.
De eo qui duas sorores duxit in matrimonium.
De separatione à muliercula cohabitante.
De non faciendo Ministros contra Canones.

D. BASILII

D. BASILII MAGNI

ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ, CAPPADOCIÆ,

DE MORIBVS ORATIONES XXIIII.

A SIMONE MAGISTRO AC SACRI PALATII QVÆSTORE EX EIVS SCRIPTIS OLIM IN VNVM CONGESTÆ:

STANISLAO IOVIO POLONO *Interprete.*

DE AMORE ERGA DEVM, ET PROXIMVM.

ORATIO I.

Ex Aſceticis.

MNI humanarum rerum cura abiecta, ſummo ſtudio & diligentia *par eſt nos, cor noſtrum obſeruare*, ac ſimul etiam atque etiam videre, ne quando cogitationem de Deo abijciat, aut dum res ſtultas atque nihil agitat, memoriam rerum omni admiratione dignarum deponat, verùm vt in contemplatione Dei Opt. Max. aſſiduè verſetur, & ſinceram eius doctrinam perpetuamque recordationem in penetralibus ſuis, veluti ſignum quoddam, quod deleri non poteſt, impreſſam habens, ſanctitatem eius colat obſeruetque. Hac enim ratione amore flagrabimus Dei, qui nos excitabit ac inflammabit ad mandata eius religiosè perſequenda, & ab illis ipſis rurſus ad conſtantiam atque ſtabilitatem quandam. Vnde etiam fit plerumque, vt qui nimio deſiderio ſequendi Chriſtum tenentur, ad nullam deinceps vitæ huius partem reuerti queant, non parentum, non ſuorum amplius amore ducuntur: quantumuis id cum præceptis, quæ Dominus dedit, pugnare videatur.

Luc. 14. 26. Hic demum illud locum habet; *Si quis venit ad me, nec præ me odio habet patrem ac matrem,* (& quæ ſequuntur) *non eſt me dignus.* Huius rei præclarum nobis ſancti Apoſtoli exemplum reliquere, Iacobus, inquam, & Ioannes, qui vno temporis momento, relicto patre Zebedæo, ac naue, reliquiſque vitæ huius commodis, adhæſere Domino. Matthæus verò ſurgens ex eo in quo vectigal exercebat loco, & Dominum ſequutus, non modò lucra, quæ ex vectigali faciebat, poſthabuit, ſed & pericula neglexit; pericula dico, quæ cùm ipſi, tum ſuis à magiſtratu impendebant maxima, ex eo nimirum, quòd non relatis rationibus, ipſorum contempta auctoritate, munere ſe abdicaſſet. Paulus autem vas illud electum Dei, non ſolùm ipſe

Galat. 6. 14. Ex Hom. de S. Martyre Barlaam. mundo, verùm & mundus ipſi crucifixus eſt. Quando enim pietatis amor animum præoccupauerit, iam omne genus belli ac periculi homo contemnit ac pro nihilo ducit; immo ſi omnes eum, eius rei gratia, cuius deſiderio flagrat, ceciderint, infeſtauerintque, delectabunt tamen

Ex Aſceticis. magis, quàm plagas inferent. Nec iniuria: Si enim propter eam beneuolentiam, qua ſumus in eos, qui nos beneficiis cumularunt, ipſa natura duce, non amorem ſolum ſuſcipimus. Sed & omnes labores libenter ſubimus, vt gratiam pro his meritis, quibus affecti ſumus, referre valeamus, quid nobis non ſubeundum perferendumque eſt, vt beneficiis reſpondeamus Dei in nos collatis? quæ tanta ſunt, vt nulla vnquàm oratio ea pro dignitate complecti queat, quorumque tantus eſt numerus, vt numerando percenſeri non poſſint. Denique talia & tanta, vt etiam vel vnum eorum ſatis eſſe poſſit ad obſtringendos nos, quo omnem, quam animo concipere poſſimus, gratiam habeamus referamuſque ei, qui his nos ornauit, ornatque affatim adhuc ſubinde. At is tanta bonitate eſt præditus, vt ne referri quidem ea ſibi poſtulet, contentus eſt, ſi ſolummodò amore ipſum, ob ea, quæ in nos contulit, ex animo complexi fuerimus. Quæ vniuerſa cùm ipſe mente & cogitatione intueri ſoleo, vt animum meum vobis aperiam, dico, quòd totus horreo, ac quaſi in quandam animi abalienationem deuenio, timens, ne quando mentis incuria ſocordiáve, aut potius occupationibus vanis nulliuſque momenti, à dilectione Dei reuocatus, probro ac dedecori ſim Chriſto Domino ac Seruatori noſtro. Dæmon enim capitalis noſter hoſtis, ſolet noſtram Domino exprobrare negligentiam, & ſuper inobedientia noſtra ſuperbè gloriari, qui cùm neque finxerit nos, nec mortem pro nobis obierit, habet nos tamen (proh dolor) & inobedientiæ ſuæ, & negligentiæ, qua in præceptis Dei tenendis ſumus, imitatores ſedulos. Hoc equidem opprobrium eſt contra majeſtatem Domini, & hæc iactantia pœnis gehennæ longè mihi grauior eſſe videtur, quòd nimirum inimicis Chriſti materiem, & anſam præbemus iactantiæ, & elationis, contra eum ipſum, qui pro nobis morti ſe obiecit, atque etiam ab inferis ſeſe reuocauit. Quare quantum quidem in nobis eſt, Dominum

Ex Comm. in Eſaiam. Deum amore complecti debemus, & propter ipſum ſimiliter proximum, ac tandem etiam inimicos noſtros, imitatione in hoc exprimentes bonitatem Patris cœleſtis, *qui ſolem ſuum oriri & ſplendere facit ſuper bonos ſimul & malos.*

Matth. 5. In alias autem res extraneas vim amoris impendere, religio eſt. Nam ſi charitatis bonum, dilectionis ſolo nomine circumſcribitur, ac terminatur, ridiculum ſanè eſt, hunc & illum ad amandum eligere, hos ſolos omni beneuolentia complecti; alios verò innumerabiles à communione, & ſocietate illius boni excludere. Quòd ſi hominum ſceleratiſſimorum coniunctio per aliquam charitatis cauſam conflatur, conſiderandum nobis magis certè eſt, cum quibus, & qua de cauſa nos coniungamus. Nec interim nos moretur com-

Ex Epiſtol. *Ioan. 15. Matth. 10.* mune mundi odium. Si enim dilectiſſimus Dei Filius odio habetur, quid mirum, ſi & nos odio digni iudicamur, ab iis præcipuè, qui vel maximè odio abundant? ſed vt nullum ædificium diu ſtare, & ſuſtentari poteſt, vincula vbi ſuſtuleris, ſic nec Eccleſia adaugeri, & ad ſuum faſtigium perduci poterit, niſi pacis, & charitatis vinculo conſtricta fuerit. Etenim nihil naturæ noſtræ tam eſt proprium, quàm ſocietatis adinuicem commercium, mutuumque in communicando auxilium, & fraterni amoris ſtudium. Magis namque vnuſquiſque noſtrum ope, & beneficio proximi opus habet, quàm manus manu altera. Cùm enim videam nullum † ex membris noſtris per ſe ad actionem aliquam peragendam ſatis ſibiipſi eſſe, quomodo in animum inducere potero atque mihi perſuadere, meipſum mihi

† δυσὶ ἓν ἑαυτῷ.

ad omnia huius vitæ munia obeunda suffecturum? neque enim pes tutò vnquam gressum fecerit, ni ab altero, simul ac se mouerit, fulciatur; nec etiam oculus propè rem aliquam intuendo cognoscet, si participem officij alterum non habuerit, vel pari studio rei videndæ intentum. Sed & auditus acutior ille esse solet, qui per vtrasque aures vocem excipit: apprehensio etiam illa fortior existit, quæ ope digitorum, & ambarum manuum vtitur. In summa, nullam rem, nec ex iis, quæ natura ipsa profert, neque quæ à nostra susciptuntur voluntate, sine conspiratione & mutuo consensu eorum quæ generis sunt eiusdem, perfici posse video. Etiam ipsa precatio, quæ comprecatoribus caret, seipsa longè debilior esse deprehenditur. Commoneat te, quæso, mutuus amor vespertilionum, qui longa veluti quadam catena constricti inter se cohærent, ne vnquam separationem, ac vitam solitariam, societate atque communione præstantiorem esse existimes. Nihil enim est, quod nos ab inuicem seiungat, nisi nosmetipsos sponte ab alijs semoueamus. *Vnus enim est Deus, vna fides, vna eadémque spes.* Siue igitur caput vosipsos esse arbitramini, num, obsecro, potis est caput dicere pedibus, *Vobis non indigeo*? siue etiam in aliquo alio vos ordine constituitis, istud minùs dicere potestis his membris, quæ in eodem corpore vobiscum sunt collocata. Nam & manus mutua opera egent, & pedes se inuicem sustentant, & vis comprehensiua oculorum in consensu consistit. Ne itaque in illam cogitationem vel potius opinionem deueniatis, vt vobis persuadeatis, dicentes: Sumus extra omnem calamitatem, extra omnem aleæ iactum, nullius rei indigentes, quid societate indigemus aliorum? Deus quidem conditor insulas à continenti mari distinxit, homines autem, qui in insulis degunt, cum his, qui in continenti vitam trahunt, dilectione & commercio coniunxit atque consociauit. Amicus autem ab assentatore hoc vel maximè differre videtur, quòd hic quidem ideò conuersatur, vt voluptatem capiat, ille verò non deest, neque conuersari desistit etiam cum his, qui se molestia aspergunt. Quid? non intelligis quid facias proximo, cùm te ab ipso seiungis? an non illud ipsum, quod tu ab alio pati nolles, si quando huiuscemodi malum accideret? Ego verò quotiescumque illud Domini nostri mihi in mentem reuoco, vel etiam audio: *Ex hoc cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si vos mutuo inuicem dilexeritis.* Item & illud, quòd discipulis suis iamjam discessurus, carnalem suam administrationem absoluens, quasi doni loco reliquit, inquiens: *Pacem meam relinquo vobis*: hæc inquam, cùm audio, dicere profectò non possum, me sine mutua charitate, & sine pacis flagranti studio, seruum IESV Christi dici meritò, & iure haberi posse. Proinde, eam nos inter nos charitatem & affectionis æqualitatem habere conuenit, qualem homo natura ipsa duce, erga vnumquodque membrum suum gerit, æqualem vniuerso corpori sanitatem optando, eò, quòd etiam dolor vniuscuiusque membri parem corpori molestiam exhibeat. At qui in congressu vnum præ aliis charum habet, is seipsum reum facit, cùm perfecta charitate non sit præditus. Quapropter ab omni societate, & congressu procul arceatur singularis ista affectio, perinde ac pugna quædam indecens. Nam vt hæc manifestas producit inimicitias, sic illa inuidiam ac simultates generat. Æqualitatis enim priuatio vbique existere solet principium, & dispositio omnis inuidiæ & simultatis, & vel maximè apud homines minorum gentium. Quemadmodum igitur Deus, summa bonitate affectus, communem, & æqualem omnibus nobis lucis vsum benignè præstat, *solem suum exoriri faciens super bonos pariter & malos*, ita & imitatores Dei, communem, & parem charitatis radium in omnes, nulla habita ratione personarum, iacere debent. Nam vbicumque deficit charitas, ibi omnino in eius locum odium subeat necesse est. Et *si Deus*, vti Ioannes inquit, *charitas est*, ipsa inuidia dæmon sit oportet. Vt igitur ille, qui charitatem habet, *Deum ipsum in se manentem habet*, ita qui inuidiam fouet, dæmonem haud dubiè in se ipso nutrit atque alit. Quapropter æquum est, vt cuncti eadem in omnes sint charitate, honorem autem vnicuique pro dignitate tribuant. Et sicuti in nobismetipsis vniuscuiusque membri laborantis morbus, totum corpus conficit, sunt tamen alia membra alijs præstantiora: (neque enim vnquam tanti facimus digitum pedis, quanti alia membra, licet dolor totum corpus æquè affligat) pari etiam ratione vnusquisque nostrûm æqualem affectionem, & diligendi habitum erga eos omnes, qui in societate ætatem degunt, habere debet, honos verò maior, id, quod ipsa etiam natura docet, præstantioribus est deferendus. At in his rebus, in quibus spiritualiter copulati atque coniuncti sumus, neque corporis affinitas plus aliquid sibi, quod ad charitatem attinet, vindicabit: neque, siquis frater alicuius secundum carnem existat, filius filiáve, maiorem tamen eis exhibebit affectionem, quàm extraneis. Qui enim in his naturam ducem sequitur, is declarat, & palàm facit, nondum se naturæ omnino vale dixisse, sed adhuc à carne regi, & gubernari. Deo Opt. Max. gloria, & honos in sæcula sæculorum. Amen.

Ex Hexaemero. *Malac. 2. Ephes. 4. 1. Cor. 12.* *Plutar. de discrimine Amici & Adulatoru.* *Ex Hexaemero.* *Ex Epist. Ioan. 13.* *Ioan. 14.* *Ex Asceticis.* *Matth. 5.* *1. Ioan. 4.* *1. Ioan. 3.* *1. Cor. 12.*

ORATIO II.

De Precatione.

NEcessarium est nos, fratres, precationem nostram non syllabis explere, sed magis animi proposito, & actionibus, quæ virtute omni tempore vitæ nostræ condiantur. Neque enim existimamus Deum admonitione, quæ fit per verba, egere, verùm nosse, etiam nobis non petentibus, ea, quæ nobis conferant. Nam diuinæ aures non opus habent voce, vt ea, quæ dicuntur, percipiant. Cognoscit enim Deus, sola cordis nostri motione, ea, quæ petimus. An non audis Mosem, nullum verbum faciendo, sed suspiriis suis tacitis Dominum interpellando, illud à Domino accepisse: *Quid clamas ad me?* Qui verò perperam viuendo, putant se productione orationis seruandos esse, hæc verba audiant: *Quando manus vestras extendetis ad me, auertam oculos meos à vobis: & si amplificaueritis precationem, non exaudiam vos.* Non enim simplicia verba orationis prosunt, sed illud demum, quod ex seria animi affectione proficiscitur: Quandoquidem & ille Pharisæus his sibi, non autem Deo supplicabat: Rediit enim precatio ad illum ipsum, siquidem in peccato superbiæ facta fuit. Ob id etiam Seruator inquit: *Orantes nolite multum loqui, vt Ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*: at id, quod ex loquacitate proficiscitur, culpa non vacat. Hæc causa est, cur Deus oculos auertere soleat, quando manus extendimus, nimirum quòd indicia supplicationis, occasionem iræ præbeant. Quemadmodum enim si quis interfecto filio alicuius, quem ille in oculis ferebat, adhuc cruore conspersas manus habens, tendat ipsas Patri etiam tum stomachanti, petens in amicitiam vt se recipiat, nonne sanguis filij, qui in manu eius apparet, qui filio necem attulit, ad iram magis incitabit eum, cui iniuria facta est? Eiusmodi etiam sunt Iudæorum preces, quando ad Deum manus tendunt, in memoriam reducentes Deo Patri, peccatum illud, quod commiserunt in vnicum eius Filium, atque vnaquaque extensione, manus suas sanguine Christi plenas ostendentes. Nam qui in obstinatione persistunt, hi etiam paternæ cædis participes esse solent. *Sanguis enim ipsius*, inquit, *in nos, & in filios nostros redundet.* Proinde omni tempore fac memor sis Dei, ô homo, & ipsum etiam atque etiam extimesce, omnesque in societatem orationis recipito. Magni etenim ponderis eorum auxilium est, qui possunt † precibus flectere Deum, & supplicationes mutuæ, cùm in hac vita salutares sunt, tum cùm * ex hac vita decedemus, copiosum nobis viaticum ad vitam futuram suppeditabunt. Quemadmodum verò solicitudo est res bona, sic rursum tristi animo & abiecto esse, omnemque spem salutis abijcere, eorum est, qui animam iniurijs onerant. Quamobrem omnem spem tuam in Dei bonitate ponito, eiúsque rei fructum expecta, illud persuasum habens, illum, si modò

Ex Hom. in Martyrem Iulittam. *Ex Comm. in 61. Psalm.* *Exod. 14.* *Ex Comm. in Esaiam.* *Esai. 1.* *Luc. 18.* *Matth. 6. 7.* *Prou. 10.* *Matth. 27.* *Ex Epistol.* † *Συσπεῖν τὸν Θεὸν.* * *Oratio etiã defunctis salutaris.*

si modò verè ac ritè ad ipsum conuersi fuerimus, non solùm nos in perpetuum omnibus malis liberaturum, sed
Esai. 58. adhuc orantibus nobis dicturum: *Ecce præsto sum.* Quis
Ex Comm. in Esaiam. enim vnquam eorum, qui credunt Deum omni in loco esse, & ijs rebus, quæ fiunt, interesse, ac adesse vnicuique actioni, voluntatesque cordium perspicere, aut cogitationem prauam suscipiet, aut scelera patrabit? verùm tum demum homines ad scelera edenda descendunt, cùm aut Deum non inspicere, aut illi curæ non esse ea quæ
Sermo non de profanis, neq; aspectus & visus. hic geruntur, autumant. Initium autem purgationis animæ, atque expiationis, est quies, cùm neque lingua res humanas proferat; neque oculi pulchritudinem, symmetriamque corporis circunspectent, neque auditus intensionem ac firmitatem animæ dissoluat, eas cantilenas audiendo, quæ ad voluptatem componuntur, aut verba facetorum hominum, quæ vel maximè solent animæ firmitudinem infringere. Mens enim, quæ rebus externis non est intenta, neque à sensibus in mundum diffusa, redit quidem ad seipsam: per seipsam verò ad Dei intelligentiam cognitionemque ascendit, & dum illa pulchritudine illustratur, ac resplendescit, in ipsius naturæ obliuionem venire solet. Neque alimenti cura, neque
Ex Hom. de Mart. Iulitta. vestitus, animam à contemplatione illa reuocant, sed omnibus terrenis curis posthabitis, omne suum studium & operam in adipiscendis æternis bonis ponit. Noli itaque propter stuporem qui fit in somno, mediam vitæ partem inutilem facere, sed tempus noctis diuide, cuius partem tribue somno, partem precationi: immo etiam & ipse somnus pietatem meditetur. Solent enim vt plurimùm hæ imaginationes, quæ in somno fiunt, veluti
Ex Hexaemero. extremæ quædam resonantiæ esse curarum diurnarum. Quid verò beatius illo homine esse potest, qui ad preces orto die descendit, & hymnis ac carminibus conditorem celebrat, deinde cùm sol clarius illuxerit, ad opera se confert: ita vt vbique preces simul adsint, & hymnis, quasi sale quodam, opera condiat sua? Nam hilarem & lætum animum consolationes, quæ ex hymnis petuntur, efficiunt. Preces verò & ante cibum fiant, pro his
Ex Epistol. beneficijs, quæ Deus nunc in nos confert, tum quæ in posterum est collaturus, & post cibum etiam, quæ & grates beneficiorum acceptorum contineant, & petitionem promissorum. Bona est precatio, quæ euidentem, & apertam Dei cognitionem animæ facit. Hoc est enim Dei inhabitatio, nimirum cùm aliquis Deum per memoriam sibiipsi insidentem habet, sic efficimur templum Dei, quando non curis humanarum rerum memoriæ continuitas dirimitur, nec mens inopinatis perturbationibus turbatur, sed omnibus relictis ad Deum migrat, expellens eas peturbationes, quæ se ad intemperantiam vocant; atque in studijs, quæ ad virtutem ducunt, commorans. Quod autem est alijs diluculum, hoc est illi, qui pietati operam dat, media nox. Nam nocturna quies vel maximè otium animæ tribuit, cùm illo tempore neque oculi, neque aures noxias auscultationes, aut spectacula in cor demittere soleant, sed mens sola per se cum Deo versatur, & memoria repetendo delicta seipsam corrigit, sibique terminos declinandi mali præscribit: auxilium denique à Deo, ad perficiendas eas res, quibus studet, implorat. Hoc etiam & de Mose litterarum monumentis proditum est, nempe quòd non eodem modo semper vixerit, sed interdum sanctius viuebat, interdum verò propter imbecillitatem dissoluebatur, atque longè imbecillius operabatur. Nam cùm manus Moses extolleret, Israëlitæ superiores euadebant, cùm rursum demitteret, Amalec inualescebat. Quæ tum accidebant, signa erant humanæ constitutionis, declarantia validiora tum fieri ea quæ contra nos decertant, cùm vis effectrix nostra concidit. At si erecta ac diducta fuerit, tum longè validius efficitur id, quod in nobis primas fert, atque euidens est. Extollitur enim ille, qui rebus superiis studet; at contrà distrahitur, qui omnes suas curas cogitationesque in eas
Ex Comm. in 28. Psalm. res, quæ ad corpus pertinent, confert. Proinde illi, qui in templo Dei sunt, nec maledicta, nec verba vana turpibusque rebus referta proferre debent: facessant cum iis, sed in templo eius, iuxta Dauidem, vnusquisque

A gloriam prædicet. Assistunt Angeli, qui verba excipiunt, adest Dominus, qui eorum, qui templa ingrediuntur, animum considerat. Nouit enim Deus vniuscuiusque precationem, tum etiam quis ex animo, quis auidè cœlestia inquirat; deinde quis negligenter, ac remissè summis labris verba loquitur: *Cor autem ipsius longè abest à Deo.* Cognoscit præterea num quis bonam valetudinem, num diuitias, num gloriam humanam petat: nihil enim horum *Psalm. 28. 9.* petendum est, sicut Psalmus præcepit, sed *in templo ipsius quisque dicit gloriam.* Sed ô rem admirandam, *Cœli enarrant gloriam Dei.* Angelorum officium est, gloria & præ- *Psalm. 18.*
dicatione efferre Deum, tota cœlestis multitudo hoc
B vnum agit atque studet, vt gloria conditorem afficiat, vniuersa creatura tum silens, tum verba faciens, tam mundana, quàm terrestris gloriam tribuit effectori suo. Homines autem miserandi, relictis domibus suis, & ad templum concurrentes, quasi sibiipsis opem laturi, non præbent aures sermonibus Dei, non percipiunt suam naturam, non mœrent si in memoriam peccatorum inciderint, non pertimescunt iudicium, sed ridentes, & dextras inter se iungentes, domum orationis, domum loquacitatis faciunt, negligentes ac nihili pendentes Psal- *Psalm. 28. 9.*
mum, qui testatur ac dicit: *Quòd in templo eius omnes dicunt gloriam.* Tu verò non solùm ipse non dicis, sed etiam
C alteri, conuertendo te ad illum, impedimento es. Deus autem gloria non eget, verùm vult vt tu dignus esse possis gloria: nam *qualem semententem homo fecerit, talem etiam per-* *Galat. 6.*
cipiet. Par autem est nos, Deo, qui nos bonis cumulat, *Ex Epistol.*
gratiam habere, nec dedignari, & iniquo animo ferre, quòd bona recondat atque conseruet: & si quidem nobis ea præbuerit, optima atque iucundissima ea iudicemus; sin verò distulerit, æquo animo iacturam feramus. Melius enim fortassis res nostræ ab ipso, quàm ipsi optare possimus, administrantur. Halcyon maritima auis *Ex Hom. in Hexaem. Halcyon auis*
est, ea cùm in ipsis maris litoribus parere soleat, in are-
D na oua deponit, nidumque facit media hyeme, nempe tum, cùm multis ac vehementibus ventis, mare terram alluit: sed tamen omnes venti tum se remittunt: & vnda maris sedatur, cùm Halcyon septem diebus incubat, totidem enim solùm pullos excludit. Cùm autem cibum appetunt, alios septem dies ad pullorum incrementum, minutissimo animali summæ liberalitatis Deus concedit. Quam rem ita se habere, omnes ij, qui mare nauigant, norunt, eosque *dies Halcyonios* appellant. Hæc tibi loco *Halcyonij dies. Vide Adagium.*
admonitionis sint, vt ea solummodò contendas à Deo, quæ ad salutem pertinent, ob diuinam prouidentiam, quæ est in animalia rationis expertia. Quid enim tui causa etiam earum rerum, quæ opinionem hominum excedunt, non factum, & paratum est, qui ad Dei simi-
E litudinem factus es? siquidem propter auem adeò paruam, magnum ac terribile mare coercetur, ac iussu Dei media hyeme sedatur. Quòd si Halcyoni tanta Deus tribuit, quanto maiora dabit ijs, qui se ex toto corde inuocauerint? Quamobrem persuadeamus nobis fratres, ne & in alijs precationibus, & tempore tentationis ad humanas spes confugiamus, neque hinc auxilia quæramus, sed in lachrymis, & suspirijs, & in assidua oratione, & continua vigilia preces fundamus. Hac enim demum ratione feretur nobis auxilium in calamitate, & miserijs, & si humanam opem veluti stultam nihili fecerimus, & omnem spem nostram in eo, qui seruare po-
F test, posuerimus, atque defixerimus. Cui soli gloria, & honor cùm Patre æterno, & viuificante Spiritu sancto in sempiternum tribuatur. Amen.

ORATIO III.

De Peccato.

MAximum bellum, ô chariſſimi, ac varium, in dies singulos nobis veritatis hostis infert. Infert enim, vt scitis, nostras cupiditates contra nos tela faciens, & à *Ex Homil. de nõ adhærẽdo rebus huius vitæ.*

nobis ipsis ad lædendum nos, semper robur atque vires sumens. Et quemadmodum improbi atque auari homines, qui hoc vnum studeant, & volunt, vt ex alienis bonis diteſcant, cumque nec valeant, nec possint apertè vim afferre hominibus, in vijs insidias struere solent: & si animaduerterint locum aliquem propè ipsos, aut vallibus profundis diffractum, aut densitate arborum opacum, in hunc se abdentes, & viatorum præsensionem huiusmodi operimentis præcidentes, confertim ex improuiso ipsos aggrediuntur, ita, vt non possint priùs periculi laqueos prospicere, quàm vbi in eos inciderint: sic etiam ille noster iam multis à sæculis hostis diabolus, mundanarum voluptatum vmbras subiens, quæ propter viam vitæ exi-
B stentes, ad prædones occultandos, & insidiatores tegendos, qui ex improuiso laqueos salutis nobis tendunt,
Ex Comm. in 31. Psal. aptæ sunt & commodæ. At vt muri vrbium, qui ciuitatem in orbem cingunt, omni ex parte hostium incursiones arcent, ita etiam Angelus, qui nos custodit, vndique nos protegit atque tutatur, nec vtriusque lateris partes sine custodia relinquit, sed semper ijs, qui in Dominum credunt, assidet, nec recedit, nisi ipsum prauis facinoribus abigerimus. Nam vt apes fumus fugat, vt columbas fœtor arcet, sic custodem vitæ nostræ Angelum, lacry-
Ex Comm. in 1. Psalmum. mabile, ac putidum peccatum repellit. Quare optandum quidem nobis primùm est, ne malum attingamus: deinde, id si fieri non possit, vt statim post tentationem
C ipsius plagam, velut bestiæ virus eiaculantis, effugiamus. Noui enim quosdam, qui à prima pueritia, cùm se libidinibus dedidissent, etiam ad extremum tempus ætatis, propter consuetudinem & vsum mali, in peccatis permanserunt: perinde ac sues dum in cæno volutantur, semper lutum sibiipsis accumulant, ita etiam ij, ignominia,
Ex Ethico. quæ ex voluptate manat, se quotidie afficiunt. Peccatum enim dum editur, aliquo pudore præditum est, at vbi
Ex Comm. in 61. Psalm. editum fuerit, longè impudentiores efficit eos, qui illud patrant. Proinde quàm diu parua, & pauca peccata committimus, non aliter ac plantæ, quæ leui aura agitantur, leuiter quodammodo commouemur: vbi verò plura, & maiora fuerint mala, secundum proportionem aug-
D menti peccatorum, etiam commotio augeri solet. Et alij quidem magis commouentur, alij verò eatenus, quoad radicitus euersi prosternantur: siquidem spirituales mali-
Ex Hom. ad iuuenes, Quæ vtil. ex prof. lib. capi possit. tiæ, omni turbine violentius radices animæ, quibus per fidem in Deum fulcitur, abrumpunt. Nam, qui inuitus officium deseruit; ei fortassis venia aliqua à Deo tribuetur: at ille, qui de industria deteriora sequitur, nulla profectò excusatione efficiet, quominus grauissimum supplicium ferat. Scire enim debes, peccata alia esse inuita, alia verò voluntaria, vnde alio etiam modo, eorum, quæ contra voluntatem nostram facimus, veniam consequimur: alio verò ea, quæ ex praua voluntate proficiscuntur, damnantur atque puniuntur. Nam alius quidem eò pec-
E cauit, quod à puero perperam educatus sit, & quod sit ab iniustis parentibus in lucem editus, ac enutritus in prauis tum verbis tum factis: alius verò quamuis multa illi suppeterent, quæ eum ad virtutem excitarent, nempe, educatio honesta & liberalis, exhortatio parentum, perfectio ac præstantia quædam naturæ, auscultatio sermonum diuinorum, victus moderatus, & alia quibus animus ad virtutem institui ac informari solet, tamen & ipse eodem peccato ac scelere se obstrinxit. Quomodo igitur, obsecro, non longè grauiori pœna talis merito erit dignus? ille equidem ob id solum in crimen vocatur, quod non ritè vsus esset illis salutaribus occasionibus, quæ in
F mentibus nostris sunt sparsæ: at hic, cùm ob ea ipsa, tum præterea, quod quasi omnem cooperationem, quæ ipsi erat concessa, prodidisset, quodque ob negligentiam, in
Ex Asceticis, Proœmio in Moralia, Orat. de iudicio Dei. vitam peruersam inductus esset. Quibus igitur peccatis à Deo Opt. Max. venia dari poterit? & quænam vitia, & quanta in se aliquis concipiens, reus iudicij inobedientiæ efficitur? certè neque ob multitudinem peccatorum, neque ob magnitudinem, sed ob solam tantummodo transgressionem, cuiusuis mandati inobedientiæ aduersus Deum condemnamur. Discimus præterea ex sacris literis, eandem esse condemnationem, & idem iudicium omnis inobedientiæ diuinæ. In veteri namque Testamento, cùm *a* tremendum illum exitum Achar legimus; aut eam historiam *b* quæ est de eo, qui in die festo ligna colligebat: quorum vterque nihil aliud vnquam, nec in Deum nec in hominem admisisse, neque omnino quicquam nec magnum, neque paruum perpetrasse reperitur; sed hic quidem ob solam lignorum collectionem dedit pœnas, nullum inueniens locum nec excusationis, nec pœnitentiæ. (Nam diuino iussu, statim ab omni populo lapidibus appetitus, & obrutus est.) Ille vero eo quod paululum quiddam ex his rebus, quæ offerebantur, auertisset; quamuis nondum essent illa in synagogam illata, neque adhuc ab ijs, qui huic muneri præerant, recepta, causam tamen & ansam interitus, non solùm sibiipsi, sed etiam coniugi, liberis, toti domui, & omnibus denique suis præbuit. Ac sanè peccati illius tempestas vniuersum populum veluti ignis quidam absumpsisset, quantumuis neque id, quod perpetratum erat, sciuisset, neque illius facinoris fuisset conscius, nisi populus confestim ex ipso interitu eorum hominum, qui erant è medio sublati, iram Dei præsentiens, non fuisset conturbatus, & ni eueſtigio Iesus filius Naue, vnà cum senioribus, terram spargere cœpisset, & sic sorte deprehensus reus, pœnam iam dictam pependit. Quid vero Maria soror Mosis? nonne cùm paululùm reprehenderet Mosem, & id quidem merito, dicendo, mulierem Æthiopem ipsum duxisse, tantam experta est Dei iram, vt ei, etiam ipso Mose pro ea manus ad Deum tendente, non condonaretur sceleris mulcta? Sed quid multis de ijs differimus, ipsum hunc Mosem seruum, ac summum Dei cultorem silentio prætereundo? illum, inquam, magnum, & qui tanto honore à Deo dignus habitus est, vt illud audiret; *Noui te præter cæteros omnes, & inuenisti gratiam in conspectu meo.* Hic, cùm de aqua contentio esset, nec vllius alterius rei gratia, nisi quod solùm populo murmuranti ob penuriam aquæ dixisset: *Num ex hac petra educam vobis aquam?* huius solius rei causa statim ei Deus minitatus est, dicendo: *In terram, quam recepi me vobis daturum, non intrabis:* quæ erat tum ex his promissionibus, quæ factæ erant Iudæis, princeps ac primaria. Cùm igitur videam hunc veniam deprecari, nec tamen eam consequi, cùm, inquam, videam huic nullam veniam, ob tot ac tanta egregia facta, dari solùm propter breue illud dictum, nonne planè perspicio illam seueritatem Dei, quam describit Apostolus? nonne & illud verum esse mihi patiar persuaderi: *Si iustus vix seruabitur; impius & peccator quo tandem in loco comparebit?* Sed quid ego hæc commemoro? Heli sacerdos, etiamsi vita eius nullum in crimen esset vnquam vocata, tamen quod filios suos non asperius obiurgasset, tantum stomachum mouit patientiæ diuinæ, vt contigerit, cùm † alienigenæ bellum in Hebræos mouerent, vt & illi ipsi illius filij è medio tollerentur, & vniuersus populus profligaretur. Circa arcam autem sacri Dei Testamenti, ea acciderent, quæ ne audita quidem vnquam antea fuerant. Nam quam licitum non erat, neque Israelitis, neque ipsis etiam omnibus sacerdotibus attingere, neque etiam quiuis illud, quod erat ipsi impositum, recipiebat, eam impiæ manus hinc & hinc transferebant, & pro locis sacris in fanis idolorum reponebant, in quibus contaminationes, & conuiuia celebrari erant solita. Ac sanè facilè hinc colligere licet, etiam ipsum nomen Dei risui ac ludibrio tum habitum fuisse. Post hæc etiam ipsum Heli quoque miserandus finis excepit: denunciatum est ei, & posteros ipsius, & illum ipsum à sacerdotali dignitate remotum iri. Quod sanè factum est, licet suæ vitæ gratia, nunquam esset senex reus factus. Nec etiam omnino ipsorum filiorum vitia silentio præteribat, sed sæpius eos commonefaciebat, ne amplius in similibus facinoribus persisterent, dicendo: *O filij, non belli rumores sunt isti, quos de vobis audio.* Tamen quia non eum zelum, quem par erat, contra ipsos demonstrasset, & sibiipsi, & ipsis ac populo vniuerso, tantam iram conflauit. Quod si reprehensio ea de causa suscipitur, vt vita eius, qui deliquit, emendetur, certè vituperationem in eius ignominiam fieri, qui peccauit, censendum

a Iosue 7. cap. *b Num. 15.* 32. *Iosue 7.* *Num. 12.* *Exod. 33.* *Num. 20.* *Rom. 11.* *1. Petr. 4.* *1. Reg. 3.* † ἀλλόφυλοι. *1. Reg. 4. 5. 6.* *1. Reg. 3.* *1. Reg. 2.*

censendum est. Et quamuis multis in rebus aliquis videatur sibi rectè agere, in paucis verò secus faciat, nempe, quòd aut vnum quoddam mandatum neglexerit, aut ob aliquod facinus silentium tenuerit, aut non eum zelum, qualem diuina voluntas postulat, ostenderit, tamen ob hoc solum meritò reus efficitur atque pœnas luit: & si ignorantiâ aliquid huiuscemodi perpetrauerit, nec hac ratione quidem inultus abibit. Tales igitur quàm plurimas, contra omnem inobedientiam sententias, in veteri Testamento latas esse reperimus, nec leniorem etiam ijs, ex nouo Testamento, immo longè grauiorem iudicij seueritatem disco, vnde illud: *Seruus, qui voluntatem heri sui cognoscit, nec ei satisfacit, multis flagris cædetur; at quem præterierit, fecerit autem ea, quæ pœna digna sunt, leuius sanè vapulabit.* Ac prorsus Christus eum, qui ex ignorantia peccat, non omnino iudicat liberum esse à pœna; sed grauiorem multo comminationem extendit in eum, qui cognoscendo voluntatem Dei delinquit. Et rursum ait: *Cœlum & terra funditus delebuntur, dicta verò mea non interibunt vnquam*: & Beatus etiam Apostolus ait: *Cogitationes vestras puras efficite, & omnem sublimitatem, quæ sese contra Dei cognitionem effert, omnémque mentem, vt morem gerat Christo, cogite.* Omnem sublimitatem, inquit, & omnem mentem non hanc aut illam: & sitis prompti ac parati ad vindicandam omnem contumaciam. Et alio in loco rursum: *Si talia patrantes, digni sunt morte*: Et iterum: *Qui in lege gloriaris, non obseruando legem, Deo ignominiam inuris.* Adeò nihil relinquitur, quod Deus non persequatur ac puniat. Quòd si putas hæc verba esse, nec ita se rem habere, en tibi illum in Corintho, qui vxorem patris cùm habuisset, omni alio crimine vacans, ob hoc solùm, non tantùm ipse traditus est Satanæ in perniciem carnis, eousque, quoad vitium emendaret suum, digno nimirum fructu pœnitentiæ, sed & omnis simul Ecclesia, eò quòd non reprehendisset illud peccatum, in illa eadem crimina venit. Quid verò aliud mali fecit ille Ananias, cuius fit mentio in illo libro, quo res gestæ Apostolorum memoriæ proditæ sunt, quàm illud ipsum, quod nescio, num tanta ira fuerit dignum? bona sua cùm vendidisset, pecuniam ad Apostolorum pedes detulit, nonnihil de precio detrahens, atque ob hoc solum illa ipsa hora vnà cum coniuge morte affectus est, neque dignus est habitus, cui facultas concederetur cognoscendi, quânam ratione pœnitentiam ob delictum agere potuisset, neque spacium dolendi, neque terminum pœnitendi miser habere potuit. Administer autem talis ac tantæ sententiæ Beatus Petrus, qui aliis omnibus discipulis antepositus fuit, & qui testimonium maius, ac beatitudinem longè ampliorem cæteris omnibus adeptus erat, cui denique claues regni cœlorum erant concreditæ, ille, inquam, cùm audiat à Domino: *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* Quid de nobis miseris futurum est? quale sanè cor, etiamsi esset lapideum, metu non perstringerent Dei Opt. Max. rectè facta? & vel maximè cùm nullam significationem peccati, aut alicuius contemptionis dedisset, sed potius honore, qui herum decebat, vsus esset, ac eum cultum, & reuerentiam exhibuisset, quam exhibere seruum, & discipulum par erat. Cùm enim suum, & omnium rerum Dominum, ac Deum, & Regem, & Seruatorem, &, vt vno verbo omnia complectar, vniuersum, specie ac habitu serui, linteo præcinctum, pedes suos lauare volentem conspexisset, è vestigio, suam quasi per confessionem quandam, indignitatem agnoscens, & eius, qui veniebat, maiestate atque auctoritate perculsus exclamauit: *Domine, túne pedes meos lauare contendis?* & rursum: *Non lauabis equidem pedes meos in perpetuum.* Hanc ob rem eiusmodi ei iactatæ sunt minæ, vt nisi promptitudine ac velocitate obedientiæ voluntatem suam correxisset, non illi certe illæ beatitudines à Deo in eum profectæ, non dona, non promissiones, non etiam illa ipsa Dei & Patris, talis ac tantæ erga vnigenitum Filium propensæ voluntatis declaratio suffecisset, ad præsentem illam inobedientiam expiandam. Sed si hæc omnia dicendo persequi, quæ reperio in veteri ac nouo Testamento, velim, dies me, non exempla deficerent. Verùm tamen illud solum ad tractationem præsentem in medium proferre perneceſſarium fuerit, quod in magno illo ac tremendo die iudicij ad eos dicetur, qui à sinistris Domini nostri IESV Christi statuentur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ipsius.* Non ideò quidem quòd alicui manus attulissetis, aut stuprum fecissetis, aut vanitatem orationis adhibuissetis, aut iniuriam aliquam intulissetis, aut aliquid aliud ex iis, quæ verita sunt, leuissimum licet illud esset, commisissetis, sed quòd bona opera neglexistis. *Esurii enim*, inquit, *nec dedistis mihi ad edendum: sitij, nec mihi dedistis potum: morbo laborabam, atque in carcere eram coniectus, nec visitastis me.* Cuius animum intemperantia atque libido effœminatum ac fractum non reddidit, is facilè omne peccatum effugit: Quòd si plurima declinat, ab vno autem solùm tenetur, talis non est temperans: quemadmodum neque ille est sanus, qui vna aliqua corporis affectione affligitur; neque ille liber, qui vnius alicuius, quisquis ille tandem sit, imperio paret.

Illis quidem, qui ea peccata patrant, quæ corrigi facilè possunt, Deus minitatur, se eorum prauitates virga correcturum, & scelera flagellis; at illis, qui iam ad sanitatem reduci nequeunt, dicit: *Quid amplius cædimini?* omnia iam genera plagarum accepistis, omnia flagella, quæ correctionem adhibent, pro nihilo duxistis, ruina ac interitus vos deinceps manent. Mala, quæ casu ac fortuitò euenire solent, partim ob peccata accidunt, partim vt corrigantur mores eorum, qui tentantur, partim vt eos conterant atque perdant (sicuti accidit Pharaoni) quorum salus in perditis ac desperatis rebus habetur. His enim non amplius plagæ, nec verbera, sed euersio denunciatur. Quid enim amplius cædat eos, quorum iam & corpora & animæ flagris concisa sunt, nec tamen emendari, & ad frugem reuocari possunt? Fit etiam sæpenumero morbus vtilis, nimirum, quando erudit & instituit delinquentem; & sanitas interdum nocumento esse solet, nempe, cùm viaticum existit ad peccatum ei, qui ipsa vtitur. Sic etiam & pecunia ministram se quibusdam ad libidinem & profusionem præbuit: contrà, paupertas plurimos, qui ad malum propensi erant, ad modestiam reuocauit. Neque igitur fugias ea, quæ non oportet, neque confugias ad quem non conuenit: sed vnum tantùm fac vti vites, scilicet, Peccatum, & vnum tibi sit perfugium, nimirum Deus, ad quem te, veluti ad arcem quandam, & præsidium ex omnibus malis tuis recipito. Multi equidem priorum peccatorum in obliuionem veniunt, negligentes ipsa, ac flocci facientes, tanquam nullas pœnas sint ob ea daturi. At ille, qui iudicium Dei sibi ob oculos omni tempore proponit, quique persuasum habet, *Omnes nos ad tribunal Christi* constituturos, vt vnusquisque mercedem eorum referat, quæ in vita gessit, siue boni aliquid, siue mali, perpetrauit; hic inquam semper anxius est, & dolori animæ suæ medicinam adhibere studens, seipsum reum facit, peccata sua agnoscendo, eaque Deo subinde confitendo, iuxta illud; *Dolor meus in conspectu meo est semper.* Plurimi verò etiamsi bellum indixerint prauis actionibus, tamen quia eorum memoriam retinent, sæpenumerò peccatum iam sopitum ac quietum, vt repueraſcat atque reuiuiscat, efficiunt. Nam vitium consopitum, est morbus in animo saniei plenus. Peccatorum desertio ac neglectus fit secundum circunscriptionem. Nam quibus consulitur, iis dicitur: *Nequaquam te relinquam, nec te in discrimine deseram.* At quos Deus prorsus negligit, hos desertos permittit desideria carnis suæ facere, cogitationesque omnes explere, vtpote, quibus institutio ac disciplina nihil emolumenti amplius sit allatura. Etenim peccatum longè grauius est, quàm sit vulnus, aut cicatrix, aut plaga intumescens & inflammata. Non licet malagma imponere peccato, sicuti plagæ: neque oleum, vt vulneribus, neque hæc illi vsui aut adiumento vlli esse possunt. Maior enim est, inquit vis morbi, quàm vt ijs rebus remoueri possit. Et quamuis nō vniuersa Iudæorum gens peccatū admisisset, nec omnis populus iniquus extitisset, tamen ob hoc sæpius pœna in omnes redundauit, omneque cor tristitia conficiebatur, cum videret vniuersum populum ob vnius peccatum in seruitutem adduci. Quemadmodum autem sectionis aut cauterij, nō medicus

Luc. 12. *Matth. 24.* *2. Cor. 10.* *Rom. 1.* *Rom. 2.* *1. Cor. 5.* *Act. 5.* *Matth. 16.* *Ioan. 13.* *Ibidem.* *Ex Comm. in Esaiæ cap. 1. ibi:* Quid vltra percutiemini? *Esai. 1.* *Hier. 5.* *Ex Comm. in 45. Psalmū.* *Ex Comm. in 37. Psalmū.* *2. Cor. 5.* *Rom. 14.* *Psalm. 37.* *Ex Ethicis.* *Ex Comm. in Esaiam. Iosue 1. Hebr. 13.*

dicus causa est, sed morbus, sic etiam & vrbium euersio, ex intemperantia delinquentium initium sumens, Deum omni culpa liberat. Accidunt enim sæpe, ac in omnem mundum redundant, propter paucos quosdam, mala, & sceleris vnius vniuersus populus particeps est factus. Solus Achar rei sacræ furtum fecit, tota tamen acies flagris cæsa est. Zambri cum Madianitis rem habuit, Israel tamen pœnas pependit. Et sicuti pestis, quæ vbi vnum hominem, aut pecus inuaserit, etiam in omnes appropinquantes per successionem quandam dispergi solet, ita etiam hi, qui scelera patrant, proprium malum ad omnes deducere contendunt, ac summopere desiderant, quamplurimos sibi similes fieri, quò cum malis conuersando, opprobria effugere possint: & dum alius alteri morbum impertitur, omnes simul laborant atque simul etiam concidunt. Neque enim fieri potest, vt ignis, si materiem ad comburendum aptam attigerit, sistatur ac cohibeatur, ne totam peruadat penetretque, & vel maximè si ventum secundum nactus fuerit, qui flammam hinc & hinc transuehat: eodem modo neque Peccatum, quod vnum attigit, facilè est sistere, ac continere, ne ad omnes appropinquantes progrediatur, præsertim si venti malitiæ illud incitent inflammentque. Nam actiones corporis tempore, occasione, labore, adiutore, & alijs denique rebus indigent, at animi commotiones sine temporis mora fiunt, sine lassitudine perficiuntur, & sine negotio consistunt: omnia tempus aptum, omnia idoneum habent. Ac sanè aliquando quispiam ex hominibus illis austeris, & ob grauitatem quandam arrogantibus, temperantia se præditum esse fingens, ac medium locum sæpenumerò inter illos tenens, qui ipsum virtutis ergò beatum prædicant, mente ac cogitatione peccatum in se concipit. Per obscurum enim cordis motum, imaginatione ea cernit, quorum desiderio tenetur: conuersationem denique quandam minimè docoram expressit, atque in occulto cordis domicilio euidentem in seipso voluptatem fingens, manifeste peccatum intra se patrat. Plurima siquidem peccata, eo appetitu, qui suscipitur de industria, perficiuntur: proinde corporis actiones à multis præciduntur. Qui verò sua sponte, & voluntate vitiis se contaminant, ij sola mentis agitatione peccatum perficiunt. Vti enim vmbræ corpus, sic etiam animam peccata consequi solent, efficaces nimirum actiones effingendo. Perfectum itaq; ac omnibus numeris absolutum vitium est, cùm quis mente & cogitatione & opere peccat. Medium verò cum in ea appetitione, quæ cogitatione suscipitur, sistitur peccatum. Quare non omni ex parte pœnæ expers est ille, qui cogitatione delinquit, sed quatenus abest à malo, eatenus etiam ipsi de molestijs demetur. Illum quidem, qui receptus cum sit in collegium fratrum, deinde professionem aspernatur, sic oportet statuere, se in Deum deliquisse, coram quo, & per quem receperat, se pacta professionis seruaturum. *Si verò in Deum aliquis peccauerit, quis, quæso, pro eo preces fundet?* Qui enim se Deo totum dicat, deinde aliud genus vitæ ingreditur, sacrilegus efficitur, dum seipsum à diuino cultu abducit, & donum Deo iam dicatum aufert: Cui generi hominum æquum est ne vllus vnquam aditus ad fratres pateat, etiamsi solius recti gratia accesserint. Nam lex Apostolica apertè nos iubet, *Omnem inordinatum vitare*, nec cum eo coniungi, vt pudore coram omnibus suffundatur. Sic & rosa à principio sine spinis prodierat, sed pòst ad pulchritudinem floris vepres accessêre, vt haberemus oblectationem summo cum dolore coniunctam, memores peccati ob quod *spinas & tribulos nobis terra producere* iussa est. Verum prauitas perturbationum, quæ ex ignorantia Dei fit, reprobam nobis affert huius cogitationem. Magnus ille athleta Iob, cùm varias atque diuersas tentationes sustinuisset, non erat nescius, vnde hæ manarent. Proinde dicebat: *Sagittæ Domini corpori meo infixæ sunt, quarum virus penitus exhaurit sanguinem meum.* Dauid autem cum ex anima laboraret, ipse seipsum plectebat, sese omni genere suppliciorum, per modum cuiusdam confessionis afficiendo: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, inquit, *& firmasti super me manum tuam*; ideò *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Ac mihi quidem videntur illæ sagittæ, de quibus hic sermo est, spirituales esse, vel potius ipsa verba Dei, quæ animam ipsius pungunt, atque vulneribus conficiunt, quæque ipsam conscientiam excruciant, cùm ille tantus vir ad tam turpe facinus descendisset. Cum enim non esset bene munitus, non restitit ignitis telis inimici, sed * meritò clauo concupiscentiæ vulnus in anima accepit. Quemadmodum autem diaboli sagittas, quæ vlcera & plagas corpori Iob iniecerant, quoniam Deo permittente ac volente id effecêre, *sagittas Domini* nuncupauit, inquiens: *Sagittæ Domini corpori meo infixæ sunt, quarum virus sanguinem meum consumit.* Sic etiam & Dauidem verisimile est, hoc loco *sagittas Domini* appellasse, cùm eum aduersarius, Deo Opt. Max. permittente, affligeret, ne in posterum illud diceret: *Non mouebor in æternum.* Nam cùm aliquando, benignitate Dei potens ac rerum omnium affluens effectus, ita se extulisset, vt non dubitaret gloriari ac dicere: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum*: Ea de causa meritò sanè traditus est tentatori, qui animam illius attingens, longè maius illi damnum, quàm ipsi Iob dedit. Ego autem tres has differentias nostræ dilectionis esse perspicio, quæ nos cogunt, vt Christi dicto audientes simus, seruitutem, inquam, mercedem, & adoptionem. Aut enim metu pœnæ vitia declinamus, & tum similitudinem speciémque gerimus seruorum: Aut lucrum, quod ex mercede proficiscitur, captantes, compendij nostri causa, ea, quæ sancita sunt, seruamus, in qua parte mercenarijs similes efficimur: Aut ob ipsum amorem, quo sumus in eum, qui nobis legem sanciuit, gaudio exultantes, quod digni iudicati sumus, qui tam illustri, & bono Deo seruitutem seruiremus, qua ex ratione filijs ritè comparamur. Neque igitur ille, qui timore perculsus mandata persequitur, desidiæ, atque inertiæ pœnam veritus, nonnulla ex his, quæ statuta sunt, faciet, nonnulla verò negliget, sed vindictam cuiusuis contumaciæ gratia æquè formidandam iudicabit. Atque sanè hanc ob causam beatus erit, vtpote qui nihil eorum, quæ eum facere par erat, despicatui duxerit. *Beatus* enim, inquit, *vir qui timet Dominum*: quid ita? nimirum *quia in mandatis eius volet nimis.* Verùm neque mercenarius quidquam ex iis, quæ sibi in mandatis data sunt, negliget. Quomodo enim mercedem accipiet laboris sui, cùm pactis non steterit? & si aliquid eorum, quæ necessaria sunt, præterierit, inutile reddit opus patroni. Quis vero est ille, qui, damno adhuc existente, mercedem persoluet ei, qui sibi damnum dedit? Tertio in numero posueramus eam seruitutem, quæ ex charitate manat. Quis igitur filius, qui hoc vnum studet propositumque habet, vt complaceat patri, ac dum rebus in maioribus ipsum gaudio cumulare studeat, ob res paruas ipsi mœstitiam inferre volet? Qui igitur magnam partem præceptorum non tenent, in quonam numero haberi volunt, cùm Deo neque vt patri præsto sint, neque pareant vti ei, qui magnam pollicetur mercedem, nec tanquam Domino seruiant? quomodo vero nobis, cùm pluris faciamus vitam voluptariam, quàm eam, quæ fit ex præscripto, vitæ illam beatitudinem, & consortium sanctorum, ac lætitiam, qua vnà cum Angelis in conspectu Christi exultabimus, proponere atque polliceri possumus? Eiusmodi cogitationes non sunt profecto sanæ mentis. Quomodo vnà cum Iob ero, qui ne minimam quidem afflictionem grato animo toleraui? Quomodo cum Dauide, qui patienter inimicum non pertuli? Quomodo cum Daniele, qui Deo perpetua continentia, & oratione laboris plena non supplicaui? Quomodo cum Angelis, cùm vestigia eorum non sim secutus? Quis est ex his, qui præmia certaminum proponunt, adeo nullius iudicij, vt eum, qui ne certauit quidem, æquali corona dignum iudicet, cum eo, qui palmam maxima cum laude tulit? Quis Imperator eos, qui in prælio ne comparuerunt quidem, ex æquo cum eis ad spolia vocabit, qui hostes fuderunt? Bonus Deus inquies? at & iustus. Iusti autem est, vnicuique pro eo, ac meritus est, tribuere.

Scriptum

Ex Homil. habita in fame & siccit. Iosue 7. Num. 25. Ex Comm. in 1. Psalmum.

Ex Homil. in illud: Attende tibi ipsi.

Ex Homil. ad diuites. Ex Comm. in Esaiam.

Ex Asceticis.

1. Reg. 2.

2. Thess. 3.

Genes 3.

Ex Comm. in 37. Psalm.

Iob 6.

Psalm. 37. 3.

Sagitta Dei.

* εἰκότως.

Iob 6.

Psalm. 37.

Psalm. 29. 7.

Ibidem.

1. Serui.

2. Mercenarij.

3. Filij.

Psal. 111. 1.

Psal. 124. Scriptum est enim; *Benefac Domine bonis, & rectis corde. Declinantes vero in obligationes, adducet Dominus vnà cum operantibus iniquitatem.* Misericors est fateor, verùm etiam & iustus.
Psal. 85. 25. & 102. 8. *Matth.* 5. Cordi siquidem illi est misericordia, sed tamen iustitiam non negligit. Scisne quibus misericordia tribuitur? *Beati,* inquit, *misericordes, quoniam & ipsis misericordia impartietur.* Non vides quàm magno cum iudicio vtatur misericordia? neque sine delectu eam alicui tribuens, neque sine commiseratione iudicans. *Misericors enim Dominus simul & iustus.* Ne igitur eum vna saltem ex parte cognoscamus, néve ipsius humanitas occasionem nobis desidiæ pariat. Nam to-nitrua & fulmina ideò iaciuntur, ne contemptui habeatur bonitas diuina. Ille, qui Solem exoriri facit, etiam delictum punit: qui ignem dat, etiam imbrem immittit: illa sunt signa bonitatis, hæc rigoris. Ob ista igitur eum in oculis
Rom. 2. feramus, ne & nobis illud dicatur. *Num nihili pendis illius summam bonitatem, & patientiam? nescis quòd bonitas diuina te ad pœnitentiam vocet? Tu verò duro, ac pœnitere nescio corde tuo, cumulas tibiipsi iram in die iræ.* At dices, Quid mihi prosunt
Matth. 5. illa recta facta, *si ad gehennam condemnabor, fratrem meum stultum nominando?* Quam mihi vtilitatem affert illud, quòd multis à rebus liber ero, si vna res me in seruitutem redi-
Ioan. 8. git? *Qui enim peccatum patrat,* inquit, *seruus est peccati.* Quem fructum feret vacuitas doloris ei, cuius corpus vno aliquo morbo affligitur? Qui enim voluntatem Dei facit, sed non ita vt eius voluntas fert, nec ex amore, quo in Deũ est, hoc facit, huius studium & operam Deus inutilem ducit, ni-
Matth. 6. hilique facit. Hinc illud: *Amen dico vobis, acceperunt mercedem*
Ex Comm. in 38. *Psal.* *suam.* Proinde si tui primi ortus memor non es, ex eo precio, quod pro te pensum est, aliquam dignitatis tuæ capito notionem. Respice, amabò, ad precium, quo redemptus es, & tuam agnoscito dignitatem. Precioso Christi sanguine emptus es. ne fias igitur seruus peccati. Cognosce, quæso, tuam dignitatem, ne similis efficiaris brutis animantibus. Quomodo enim seruis vestris imperabitis, cùm
Psal. 48. ipsi libidinibus nociuis atque belluinis, veluti mancipia quædam seruiatis? quomodo filios vestros corripietis, cùm ipsi vitam inordinatam atque admonitionem non ferentem, degatis? Perinde enim ac ego necessitate ad-
1. *Cor.* 9. 16. stringo, *& væ mihi, si Euangelium non prædicauero*, nec dies noctesque annunciauero iustificationes Dei, iuxta Apostolum; ita & vos idem periculum manet, si desides eritis, aut si remisse & negligenter ea, quæ tradita nobis sunt, obser-
Ioan. 12. uaueritis: & nisi ea omnia factis ipsis præstiteritis. *Sermo enim, quẽ retuli,* inquit Dominus, *ille iudicabit mundum in die illo extremo.* Semper quidem desiderio honesti flagrans, & semper de spe eius potiundi decidens, nullam aliam causam habeo de rebus futuris cogitandi, quàm mihi certò persuadere, me pœnas ob peccata ante perpetrata persoluturum. Quare sicut nos non præterit, quòd nobis sacræ Scripturæ verba ob oculos proponentur: ita etiam modestè ac castè adhæreamus dictis CHRISTI, atque summo studio contendamus sacra dogmata factis ipsis exprimere:
Luc. 12. nescientes quo die, aut qua hora Dominus noster veniet; cui honos, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

A tuam vanam ac stultam conuersationem, exhorresco: nempe, cùm diuitijs & gloria vana circumflueres, cùm & te adulatorum magnus numerus sequeretur, atque deliciarum voluptas temporalis tibi affatim suppeteret, quam manifesto periculo, & iniustis censibus tibi parauera: & illo quidem tempore, partim regij timores suspicionem tibi de salute mouebant, partim verò publici tumultus lares tuos conquassabant. Deinde cùm tempus illud mecum reputo, quando ingens aceruus malorum mentem tuam ad eum conuertebat, qui tibi auxilium ferret, quando nimirum meditabundus seruatorem quærebas, qui timorem tuum in vtilitatem conuerteret, & liberaret te, ac
B protegeret, quem tu, cùm securus ac omni periculo vacuus esses, ludibrio habueras. Quando in eo totus eras, vt mutares mores tuos, stercoribus comparando periculosissimam opulentiam, & quando domestico obsequio atque vxoris consuetudine prorsus abnegata, totus sublimis veluti peregrinus, & erro quidam agros & vrbes peragrando, ad Hierosolyma decurrebas, vbi & ipse tecum cùm essem, beatum te prædicabam ob athleticos labores: quando septimo quoque die inedia te conficiens cum Domino philosophabaris, simul etiam & hominum congressus pro ratione mutationis fugiendo, quieti vel maximè studens, tumultus ciuiles vitabas. Sacco autem aspero corpus tuum compungens, & cingulo duro lumbos astrin-
C gens, toleranter ossa tua conterebas, latera verò fame caua reddens, vsque ad spinæ partes sublaxa fecisti. Et fasciæ quidem mollis vsum prorsus abnegasti: abdomen verò intus cucurbitæ instar subtrahens, renalibus locis illud agglutinari cogebas: vniuersam autem carnis pinguedinem euacuans, canales ac meatus sub ventre sitos, strenuè exsiccasti: ventre autem per inediam contracto, partes costales quasi quandam tecti eminentiam, vmbilici partibus adumbrasti, ac toto organo contracto, totis noctibus Deo confitendo lachrymarum riuis barbæ pilos madefaciebas. Sed quid opus est omnia hæc numerãdo persequi? repete memoria quàm multis sanctis osculum dederis, quàm multa sacra corpora amplexus sis, præterea, quot pij homines
D manus tuas veluti immaculatas contrectauere, quot serui Dei tanquam cultum tribuentes, ad genua tua sese & proiecerunt, & complexi sunt. At horum omnium quis finis? Rumor, qui sparsus est de adulterio tuo, sagitta velocius peruolans, aures nostras sauciat, acutoque stimulo viscera nostra perpungit. Quæ, obsecro, tam artificiosa præstigiatoris versutia, ad tam nefandum facinus te perduxit? hei mihi quàm te perplexa diaboli retia constrictum, & ad virtutis actiones exercendas immobilem reddidere? vbinam, quæso, est illa prædicatio nostra de tuis laboribus? at fortassis, dicet aliquis, rumori non est fides habenda? verùm quomodo? nónne ex manifestis argumentis ijs rebus fi-
Matth. 5. dem adhibuimus? siquidem confugientes ad Deum animas, horrendis iuramentis astrinxeris, cum meritò illud,
E quod est supra negationem non diabolo sit attributum: itaque simul etiam periurij pernicioſi sponsor fuisti, corrupta exercitationis forma, & Apostolos, & ipsum Dominum turpitudine fœdasti, dedecore affecisti castitatis gloriationem, vituperasti temperantiæ professionem, facti sumus captiuorum Tragœdia, à Iudæis, & Græcis in scena res nostræ repræsentãtur, discidisti studia monachorum, sincerioribus tantum timorem incussisti, vt adhuc suspiciant diaboli potentiam. Eos, qui nullarum erant partium, ad proteruitatis æmulationem transtulisti, dissoluisti, quantum in te fuit, Christi gloriationem, qui dixit, *Confidite, ego* *Ioan.* 16. *vici mundum, ac eius principem.* Miscuisti patriæ creatorem infamiæ, reuera illud Prouerbium in actum protulisti: *Instar* *Prouerbium.*
F *cerui sagitta in iecore ictus sum.* Sed quid tum postea, nónne cecidit fortitudinis turris? nónne in vituperationem venerunt conuersionis medicamenta? nónne intercluſus est aditus ad ciuitatem refugij? ne, quæso, in profundo demersus, in malis persistas, ne tibi ipsi manus afferas. Nouit Dominus erigere labentes ac in pristinum statum vindicare. Ne procul fugias, sed ad nos te recipito, susci-pe rursum iuueniles labores, secundarijs rectè factis voluptatem ridiculam ac nihili dissoluens: referto animum ad

ORATIO IIII.

De Pœnitentia.

Ex epist. ad monach. lapsum. DVplici timore, tui causa afficior. Aut enim mores quidam affectus expertes antegressi, in me crimen inhumanitatis conijciunt: Aut rursum condolere, & ad affectus emolliri volentem, malè afficiunt. Quapropter cùm mihi hæc Epistola exaranda esset, manum quidem torpentem argumentis roboraui, at faciem, quæ eo mœrore laborabat atque affligebatur, quem propter te susceperat, mutare non poteram. Tanto enim pudore afficiebar, vt etiam ipsum os complicare non essem potis, dum labia mea identidem ad fletum conuerterentur. Hei mihi quid dicam? aut cui cogitationi, in triuio præpeditus, me dedam? Cum enim ad memoriam reuoco, priorem

illius summi diei finem, qui tam proximè ad vitam nostram accessit: videto quomodo Iudæorum & Græcorum filij ad pietatem, ac diuinum cultum compellantur, & ita non omnino abnegabis mundi Seruatorem, ne horrendissimam illam sententiam excipias: Nescio vos. Vnius viri Ioannis prædicatio erat, omnes tamē ad agendam pœnitentiam pertraxit: tu verò & per prophetas doceris, qui iubent nos lauari, ac mundos esse: & Psalmis admoneris, in quibus scriptum est: *Accedite ad ipsum, & illuminabimini*: & ab Apostolis illud prædicari audis, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, in remissionem peccatorum, & accipietis Spiritum sanctum, qui vobis est promissus*: & ab ipso Domino recipieris dicente: *Venite ad me omnes, qui defessi estis, & onere pressi, & ego reficiam vos.* Cunctaris tamen, deliberas, atque moram trahis? à puero cathechesi imbutus, nondum veritati acquiescis? semper discendo, nondum ad cognitionem peruenisti? omni tempore vitæ tuæ periculum facis, ad senectutem vsque indagas. Quando fies, obsecro, Christianus? quando te agnoscemus vt nostrum? Superiore anno, præsens tempus expectabas, nunc rursum futurum præstolaris, vide amabò ne tibi longiorem vitam promittas: nescis enim quid sequens dies pariet. Noli tibi ea promittere, quæ in tua manu non sunt. Ad vitam te vocamus, ô homo, cur igitur fugis vocationem? ad bonorum participationem te accersimus, cur negligis donum? regnum cœlorum patet, qui accersit mendax non est; via etiam facilis & expedita, non tempore, non sumptu, non labore opus est: quid cunctaris? quid tergiuersaris? quid iugum times, veluti iuuencula quædam, quæ iugum nondum experta sit? non atterit, crede mihi, ceruicem iugum illius, sed gloria afficit. Non enim collo alligatur, lignum à iugo propendens, spontaneum eum, qui trahat, requirit. Vides in crimen vocari Ephraim, quòd perinde, ac iuuenca quædam œstro percita, sine ordine oberrans, legis iugum detrectasset. Subijce indomitam ceruicem tuam, sis iumentum Christi, ne dimisso iugo, vitamque liberam degens, feris diripiendus exponaris. Si aurum in pauperes erogarem, non sanè diceres mihi, cras veniam, cras dabis, sed iamiam expostcres, largitionemque vrgeres, atque iniquo animo ferres procrastinationem. Cum verò non materiæ illustrem colorem, verùm animæ puritatem, magnorum ille donorum largitor tibi offerat, excusationes prætendis, causasque enumeras. Si seruus hominis esses, & proposita esset seruis libertas, nónne ad statum diem accurreres, patronos conduceres, & iudicum auxiliū implorares, omni denique conatu, atque omnibus viribus id vnum enitens, vt in libertatem vindiceris? & ad extremum etiam ipsam alapam summam seruorum plagam pro libertate perferres. Cùm autem te, qui es mancipium non hominum, sed peccati, præco ad libertatem vocat, quo te in libertatem asserat, & ciuem æqualem Angelis faciat, filiumque te Dei per gratiam adoptatum atque hæredem bonorum Christi declaret, nondum tamen tempus esse dicis, vt ea, quæ dantur, suscipias. O praua impedimenta, ô turpem & prophanam occupationem! Quousque tandem voluptates istæ tuæ, quousque deliciæ durabunt? multum iam tempus viximus mundo, viuamus reliquum nobis etiam ipsis. Quid quæso, cum anima conferri, quid regno cœlorum comparari potest? Quis magis fidelis consiliarius tibi, Deo? quis prudentior, sapiente? quis vtilior, bono? quis creatore, coniunctior? neque è re Euæ fuit, quòd consilio serpentis parere maluerit, quàm diuino? O ingentem verborum absurditatem, *non est mihi*, inquit, *ocium, vt sanus fiam: nondum ostendito mihi lucem, nondum me in gratiam regis ponito.* Nónne hæc palàm dicis? immò etiam his longè absurdiora. Tu quidem si mulctatus esses, & reipub. eo nomine aliquid deberes, æris autem alieni solutio in aliquod tempus nouis tabulis reis prorogaretur, deinde esset quispiam, qui calumnia exortem te huius concessionis ac beneficij facere vellet, ægrè sanè ferres, ac ingentem clamorem ederes, tanquam qui pertinente ad te communis beneficij parte spoliareris. Quum autem non solùm remissio præteritorum, sed etiam munera futurorum præ-

Matth. 25. *Ex adhortatione ad baptis.* *Esa. 1.* *Psal. 33.* *Act. 2.* *Matth. 11.*

dicentur, temetipsum tali iniuria afficiens, qualem ne inimicus quidem tibi attulisset, putas longè melius tibi prospectum esse, qui non suscipis remissionem, verùm ære alieno obrutus, mortem oppetis. Quamuis multa sint tua peccata, ne tamen eam ob causam animo cadas, atque desperes. *Nam vbi abundauit peccatum, ibi etiam gratia superabundauit*, si modò eam suscipere paratus sis. Sin verò pauca, & vilia, nec morte digna sunt tua peccata, cur sollicitus es de futuro, qui præterita satis forti animo pertulisti? nunc quasi in trutina animam tuam stare puta, quæ hinc ab Angelis, illinc à dæmonibus distrahatur. Quibus itaque te dabis? quid apud te palmam feret, voluptásne carnis, an animæ sanctificatio? vsúsne præsentium, an futurorum desiderium? num Angeli te assument, aut detinebunt, qui detinent? In exercitu Imperatores tesseram ac signum ijs, qui sub eis stipendia merent, dare solent, quo & amici facilè se inuicem reuocent, & hostium, si illis in conflictu permixti fuerint, facilis ad cognoscendum discretio esse possit. Nemo cognoscet, nostérne sis an hostium, nisi abditis signis coniunctionem ostenderis, *nisi signatum fuerit super te lumen vultus Domini*. Quomodo vindicabit te Angelus? quomodo eripiet ex hostibus, si non agnouerit signum? Quomodo verò tu dices Dei te esse, si notas & argumenta eius rei non protuleris? Thesaurus non obsignatus, expositus est furum prædæ. Ouiculæ, cui nulla nota est, sine periculo insidiæ tenduntur. Cedo, si quis medicus tibi reciperet, se arte quadam atque industria iuuenem te ex sene esse facturum, nónne desiderares illam illucescere diem, in qua te pristino vigori restitutum conspicere posses? at nunc cùm Pœnitentia promittat animæ tuæ velut noui germinis renouationem, quam tu veterem effecisti, & prauitate rugosam ac maculatam reddidisti, contemnis benefactorem, & promissionem non excipis, nec desideras videre magnum illud promissionis miraculum: nimirum quomodo sine matre renasci soleat homo, quomodoque senio confectus & fraude cupiditatis deprauatus, rursum iuueneseat, ac repueraſcat, ad verumque iuuentutis florem redeat. Tot ac tantis bonis, ô miser, antiquiorem voluptatem iudicas? intelligo enim procrastinationē tuam, etiamsi verbis eam occultes, ipsa res clamat, quamuis verbum nullum facias. Sine me, quæso, inquis, vtar carne ad perfruendas res turpes; voluter in cæno voluptatum, sanguine imbuam manus, diripiam aliena, circumscribam, peierabo, mentiar, & tunc pœnitentiam, vbi abstinuero à malis, agam. At si bona res est peccatum, tuere ac tene hoc vsque in finem; sin verò ei, qui illud perpetrat, noxium est, quid rebus pernicioſis adhæresci? num putas Deum non videre, quæ aguntur? num non percipit tuas cogitationes? num opem fert tuis iniquitatibus? ingenti te scelere astrinxisti (inquit ille) eo quòd existimares, me tui similem fore. Tu cùm mortalis viri amicitiam ambis, beneficijs illum ad te, dicendo, & faciendo, quibus intellexeris hominem gaudere, allicis: At quando cum Deo coniungi, ac in numerum filiorum te recipi vis, ea, quæ inimica sunt Deo, perpetrans, & legem transcendendo ignominia ipsum afficiens, ex his, quibus ipsum, vel maximè offendis, coniunctionem, ac consortium speras? vide ne redemptioni studendo, malorum multitudinem tibi coacerues, ac peccatum aggreges, nec tamen veniam impetres. *Deus non irridetur*, ne quasi mercem aliquam gratiam æstimes, néve dicas, Bona est quidem lex, sed longe iucundius peccatum. Voluptas est veluti quidam hamus diaboli, ad perniciem nos trahens. Voluptas mater est: *peccatum autem stimulus mortis.* Voluptas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus quidem demulcet fruentem, ac postea felle amariores retributiones facit. Quid facis ô homo? cùm multum valeas in agendo, iuuentutem tuam in peccatis traducis: vbi verò labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum iam illorum nullus sit vsus, sed necessariò labant ac torpent, ob longi temporis tabem, firmitate ac robore eorum dissoluto. Temperantia in senecta, non est temperantia, sed potius incontinentiæ quædam impotentia. Mortuus coronis * non ornatur, nec ob mali impotentiam quisque iustus habetur.

Gal. 6. 7. *1. Cor. 15. 56* *Rom. 5.* *Psal. 4. 7.*

* *Vt apud Gentiles mortui coronabantur.*

tur. Dum vires ac robur suppetit, ratione dominare peccato: nam virtus est, declinare à malo, & facere bonum. At verò ocium agere à prauitate, neque laude, neque pœna dignum iudicatur, si vitio ætatis cessas à peccatis, imbecillitati hoc est acceptum ferendum. Nos enim eos in cœlum ferimus, qui ex industria boni sunt, non qui ab aliqua necessitate, ne mala perpetrent, prohibentur. Quis verò tibi vitæ finem præscripsit? quis terminum senectutis constituit? quis adeò fide dignus apud te futurorum vas ac sponsor est? Non vides pueros, & ætate florentes abripi? Nullum profecto tempus præstitutum vita habet. Quid expectas vt te tum febris ad Pœnitentiam vocet, cum neque salutaria verba amplius proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris, cum in ipso capite morbus inhabitet? non manus ad cœlum amplius tollere, non in pedes erigi, non genu flectere, cùm precatio erit habenda, non commodè doceri, non certo confiteri, non redire in gratiam cum Deo, non renuntiare inimicitijs, & fortassis neque intelligentia, & animo comprehendere mysteria diuina poteris, si quidem præsentes ambigant, an acceperis beneficium, an aliquem sensum eorum, quæ fiunt, habeas. Quòd si certò & apertè gratiam susceperis, tunc talentum quidem habes, quæstum verò non affers. Dæmon, ô fratres, callidus est ad mala perpetranda; videt nos homines in diem viuere, videt omnem actionem nostram iuxta id, quod instat, peragi: ideo hodiernum diem per fraudem nobis abripiens, spem nobis crastini relinquit. Quòd si quidem peccatum hodie nos committere non cogit, iustitiam tamen in crastinum vt reseruemus persuadet: deinde vbi crastinus dies illuxerit, rursum accedit iniquus ille partium diuisor, & hodiernum diem sibi ipsi cedere expetit, crastinum verò Domino vt tribuamus concedit, atque hac ratione sanè nos, præsens nimirum tempus per voluptatem subtrahendo, futurum verò spei nostræ relinquendo, ne sentientes quidem è vita expellit. Eiusmodi ego aliquando vidi astum volucris valde vastæ, quæ seipsam venatoribus cùm eius pulli facilè ob teneritudinem capi possent, quasi prædam quandam paratam obijciebat, & ante manus eorum assiduè versando, neque se capi permittebat, neque tamen prædæ spem venatoribus adimebat, sed ipsos vana spe variè lactans, dum circa ipsam occupantur, pullis fugæ copiam, ac securitatem præstitit, deinde ad extremum etiam ipsa simul auolauit. Caue, obsecro, ne etiam & tu similia perpetraris, qui spe incertorum, ea quæ certa sunt, dimittis. Vnde ne ex anno in annum, ex mense in mensem, ex die in diem pœnitentiam producendo, incurras aliquando in diem, quam non expectabas, nimirum, quando te deficiet vita, & consilij inopia omni ex parte te circundabit, tribulatioque nullam consolationem admittens existet; cùm medici & domestici de salute tua iam desperabunt, & quando denso ac sicco anhelitu detentus febreque interna vehementi laborans, ingemisces quidem ex medio corde, at qui vnà tecum mœrore affligatur, reperies neminem. Proferes quidem verba mollia, atque effœminata, verùm non erit qui aures det; sed quidquid tum proferes, quasi res stulta, pro nihilo ducetur. Quis tum te Pœnitentiæ, ex perturbatione mente captum, ac stupidum commonefaciet? tui mœrore conficiuntur, alieni spernunt atque nihili pendunt; amicus etiam ad commonefaciendum tardus est, timens ne te magis perturbet. Quod si te Medicus sanitatem tibi promittendo decipiat, tu de sanitate non desperas, eò quòd natura vitæ sis cupidus. Mors impendet, & qui abducunt vrgent, quis te, amabo, eximet, ac ex tantis malis eripiet? Deusne, ille quem contempsisti? at hic minimè preces tuas audiet, cum & tu ipsum non exaudieris. Promissane exoluet? quasi verò prius datis probè vsus sis. Nemo te inanibus verbis circumueniat: imminebit enim tibi subita pernicies, & mors procellæ instar aderit: veniet Angelus mœstus & horridus, violenter abducens ac trahens animam tuam, peccatorum vinculis constrictam, ac frequenter se conuertentem ad ea, quæ hic sunt: denique lugentem sine voce, cum iam lamentationibus instrumentum sit sublatum, ô quàm te ipsum excruciabis, ô quàtum ingemisces, frustrà iam Pœnitentiam ob mala consilia agens, quando conspexeris hilaritatem iustorum, ob splendidam donorum distributionem: & tristitiam peccatorum, qui in tenebras profundissimas coniecti sunt: quæ proferes tum in dolore cordis tui? Hei mihi inquies, quòd non abiecerim hoc graue peccati onus, tum cùm se mihi facilis deponendi occasio daret, sed ingentem hunc malorum aceruum attraxerim. Hei mihi, quòd maculas non deleuerim, sed peccatis insignitus sim. Nunc sanè essem cum Angelis, nunc in cœlestibus bonis delicias agerem. O perditum meum consilium, propter breuem ac menstruam peccati voluptatem, in perpetuum omni genere cruciatus atque supplicij torquebor, propter carnis illecebras, in ignem æternum trador. Iustum iudicium Dei est: vocabar, nec parui; docebar, nec percipere volui; testimonium afferebant mihi, ego verò flocci pendebam. Hæc & alia huiusmodi dices, ô homo, vicem tuam deflens, si antequam pœnitentiam egeris, abreptus hinc fueris: tum aut gehenna tibi erit extimescenda, aut regnum vindicandum. Ego quidem lachrymas profundere soleo, cùm te video facinora turpitudinis amplæ gloriæ Dei anteponere, & ob incontinentiæ suauitatem peccato ita inhærere, vt summa cum difficultate ab eo diuelli possis. Denique cùm video, quod teipsum illis bonis, quæ promissa nobis sunt, ita orbes, vt videre minimè queas bona illius cœlestis Hierusalem. Ne, obsecro, spem salutis abijcias. Vult enim tui misereri iudex ac suam misericordiam tibi impertiri, iuxta illum, qui dixit; *Diligit Dominus misericordiam & iudicium.* Sed ita demum tui miserebitur, si te repererit post peccatum humilem, contritum, valdeque deplorantem praua facinora, quæ clam perpetrasti: & si sine vllo pudore publicaueris ea, ita vt roges fratrem, quo vnà tecum recuperandæ sanitati studeat. Quod si te omnino miserabilem factum esse viderit, eximiam suam misericordiam tibi tribuet: sin verò cor, quod nulla pœnitentia ducitur, inuenerit, & spiritum superbum, ac nullam te fidem habere futuræ vitæ, nihilque iudicium timere, tunc pœnam irrogabit. Quemadmodum enim diligens, & humanus Medicus, fomentis prius ac lenimentis mollibus tumorem sedare conatur: postquàm vero viderit molem nihil remittere, sed acriter reniti, abiecta misericordia ac molli curatione, ferri vsum assumit. Sic illis Deus, quos à multis lapsibus pro sua summa humanitate cum sustulerit ac erexerit, deinde illi post longè imbecillioribus se vincendos atque frangendos dederunt, minatur, prorsus se eis non condonaturum, inquiens: *Non amplius veniam concedam peccatis vestris.* Quibus verbis significationem nobis præbet, se iam sæpius similia nobis remisisse. Nam sine remissione diuina, difficile est illud genus vitæ ingredi, quod est secundum virtutem. Eum enim qui cum quibusdam peccatis vitam contaminasset suam, deinde velit ad frugem redire, vult Dominus termino veluti quodam, ea, quæ præterierunt circumscribere, ac remedium aliquod post commissa scelera adhibere, quasi opera pœnitentiæ reuiuiscerent. At illum, qui hæc frequenter promittit, & frequenter iterum cadit, vt prorsus hominem desperatam ab humanitate sua excludit. Non enim ille, qui dicit; *Peccaui*, deinde in peccato persistit, confitetur, sed qui secundum Psaltem & peccatum suum agnoscit, & illud odio habet. Vt enim nihil prodest ei, qui aliquo morbo laborat, medici studium ac cura, si ipse rebus quæ vitam corrumpunt, operam det: sic nullam vtilitatem afferunt peccata remissa ei, cui condonata sunt, si in eis adhuc volutetur. Desine itaque proximi mala curiose inquirere: ne desocium cogitationibus tuis, aliena vitia inquirendi, sed ad tuam propriam explorationem conuerte oculos tuos. Multi enim sunt, qui vident festucam in oculo fratris, trabem vero in oculo proprio non conspiciunt. Noli res alienas considerare, ne fortè incurras in reprehensionem alicuius, perinde ac ille Pharisæus, qui se ipsum iustum faciebat, Publicanum vero extenuabat. Verùm nunquam cesses te ipsum examinare, num quid cogitando deliqueris, num quid lingua mentem ac rationem præcurrente aberraueris, num quid perperam admiseris. Quemadmodum enim

Procrastinatio à diabolo est.

Ex Homil. in Psalmum 32.5.

Cras illud, quando venit?

Volucris astus admirabilis.

Psal. 50.

Luc. 6.

Luc. 18. Conscientiæ examen.

Ex Hom. in Psal. 33.

enim fieri non potest, vt quis sanitatem recuperet, morbo non immutato, aut calidus fiat, si non penitus quieuerit à refrigeratione (nam hæc se vicissim recipere nequeunt) sic & eum, qui sanctam vitam acturus est, oportet ab omni malo prorsus abhorrere. Non enim temporis quantitate, sed animi proposito Pœnitentia iudicatur. Qui verò repudium improbæ vitæ remittunt, ac diuiniori student, seque in ea exercent, caueant ne seorsum, ac soli se exerceant. Nam talem vitam oportet habere testes, quòd extra omnem suspicionem prauam fuerit. Si verò quis olim inescatus, aut diuitiarum puluerem ex iniquitate sibi cumulauit, ac mentem harum curis implicauit, aut scelus petulantiæ, quod difficile deleri possit, naturæ affixit, aut reliquis criminibus seipsum addixit, is dum adhuc est tempus quàm ad perfectum interitum deueniat, grauiora onera deponat, & antequam nauis immergatur, merces eijciat, quas iniustè quæsiuit. Pecuniæ rectè eiectæ, non pereunt ijs, qui eas abiecerunt, sed quasi in alias naues onerarias magis tutas translatæ, hoc est, ventres pauperum seruantur, ad portúmque appellunt, atque in hac vita adhuc permanent. Nam illæ perturbationes, quæ tempore domantur, atque vincuntur, primùm quidem tempore opus habent ad sui emendationem, deinde fortiore, ac magis perfecto vitæ iustituto: si modò quis volet ipsarum molem & auctoritatem opprimere, atque ea radicitus euellere, quæ iam longo à tempore in anima radices egerunt. Talis erat diligens illa Niniuitarum pœnitentia, & sapiens ac coaceruata illa tribulatio, quæ ne bruta quidem animantia supplicij expertia esse voluit, sed vt etiam, ipsa necessitate adacta clamorem ederent, excogitauit. Separatus est enim vitulus à vacca, abductus est à materno vbere agnus, puer lactans non fouebatur in maternis vlnis, voces tollebantur de omnibus miserabiles, mutuò reclamantes ac resonantes. Partus fame pressi fontes lactis quærebant; matres naturali quadam affectione perculsæ lugubri voce fœtus reuocabant: infantes etiam fame dominante, ex ingenti eiulatu disrumpebantur. Matrum viscera naturali dolore tabescebant. Senex inter illos, lachrymis se dabat, & canos vellebat ac dilaniabat suos. Adolescens & in flore ætatis constitutus, vehementer lamentabatur. Pauper suspiria ducebat: Diues delitiarum oblitus, afflictioni, vt quæ hominem temperatum efficeret, sese totum tradebat. Rex ipse splendorem & gloriam in pudorem transmutabat: deponebat enim coronam & puluere caput conspergebat suum, purpuráque abiecta, saccum induebat, throno alto ac sublimi dimisso, miserabiliter ad terram se abijciebat, proprijs & regijs relictis delicijs, cum populo lachrymas profundebat: tanquam vnus è multis erat, dum communem omnium Dominum ira incensum esse cerneret. Hæc est seruorum sensu præditorum prudentia, talis eorum, qui se fœdis libidinibus immerserunt, Pœnitentia, nempe vt omni tempore ætatis austeritas & tristitia dominatum habeat in rem sensibilem ac sensus expertem, tum in eam, quæ ex proposito ac voluntate suscipitur, tum etiam quæ ex necessitate existit. Ob hoc cum vidisset ipsos Deus sic demissos & humiles factos, quasi eos nimis ingenti miseria afflixisset, & cladem eorum misertus est, & vindictam remisit, lætitiam denique præbuit, quòd verè pœnitentiam egissent. Proprium enim hoc est benignitatis diuinæ, nimirum non tacitè ac clam pœnas inferre, sed ante eas per comminationes prædicere, ad pœnitentiam vocando eos, qui se sceleribus contaminarunt. Sic enim, & his per Ionam fecit, & Israëli peccanti non clam euersionem induxit, sed eam, seruum suum, vt pro populo vota faceret commonendo, prædixit, dicens: *Dimitte me, & delebo populum hunc.* Simile quiddam etiam in Euangelio, ex illa similitudine, quæ est de ficu, discimus, cùm eius dominus ad agricolam dicat? *Ecce tres ipsos annos accedo ad ficum, quærens fructum ex ipsa, nec tamen reperio; excinde ipsam, cur enim frustra terram occupat?* Ad quod igitur tempus Pœnitentiam differimus? non respiscemus? nonne reuocabimus nos aliquando, à consueta hac vita ad sinceritatem Euangelij? non ante oculos proponemus nobis diem illum Domini horrendum atque illustrem, in quo quidem eos, qui ad dexteram Domini per actiones appropinquantur suas, regnum cœlorum excipiet, & eos, qui à sinistris statuentur, propter solitudinem bonorum operum, gehennæ ignis, & tenebræ perpetuæ occultabunt: *vbi erit fletus, & stridor dentium.* Sed nos peccatum quidem celeriter perficimus, tarde verò ac segniter ad pœnitentiam descendimus. Et cœlestis quidem regni dicimus nos cupidos esse, verùm eorum, quorum opera paratur, nullam curam habemus, nec vllum laborem pro mandato domini subeuntes, æquales honores ac præmia cum his, qui ad mortem vsque peccato restiterunt, prauitate mentis nostræ, nobis pollicemur. Suscipiamus tandem aliquando, suscipiamus curam animarum nostrarum, ô fratres, mœreamus ob stultitiam vitæ antegressæ, decertemus pro futuris, nec amplius in hac socordia perstemus, ne præsens semper per negligentiã amittendo, in crastinũ verò & consequens initium actionis differendo, reuocati ab eo, qui reposcit animas nostras, nec bonis operibus præparati, à gaudio sponsi excludamur: frustrà tum pessum actam vitam lugemus, cùm nihil amplius hoc pœnitentibus proderit. Hoc est sæculum pœnitentiæ; illud verò retributionis, hoc operationis; illud mercedis, hoc patientiæ, illud consolationis. Nunc auxilium Deus fert ijs, qui à vita mala recedunt, tunc horrendum in modum humanas actiones ac cogitationes examinabit, atque ponderabit. Nunc longanimitate fruimur, tunc iustum iudicium experiemur, quando ab inferis reuocabimur, alij ad suppliciũ æternũ, alij ad vitã sempiternã, & accipiet vnusquisq; eam mercedẽ, quam meruit. Vobis verò, qui ob scelera hominum condemnatorũ luxistis, illud præcipimus, si conspexeritis pœnitentes, propter perpetratorũ absurditatẽ, condolete eis quasi proprijs membris morbo affectis, si verò eos pertinaces esse, ac vestram pro ipsis tristitiam, nihili pendere animaduerteritis, *exite è medio ipsorum, & secedite, nec immundum attingatis,* vt hoc modo illi pudore suffusi, propriæ prauitatis cognitionem capiant, vos verò æmulationis Phinees, mercedem à Seruatore nostro Iesu Christo accipiatis, cui gloria per omnia sæcula tribuatur. Amen.

Ex Epist. Ex Comment. in Esaiam. — *Ex Homil. de non adhærẽdo rebus huius vitæ.* — *Ex Epist.* — *Ex Hom. habita in fame & siccitate.* — *Ex Comẽnt. in Esaiam.* — *Exod. 32.* — *Luc. 13.* — *Matth. 15.* — *Luc. 13.* — *Ex Homil. habita in fame & siccitate.* — *Ex Homil. contra Eubrioſos.* — *Num. 25.*

ORATIO V.

De Ieiunio.

IMperatores quidem cùm exercitum in aciem educunt, adhortatione ante conflictum vtuntur. Tanta enim vis est exhortationis, vt sæpe multos etiam in ipsam contemptionem mortis adducat. Magistri etiam palæstræ, & hi, qui pueros instituunt, cùm suos athletas ad ea certamina, quæ in stadijs seruntur, educunt, multa in eam sententiam disserunt, quod coronarum gratia strenuè laborandum sit: & profecto ita eos persuadendo afficiunt, vt multi non dubitent sanguinem suum ob victoriæ studium profundere. Proinde & mihi, qui Christi milites ad bellum contra eos hostes, qui aciem oculorum fugiunt, instruere, & athletas pietatis ad iustitiæ coronas per abstinentiam præparare cogito, necesse est exhortatorium orationem instituere. Nonnulli ex Angelis ad eam rem ordinati sunt, vt eos per singulas Ecclesias, qui inedia corpus suum affligunt, describant. Quapropter da operam, ne propter exiguam eduliorum voluptatem, damnum tam ingens accipias, vt ab Angelo in numerum eorum, qui à nimio cibo abstinent, non referaris, & teipsum apud Imperatorem, qui exercitum lustrat, ✶ desertæ aciei reum statuas. Minus enim equidem is periculum adit, qui in acie abiecto scuto in fugã se conijcit, quàm ille, qui magnum scutum, ieiunium scilicet, abijcit. Diues es? ne tamen afficias contumelia Ieiunium, à conuictu tuo illud arcens; néve à domo tua, velut ignominiosum, à voluptate superatum, ableges; ne aliquando te illud eam ob causam apud Ieiunij auctorem reum faciat, multiplicémq; tibi ex condemnatione indigentiam atq; egestatem inducat, nimirum aut ex corporis infirmitate, aut ex aliqua alia tristi calamitate. Pauper ne dicteria iaciat in Ieiunium vtpote qui iam illud multo à tempore familiare ac contubernale

Ex Basilij Homil. 1. de Ieiunio. — ✶ λειποτα-ξίου γραφῆς. ῥιψάσπιν ἐπὶ παρα-τάξεως.

bernale habet. Mulieribus autem cibo pauco vti iam proprium,& secundum naturam est,vt spiritum ducere. Pueri etiam quasi plantæ virides,Ieiunij aqua irrigantur.Senibus familiaritas ac consuetudo, quæ illis cum ipso pridem est, leuem laborem facit. Labores enim, qui ex longa consuetudine exantlantur,minore molestia, qui eos subeunt, afficiunt.Viatoribus verò succinctum & expeditum comitem se præbet Ieiunium : vt enim delitiæ onus ipsos ferre cogunt,fruitiones voluptatum ipsis circumferendo ; sic illos leues & expeditos inedia efficit. Ac mundi quidem militibus,pro laborum proportione,frumenti, & cibi copia augetur ; verùm inter milites spirituales aliter se res habet: nam ei, qui minus alimenti habet, maior dignitas tribuitur. Stultum sanè est,ob animæ sanitatem lætitia non efferri, sed mœrore potius ob ciborum mutationem confici. Est præterea hominis nullius consilij, magis studere velle voluptati ventris,quàm animæ curationi.Expletio enim, corpori quidem gratiam conciliat; at inedia magnum fructum animæ affert. Noli imitari, quæso, Euæ contumaciam,noli rursum consilio serpentis vti, qui escam suauem carni suggerit,noli cum non ieiunas, debilitatem corporis prætendere: Non enim mihi excusationes affers, sed ei, quem nihil clam esse potest. Ieiunare te non posse inquis? at explere te cibo,& corpus onere esculentorum conterere potes. Atque Medici ijs , qui aliquo morbo laborant, non eduliorum varietatem,verum inediam ac famem præcipiunt. Quomodo igitur is,qui hæc potest, illa se nõ posse prætendit? longe facilius profecto est ventri tenui victu grauato noctẽ perferre, quam redundantia ciborũ aggrauatum iacere.Nisi fortassis dixeris,gubernatoribus facilius esse nauẽ oneribus grauatã seruare, quam leuem ac nullo onere pressam.Illam enim,quę multis oneribus onusta est, modicæ vndæ impetus demergit, at illa , quæ mediocri rerum pondere grauata est , facilè fluctus superat. Nec mihi profecto ea contentione at tanto studio opus esse puto, vt homines ad Ieiunij obseruantiam cohorter, quãto,ne hodie quispiam in ebrietatis mala incurrat. Plerique enim Ieiunium cum ob consuetudinem,tum ob mutuam quandam reuerentiam amplectuntur , at Ebrietatem extimesco,quam homines vino dediti,veluti paternam quandam hæreditatem tuentur. Nam perinde ac hi , qui ad longas peregrinationes proficiscuntur , sic solidi quidam hodie ad quinque Ieiuniorum dies sese vino explent. Hem quid agis,ô homo? Nemo,qui vxorem castam in matrimonium ducturus est, pellices ac meretrices præassumit , secumque habitare facit: Nam mulier honesta ferre non poterit , vt scorta vnà secum habitent. Noli igitur & tu , cum inedia corpus tuum macerare vis Ebrietatem prius introducere:ebrietatem , inquam, quæ nihil aliud est, quàm publicum scortum,quàm mater impudentiæ,quàm * Mænas quædam, ad omne genus turpitudinis prompta ac parata. Ieiunantem inter sacra septaDominus susc ipit,at eum,qui crapulæ indulget suæ,tanquam profanum atque impurum abigit. Si cras veneris , vinum adhuc olens idque putre factum,quomodo,quæso,crapulam tuam Ieiunium æstimare potero? non id cogites,quod in præsentia non infundas merum , sed quod à vino non omnino sis purus. Equidem nescio in quorum te numerum referam, in temulentorúmne, an in eorum, qui inedia corpus macerant suum? Præterita enim ebrietas te ad se trahit.præsens vero fames Ieiunium testimonio tribuit. Contendit de te Ebrietas, quasi de mancipio quodam,nec te liberum facere vult. Et merito quidem , nam euidentes seruitutis notas exhibet, odorem,inquam, vini, veluti in vase permanentem. Cuius, obsecro , præceptoris præsentia puerorum tumultum adeo bellè sedat , sicuti Ieiunij conspectus ciuitatis turbas comprimit ? Quis vnquam procus in Ieiunio apparuit? quod tripudium lasciuum à Ieiunio profectum est? cantilenæ profecto meretriciæ saltationesque furibundæ repentè ex vrbe discedunt , à Ieiunio tanquàm à iudice quodam austero fugatæ ac pulsæ. Quod si illud omnes in rebus agendis in consilium adhiberent, nulla res profecto prohibere posset, quominus optima pace per omnem terrarum orbem frueremur: & neque gentes , ita me Deus amet , contra se arma mouerent , neque exercitus manus consererent, signaque conferrent ; neque loca deserta homines ; qui scelere & maleficio pascuntur , alerent ; neque ciuitates,calumniatores;neque mare, piratas; denique nec vita nostra tot ærumnis esset referta,si Ieiunium vitam nostram regeret atque gubernaret. Quis est , qui non intelligit,quod nos non solum ciborum abstinentiam edoceret , sed etiam auaritiæ omnisque vitij contemptum? Hoc mugnum illum Sampsonem, veluti nutrix quædam, educauit. Quando is inedia corpus macerabat suum; millenos sternebat hostes,portas ciuitatũ effringebat; leones denique ipsi robur manuum ipsius ferre non poterant. At cum se Ebrietati , amorique meretricio dedidisset, robur omne penitus amiserat , oculisque captus ludibrio erat pueris. Helias ieiunando tribus annis & mensibus sex, ne plueret, effecit. Cum enim videret ingentem iniuriam ex satietate nasci,inuitum ipsis ex fame ieiunium adduxit,quo peccatum eorum,quod iam extra fines modestiæ processerat, compescuit; per ieiunium, inquam, veluti per cauterij cuiusdam vstionem, aut sectionem quandam , ne malum longius serperet, effecit. Vt enim indomitum cor hominum duræ ceruicis molliret , etiam ipse non dubitauit, eandem cum alijs afflictionem subire. Vnde, inquit,Propter hoc viuit Dominus , non erit in terra aqua nisi per os meum. Sic etiam restituit viduæ filium , cum ieiunio fultus contra mortem fortiter se gessisset. Sed quemadmodũ nulla vtilitas ex illa eleemosyna quę ostentãdi causa fit proficiscitur;ita etiã nullus fructus capitur ex eo Ieiunio,quod fit corã omnibus. Nam ea,quæ ostentandi gratia fiunt,non quærunt fructum in futuro sæculo, sed laudem hominum hic venantur.Helisæus autem qualem,obsecro, duxit vitã? Quomodo à muliere Sunamitide hospitio acceptus est? quomodo ipse vates alios accipiebat ? nonne oleta syluestria,& modica farina, omnem hospitalitatem explebant? Illi verò viri,qui colocyntidem attigerant , vitæ periculum adijssent,ni precibus ipsius venenum dissipatum fuisset. Atque omnino videre licet, Ieiunium omnes sanctos ad diuinam politiam , manu veluti quadam , adduxisse. Est * quædam corporis natura, quam amianton nominant, ex eo quòd igne consumi nequeat, quæ quidem in flammam iniecta , videtur in prunas redigi ; at cùm ex igne exempta fuerit,ac si aqua esset illustrata,lucidior multò euadit. Talia erant illorum trium puerorum corpora,quæ Ieiunio naturam amianti induerant : in magna enim fornacis flamma videbantur veluti aurei esse,sic omnem ignis noxam superabant,immo auro ipso validiores apparebant. Non enim consumpsit ipsos ignis,sed integros seruauit. Ac sanè nihil aliud ingentem illam flammam sustinebat,quam naphtha, & pix , ac sarmenta,quæ ita eam alebant , vt ad quadraginta cubitos diffunderetur,& circumcirca omnia depascendo, multos etiam ex ipsis Chaldæis consumeret. Illam vehementem flammam facilè pueri Ieiunio deleuerunt , tenuem instar roris aërem in tam ardenti igne spirantes. Ignis enim ne pilos quidem eorum contingere ausus fuit, eò quòd ipsi Ieiunio corpus maceraſſent suum. Daniel autem vir ille desideriorum, cùm tres hebdomadas panem non comedisset, nec aquam bibisset, etiam leones ipsos in puteum immissus , Ieiunare docuit. Nam quasi ex lapide, aut ære, aut aliqua re solidiore conflatus fuisset , leones ei dentes infigere non poterant , ita Ieiunium corpus illius veluti tinctura quadam ferri firmarat , ac leonibus inuictũ reddiderat. Neque sanè Moses, vertice fumante montem accedere , neque in caliginem ingredi ausus fuisset , si corpus suum prius ieiunio non armasset. Per ieiunium etiam præcepta digito Dei Opt. Max. in tabellis scripta, suscepit: & superius quidem Ieiunium legum ferendarum causa extitit ; inferius vero ingluuies idolorum cultui studebat. Quadraginta dierum, proh dolor,continuam ieiunantis ac orantis serui perseuerantiam , vnica Ebrietas inutilem reddidit. Nam quas tabulas digito Dei scriptas per ieiunium Moses acceperat, eas Ebrietas contriuit: cùm indignum iudicaret vates , populo temulento leges à Deo condi. Quid,quæso,ipsum Esaum fœdum, quid seruum fratris fecit? nonne vnicus esus , ob quem , miser , primogeniti prærogatiua excidit? Quadraginta dies Helias cum animam inedia afflixisset suam , in specu, qui erat in Choreb, vidit

Ex Homil. 2.de Ieiunio.

Ex Homil. 1.de Ieiunio.

**.i. bacchans & furens mulier.*

** τῆς φύσεως σώματος.*

Iud.6.

3.Reg.17.

Ibidem.

4.Reg.4.

Daniel.3.

Daniel.10. & 14.

Exod.19.

Exod.24.

Exod 32.

Geneſ.35.

3.Reg.19.

vidit Deum: ac sanè ita vidit, quatenus homini Deum videre fas est. Quorum artus, cedo, ceciderunt in solitudine? *Num.11.* Nónne eorum, qui carnes flagitabant? quibus, *Num.20.* quamdiu satis erat manna, & illa aqua, quæ ex petra manabat, Ægyptios fundebant, per mare iter faciebant, neque vllus eorum in castris aliqua inualetudine conflictabatur. *Psal.104.* Cùm verò in mentem illis venisset carnium, ac voluptatum Ægyptiacarum desiderium eos cepisset, terram, quæ illis promissa erat, non conspexerunt. Verùm neque *Dan.12.* sapiens ille Daniel visiones vidisset, si ieiunio perspicaciorem animam suam non reddidisset. Ex crasso enim alimento exhalationes quædam fuliginosæ, nubis densæ instar exhalant, quæ eas illustrationes, quibus Spiritus *Ex Epist.* sanctus mentem illuminat nostram, incidunt. Somni etiam leues, & è quibus facilè te excitare possis, tenuem victum consequi solent: ac sanè sua sponte tales somni dirimuntur, cum cogitationes magnis de rebus habentur. Nam qui tam graui sopore detentus est, vt, dissolutis ipsius membris, locus sit absurdis imaginationibus, hunc *Ex Homil. 2. de Ieiunio.* somnus in quotidiano mortis periculo versari facit. Mo- *Exod 34.* ses secundas tabulas, in quibus leges erant scriptæ, accipere cum vellet, secundario Ieiunio corpus macerauit *Ioan. 3.* suum. Et nisi cum Niniuitis etiam animantia rationis expertia simul ieiunassent, profectò minas euersionis non effugissent. Magnas profecto vtilitates Ieiunium humano generi affert. Hoc enim decretum illud diuinum de exscindenda Niniue reuocauit. Tribus totis diebus in illa ciuitate prædicatum fuit, fore, vt funditus deleretur: vicit tamen euersionem, ad Deum immortalem conuersio. Nam illæ euersionis minæ, vbi ad Deum sese conuerterunt, conquieuere: & quamuis Ionas animo candido, & vero interitum ac ruinam ciuitatis prædicasset, Ieiunio tamen illi minas sisterunt, madicamentoque confessionis *Ex Homil. 2. de Ieiun.* atque supplicationis salutem sibi pepererunt. Quis, obsecro, facultates suas ieiunando imminuit? numerando percense hodie omnia, quæ intus sunt, & paulò post idem si feceris, cognosces profectò rerum tuarum inedia nullam diminutionem factam esse. Neque enim vllum animal mortem deflebit suam, neque sententia atrox aduersus animantia ab implacabili ventre vlla feretur. Quiescit præterea coquorum gladius, mensa etiam ijs, quę sua sponte terra producit, contenta est. Ad illud * autem graue, ** Hoc desumptum ex Epist. ad Amphilo. Repetitur etiam in Can. de differentia ciborum.* ac venustum problema Encratitarum, qui quærunt, cur non omnia comedamus? illud respondeatur. Quoniam etiam excrementa nostra execramur: nam ex dignitate sui, olera herbarum nobis sunt loco carnis. Quemadmodum enim in oleribus pestiferum à salutari secernimus: sic etiam in carnibus ab vtili noxium separamus. Siquidem vt cicuta est olus, ita vultur caro est: sed tamen nemo vnquam sanæ mentis ὑοσκύαμον comedat, neque canis attigerit carnem, nisi ingenti aliqua necessitate astrictus: *Ex Hom. 2. de Ieiunio.* quòd eam comedendo legem transgrediatur. Quietum aliquando redde, quæso, coquum tuum. concede ocium mensæ structori. siste manum eius, qui tibi est à poculis. *Ex Epist. Basilij Magni ad Iulianum apostatam, quæ recens hic iam edita in Epistolis.* quiescat etiam is, qui varias placentas ac bellaria parat: conquiescat denique aliquando domus ab infinitis tumultibus, & à fumo ac nidore, tum etiam ab ijs, qui sursum ac deorsum cursitant, & ventri veluti implacabili cuidam domino ministrant. Det venter vacationem ori, tribuat nobis quinque dierum inducias ille, qui semper expetit, nec vnquam cessat: hodie accipit, cras eius in obliuionem venit: cum repletus est, de abstinentia disputat: at vbi alimentum ex ipso efflauit, dogmata ex animo effluunt suo. Sed iam dicendi finem faciam, si me prius apud Imperatorem, qui nobis res impossibiles imperat, excusauero. Amabo, Serenissime Imp. parce nobis, cum tantas vix res possideamus, quantæ hodie nobis, si comedere eas vellemus, non sufficerent. Deest * enim nobis, vt apparet, ars coquorum, at gladius eorum nullum habet cum sanguine commercium. Præstantissima nobis edulia * herbarum cohors, cum modico pane, & vino flaccescente, ita vt neque ob ingluuiem sensus nostri stupescant, neq; præ delitijs, munia sua negligant. Quemadmodum enim in indumentis, vsum ac vtilitatem eorum spectamus, sic in alimento panis, necessitatē famis explebit, & aqua sitim hominis sani restinguet:

** Sufficit enim nobis, ἀρκεῖ, legit hic interpres; sed ἄρχει vetus lectio.* Iacet, friget, neglecta est. ** Oleru folia λαχάνων φύλλα. Alibi: χόρτου φύλλα. In Parisiensi, χόρτων φυλάς.*

Ex leguminibus vero obsonia, robur corporis ad necessarios vsus conseruare poterunt. In comedendo autem rabiosa ingluuies non est detegenda, sed omni in loco constantia ac mansuetudo, & à voluptatibus continentia conseruetur. Sed quid ago? cum enim magnitudinem eorum, quæ dicta sunt, considero, me longius prouehi animaduerto: cum autem rursus sapientiæ, quæ in operibus elucet, varietatem contemplor, initium narrandi vix fecisse me existimo: simulque illud etiam mihi persuadeo, non esse inutile hic nos diutius commorari: qua enim in re id, quod reliquum est ad vesperum temporis, melius conteretis? non vos vrgent ij, qui ad cœnam vocant, non conuiuia expectant. Proinde si placet Ieiunio corporis ad animorum lætitiam vtamur. sæpe corpori ministrasti ad voluptatem, hodie animo indulge, ac oblecta te in Domino, qui tibi id, cuius desiderio animus tuus tenetur, concedet. Quis enim fructus est corpus inedia affligere, si animum infinitis vitijs refercias? qui autem malum non patrat, at in otio est, qua, obsecro, non vtitur futili & vana oratione? quæ tandem aliena & absurda non audit? otium namque sine Dei metu, improbitatis magister est his, qui rationem nullam habent temporis. Atque ex ijs quidem, quæ à me commemorantur, aliquid fructus fortasse percipietis; sin minus, ac certè ex hoc nostro sermone vobis à peccando licet desistere. Itaque diutius vos hic remorari, aliud est nihil, nisi vos diutius à malis abducere, & ad cœleste illud regnum, quasi * manu ducere, quo vtinam potiamur omnes in Christo Iesu Domino nostro, quē decet gloria, honos, & adoratio cum Patre æterno, sancto simul & viuificante Spiritu, nunc & semper, & in æterna sæcula. *Amen.*

Ex Hexaemero.

Otium vitiorum magister.

** χειραγωγεῖν.*

ORATIO VI.

De Institutione & Admonitione.

SI post tot exhortationes, quibus & præterito tempore apud vos vsi sumus, & per has septem Ieiunij hebdomadas Euangelium, hoc est illustre testimonium gratiæ diuinæ, noctes diesque testatum vobis facere non destitimus, nihil nos profecisse constat, qua spe freti, obsecro, hodie apud vos verba faciemus? cum & agricola, si priora semina, quæ sparsit, non prodierint, tardior esse soleat, vt rursum ijsdem aruis alia mandet. Quare & ipse, quod vos celatum esse nolim, in silentio permansissem, si exemplū Hieremiæ non extimuissem: qui cum ad populum dicto non audientem verba facere nollet, ea perpessus est, quæ ipse recensēt, videlicet, quod in visceribus eius ignis quidam exortus erat, quo omni ex parte dissoluebatur, nec vim illius ferre potuit. Cùm autem virtus sermonis, natura ipsa ea sit, vt neque eas res, quæ in lucem proferri debent, obscuritate inuoluat, neque sit superflua ac vana temerè rebus circumfluens, non est satis, semel multis de rebus dixisse, ne aliquando sermonis breuitate inutilia ea appareant, quæ magno studio conquisita sunt. Mens enim omnia, simul comprehendendo debilitata, idem patitur, quod & venter solet, qui propter exuperantiam cibi, ea, quæ in ipsum transmissa sunt, concoquere nequit. Nam ea disciplina, quæ violenta est, diuturna esse non solet: at ea, quæ cum delectatione quadam & iucūditate percipitur, nescio quomodo firmius animis nostris inhæret: Ob eam etiam causam Spiritus sanctus delectationem, quæ ex concentu proficiscitur, ipsis doctrinis immiscuit, vt lenitate ac dulcedine soni fructum, qui ex sermonibus manat, sensim reciperemus, idque more sapientissimorum medicorum, qui cum ijs, qui cibum fastidiunt, austeriora medicamenta bibenda præbent, melle * pharmaca obliniunt. Propterea etiam concinni cantus *Psalmorum* inuenti sunt, quò pueri ętate, aut etiam moribus, canere quidem sibi videantur, reuera autem animos instituāt atque erudiant. Nam vt nec equorum domitores, statim effrenes pullos frenis constringunt (sic enim eos retrocedere & insessores excutere discerent) sed primo nonnihil remittunt, habenasque laxant: vbi vero viderint sua sponte impetum

Ex Homilia contra Ebriosos.

Ex Hom. in eum locum: Attende tibi ipsi.

Hier. 20. 9.

Ex Hom. in Ioan. Euangel.

Ex Hom. in 1. Psalmum.

** Sic Lucret. & Themistius in Orat.*

Ex Hom. de S. Iulitta Mart. ac de Gratiarum actione.

Ex Orat. Quæ util. ex profan. libris capi possit.

impetum illum animi resedisse, tunc eos domant, & arte, obedientiores vt sint, efficiunt. Qui enim diligenter ex vnaquaq; re fructum decerpũt, ijs, perinde ac magnis fluminibus, multæ omni ex parte accessiones fieri consueuere. Nam modicum modico apponere, * non magis in argenti, quàm in cuiusque alterius scientiæ additione ad amplitudinẽ valere existimandũ est. Illæ verò res, quæ magno cum labore partæ sunt, læto animo & excipiũtur, & diligenter custodiuntur: at quæ nullo labore acquiruntur, earum possessio pro nihilo habetur. Quemadmodum igitur non ex inuidia rerum opifex nobis eas vitæ commoditates, quæ sunt ceteris animantibus tributæ esse noluit, sed indigentiam rerum necessariarum, veluti exercitationem quandam * ingenij fabricatus est; sic etiam obscuritatem in sacris literis instituit, ob mentis nimirum vtilitatem, actionem eius excitans. Primum quidem, vt his rebus animus detentus, à rebus pessimis seuocetur: deinde quoniam ea, † quæ labore parta sunt, magis amantur, tum quòd ea, quæ longo interuallo temporis acquirimus, firmius permanere soleant. At quorum facilis est possessio, eorum vsus non magni æstimatur. Præsentia siquidem earum rerũ, quæ in promptu sunt despicitur, nec eam vlla custodia hi, qui eas res tenent, dignam esse iudicant. Turpe verò est noxios cibos auersari, earum autem disciplinarum, quę animum alunt nostrum, nullam rationem habere, sed * torrentis in morem quidquid occurrit, secum trahere. Sicuti enim natura mellis non potest adeo bene ex sermone ab imperitis, vt ipso sensu gustus percipi, ita etiam neque cœlestis sermonis vtilitas tam efficaciter disciplinis tradi potest, si noluerimus ipsi, studia veritatis magis ac magis perpendendo, propria experientia, atque vsu benignitatẽ Domini comprehendere. Cum enim dicat benignissimus Deus & Seruator noster Iesus Christus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Periculosũ est repellere eos, qui nostra opera ad Christum contendunt, quique iugum illius salutare subire nolunt. Anteacta autem vita, eorum, qui accedunt, penitus cognoscenda est, ac ijs quidem, qui aliquid iam antea boni gessêre, disciplinæ magis perfectæ tradendæ sunt. Eos verò, qui ex aliquo improbo genere vitæ egressi, ad magis exactam, nempe cognitionis Dei vitam descendunt, discernere oportet, quibus moribus sint, & etiam atque etiam videre, ne sint inconstantes, & in commutando genere vitæ faciles. Nam talium commutatio facilè in suspicionem venit, quique præter hoc, quòd nihil sibijpsis vtilitatis afferunt, insuper auctores sunt alijs noxæ. Cum autem omnia, cura & diligentia facilè corrigantur, & Timor Dei cunctas prauitates longe exuperet, nec de ijs statim desperandum est, sed deducendi sunt ad ea gymnasia, quæ illis respondeant, & ex tempore, ac laborioſis certaminibus, periculum faciendum est, eorum iudicij, vt si quam constantiam in ipsis inesse inuenerimus, sine periculo ipsos recipere possimus: sin minus, cùm sint adhuc extra monasteria, reijcere, ita vt nullo nocumento, eorum vitæ periculum societati fiat. Qui verò ab illustri aliquo genere vitę, exemplo Domini ad humilitatem contẽdit, huic præcipere oportet, vt sit veluti aliquis è numero eorum, qui ab hominibus externis ignominia afficiuntur: & diligenter obseruandum est, an eum omnino non pudeat, operam nauare Christo. At eos, qui, cùm iugo seruitutis sint obstricti, ad collegia confugiunt, prius bene commonitos proprijs Dominis par est remittere, exemplo beati Pauli, qui vbi genuisset per Euangelium Onesimum, Philemoni ipsum remisit, illi quidem persuadens, iugum seruitutis, si quis Domino suo omnino complacere studeat, hominem regno cœlorum dignum efficere; hunc verò admonens, ne solùm ei eas minas remitteret, quas iactaret, sed vt etiam meliori esset in eum animo. Quòd si contigerit prauus dominus, iniqua, & illegitima in mandatis dans, & seruum cogens, ne præcepta Dei veti Domini nostri Iesu Christi teneat, pro viribus enitendum est, ne Dei nomẽ per seruum illum male audiat, si quid perpetraret quod Deo non probaretur. Certamẽ autem illud perficitur & rectè se habet, aut quia seruus præparatur ad tolerandas eas * afflictiones, quibus affligitur, eo quòd *magis parere Deo quàm hominibus oportet*: aut quia illi, qui ipsum suscipiunt, eas tentationes, quæ ipsis propter illum inducuntur, sustineant. Illos verò, qui matrimonio cum sint deuincti, ad hoc genus vitæ monasticæ se recipiunt, percunctari oportet, † an mutuo consensu id faciant, iuxta Apostoli præscriptum, & sic multis testibus præsentibus, recipiendus est ille, qui se confert. Quòd si altera pars dissenserit, & contraiuerit, minoris ducens reconciliationem cum Deo, tum in mentem veniat Pauli, qui ait: *In pace vocauit nos Deus.* Qui igitur rebus proprijs, eo animo vt Christum sequeretur, vale dixit, is eas res, quæ ad se pertinent, ne despiciat ac pro nihilo putet: sed elaboret, vt ea, omnibus diligentissimè collectis, quæ iam Deo quasi consecrata sunt, omni cum reuerentia administret: vel ipse, si potest, & scit, vel per eos, qui sunt electi, non sine multa inquisitione: Scire enim debet periculosum esse, eas res, aut suis relinquere, aut earum procurationem cuiuis homini committere. Nam si is, qui regiarum possessionum curam sibi concreditam habet, quamuis nihil ex partis iam rebus semoueat, sed negligentia quadam ea, quæ acquiri potuerant, non acquirat, crimine non vacat: quam, quæso, eum condemnationem expectare par est, qui negligenter ac remisse, eas res, quæ Domino dicatæ sunt, administrat? Nam mundo repudiũ remittere, nõ est res corporis negligere, sed animam à pestifero consensu cum corpore abducere, & esse extorrem, sine domo, sine re familiari, sine amicis inopẽ, vitæ non studiosum, à negotijs abhorrentẽ, ab omnibus commercijs alienum, humanarum doctrinarũ rudem, paratum deniq; eas formas in corde suscipere, quæ ex diuina doctrina imprimũtur. Præparatio autẽ cordis nihil aliud est, quã obliuione perpetua delere eas doctrinas, quæ ex praua consuetudine ipsum præoccuparãt. Primùm igitur omnium danda est opera illi viro, qui Deũ amat, ne ignoret, quomodo sermone vti debeat: sed & sine contentione interroget, & sine ambitione respondeat, néue eũ interpellet, qui cum sermone confert, & vel maximè, si quid præclari in medium proferat: neque studeat ad ostentationem loqui, verùm certum modum tum dicendi, tum audiendi sibi definiat. Discendum est autem absque vllo pudore, & docendum * sine inuidia: & si quid ab altero hauserimus, idipsum non est celandum; sicuti improbæ mulieres solent, dum spurios partus supponunt, sed grato animo auctor dicti prædicandus atque aperiendus est. Vocis verò tonus medius est seruandus: vt neque lenitate sua auditum diffugiat, neque intentionis magnitudine sit molestus. Id verò, quod loquendum est, prius secum reputet, atque ita demum sermonem proferat. Cæterùm in congressionibus facilem, in colloquijs verò dulcem se præbeat, ne vrbanitate suauitatem captet, sed cohortatio suauitate ac benignitate condiatur, repulsa omni in loco asperitate. Nam si te prius ipse humanum exhibueris, facilè te ferre poterit is, qui curatione opus habet. Vtilis sæpenumero est nobis illius castigationis norma, qua vsus est * vates, qui Dauidem vitijs se inquinantem, non ipse condemnauit; sed personam aliam inducens, ipsum suiipsius peccati iudicem constituit, quò ipse, sententia contra se lata, non amplius haberet ansam increpanti se irascendi. Nam vt aquæductus ostendit proprium fontem: ita sermonis natura cor, quod illum edit, declarat. Et quemadmodum in præceptionibus medicorum, quę scitè, & cum ratione fiunt, vtilitas quæ ex ipsis manat, vel maximè post factam experientiam inclarescit: sic etiam & in spiritualibus exhortationibus, vbi exitum acceperint, qui denotet præcepta, tum demum prudentia, & fructus ipsorum, quæ ad emendationem vitæ spectant, ac perfectio ipsa demonstratur. Nam qui labentem erigere vult, debet omnino longè altior esse illo, qui cecidit: at qui ex equo prolapsus est, opus habet altero, qui eum extollat. Nonne qui se cæcis magistris, duces vt sibi sint, committunt, seipsos vsu lucis orbant? Qui fratrem suum delinquentem cum indignatione & ira reprehendit, is non liberat eum à peccato, verùm seipsum peccatis obstringit. Summa profectò cum mansuetudine erudiendi sunt ij, qui aduersantur: neque debemus ob ea, propter quæ ipsi spreti fuimus, in alios vehementes esse, neque eorum causa, ob quæ alium contemni videmus, benignitatem delinquenti non ostendere: immo etiam

Ex Com. in Esaiam.

** Sallust. initio belli Iugurth.*

† *Lego, ὅτι τὰ πόνῳ κληθέντα μᾶλλον πῶς ἀγαπᾶται, non προσαγαπᾶται.*

Ex Orat. Quæ util. ex profa. libris capi possit, pag. Gr. 228. v. 35.

* *Lego, ὥσπερ χειμάρρουν παρασύρουσας ἔπαν.*

Ex Asceticis, pag. Gr. 450. 44. Matth. 11.

In Asceticis pag. 451. 2. Gr.

Ad Philemon. 1.

* *Lege, παθημάτων, pro μαθημάτων. Act. 5.*

Saeculo renunciare quid.

Cordis præparatio.

* *Sap. 7. 13.*

* *Nathan. 2. Reg. 12.*

Ex Hom. in Mart. Iulittam.

Ex Hom. de iracundia.

Ex Asceticis.

etiam tunc magis ipsum complectemur: sic enim & proprij amoris suspicionem effugiemus, & demonstrabimus, odio nos non habere delinquentem, sed peccatum ipsius auersari: siquidé alterius causa, & cogitare, & laborare, encomium est animi amantis Christum, & fratrem. Omni igitur ratione oportet eum qui laborat, sanare, & opera danda est, vt id membrum, quod suo loco est motum, in proprium locũ restituatur. Quòd si in aliquo peccato permanserit, quasi
Matth. 15. alienum relinquendum est. Nam scriptum est: *Omnis planta, quam non plantauit pater cœlestis, radicitus euelletur.* Si enim difficulter reuocantur à suis proprijs ac consuetis moribus, & si voluptati corporis magis seruire studeant, quàm Domino, nec eam vitam, quæ est è religione recipiunt, nihil nobis rei cum eis esse debet. Nos enim inter populum inobedientem
1. Tim. 5. & contradicentem, illud audire didicimus: *Seruans serua tuam ipsius animam, nec participato cum alienis peccatis.* Quòd si quis auido animo ad cantandum non venit, nec est ita affectus, vt ille, qui dixit,
Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, supra mel ori meo:* &, si non magnam iacturam ducit otium, talis aut se corrigat, aut penitus pellatur: *ne modicum fermentum totam massam*
† δολώσῃ, lege δολάσῃ. † *inficiat.* Eos, quos communes reprehensiones modestos non efficiunt, & quos ad pœnitentiam non adducit illud, quòd repulsi sunt à precationibus: cum his necesse est nos,
1. Cor. 5. ea norma, quam nobis Dominus præscripsit, vti. Scriptum
Ex Epist. Matth. 18. est enim: *Si frater tuus peccauerit, reprehende eum, ita vt tecum ipse solus adsit: quòd si te non audierit, adhibe vnà tecum insuper vnum, aut alterum: quòd si ne sic quidem audierit, dicito Ecclesiæ: sin ne Ecclesiæ*
† ὡς ὁ ἐθνικὸς. *quidé paruerit, esto tibi* † *perinde atque extraneus, & publicanus.* Nam quod fieri iubetur in illo, etiam in hoc quadrabit: Semel appellatus fuit: coram vno & altero reprehensus est, tertiò ab Ecclesia: Quoniam igitur testibus vsi sumus contra ipsum, nec tamen paruit, in posterum pellatur, & per totam ciuitatem publicetur, eum recipiendum non esse ad omnem conuersationem vitæ humanæ; ita vt ex eo, quod nos non commisceamus illi, fiat omnino pabulum diaboli. Vt enim pueri, qui discere nolunt, cùm ipsis magistri aut pædagogi plagas volunt inferre, longe diligentius discunt, etenim ipse sermo ante flagella non auditur, at post dolores, qui flagellis incussi sunt, vix non aures ipsæ aperiuntur. tum enim & auribus accipitur, & memoriæ facilè mandatur: sic se etiam res habet in ijs, qui diuinam institutionem negligunt, & præcepta Domini despiciunt, qui postquam à Deo castigati sũt, tum vix tandem ea, quæ semper inculpabantur, & semper neglectui habebantur Dei præcepta, quasi primùm in ipsas
Isai. 50. aures peruenissent, recipiunt, iuxta eum, qui dicit: *Castigatio*
Ex Asceticis, pag. 472. 45. Gr *Domini aperit aures meas.* Quemadmodum autem absque vlla perturbatione eis, qui morbo animæ conficiuntur, medelas adhibere necesse est: sic rursum oportet eos, qui curantur, non in malam partem accipere pœnas, neque tyrannidé ducere, eam curam, quæ ex misericordia, conseruandæ animæ causa adhibetur. Turpe etenim est, eos, qui corpore laborant, tantum † medicis fidere, vt siue secent, siue adurant,
† Lego τοῖς ἰατροῖς καταπίστευειν. siue amaris pharmacis molestent, tamen in benefactoribus eos numerent: nos autem non eodem esse animo in eos, qui animabus nostris medentur, cùm ærumnosam vitam agendo, salutem nobis afferant. Quoniam autem *horrendum supplicium, eum qui præest, manet,* si non reprehenderit de-
In Asceti. pag. Gr. 459. 23. linquentes: ideo sic debet esse affectus, vt qui rationem red-
Sapient. 6. Ezech. 3. 18. & 20. diturus sit, vniuscuiusque qui sibi est concreditus. Nam si inciderit in peccatum frater cùm non prædixerit ipsi voluntatem Dei, aut prolapsus, in peccato perstiterit, non edoctus
Ezech. 3. ab eo, quomodo vitam suam emendare deberet: tunc *sanguis illius è manibus ipsius exquiretur*, vti scriptum est, & vel maximè si non ignorantia aliquid eorum, quæ Deo probantur, neglexerit, sed ob assentationem implicans se peccatis vniuscuiusque, sinceritatem administrationis non seruet. Sicu-
Basil. in Asceti. pag. Græc. 460. 9. ti autem præpositus debet se ducem in omnibus societati præbere, ita vicissim eos, qui ceteros & ætate, & prudentia anteëunt, decet commonefacere præfectum; si in suspicionem alicuius peccati venerit. Nam si fuit aliquid cor-
† τινὲς ἐπ' αὐτῷ παραχθῶσι, *ita leg. in Paris. p. 46.* rectione dignum, sanè & fratri, & nobis ipsis per illum opem tulimus, dum eum, qui quasi quædam norma vitæ nostræ est, & qui sua probitate prauitatem nostram corrigere debebat, ad frugem reuocauerimus: sin verò frustra † aliqui de illo perturbati fuerint, certiores facti, per manifestationem eorum quæ falsò illi suspicati sunt, ab omni periculo, quod eis ex eo impendebat, liberantur. Non enim nescij estis, omnes illos, qui alijs præsunt, veluti *Ex Epistol.* scopulos quosdam in mari prę̃eminentes esse, qui impetum contrariorum fluctuum recipiunt, & circa ipsos rupti, eos, qui post sequuntur, non inundant. Ego quidem quæ optima esse iudicaui, nunc * exposui, & in posterum exponam: *Ex Orat. Quæ vtil. ex profan. libris capi possit, pag. Gr. 231. 9.* Quantumuis me corporis infirmitas impedire videatur, quæ quanta mihi à prima pueritia ad hanc vsque ætatem insit, non ignoratis, certè videtur vnà mecum esse enutrita, & erudit me iuxta iustum iudicium Dei, qui omnia summa cum sapientia regit, atque gubernat: Veruntamẽ quoad nobis vita suppetit, tenemur nihil eorum in præteritis relinquere, quæ ædificationi proborum seruiunt. Vos autem velim, cùm tria sint genera ægritudinum, minimè similes esse illi, quæ ægrè curatur, neque ſupparem vos morbum prodere ei, quali infelicium quorũdam corpora sunt obnoxia. Etenim qui leui morbo laborant, ipsi medicos accedunt; qui verò maioribus ægritudinibus affliguntur, hi medicos ad se accersunt. At qui ad incurabilem penitus atræ bilis morbum peruenere, hi neque accedentes admittunt. Hoc ipsum vos per Deum immortalem ne faciatis, vt † rectè valentes iudicio fugiendos putetis, sed erudimini, ac sitis instructi Timore Domini Dei nostri, vt possitis etiam cõsequi vitam æternam benignitate Domini nostri Iesu Christi, quem gloria, & potentia vnà cum Patre simul imperante, & sancto ac viuificante Spiritu, in omne tempus consequatur. Amen.

* *Ex Epistol. ex profan. libris capi possit, pag. Gr. 231. 9.* ἐιρημένα, *Paris. pag. 47. leg.* ἐιργκα. *Basil. ibid. p. 231. 10.*

† τοὺς ὀρθῶς ἔχοντας.

ORATIO VII.

De Virtute & Vitio.

DOminus noster Iesus Christus discipulis suis ait: *Euntes docete omnes gentes, docentes ipsas,* non hæc quidem seruare, illa verò negligere, sed *seruare ea omnia quæ in mandatis dedi vobis,* hoc est, ne minimum quidem mandatum transilire. Si enim non omnia nobis ad salutem necessaria essent, non etiam profectò omnia literis prodita fuissent, nec omnia tenere, nobis fuisset præscriptum. Nos verò vnum fortassis præceptum fecisse autumantes (non enim dicere ausim *facientes*: omnia enim inter se ita constricta, & colligata sunt, vt exoluto vno, etiam reliqua necessariò solui necesse sit) non propter ea, quæ omisimus, iram expectamus, sed ob rectè facta quasi præmia quædam præstolamur, ignari quod ille, qui ex decem talentorum depositio vnum fortè, aut duo detinuit, reliqua verò appendit, non probus, quòd plura persoluisset, decernitur, sed iniustus & auarus, quòd pauca detraxisset, iudicatur. Quid dico de ablatione? cum is, cui vnum talentum concreditum fuit, quamuis illud ipsum integrum restituisset, quod acceperat, tamen eo quòd dando, nihil lucrifecerit, condemnatur. Qui toto decennio patrem coluit & obseruauit, & vnam plagam ei post iniecit, non vt benefactor colitur, verum vt parricida damnatur. Proinde ille, qui cum in rectè factis magnos progressus fecisset, dein ad veterem consuetudinem redit, non solum mercede, quam ob res antea gestas expectabat, priuabitur, sed etiam longe grauiores pœnas pendet, quòd gustato pulchro Dei verbo & cognitione mysteriorum dignus habitus, omnia prodiderit, voluptate breui delinitus. Quapropter oportet nos, si modò velimus tuto hanc propositam vitæ viam conficere, coronasque ob victoriam accipere, exhibere Christo animam nullam cum corpore ea infamia, quam ex vulneribus conc ınt, liberam. Oportet, inquam, nos vigilantes semper vr iquaque animæ oculos circumagere, omniaque iucunda suspecta habere, nec vlli eorum animum applicare: neque etiam si aurum sparsim appareat propositum, ac in manus eorum, qui illud desiderãt, venire paratum. *Diuitiæ,* enim inquit, *si affluxerint, ne cor applicemini,* neque si terra victum producat, sumptuosaque tabernacula ostentet. *Nostra enim* † *respub. ac vita in cœlo est, ex quo seruatorem Christum suscepimus.* Neque si choreæ, si comessationes, si cõuiuia, si mensæ tibiarũ modulis ornatę tibi appareant. *Vanitas,* enim inquit, *vanitatũ, & omnia vanitas.*

Ex Asceticis. Matth. 28.

Iac. 2.

Matth. 25.

Ex Hom. in Ebriosos, pag. 192. 46. Gr.

Rom. 1.

Ex Hom. de non adhær. rebus fœtul. pag. Gr. 220. 6.

Psal. 61.

Phil. 3.

† τὸ πολίτευμα ἡμῶν.

Tertull. & Hieron. municipatus nostrer.

Eccles. 1.

Neque

† προσεί-νοι, le. προσεί-νοιτο. † ἁμαρ-τίας legitur Eccli. 21. 2.

Neque si corpora formosa † offerantur, quæ praui animi inhabitent. *A facie enim † mulieris*, inquit Sapiens, *tanquam à facie serpentis fuge*. Neque si principatus ac tyrannides, & satellitum aut adulatorum greges tibi deferantur, neque si thronus altus ac splendidus, cui gentes ac ciuitates sponte seruitutem seruiant. *Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria hominis quasi flos fœni: exaruit fœnum & flos cecidit.* In his enim omnibus tam iucundis, communis ille hostis delitescit, expectans quando ipsorum aspectu inescati, à recta via recedamus, & ad illius insidias deflectamus. Ac sanè verendum est, ne aliquando incautè in ipsas incidentes, & vsus iucunditatem nihil noxium habere rati, abditum doli hamum primo gustu deglutiamus, deinde ab ipso, partim sponte, partim inuiti his rebus alligemur, & ad horrendum latronis hospitium, nempe ipsam mortem, sensim à voluptatibus pertrahamur. Virtutes quidem vbi ex industria naturæ † cohæserint, nostra bona efficiuntur, neque nos in terra laborantes deserere volunt, nisi ipsi sponte eas repulerimus, alias magis prauas inducendo, sed ad Deum accelerantes nos præcurrunt, & penes Angelos conditoris se collocant, atque ante oculos creatoris perpetuò fulgent splendescuntque. Diuitiæ verò, dominatio, splendor, delitiæ, & omnis denique eiusmodi turba, quæ in dies nostra dementia increscit, neque vnà nobiscum ingressa est in hanc vitam, neque etiam simul discedit, sed illud, quod quondam iustus protulit, in omnes homines valet: *Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus etiam discedam.* Quid igitur tibi amabò vtilius est, hancne vitam temporariam eligere, ob eamque æternam subire mortem; an electa molestia, quæ ex virtutis exercitatione proficiscitur, hac sequestra vti ad vitam æternã consequendam? Corporis quidem pondus lancis propensione discernimus: at ea, quæ in hac vita primas ferunt, spontaneo animi iudicio dijudicamus: quod quidem Scriptura † *iugum* nominauit, eò quòd possit accipere † momentum in vtramque partem. Veluti, scortatio & temperantia tibi iudicanda proponitur, mensque tua in alto throno præsidet, iudicium sibi concreditum habens: & Voluptas quidem patrocinatur scortationi; Timor autem Dei partes temperantiæ tuetur: Si igitur condemnaueris Peccatum, & victoriam dederis Temperantiæ, rectè iudicasti: sin ad voluptatem inclinatus pro peccato pronunciaueris, iniquam sententiam tulisti: atque obnoxius es factus illius execrationis, qui dicit: *Væ vobis, qui dicitis amarum dulce esse; & quod dulce est, amarum: & qui lucem nominatis tenebras, & tenebras lucem.* Quando igitur virtus ex contrario vitio dijudicabitur, tum ostendito iudiciorum rectitudinem in occulto animæ tuæ iudicio, & præceptum quasi assessorem quendam tibi faciens demonstrato, te malum odio habere, virtutes vero amplecti. Si enim in singulis actionibus, melioribus palmam dederis, beatus eris in illa die, quando *iudicabit Deus abdita hominum*, iuxta Euangelium nostrum. Et interim dum cogitationes se mutuò vel accusabunt, vel etiam defendent, non damnaberis propter propensionem ad mala, sed iustitiæ coronaberis: quibus omni tempore vitæ tuæ virtutem coronasti. Quemadmodum enim sagittarius telum ad scopum dirigens, neque exuperantia, neque defectu, neque etiam in vtramque partem digressione à iaculatione aberrat: sic etiam iudici ad iustitiam omnia sunt referenda, nec personarum habenda ratio (personam enim in iudicio cognoscere, honestum non est:) neque aliquid pretij causa facere debet, sed recta & imperuersa iudicia ei sunt proferenda. Quòd si ei duo iudicandi erunt, quorum vnus plus habeat altero, debebit ipsos adæquare, & tantum auferre à præeminente, quantum inferiorem factum esse eum viderit, cui iniuria facta est. Alia quidem bona non magis eorum sunt, qui ea tenent, quàm cuiusuis alterius, qui ea consequitur: vtpote quæ perinde ac in ludo cuborum huc & illuc transferuntur: at sola virtus ex omnibus bonis auferri non potest, semperque & apud viuentem & mortuum permanet. Vnde etiam Solon illud ad diuites dicere videtur.

Non ita diuitijs
Virtutem mutamus: at est possessio firma
Virtutis, sed opes alter & alter habet.

Basil. pag. Grac. 222. vers. 1. † συναφθῶσι Paris. pag. 5. Lego συναφθῶσι τῇ φύσει.

Iob 1.

Iugum pro trutina. † ζυγὸν. † τὴν ῥοπὴν ἐφ' ἑκάτερα.

Ex Hom. in principium Prouerb.

Esaiæ 5.

Rom. 2. Matth. 25.

Ex Orat. Qua vtil. ex profanis lib. capi possit. Solonis versus.

Proinde virtuti studete ô mortales, quæ vna & cum naufrago enatat, & in terra nudum existentem felicibus honoratiorem reddit. Atque sic vitam agamus, vt nunquam nobis res præteritæ meliores videantur futuris: neque dicamus, dies priores longè meliores ijs fuisse. Nam si dies præcedentes meliores fuerint subsequentibus, illud dicetur nobis: *Tanta passi estis sine causa*, res honestas obscurando, ea negligentia, qua vsi estis in res posteriores. Vt enim homo omnibus numeris absolutus, rebus, quæ ante nos sitæ sunt, studet: ita peccator ad ea, quæ à tergo sunt, respicit. Quòd verò maius mali argumentum esse potest, quàm à bonis secessio? & quæ prauitatis maior exuperantia, quàm irritare ac lacessere hominem frugi atque mansuetum? nam summa prauitas etiam à seipsa discrepat, & malum non solùm bono contrarium esse videtur, sed etiam sibijpsi. Quapropter sicut tenebræ lucis præsentia superantur, & morbus sanitatis accessione, & ad virtutem progressio à rebus minimis augmentum sumit: ita etiam prauitatis scaturigo ab ijs, quæ initio imbecilla atque exilia erant, ad rem, quæ sanari ac restitui amplius non potest, fertur. Principium verò recuperandorum bonorum est recessio à malis. *Declina*, inquit, *à malo, & fac bonum.* Si enim statim propositum fuisset tibi perfecta, pigrius ea aggressus fuisses: nunc vero ijs, quæ facilius comprehenduntur, te assuefacit, quo maiore animo sequentia aggrediaris. Vt enim in scala primus ascensus, est à terra discessio: ita in diuina politia, principium progressus, secessio est à malis. Quamdiu igitur vnusquisque nostrum puer est, iucunditati huius vitæ studens, nullam futuri curam habet, sed cùm in virum euaserit, ac intelligentiam assequutus fuerit, videt vias sibi duas propositas esse, vnam, quæ ad virtutem ducit, alteram, quæ ad vitium. In vtramque itaque partem frequenter animæ oculum conijciens, confert ea inter sese, quæ vtrique adsunt. Ac peccatorum quidem vita, omnia ostendit in præsenti sæculo iucunda: Iustorum verò vita demonstrat futuri sæculi bona. Et via quidem eorum, qui seruantur, quanto pulchriora pollicetur futura, tanto magis laborioſa exhibet præsentia: at via voluptaria & incontinens, non quæ in posterum expectanda sit, sed iam præsentem efficit voluptatem. Beatus igitur ille est, qui voluptatis inescatione, ad interitum non est conuersus, & qui in vtriusque viæ electione ad eam, quæ ad deteriora ducit, non deflexit. Beatus qui omni spe rerum huius mundi seipsum orbauit, ac in solo Deo omnem spem fixit atque locauit suam: sicuti enim detestabilis & *execrandus est homo, qui spem suam positam habet in homine:* ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet. Spes enim quæ in Deo collocatur non sinit se in alio constituere, neque ei auxilium ferre vult, qui interdum spem ponit in pecunia, & gloria humana, ac in viribus huius mundi: interdum verò, Deum quasi spem sui ipsius proponit, sed oportet verè in Dei auxilio acquiescere. Nullius verò mentis, ac mundi amantes homines, cum eos prætereat ipsius boni natura, sæpenumero beatas prædicant res nullius momenti: nimirum diuitias, sanitatem, splendorem vitæ: quorum nihil ex sua natura bonum est, non solum ob id, quòd facilè ad contraria commutantur; sed quod neque bonos eos, qui eis præditi sunt, efficere queant. Qui igitur adhuc hanc vitam colit, nondum beatus censendus est, ob euentus incertitudinem: at, qui ea quæ ad se pertinebant, absoluit, & vitæ manifesto fine clausit, hic iam securè beatus potest prædicari. Nam qui bona agunt in ipso opere laudem adipiscuntur: Qui verò malum fugiunt, non si semel atque iterum † peccatum declinarint, ideo laudibus ornantur, sed si penitus mali tentationem effugerint. Si itaque necesse est vnumquemque nostrum, vitam optimam eligere, & eam iucundam vsu & consuetudine efficere, quàm optima nobis aggredienda sunt. Turpe etenim est præsens tempus negligere, dein vbi elapsum fuerit, illud † rursus reuocare, cum nihil sit, quod nos maiori tristitia afficere soleat. Diuina autem gratia vix digni esse possumus, si prius eas perturbationes, quæ prauitate sua animos nostros infecerunt, non exegerimus. Vidi ego medicos, non prius præbentes salutaria medicamenta, quàm ante vomitionibus eam materiem,

Ex Comm. in Esaiam.

Gal. 3.

Ex Comm. in Esaiam.

Ex Hom. in 1. Psalmum. Psal. 36.

Hesiod. in ἔργοις.

Ex Comm. in Esaiam.

Hierem. 17.

Ex Hom. in 1. Psalm. Ante obitũ nemo beatus. Solonis dictum.

† ἐὰν ἅπαξ που, ἢ δεύτερον ἐκκλίνωσι τὴν ἁμαρτίαν ἐπαιρετοὶ.

Ex Orat. Qua vtil. ex prof. lic. capi possit: & Pythagoræ dictũ apud Plutar. lib. de Exilio.

† τὸ παρελθὸν. Parisiens. p. 14. Lege: τὸν παρελθόντα ſ. καιρόν.

Ex Hom. in lxi. Psalm. pag. Gr. 122. 48.

riem, quæ morbum gignebat, vacuam feciſſent: quam ſibijpſis ex praua victus ratione, homines intemperantes aggregarant. Verùm & vas, ſi quadam re liquida malè olente vnctum fuerit, nec poſt elutum, recipit vnguenti influxionem. Proinde neceſſarium eſt, vt ea, quæ prius inſunt, effundantur, vt poſt poſſint ea recipi, quæ † inducenda ſunt. Omnibus quidem adeſt Spiritus ſanctus, ſed ſolummodo illis, qui à perturbationibus ſunt vacui, propriam virtutem imprimit ſuam: at illis, qui rationem à peccati labe, & inquinamentis confuſam habent, nequaquam id efficere poteſt. Fieri enim non poteſt, vt id recte, cui ſtudemus, perficiatur, ſi animus in diuerſas curas diſtractus fuerit: quemadmodum ipſe Dominus declarauit dicens: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Et rurſum: *Non poteſtis Deo & mammonæ ſeruire.* Neque enim aliquod mandatum Dei tenere, neque Deum diligere, neque proximum poſſumus, ſi animus varijs curis diſtentus ſit. » Neque fieri poteſt, vt ille artem, aut ſcientiam aliquam » exactè comprehendat, qui alias ad aliam rem ſe confert. » immo ne vllam quidem artem conſequi poterit, ſi non ante ea, quæ propria finis ſunt, cognouerit. Neceſſe enim eſt, vt actiones fini reſpondeant: ſiquidem nihil eorum, quæ ſecundum rationem exiſtunt, per inconuenientiam recte petagi poſſit. Nam neque ars ferraria finem ſuum opera figulinæ conſequitur, neque coronæ athleticæ ex ſtudio tibia canendi acquiruntur, ſed ad vnumquemque finem conſequendum proprius ac congruus labor requiritur. Quare etiam illius virtutis exercitatio, quæ efficit vt placeamus Deo, poſita eſt, ſecundum Euangelium Chriſti, in receſſione *à curis huius mundi:* atque tum planè perficitur, cùm penitus ijs rebus, quæ animum diſtrahunt noſtrum, vale dixerimus. Quamobrem oportet eum, qui reuera Deum ſequi velit, vincula eius conſenſionis, quam habemus cum hac vita, reuellere. Hoc autem non aliter perficitur, niſi ſi omnino vitijs bellum indixerimus, & ſi obliuione delebimus priſtinos mores. Quapropter niſi abalienauerimus noſipſos à cognatione carnali, & niſi à ſocietate huius vitæ, quaſi ad alium mundum per actiones probas tranſgreſſi fuerimus, fieri non poteſt, vt poſſimus placere Deo. Ille itaque, qui ad angelicam dignitatem tranſiens, humanis adhuc perturbationibus inquinatur, ſimilis eſt pelli pardalis, cuius pili neque omnino albi ſunt, neque nigri, ſed mixto colore affecti, neque in albis numerantur, neque rurſum in nigris. Quemadmodum igitur pictores, cùm imaginem de imagine pingunt, frequenter ad exemplar reſpiciendo, lineamentum inde ad ſuum opus transferre ſtudent: ſic etiam oportet eum, qui cupit omni virtute † perfectus eſſe, ad Sanctorum vitas, quaſi ad ſtatuas quaſdam mobiles ac viuas reſpicere, illorumque bona imitando, ſua facere. Si enim bos, qui nobis ſocius ad agriculturam datus eſt, vocem ſui altoris percipit, & eum, qui ei ſolet cibum præbere, agnoſcit: ſi aſinus ſua ſponte ad ea loca, vbi onere leuari ſolet, magno cum gaudio ſalit: ſi conſuetudo eſt brutis cum ijs, quibus curæ ſunt: quantumnam, obſecro, amoris, natura rationis particeps erga Deum expoſcet? Neque etiam vna actio virum probum efficit, ſed neceſſe eſt, vir frugi qui cupit eſſe, vt omni tempore vitæ ſuæ virtutem colat. Et ſicuti illi, qui balnea ingrediuntur, omni veſtitu denudari ſolent, ita etiam par eſt, eos, qui vitæ exercitatrici operam dant, omni materia mundana abiecta, in eo genere vitæ, quod eſt ex philoſophia, conſiſtere. *Sitis* enim, inquit, *prudentes vt ſerpentes:* qui, cum eos ſenium deponere neceſſe ſit, loco anguſto & optimè ſepto corpus ſuum committunt, & ita prudenter atque ſapienter ſenectutem exuunt ſuam. Quod etiam & nos facere vult ſacra Scriptura, cum *per arduam & anguſtam viam* iter faciamus, *exuere,* inquam, *veterem hominem, induere verò nouum:* ita vt etiam noſtra ſic *repueraſcat iuuentus, vt aquilæ* ſolet. Cùm lux apparet, tenebræ fugantur: ſanitate præſente, moleſtiæ, quæ ex morbis manant, ceſſant, & veritate demonſtrata, mendacium conuincitur. Sed plurimi mortalium perſimiles mihi eſſe videntur nubibus, quæ ſecundum ventorum mutationes, ad varias aeris partes feruntur.

Ac ſanè abſurdum, & ab re non eſt, ſi eorum vita, qui facilè mutantur, non ſit bene ordinata ac ſtabilis: quorum autem ſtabilis eſt & ſemper conſtans, ac eadem vita, conſentaneum eſt, vt ij reſpondentem propoſito vitam agant.

Multi verò cùm prauas actiones amplexi fuerint, hominem dicacem, ſcitum ac lepidum nominant: eum, qui turpia profert, ciuilem: amarulentum ac iracundum, † minimè contemnendum appellant: parcum ac † ſolidum, quaſi rei familiari ſtudentem, laudibus efferunt: prodigum, tanquam liberalem, in cœlum tollunt: ſcortis deditum & laſciuum, † vt hominem voluptati ſtudentem, atque animi remiſſi, eximia laude ornant. In ſumma, tales omni vitio, per ſpeciem virtutis, adblandiuntur: *ore quidem benedicunt,* vt dicit Dauid, *corde verò execrantur:* at verbis bene dicendo, omnem execrationem ſuæ vitæ inducunt, reos æterni iudicij ſeipſos, per ea quæ amplectuntur, conſtituentes. *a* Quemadmodum igitur non eſt iuſti iudicis æqualia inæqualibus retribuere ac rependere, ſed neceſſe eſt eum, qui malum attigit, cum fœnore quodam perſoluere ea, quæ debet: ſi & ipſe pœnis melior euadere, & reliquos modeſtiores ſuo exemplo efficere volet: ſic ille, qui malum per cauſam boni facit, duplici pœna dignus eſt, propterea quod & ipſum bonum non facit, & vtitur ad perpetrandum peccatum ipſo bono, veluti, vt ita dicam, ſocio ac auxiliatore. *b* Quamobrem homini prudenti danda eſt opera, ne ad gloriam & oſtentationem viuat, néve ijs rebus, quæ vulgo ac multitudini probantur, ſtudeat, denique prauam rationem, vitæ ſuæ ducem faciat. Quare etiamſi omnibus hominibus contradicere, & ignominiam, ac periculum honeſti cauſa ſubire oporteat: nihil tamen ex ijs, quæ rectè conſtituta ſunt, tollendum eſt, atque immutandum. Qui enim aliter ſentit, quid, quæſo, abeſſe videtur ab illo * Ægyptio Sophiſta, qui planta fiebat & beſtia, cum vuluntas eius ferret; & ignis, & aqua, ac denique in omnes res commutabatur. Quandoquidem etiam ipſe nunc quidem iuſtitiam laudibus efferet apud eos, qui hanc colunt: nunc contrarios edet ſermones, vbi iniuſtitiam probari ac in honore eſſe ſenſerit: Quod † facere adulatoris eſt proprium, ac eius, qui vulpeculæ Archilochi aſtutiam & fraudes imitatione exprimit. *c* Verus enim ſermo, & è ſana mente proficiſcens, ſimplex eſt & vniformis, eadem dicens, ac ſentiens, de ijſdem rebus omni tempore, at varius & artificioſus, multam implicationem & apparatum habens, innumerabiles formas aſſumit, ſummiſque fallacijs vtitur, ad eorum ſe voluntatem, quibuſcum ei conſuetudo eſt, totum transformans. Cum enim natura ipſa aliter ſe res habeat, & aliter ſermones de ipſis perſuadere conantur, conuerſio quædam ac fallacia fit: immo magis veritas per ſermonem peruertitur, & qui alius apparet, alius verò re vera eſt, hic ſtrophis ſermonum vtitur, circumueniens eos, cum quibus ei familiaritas eſt, vti lepores & vulpes conſueuêre, aliam eis viam monſtrantes, & alia ipſi digreſſi. Nam vſus, & conſuetudo prauorum ſermonum, via quædam eſt ad res ipſas. Proinde omni ſtudio ac diligentia anima cuſtodienda eſt, ne ob eam voluptatem, quæ ex verbis proficiſcitur, aliquid praui imprudêtes ſuſcipiamus, vti hi facere ſolent, qui venena melle oblita recipiunt. Nam hi Philoſophiam, quam alij verbis ſolummodo iactant, re ipſa confirmarit ac oſtenderit.

Is ſolus ſapit, at reliqui volitant velut vmbræ.

Siquidem publicè ſummis laudibus virtutem extollere, & prolixas de ipſa orationes habere; priuatim verò voluptatem temperantiæ anteferre, & lucrum iuſtitiæ præponere, ſimile eſſe dixerim ijs, qui in ſcena perſonas repræſentant. Illi enim ſæpenumero, quaſi reges & optimates ingrediuntur, cum neque reges ſint, nec optimates, & fortaſſis neque omnino ſui iuris. Præterea neque Muſicus ferre poterit, vt diſſona ipſius lyra ſit; neque chori præfectus, vt inconcinnum chorum habeat: at eorum vnuſquiſque ſeditionem aduerſus ſeipſum concitabit, nec efficiet, vt vita eius verbis reſpondeat. Equum velocem non facit patris in curſu præſtantia, neque canis laus ex eo pendet, quòd ex velociſſimis prognatus ſit. Sed quemadmodum reliquorum animantium virtus in ipſis ſingulis ſpectatur: ſic etiam viri propria laus eſt illa, cui egregia ipſius facinora teſtimonium tribuunt. Virtutis exercitatio, pretioſa

† Lego τὰ ἐναντία.

Ex Asceticis.

Matth. 6.

Luc. 21.

Ex Comm. in Eſaiam.

Ex Epiſt. p. g Grac. 281. 31.

† ἑαυτὸν ἀπεργάζεσθαι.

Ex Comm. in Eſaiam.

Ex Hom. in xi. Pſalm.

Ex Comm. in Eſaiam. Matth. 10.

Matth. 7. Ephes. 4. Coloſſ. 3. Pſal. 102.

Ex Epiſt.

Ex Hom. in lxi. Pſalm. pag. Gr. 122. 22. Et mala ſunt vicina bonis, &c.

† ἀκαλαφρούντες.

† ἀκοινώνητον, nihil communicantē, ἀκίνητον apparet legiſſe interpretem.

† ὡς ἀπόλαυσιν τινα τῷ ἀνειμένον. Pſal. 61.

a Ex Ho. in locū illum, Quiſquis occiderit Cain.

b Ex Orat. Qua vtil. ex prof. li. capi poſſit: pag. 230. 39. Gr. Baſilij.

* Proteum intelligit, Vide Adag. Proteo mutabilior.

† ὅπερ δίκλινῶς ἔχει κολάκων.

c Ex Hom. contra Ebrioſos. Veritatis ſimplex oratio. Euripid.

Ex Orat. Qua vtil. ex profanis lib. capi poſſit.

Homeri verſus Odyſſ. lib. x. verſ. 495. Οἱ δ' πέπνυμένοι, οἱ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Ex Hom. de S. martyre Mamante.

Ex Hexaemero.

pretiosa est possessio ei, qui eam tenet: iucundissimum verò A
spectaculum ijs, cum quibus consuetudinem habet.

Ex Epist. τὸν νυκτερινὴν σωφρέα, *sic lego in Paris. p. 24.*

Qui virtuti student persimiles videntur esse stellis, quæ nocturno tempore, secundum diuersas cœli partes resplendescunt: quorum iucundus quidem est splendor, at multo iucundius profectò existit illud, quod præter expectationem accidit. Eiuscemodi sunt & isti omnino pauci, quique facilè dinumerari possunt, qui in obscuro hoc huius vitæ statu, non secus ac in nocte luna carente, ad suauitatem, quæ ex virtute manat, perlucentes, ad hæc etiam cum inuestigationis infrequentia id, quod desideratur, coniunctum habentes. Turpe etenim est, eum alieno ornatu ornari, qui sua virtute clarus esse potest. Ac ne illud quidem

Ex Hom. de S. Mamãte. Ex Hexaemero.

dicito, malum à Deo habere originem. Impium enim hoc B
est, propterea quòd nullum contrarium, contrario vt sit causa est. Neque enim vita mortis causa est, nec tenebræ lucis, nec morbus valetudinis, sed in affectionum permutationibus, ex contrario in contraria permutationes fiunt. In origine autem, & causis rerum, non à contrarijs, sed à rebus eiusdem naturæ ea omnia, quæ fiunt proficiscuntur. Malum itaque non est substantia viua, & anima prædita, sed affectio quædam in animo sita, virtuti cõtraria, quæ in malis, & inertibus ineſt, eo quòd à boni natura deflexerint. Noli itaque malum extrinsecus intueri, neque mali naturam principij expertem fingito, sed omnes eius mali, quod in ipsis ineſt, se auctores agnoscant. Neque enim si voluntaria mala non C
essent, etsi non essent in nostra potestate, tantus malis terror impenderet: nec supplicia, quæ nulla excusatione vitantur, vicissim malis pro dignitate rependerentur. Si enim earum actionũ, quæ secundũ vitiũ, & virtutem fiunt, non in nobis sunt principia, sed ex ipsa natura omnia necessariò proueniunt, superflui profectò sunt legum latores, qui nobis, quæ facienda, & quæ fugienda sunt, præscribunt: cassi etiam iudices, qui virtutem honore afficiunt, prauitatem verò puniunt. (Non enim prædonis culpa, neque interfectoris, cùm manum etiamsi adnixus fuisset, continere non potuerit, propter inuitabilem necessitatem, quæ nos ad actiones impellit.) Imprudentes etiam omnino essent illi, qui in artibus elaborant. Nam agricola bonis affluet, quamuis semina ter- D
ris non mandauerit, neque si falcem non acuerit. mercator ditescet, cùm volet, quamuis in cumulandis opibus operam non posuerit suam. Summæ etiam spes Christianorum inanes euadent, cùm neque iustitiæ honos tribuetur, neque peccatum damnabitur: si quidem nihil voluntate hominum perficiatur. Vbi enim natura & necessitas imperat, ibi nullum locum habet decorum, quod in recto, & iusto iudicio primas fert. Etenim de ficubus aiunt, quod alij * agrestes si eos domesticis inserunt, alij grossos fructuosis ac domesticis ficis alligantes, infirmitati eorum remedium afferunt, † fluitantiaque poma grossis continent. Quid hoc tibi ænigma à natura sumptum denotat? nimirum, oportere et- E
iam nos, ab ijs, qui à fide, & religione nostra discrepant, aliquid fructus percipere, vt bonarum actionum alijs specimen edamus. Si quem enim extraneum, aut ab Ecclesia hæresis alicuius crimine distractum, temperatè viuere cernas, & reliquarum virtutum officia excolere, tum maiori animi contentione fac virtuti des operam, & frugiferam ficum imitare, quæ agrestis præsentia vim colligit, pomaque sua cùm ne decidant, impedit, tum diligentius asseruat & fouet. Nos quædam plantarum vitia, quæ natura dederat, agricolarum diligentia correcta nouimus, vt mala Punica acida, aut amygdala amara, quæ, cum ita perforatur earum cortex ad radicem, vt cuneum ex picea per intimam medullam pertinentem excipiant: tum succum ingratũ in bonum suauem- F
que mutant. Nemo itaque iniustam vitam degens, desperet. Si enim agricola qualitates plantarum mutat, multò magis studium animi erga virtutem, poterit omnis generis vitia superare, ac eis præualere, per Christum Iesum Dominum nostrum, quem gloria, & potentia, in omne tempus consequatur, Amen.

** Lege* τὰς ἀγρίας συκάς, *non* ἀγρίας. *† Legendum* ῥεούσια ἅδη καὶ σκεδαννύμενον, *ita emendo.*

Verba monent, exempla trahũt.

Arbores alio traductæ, meliores factæ.

ORATIO VIII.

De Temperantia & Incontinentia.

ALexander ille rex Macedonum, cùm filias Darij in potestatem redegisset suam, quæ egregia forma, ac admiranda fuisse feruntur, ne aspicere quidem eas voluit: turpe esse inquiens, eum, qui viros vicisset, à mulieribus superari. Hoc equidem haud dissimile est illi mandato Christi, *Quisquis fœminam sic aspicit, vt eam concupiscat, iam adulterio se inquinauit.* Nam etiamsi re ipsa adulterium non perficiat, tamen quia libidinem in animum induxit suum, culpa non vacat. Si igitur fortuiti congressus, ijs, qui mulieres aliud agentes intuentur, tantum afferant periculi, quantum facessere putas congressiones illas, quæ ex industria suscipiuntur? nam intueri eas mulieres, quæ formam suam adulterãt, quo adolescentes ad libidinem prouocent, quæque adeò dulces & suaues cantilenas edunt, vt possint, etiam solo auditu, omne œstrum voluptatis in animos libidinosorum figere, atque imprimere. Quid igitur dicent, aut quam excusationem afferent illi, qui ex eiuscemodi spectaculis ingentem cumulum vitiorum congesserunt? Licet enim & sermone, & oculis, & auditu adulterari, licet etiam vitia corde concipere, cibo denique, ac potu immoderato fines temperantiæ transire, integrum est. Ille autem, qui in his omnibus secundum normam castitatis, sese intra cancellos temperantiæ continet, is re vera ostendit, perfectum, ac omnibus rebus instructum sibi esse castitatis donum. Quòd si aliquis verbis castitatem præ se tulerit, re ipsa autem ea fecerit, quæ isti, qui cũ mulieribus degunt, facere consueuerunt: is manifestè venerandæ castitati operam dat, non recedendo ab inhonesta voluptate. Non enim ille, qui in conseruanda castitate inconstãtia laborat, est purus, sed is denique, qui eam partem corporis, quæ rationis expers est, rationi subiecerit. Qui verò castitati ac temperantiæ studet, is diligenter historiam de Iosepho percurrat. Ex eo enim discet res tẽperatè gestas, animaduertens, ipsum non modò se à voluptate continuisse, sed etiam erga virtutem bene fuisse affectum. Vita enim Iosephi, est veluti quædam exhortatio ad castimoniam. Historia verò de Sampsone, inuitatio ad fortitudinem. Castum autẽ dicimus, non eum, cuius iam libidinis pleni appetitus, à senectute aut morbo, aut alio quouis casu exaruerunt, languidique facti sunt. Nam talis prauitate non caret, sed operationes eius præpediuntur imbecillitate instrumentorum. At Temperantia est vera quędam scientifica potentia, profundè admodum in anima impressa, & quæ vestigia inhærentia turpium appetituum penitus extinguit, ac delet. Neque enim eos ob castitatem in cœlum ferre debemus, quorum mẽbra exacta sunt: nam neque equos ideò extollimus, quòd cornu non petant, sed quod calce non feriant: boues verò si cornibus non petierint, mansuetudinis ergò charos habemus. Non enim quisquam ob id, quod efficere non valet, sed cum possit, nec abutitur tamen potentia ad iniustitiam perpetrandam, suspicitur, atque admirationi est. Nam temperantia, quæ est in senecta, non est temperantia, verùm libidinis cuiusdam ac incontinentiæ quædam imbecillitas. Mortuus non coronatur, nemo iustus ideò quòd malum perpetrare nequeat. Proinde par est nos, totum corpus castigare, & quasi cuiusdam bestiæ impetus coërcere, ac tumultus eos, qui ab ipso in animo excitantur, ratione, veluti flagro quodã sedare: nec totis laxatis habenis voluptati, mens negligenda est, ne tanquam auriga quidam, ab effrenatis equis summa cum violẽtia agitatis, distracta feratur, sed Pythagoram imitemur, qui cùm didicisset, quendam ex suis sese & exercitatione, & omni genere cibi saginare ac carnosum reddere, sic ait, *Non desinis grauiorem tibi carcerem parare?* vnde etiam Platonem ferunt, cùm antè animo percepisset nocumentum, quod ex corpore proficisci solet, de industria Academiam elegisse, locum Atticæ vel maximè pestilentem, vt vita præcideret nimis bonam corporis dispositionem, veluti superfluam quandam viris fertilitatem. Ego verò nimis bonam corporis habitudinem, etiam periculosam esse, de quodam medico accepi. Itaque istud nimium studium, quod in cu-

Ex Orat. ad iuuenes, de vtil. ex profanis lib. capienda. Matt. 5.

Ex Com. in Euangel. Matt.

Ex Comm. in Esaiam.

Ex Comm. in Esaiam.

historia Ioſephi caſti.

Ex Hom. in martyrem Gordianũ.

Ex adhort. ad Baptiſ.

Ex Orat. ad iuuenes, de vtil. ex profanis lib. capienda.

Pythagoras.

Plato vbi Academiã delegit.

Hippocratis aphoriſmus.

rando corpore ponitur, & ipsi corpori incommodo est, & animis impedimento. Vnde profectò manifesta insania est, illi operam dare ac morem gerere. In summa totum corpus contemnendum est ei, qui nolit in voluptatibus ipsius, ac in sterquilinio quodam volutari, aut vsque eò solummodò ei seruiendum, quatenus, vt inquit Plato, ministrum se nobis ad philosphiam præbet: haud dissimile dicens Paulo, qui monet nos, *ne aliquam curam corporis habeamus ad concupiscentiarum occasionem.* Atque nostra quidem talia sunt. Mulieres autem impudicæ libidinique deditæ, in obliuionem venientes timoris Dei, & nihili facientes ignem æternum, in ea die, quando ipsas par erat ob recordationem resurrectionis Domini, pedem domo non efferre, & animo suo reuoluere illum diem, quo aperientur cœli, & apparebit iudex, & tubæ diuinæ, & illa mortuorum ab inferis reuocatio: quo sanè die iudicium erit æquum, & tribuetur vnicuique prout erit meritus, loco eorum, quæ ipsas cogitare oportebat, & eûm corda sua à prauis cogitationibus expurgare deberent, ac delere lacrymis ea peccata, quæ prius perpetrarant, atque se præparare, vt obuiam procederent Domino in die illo, quo vt iustus iudex apparebit, loco eorum, inquam, illæ iugo seruitutis excusso, & abiectis à capitibus suis velamentis pudicitiæ, Deum & angelos eius pro nihilo ducentes, omni pudore abiecto, capillos suos nimiùm ornantes, vestes stringentes, & pedibus suis tripudiantes, omnium iuuenum incontinentiam ad se attrahunt: atque in fanis, vbi corpora sanctorum sunt humata, choros ducentes, illa sacra & sancta loca ergastulum suæ impudicitiæ fecerunt, aërem cantilenis libidinosis corruperunt, terram pedibus impuris fœdarunt, eamque turpiter saltando proculcarunt, seque ipsas hoc modo adolescentibus spectandas præbuerunt, insanæ & omnino vecordes, nullam stultitiæ exuperantiam prætermittentes. Rides, dic mihi & gaudio exultas? cum te oporteret flere potius & ingemiscere ob ea, quæ patrata præteriere. Cantilenas obscenas edis, Psalmos verò & hymnos, quos quidem didiceras, negligis? Pedes moues, & furibûdè saltas, choros que ducis, cùm te par esset genua in precando flectere? Quas desleam, puellasne, quæ nondum nupserunt, an eas, quæ matrimonij iugum subierunt? Illæ quidem virginitatem non habentes, reuersæ sunt; hæ verò debitam viris castitatem non exhibuerunt. Quod si nonnullæ peccatum corpore effugerunt; omnes tamen animo deprauatæ atque inquinatæ sunt. Quapropter omnis mulier, quæ veste abutitur, expectet eius ablationem. Cùm enim incedant vestes post se trahendo, tanquam quæ non vtantur, sed abutantur vestitu, meritò honore illius vestitus denudari iubentur: Et Dominus haud dubiè gloriam vestimenti à nobis auferet, si videbimur eo non rectè vti, despectui nimirum ipsum habêtes, ac omnibus inquinamentis corporis replentes. Sed quodnam istud est vestimentum? *Quicunque*, inquit, *in Christi lauacro sacro abluti estis, Christum induistis*. Hunc, hunc vestitum auferet Dominus ab his, qui corpus quotidie peccatis coinquinant, & qui sanguinem Testamenti noui vulgarem esse iudicant. Quæ igitur mulieres ob corporis pulchritudinem magnos gerunt spiritus, seque ipsas, stulto fastu vsæ, præ cæteris efferunt, nonne extollunt sese ijs potissimũ rebus, quæ citò defloresc unt, ac defluunt? vnde collum etiam altum ferunt, vt sit illarum facies cæteris alijs omnibus magis conspicua. Honesta quidem mulier, ac decora, ob pudorem demittit vultum, & faciem ad inferiora trahit: at inhonesta, & quæ multos studet pulchritudine sua, veluti hamo quodam, capere, incedit collo erecto, & nutu oculorum, ac ipso aspectu declarat animi sui lasciuiam, ac venenum quoddam lethiferum ex oculis suis emittit, quale basiliscum spargere fama est, quem aiunt solo aspectu eos, quos intuetur, perdere. Sunt etiam colores quidam parati, ad ornandam faciem mulierum, albus nimirum, & rubeus, ac denigrans. Albus quidem corporis albedinem mentitur, rubeus genas efflorescere facit, niger verò supercilia lunæ instar describit. Hæc Dominus ablaturum se minitatur, ne castitas virorum tollatur, neve ijs picturis oculi incautorum adolescentium capiantur. Fit enim plerunque, vt hæ prauæ mulierum affectiones, infirmos ac imbecillos eorum animos, qui secum agunt, penitus demergant.

Rom. 13. Ex Com. in Euangel. Matth.

Matth. 25.

Puellarum lubrica lasciuia.

Obscenæ cantilenæ.

Syrma mulebre.

Galat. 3.

Pulcra & impudica femina.

Basiliscus serpens.

Audiant idcircò viri, audiant mulieres, castimoniam viduitatis, etiam apud ea animalia, quæ ratione non vtuntur, in maiore esse pretio & honore, quàm sit multarum nuptiarũ deformitas. Inimici cum ijs qui animam agunt in gratiam redeunt, atque ob nouercæ mortem demum incipiunt contristari. Turturem aiunt, si quando à coniuge disiunctus fuerit, nunquam in posterum cum alio inire societatem, sed cœlibem sine coniugio manere, alterius coniunctionem respuendo, coniugis superioris nimirum recordatione. Quid igitur nobis miserius esse potest? qui non solùm non eundem coniugibus nostris ostendimus amorem, quem animantia rationis penitus expertia, sed etiam contra quàm est præceptum Domini, incedimus collo erecto, oculis micantibus, colore que adulterato, qui vulgo castitatem prodere, atque eripere solet. Hæc omnia & singulatim auferentur, cùm animæ nudæ coram iudice constituentur; quando, inquam, palpebræ decident, genæ tristes, & color plumbeus præ timore efficietur, ac tum vnusquisque nostrum talem mercedem recipiet, qualem quisque factis suis meruit. Quæ omnia, charissimi, animo nostro accuratè reputantes, festinemus, quæso, dum tempus habemus, ita vitam nostrã instituere, ac peragere, prout sancta Dei requirit voluntas, vt futurorum bonorum participes in Christo Iesu Domino nostro esse possimus, cui honor, & gloria sempiterna tribuatur. Amen.

Turtur.

Ex Com. in Esaiam.

ORATIO IX.

De Ira, & Inimicitijs.

MAxima reprehensione dignus est homo Christianus, qui ò sit procliuis ac propensus ad vindicationem, quod que omnibus modis cogitet, quánam ratione eos vlciscí queat, qui se iniuria affecerunt. Quomodo enim ille alium docebit, *ne malum pro malo rependat*, qui omnia facit vindictæ causa, & qui omnibus viribus studet, vtvicissim ei, qui sibi iniuriam imposuit, mœstitiam inferat? Talis equidem imitatione non exprimit lenitatem Dauidis, qui dicit: *Si retulero ijs, qui mihi malum dederunt, mala, cadam abinimicis meis vanus.* Proinde necesse est nos stolidas, & furiosas animi commotiones, sanctorum exemplorum memoria comprimere, cogitãdo quàm æquo animo Dauid †vinolétiam Semei pertulerit. Non enim ille tantum temporis dabat iræ, vt accendi potuerit, sed omnem causam in Deum conferebat, dicẽdo, *Dominus in mandatis dedit Semeo, vt execraretur Dauidẽ.* Ideò cùm se appellari audiret, *virum sanguinum, & virum iniquum*, non succensebat illi, sed animo abiecto, & demisso fuit, quasi meritò contumelijs oneraretur. Omnis enim reprehensio, quę euidenter attingit eum, qui in crimẽ vocatur, mirandum in modum eum torquet atque affligit, ob oculos illi ponens probrum ac fœditatem peccati. Vnde maximis beneficijs cumulat eum, qui proprium errorẽ agnoscit, reuocans eum ad eius agnitionem, & pœnitentiam doloris plenam. Quale enim vulnus corporis tam vehementem affert dolorem, qualem inurit animæ obiurgatio? pudore afficiens eum, qui sibi est vitiorum conscius. Non tam corporis alicuius character proprius existimatur, vt animæ eius, qui amat Dominum, propria est pax, & mansuetudo. Decet enim talem virũ alios ad seipsum trahere, & præbere se accedentibus, quasi vnguentum quoddam boni odoris, ac fragrantiæ: morum dexteritate atque probitate alios implere, ducem que seipsum alijs præbere ad res honestas, & optimas debet, nec alios in ijs rebus sequi, quæ decoræ non sunt. Contentionis verò studium alijs ne concedat, immo potius illud ex illorũ animis, si id fieri possit, penitus euellat. Omnes deniq; molestias, patienter mala tolerando, superare eum par est. Nam iniuriam persequi, cuiusuis irati est, at iracũdiam cohibere, solius cuiusdã est, & si quis ei sit virtute par, & similis. Quale enim spectaculum, quàm graue & admirãdum, ac sanè nonnihil etiam naturam ipsam humanam exuperans, hominem multis cõuicijs iactatũ, & qui etiam fortassis vulnus in facie accepit, quiq; alia sexcenta perpessus est, quæ & verbis, & re ipsa ad extremã infamiam tendunt, non ira incendi, neq; vltionem parare, sed mansuetũ ac sine ira, pro eo, qui sibi iniuriam

Ex Com. in Esaiam.

Rom. 12.

Psal. 7 5.

Ex Hom. de Iracundia.

† τῆς παροινίας.

2. Reg 16.

Ex Com. in Esaiam.

Ex Epistol.

Ex Com. in Esaiam.

riam intulit, preces adhibere? Ita vt ex eo, quod preces acceleraſſet, & venia delicto data ſit, & ipſe poſt decenti à Deo cura dignus ſit habitus. Nunc verò nos cũ in alijs malis, tum vel maximè in hoc delinquimus, quòd vindicationi adeò ſtudemus, neq; æqualem menſuram retribuimus, verùm cũ exuperantia quadam iniurias noſtras perſequimur: nec ſolùm ſi iniuria affecti fuerimus, ſed etiam ſi honor nobis nõ tribuatur, excandeſcimus. Eos enim, qui nos minùs honorant, quibus, obſecro, rebus dignos iudicamus? certè eos
Ex Hom. de Ira. inimicorum loco habemus. Contumeliam tibi impoſuit iratus? ſiſte ſilentio malum, & ne, veluti fluxum quendam, illius iram in cor tuum ſuſcipiens, ventos imiteris, qui per reflatum id, quod appulſum eſt, repellunt. Probris te perfudit? at tu iſti benedicas. Verberibus affecit? tu verò æquo animo ferto. Conſpuit, ac nihili te fecit? tu verò illud tecũ meditare, quòd ex terra fictus & creatus eſt, quòdque rurſum in terram reſolueris. Ignobilem te, & obſcuro loco natum eſſe dixit, nulliuſque precij hominem? at tu terram te-
Gen. 18. Cum ſim puluis & cinis. ipſum eſſe dicito, atque cinerem. Non es præſtantior patre noſtro Abraham, qui ijs nominibus ſe appellauit. Indoctũ ac nullis diuitijs præditum? tu verò Dauidis verbis vtens,
Pſal. 21. *vermem te eſſe* dicito, & ex ſterquilinio ortum habere. His etiã adde Moſis probitatem: ille enim cùm eſſet ab Aarone, & Maria conuicijs oneratus, non eos Deo detulit, ſed pro ipſis deprecatus eſt. Quare & tu, ſi quis te ſumma egeſtate laborare dixerit, & verum ſi protulerit, veritatem perferto: ſin mentitur, quid tua intereſt illud, quod protulit; tua, inquã, qui neq; ijs laudibus, quæ veritatem excedunt, gaudes, neq; eam contumeliam, quæ te non attingit, ægrè fers. Nónne vides iacula, quomodo à corporibus ſolidis ac renitentibus reſiliunt? at mollia, & ea, quæ cedere conſueuerunt, penitus penetrant. Quid te pauperis appellatio perturbat? memoria repete ortum tuum, & reperies nudum te in hunc mundum ingreſſum eſſe; proinde nudus etiam hinc abibis. Homine verò nudo, quid, quæſo, pauperius eſſe poteſt? nihil profectò acerbi audiuiſti. Quis vnquam ob egeſtatem in carcerem conditus eſt? non pauperem eſſe in probris eſt, ſed paupertatem animo magno, & forti ferre non poſſe. Quid, amabo, ira poteſt eſſe amentius. Si permanſeris ſine
Ex Ethicis. ira, pudore afficies eum, qui tibi iniuriam fecit; re ipſa moleſtiam oſtendens. Quemadmodum enim qui verberat nihil ſentientem, ſeipſum excruciat, nam & inimicum nõ vlciſcitur, & iram non ſedat: ſic etiam qui conuicia iacit in eum, qui ea pro nihilo ducit, ſolatium perturbationis ſuæ reperire nequit. Qui verò conuiciatorem vlciſcitur, & ei par pari rependit, quidnam excuſationis afferet? Laceſſiuit me, inquiet? at hoc quánam venia dignum eſt? Neque enim ille, cui cum ſcorto res eſt, in meretricem culpam conferẽs, tanquàm in ea, quæ ſe ad peccandum prouocauit, minori
Ex Hom. de Ira. pœna dignus iudicatur. Malum eſt contumelia: noli igitur ipſam imitari. Nam illud, Alter initium dedit, ad excuſationem ſatis non eſt: immo longe maiori, mea quidem ſententia, reprehenſione talis eſt dignus, eo quòd ille quidem nõ habuit exemplum, quod ſe ad modeſtiam inuitaret: tu verò cùm videres iratum turpiter ſe gerere, operam non dediſti, ne illi ſimilis eſſes, ſed indignaris, & ægrefers, ac viciſsim iracundia inflammaris: atque hac ratione perturbatio tua,
Ex Comm. in Eſaiam. excuſationem præbet ei, qui auctor iniuriæ fuit. Si enim malum eſt ira, cur non vitas id, quod malum eſt? Sin verò venia dignum, cur iraſcenti ſuccenſes? Similis enim eſſe
Prou. 26. quodammodo videtur ille, qui contradicit, vana ac ſtulta loquenti. Proinde, vt ego quidem arbitror, ſapiens Salomõ
Ex Homil. habita in Lacizis. iubet, *ne reſpondeamus amenti ſecundum illius amentiam.* Quemadmodum enim ille, qui regiam effigiem contumelia affecit, ac ſi in ipſum regem deliquiſſet, ita iudicatur, ſic etiam reus eſt peccati, qui eum, qui ad ſimilitudinem Dei factus
Prou. 22. eſt, contumelia afficit. *Cum viro iracundo ne habites*, inquit, mala enim res eſt cum cane colligari, perpetuoque eius latratu frui. Fuge igitur conſuetudinem ipſius: nam niſi hoc feceris, neceſſe erit te aliquid de moribus eius haurire. Dixit aliquid contumelioſè, & commouit animum tuum, perinde ac canis latratus, prouocare ſolet alterius canis tumultum, ita etiam animo tuo iam ſopito ac quieſcenti, vox illius iram conciuit, & vterque veſtrum ſibi inuicem oblatrat, ac ſibi viciſſim contradicentes, veluti fundas emittitis, verba turpia atque inhoneſta. Dixit ille aliquid contumeliæ plenum, retuliſti tu magno cum fœnore, eum, qui te anteuerterit, imitando. Ille ea contumelia accepta, quam in ſe ieciſti, non cohibuit iram, ſed conuerſus eſt, & peccatum ſuum longè maius effecit: maior fieri voluit moleſtius aliquid dicendo, tu verò rurſus eo accepto illud dilataſti, & ita facta eſt ingens malorum contentio. At ille, qui in malorum concertatione ſuperior exiſtit, longè miſerior
Ex Hom. de Ira. eſt. Cum autem iracundia rationem depulerit, & dominatum anima occupauerit, hominem penitus efferat, nec amplius hominem eſſe ſinit. Quod enim beſtijs, quæ venenum emittunt, eſt venenum, hoc hominibus exacerbatis eſt ira. Inſaniunt tanquàm canes, impetum faciunt vt ſcorpiones, mordent vt ſerpentes. Primùm enim ſe ipſos non norunt ira incenſi, deinde omnes ſuos familiares. Ob iram enſis acuitur, & mors hominis humana manu intentatur. Propter hanc fratres in obliuionem veniunt mutui amoris: parentes verò & liberos natura ſua latet atque præterit. Et quemadmodum torrentes ad loca caua confluentes, quidquid obuiam eis fit, ſecum trahunt, ſic etiam & hominum iratorum impetus violenti ac effrenes, omnes æquè attingunt. Veluti enim œſtro aliquo, memoria eorũ, qui moleſtiam ipſis aſperſerunt, punguntur, ira in ipſis palpitante, & exiliente: nec prius finem faciunt, quàm malum aliquod dederint ei, qui ſe laceſſiuit. Cùm enim ira, ſicuti flamma quædam vbertate materiæ, in hominibus animo exacerbatis, accenſa fuerit, tunc ſanè, tunc videre licet ea ſpectacula, quæ neque verbis explicare, neque re ipſa ferri ac tolerari poſſunt, videlicet manus contra affines eleuari; pedes nullo habito reſpectu inſilire, omne, quod occurrit, telum inſaniæ fieri. Quòd ſi ex aduerſo æquale malũ
Furor arma miniſtrat. Virg. reſiſtens reperierint, nempe iram aliam, & inſaniam parem, tum ſanè inter ſe commiſi mutuò confligunt, atque ea mala perpetiuntur, quæ par eſt eos perpeti, qui ſub tali dæmone ſtipendia merent. Nam illæ moleſtiæ, quæ ab inuicẽ pro-
Ex Epiſtol. ficiſcuntur, & contentiones, à principio quidem exiles eſſe ſolent, & facilè curantur, at procedente tempore, à contentione auctæ, inſanabiles omnino euadunt. Nam quouſque hæ calumniæ, quæ ex diſſenſione manant, locum habent, neceſſe eſt ſemper ſuſpiciones in peius augeri. Proinde ſi
Ex Hom. habita in Lacizis. videris ira percitum dentes acuere, cogita talem apro ſimilem eſſe, qui internam iracundiam ſuam dentium colliſione oſtendit. In certaminibus animi, malorum longè ille
Ex Hom. de Ira. miſerior euadit, qui palmam fert: quoniam abit plus peccati habens. Iraſcere ſolùm ſerpenti. Quid enim illum
Ex Hom. habita in Lacizis. Num. 25. Phinees iuſtum fecit? nónne iuſta ira aduerſus eos, qui cum ſcortis volutabantur? qui etſi multis alijs in rebus eſſet mitis, & manſuetus, tamen cùm videret Zambri, & Madianitidem in propatulo & ſine vllo pudore libidines ſuas explere, nec tegere ſpectaculũ illud nefandum, æquo animo ferre non potuit, ſed opportuna ira vſus, haſta vtrumque
3. Reg. 11. tranſuerberauit. Helias autem æmulator ille, quadringentos, & quinquaginta viros, turpitudinis cultores, comedẽtes menſam Ieſabel, rationabili ac ſapienti ira, quæ totius Iſrael vtilitatem reſpiciebat, deleuit. Sic ira ſæpenumerò ad-
Ex Epiſt. miniſtra eſſe ſolet bonarum actionum. Libentiùs prẽterea aliquis aſpexerit iratũ amantẽ, quã inimicũ adulantẽ.

Quare & nos tales viros imitari ſtudeamus, & ne nobis inuicem, ſed ſolùm dæmoni ſuccenſeamus, ſi modò volumus regnum cœleſte conſequi, benignitate IESV Chriſti Domini noſtri, quem gloria & imperium cum Patre æterno, & ſancto ac viuifico ſpiritu in ſempiterna ſecula conſequatur. Amen.

ORATIO X.

De Inuidia, & Odio.

MVltam nobis moleſtiam affert iſtius præſentis
Ex Epiſt. temporis iniuria, in quo & omnes Eccleſiæ conquaſſatæ ſunt, & vniuerſæ animæ affliguntur. Aperuerunt enim aliqui immodeſtè ora ſua in conſeruos; narratur mendaciũ intrepide, veritas ſupprimitur. qui in crimẽ vocãtur,

sine iudicio condemnantur; qui verò vocant, eis fides habetur absq; vlla examinatione. Ac sanè multũ iã temporis præterijt, ex quo calumnijs affectus, accusationis flagella fero; eo contentus quòd Dominum habeam abditorum cognitorem atque calumniæ testem. Sed cùm multi silentio nostro ad maledictorum corroborationem abutantur, nec existimant ob tolerantiam nos silere: sed quòd potis non sim os diducere ad veritatem, eam ob causam adhortor vestram in Christo dilectionem, ne ea probra, quæ ex vna parte manant, ac si vera essent, suspiciatis. Nam, sicuti sacra scriptura ait: *neminem iudicat lex, nisi primùm acceperit & cognouerit quid fecerit.* Eorum autem criminum, quæ in nos conijciuntur, rationem à nobis exigite, & si quidem apud nos veritatem inueneritis, ne locum detis, obsecro, mendacio; sin parum valentes nos in defendendo esse perceperitis, tunc aduersarijs nostris, quasi vera proferentibus, fidem habete. Verisimilius autem est, & irritari ipsos nostris defensionibus, & maiora ac longè difficiliora contra nos moliri, scribere atque agitare. At æquo iudici satis sunt ipsæ res ad veritatem indagandam, & etiam si nos taceamus, licet nobis res ipsas, quæ fiunt, intueri. Oro autem ante omnia vos, tum qui me nunc audituri estis, tum qui in posterũ familiaritatem nobiscum sitis habituri, ne multitudine mẽdacium à veritate dijudicare velitis, cum maiori parte rem præstantiorem copulantes, neque auctoritati adhærentes, mentem vestram obscuretis, aut plus ijs tribuendo, qui dignitate & ordine alios antecedunt, infimis aures non detis.

Necesse est enim iudicem alteram aurem ei, qui abest, reseruare, sicuti Alexander fecit. Etenim illum ferunt, cùm quidam obtrectaret familiari suo, alreram quidem aurem præbuisse calumniatori, alteram verò manu diligenter obturasse, quòd nimirum declararet, oportere eum, qui iustè iudicaturus est, non totum se euestigiò vni parti tradere, sed partem auditus integram atque sartam ei, qui non adest, seruare. Solent enim quodammodo amplo magistratui illiberales ipsi cultus adhærescere, qui ideò quòd illis desit proprium bonum, cuius opera in cognitionem venire possint, alienis malis seipsos commendant. Ac sanè quemadmodum vultures ad ea, quæ malè olent, maiori cum impetu feruntur, multa prata, multosque iucundos, & odoratos locos præteruolantes: & vt* muscæ sanis corporis partibus neglectis, ad vlcera contendunt: sic etiam inuidi, vitæ splendorem, rectéque factorum magnitudinem ne aspiciunt quidem, ad marcida verò mirandum in modum feruntur. Proinde homines prudentes illud Alexandri tenere par est, qui accepta ea epistola, quæ contra medicum ipsius scripta erat, quasi insidias ipsi struere vellet, cùm accidisset, vt eo tempore medicamentum sibi accipiendum esset, vsque adeò fidem non adhibuit calumniatori, vt simul & epistolam legeret, & medicamentum biberet. Qui igitur proximum probris perfundunt, non comprobantes ea, quæ in eum dixerunt, tales omnino videntur sibijpsis malum nomen, ex hoc inani verborum vsu, imponere velle. Nam calumniatorem quo, obsecro, nomine appellare conuenit, quàm eo, quod sibi ille ipse, ex re, cuius studio tenetur, imponit? Neque igitur ille, qui nos increpat, calumniator sit, sed potiùs veluti frater quidam, cum dilectione commonefaciat, & correctionis causa admoneat, neque vos conuiciorum sitis auditores, sed redargutionum examinatores: ne illi, quibus crimina ascribuntur, insanabiles relinquantur, dum peccatum ipsorum non patefit. Conuicti enim & ipsi peccatum suum agnoscẽt, & vobis venia, vbi redargueritis à Domino concedetur, quòd vos à societate peccatorum seiunxeritis. Præterea illi, qui conuicerunt, mercedem accipient, vtpote qui abditam malitiam in apertum protulerint. Quod si verò aliquem, ante quàm conuictus fuerit, condemnaueritis, ipse quidem nulla alia iniuria afficietur, nisi quòd precios issimæ possessionis, hoc est dilectionis, erga vos iacturam faciet, vos verò illud ipsum patiemini illo iam priuati. Sicuti enim † ærugo proprius est frumenti morbus, ita inuidia amicitiæ. Et vt boni est, nemini inuidere, sic dæmonis peculiaris est inuidentia: & proinde ac rubigo ferrũ, sic inuidia animã, quæ ex ea laborat, cõsumit, immo verò magis. Nã vt viperas aiunt, exeso materno vtero, in lucẽ edi, ita quoque maleuolentia animam, quæ ipsam parturit, conficere solet. Inuidus vnicam mali expectat recreationem, nempe sicubi conspexerit aliquem ex his, quorum bonis mœret, ruẽtem. Hic est odij scopus, infelicem ex felici, miserabilẽ ex beato aliquẽ conspicere. Tunc socius & amicus est, cùm lacrymantẽ viderit, cùm lugentem conspexerit, nec cum hilari quidẽ lætitia exultat: at cum eo, qui in luctu est, lacrymas profundit, vitæque eius commutationem miseretur, ostendendo ex quibus ad qualia deuenerit, non humanitate id quidem, nec quòd vicem eius doleat, sed vt grauiori calamitate miserum affligat. Talis sanè erat Saul, qui summa beneficia, quibus eũ affecerat Dauid, causã belli aduersus eũdem esse voluit, conabaturque benefactorẽ suum hasta transuerberare. Nam cùm eius opera vnà cum suo exercitu ab hostibus seruatus esset, & ea infamia, qua illũ asperserat Goliath, leuatus, manu sua illum interimere, atque per insidias è medio tollere studebat. Deinde, quamuis in exilium ipsum eiecisset, neque tamen sic inimicitiæ finem imposuit, sed ad extremum tribus millibus electorum contra ipsum eductis, solitudines perscrutatus est. Qui sanè dum Dauidem persequeretur, deprehensus cùm esset, & neci expositus, à iusto tamen rursus, qui ei manus inferre noluit, seruatus est. Neque tamen hac beneficentia flecti potuit, sed iterum exercitum conscribebat, atque denuo hominem persequebatur, donec ab eodem in spelunca captus, illius quidem virtutem illustriorem, suam verò ipsius prauitatem manifestiorem reddidisset. Sic & in Iosephum fratres erant animati, cùm quid facerent, nescirent. Nam si vera erant Iosephi insomnia, qua ratione potuit effici, vt non omnino ea euenirent, quæ prædixit? sin falsa, cur inuidebant erranti & decepto? Sed reuera propria diaboli est affectio, ipsa inuidentia, quæ nullam medelam recipit. Qui ex capite laborat, aperit medico capitis dolorem: at qui inuidia flagrat, quid referet? Mœrore me conficiunt, inquiet, res secundæ fratris? equidem ita sese res habet, at verba ea proferre vnum quemque pudet, quid te excruciat? propriumne malum, an alienum bonum? reuera geminum est malum diaboli, inuidentia. Quemadmodum autem tela, quæ magno cum impetu feruntur, vbi ad rem quandam fortem ac renitentem appulsa fuerint, vicissim ad ipsum, qui ea emisit, reuertuntur, ita etiam inuidiæ impetus, nulla noxa allata illi, cui inuidetur, ipsi inuido plagas incutit. Multa quidẽ inuidiæ insunt mala, vnicum tamen etiam inest bonum, nempe, quòd nocumento sit illi ipsi qui ea æstuat, quodque cor eius magis exedat, quàm rubigo ferrum. Maleuolus enim parum ei, cui inuidet, damni affert, at seipsum mœrore ob id conficit, quòd amicus suus secunda vtatur fortuna: ac ille quidem diuitias vicini non imminuit, seipsum verò inuidia conterit. Sicuti enim eam materiem, quæ facilè ignem concipit, quàm longissimè ab igne seponere solemus, sic par est nos, quantum in nobis situm est, amicitias ab hominum inuidorum consuetudine abducere, vt extra inuidiæ tela esse possimus. Canes quidem alendo mansuefacimus, at inuidum, benignè ei faciendo, multò peiorẽ reddimus? Non enim gaudet beneficijs, quibus cumulatur, sed mœrore affligitur ob aliorũ opulentiam, eò quòd materiem habeãt, vnde suæ egestati succurrere possint. Pantheræ naturalem quandam habent aduersus hominem irã, & solent vel maximè in oculos insilire. Hinc qui insanæ illi bestiæ illudunt, ex charta imaginẽ quasi hominem ipsi ostẽtant: illa verò nimio impetu ac nulla consideratione facta, esse hominem autumans, chartam veluti hominem concerpit, atq; hinc, quãto sit in hominem odio, ostẽdit: sic & dæmon in imagine, quo sit in Deũ odio, ostẽdit, cum ipsũ Deũ attingere nequeat. Proinde noli tibi veteranorum fraudes ad imitandum proponere, sed ex imbecilli bestiola magnam astutiam dolumque discito. Cancer quidem ostreum appetit, sed eius carnem propter testam, qua tegitur, perdifficulter capere & inuadere potest: eius enim carnis mollitudinem valido operculo & quasi vallo natura circumsepsit, ex quo ὀστρακόδερμον, id est, testaceo operculo animal dicitur: & cum duæ illæ concauitates inter se aptæ & copulatæ ostreum concluserint, nihil omninò efficere cancri brachia, nihil contrà moliri possunt.

Quid

Exod. 23. Ioan. 7.

Ex Antirrheticis.

Ex Epistol. Alexander M.

Μήδε δίκελλω δικάζῃς. *Pseudo Hesiodion, sed Phicylidæ tribuitur.*

Ex Hom. de Inuidia.

* Idẽ Greg. Nazianzenus alibi ait.

Ex Epist. Alexander M.

διαβολὴ, *calumnia.*

Ex Hom. de Inuidia.

† ἐρυσίβη.

Ex Hom. de Inuidia.

1. Reg. 18.

1. Reg. 23.

Gen. 37.

Ex Hom. de Inuidia.

Ex Hom. habita Lacizis.

Ex Hom. de Inuidia.

Ex Hom. habita Lacizis.

Ex Hom. de Inuidia.

Ex Hom. habita Lacizis.

Inuidus alterius magnificentia rebus opimis.

Panthera instar diaboli est.

Ex Hexaemero.

Cancer in ostreum hostium quo astu utatur.

Quid ergo facit? cùm ipsum in locis tranquillis cupidè calefieri animaduertit, & ad radios Solis conchas suas aperire, tum demum clàm calculo iniecto eas, quò minus occludat, impedit, & ita quod vi non poterat, astu perficit. Atque hic est dolus eorum, quæ muta sunt, & rationis expertia. Eiusmodi est, qui cum fraude fratrem adit, & in proximos, rebus eorum aduersis, impetum facit, alienisque incommodis lætatur. Sed neque polypi dolus ac fraus silétio prætereunda est. Is quodcunque in saxum adhæserit, eius colorem imitatur, & obtinet, ac ita multi pisces nantes in polypum tanquàm in petram incidunt, eiusque veteratoris præda fiunt. Moribus similes sunt ij, qui semper eos adeũt, qui potestate & imperio valent, seque pro rerum & temporum ratione ita accommodant, vt in proposito, & sententia nunquam permaneant, sed alios atque alios se gerant, & pro cuiusque arbitratu ac libidine mutant sententiam. Hos profectò homines vitare eorumq; mala cauere, magni est laboris, propterea quòd in illa religionis specie & simulatione summa lateat improbitas. Nã odium in profundo detinentes, dilectionis ostendunt fucatam, atque adumbratã speciem: non aliter ac petræ sub mari latentes, quæ pauca aqua cùm sint opertæ, malum, quod prouideri non potest, hominibus incautis afferunt. Ad calumnias autem conticescere non oportet: non vt contradicendo nos ipsos defendamus, sed ne mendacio progressum permittamus, circumuentosque damno affici patiamur. Calumniator enim tribus simul personis nocumento est: nã & eum lædit, quem calumnijs onerat, & quibus cum sermonem habet, deniq; ipse seipsum. Scire enim vos velim, quòd contumelias imponere, & detrahere aliquibus petulanti lingua, ac mente minimè candida, improborum, & eorum, qui hominibus odium conciliant, opus esse: at omni studio conari mendacium refellere, virorum est frugi, ac eorum, qui & sibijpsis bene consulunt, & multorũ securitati student. Quãobrem peruersitatem priorum fugiamus, talium verò vitæ statum imitatione exprimere contendamus, vt bona futura consequi possimus in Christo Iesv Domino nostro, cui gloria & potẽtia, nunc & semper ac in perpetuũ tribuatur. Amen.

Polypi mẽte obtines. Adag.

Ex ethicis. Calumniæ refellendæ.

Ex Hexaemero.

Ex Antirrheticis.

ORATIO XI.

De Patientia, & Tolerantia.

Ex Hom. de non adhærendo rebus huius vitæ.

NEmo ob eas molestias, quibus conflictatur, cogitare aut dicere audeat, nullam omnino prouidentiam res nostras gubernare, neque administrationem, ac iudiciũ Domini in crimẽ vocet, sed athletam illum Iob ante oculos sibi proponat, saniorisque mẽtis consiliarium ipsum faciat. Reputet secum vniuersa illa ex ordine certamina, in quibus ille primas tulit, & quot telis à dæmone petitus, nullum tamẽ mortiferum vulnus accepit. Ademerat illi quidem omnem prosperitatem domus, & consilium ceperat alternis malorum nuncijs ipsum obruendi. Nam dum adhuc prior aliquam cladem annunciabat, alter nuncius veniebat, longè grauiorem clàdem afferens. Ac multa sanè mala inter se connectebantur, & calamitates vndarum incursionem imitabantur: nam prius quàm priores lacrymæ exarescerent, aliarum causa afferebatur. Ille verò tanquam scopulus quidam in mari eminens stabat, tempestatis impetum suscipiens, vndarumque vim in spumam conuertens, & acceptam illam vocem Domino edebat, ac omnino nihil eorum, quæ euenerant, lacrymis dignum duxit. Cùm verò nuncius quidam venisset & referret, filijs ac filiabus epulantibus, ventum quendam violentum, illud domicilium, in quo cõuiuium celebrabatur, euertisse, tunc vestem tantummodò discidit, sympathiam quãdam naturæ ostendẽs, & illo facto, quòd pater liberorum amans esset, testatum faciens, atque pijs illis vocibus factum exornans, dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* Tantumnon talia edens: pater vocatus sum, quanto tempore voluntas illius tulit, qui me patrem esse voluit: auferre mihi rursus sobolis coronam statuit: non contendam cum eo de ijs, quæ ipsius propria sunt: præponderet id, quod Domino visum est, ipse est effector generis; ego verò instrumentũ tantum. Quid frustra seruus cùm sim, ægrè atque iniquo animo feram, & sententiæ succensem, quam rescindere nequeo? huiusmodi verbis dæmonem iustus ille pungebat. Cùm autem ipsum superiorem esse hostis cerneret, nec vllo horum conuelli posse, ipsam carnem aggressus est, & ex corpore eius innumeris plagis illud cõficiẽs, vermium fontes promanare fecit, virumque ex regio throno abductum, in sterquilinium coniecit. Ille verò quamuis tantis calamitatibus affligeretur, constans permansit, & dum corpus eius laceraretur, pietatis thesaurũ in penetralibus animæ tutum à prædone custodiebat. Cùm verò hosti nihil iã relinqueretur, quod deinde faceret, ad veteres illas suas insidias descendit, vxorisque illius mentem in impiam ac nefandam sententiam adducens, illius opera athletam frangere conabatur. Ac sanè illa quidem longo dolori renunciãs, capite in terram demisso, iusto astabat, manus ob ea, quæ intuebatur, concutiens, & pietatis fructus illi exprobrans. Recensebat præterea veterem illam omnium rerum abundantiam, præsentia verò mala ostendebat, ac qualem ex qualibus adeptus esset vitam, & cuiusnam modi pro multis sacrificijs, ac victimis mercedem à Domino accepisset, identidem ipsi inculcabat. Vsurpabat autem semper verba animi parui, ac demissi plena, atque sanè talia, quæ & virum fortem commouere, & animum quamuis generosum inflectere possent. Errabunda, & serua vagor, dicebat, regina seruitutem seruio, & ad seruorum meorum manus respicere coacta sum, quæ quondam multos benignè nutriui, nunc ipsa ex alienis nutrior. Ac sanè, inquiebat, illa, longè honestius, & conuenientius esset, si te ipsum è medio tolleres gladium iræ creatoris acuẽdo, quàm res aduersas æquo animo sustinendo, molestiam, & tibi & coniugi proferres. At ille ex his verbis tantum mœrorem suscipiebat, quantum nullum aliud ob malum, & multum ira commotus ad vxorem veluti ad hostem quendam conuersus inquit. *Cur veluti vna ex his mulieribus, quæ mente captæ sunt, locuta es? abijce,* inquit, *ô mulier, consilium sceleris plenum. quousque tandem communem nostram vitam verbis tuis contumelia onerabis?* certè mentita es in effingenda vita mea, assueuerando quòd non optarim rerum commutationem, & magnam ei dictis tuis adhibuisti calumniam. Equidem me nunc longè magis impium factum esse arbitror, si quidem nos connubium vnum corpus effecerit, tu verò maledictis Dominum lacessiuisti. *Si enim bona suscepimus de manu Domini, cur mala non perferimus?* Veniant tibi in mentem illa bona, quibus prius cumulata eras, perpende meliora cum deterioribus, & reperies nullius hominis vitam omni ex parte beatam esse. Semper enim fortunatum esse, solius Dei est. Sed tu si ex rebus præsentibus dolorem percipis, ex præteritis consolationem pete. Nunc lacrymas profundis, at prius risum edebas, nunc inopem vitam agis, at prius diuitijs affluebas, clarum vitæ laticem antea bibisti, nunc turbidum bibens bono animo esto. Nã neque fluminum cursus perpetuò puri apparent; vita autem nostra, vti scis, veluti flumen quoddam est perpetuò fluens, & vndis vicissim succedentibus refertum, cuius vna pars iam præterfluxit, altera verò in cursu est, alia iam de fontibus manauit, alia verò pòst fluet, & vniuersi ad cõmune mortis mare festinamus: *Si bona suscepimus à Domino, mala cur non sustinebimus?* num cogemus iudicem eiusdem generis res nobis perpetuò suppeditare? num erudimus Dominum, quomodo vitam nostram gubernare debeat? ipse suarũ sententiarum potestatem habet; quomodo vult, res nostras regit. Sapiens autem est, & quod ex vsu est, seruis suis suppeditat. Ne curiosius perscruteris iudicium Domini. Boni consule tantum ea, quæ ab ipsius sapientia proficiscuntur, quidquid in te contulerit, id suscipe cum gaudio. Ostende rebus in aduersis, dignam te prioris lætitiæ fuisse. Hæc dicendo Iob, etiam hunc dæmonis impetum retudit, & pudore ipsum effecit, eo quòd victoriam ab eo reportasset. Quid verò tandem hinc euenit? morbo nimium leuatus est, perinde ac si frustrà eum inuasisset, nihilq; penitus effecisset. Efflоruit enim ad secundam pubertatem caro; vita verò omnibus bonis cumulata est, & diuitiæ auctæ, omni ex parte in domum confluxerunt, ita vt vnam partem, quasi nihil vnquã amisisset, haberet, alterã verò ob patien-

Rupis instar in mari vir fortis. Virg. Iob 1.

Iobi patientia & sui confolatio.

Iob 2.

Ibid.

Iob 2.

Vita fluminis instar decurrit.

Iob 42.

Ex Epist. patientiam mercedis loco accepit. Ex eo quilibet nostrum exemplum fortitudinis capere poterit, qui non solùm rebus in aduersis, quibus conflictabatur, nimirum tum inops è locuplete, orbus filijs, cui pulchri erant liberi, vno momento temporum factus esset, idem permansit, qui antè fuit, nec vnquam animum abiecit demisitque, sed neque etiam cùm amici eum consolatum venissent, & hominem incesserent ac ærumnas ipsius augerent, vnquam irritatus est. *Ex Hom. in fame & siccitate.* Nonunquam autem homines experiundæ animæ causa, in tales vitæ difficultates incurrunt, quò in his difficultatibus appareant probi, siue diuites, siue pauperes sint: vtrique enim tolerantia probantur. Et tum vel maximè patefit, an animo fraterno, an grato aliquis præditus sit, an contrà maleuolo, & ea constantia, quæ simul cum vitæ reuolutione repentè commutatur. Nam vt gubernatorem nauis tempestas, atheletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat. *Ex Epist.* Et quemadmodum athletas certaminum, labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modò cum decenti tolerantia, ab omni gratiarum actione ea, quæ à Domino ordinantur, susceperimus. *Ex Hom. in fame & siccitate.* Pauper es? ne animum abijcias, sed omnem spem tuam in Domino ponito. Non enim ille non cernit angustiam, est illi cibus in manibus, sed tamen exhibitionem producit, vt constantiam tuam probet, & animũ cognoscat, num similis sit animo proteruorum & ingratorum, *Amici falsi.* qui dum in ore sunt, tibi benedicunt, adulantur, ac mirandum in modum suscipiũt. At vbi paululùm mẽsa dilata fuerit, maledictis tanquam lapidibus obruunt eos, quos paulò *3. Reg. 18.* antè voluptatis causa obseruabant. Helias agebat in Carmelo monte, alto & inhabitabili, ac penitus deserto. At is animam loco omnium habebat, & vitam suam sustentabat ea spe, quam in Domino collocauerat. Sic verò vitam degens, fame non est confectus, sed ei volucres, & illæ quidem maximè rapaces ac voraces, cibos afferebant, alimentumque homini iusto hæ aues ministrabãt, quæ alienos cibos diripere solent: Domini enim iussu, naturam immutauerant, & factæ custodes panis, ac carnium erant.

Daniel 6. & 14. Agebat enim in Babylonio lacu Israëlita quidã iuuenis, calamitate quidem captiuus, anima verò & constantia liber. Quid verò est quod illi accidit? Leones quidem contra naturam suam, inediã ferebant, altor verò eius Abbacuc per aërem ferebatur, quem Angelus vnà cum obsonijs ferebat? & ne fame premeretur iustus, tantum terræ ac maris puncto temporis vates emensus est, quantum à Iudæa Babylonem vsque protenditur. Quid verò rursum populo in deserto accidit, cuius procurationem Moses habuit? quomodo, obsecro, vita ipsius per annos quadraginta gubernata est? non erat illic vir sementem qui faceret; non bos aratrum trahens, non arca; non torcular, non penu, tamen & alimentum ei suppetebat, sine semente, sine aratione, & fontes è petra manabant, qui prius non erant, sed in necessitate scaturiebant. Proinde & tu calamitatem patienti animo ferto, velut generosus Iob, & ne te tempestas prosternat, neque quidquam abijcias ex his mercibus, quas tecum fers, hoc est de virtute, sed veluti magni precij supellectilem ac mercem in animo tuo conserua gratiarum actionem, & ita etiam tu multiplicem percipies ex gratiarum actione voluptatem. Non enim ille est tolerans, cui desunt res necessariæ, sed qui in abundantia omnium rerum res aduersas æquo animo fert. In morbo est? lætè ferto, quia quẽ *Dominus diligit & in oculis fert, eum castigat.* Pauper es? gaudio exulta, quoniam ea bona in te conferentur, quæ quondam *in Lazarum.* Ignominia afficeris ob nomen Christi? ô beatum te, quia ignominia tua in angeli gloriam commutabitur. Seruus es? gratias tamen & sic agito. habes enim longè te inferiorem? gratias, inquam, agito, quòd vnum prætereas, quodque in pistrinum coniectus non sis, denique quòd flagris non cæderis. Nemini vnquam deerũt causæ gratias agendi. Iniustè tibi compedes inditæ sunt? spe rerum futuratum te sustenta. Iustè condemnatus es? etiam sic gratias habeto. Quoniam verò egregiæ res gestæ veterum, aut memoriæ propagatione nostram vsque ad ætatem conseruantur, aut in poëtarũ vel scriptorum monumentis

Num. 20. *Ex Hom. in laudem 40. Martyrum.* *Ex Hom. in 55. Psalmum Hebræo. 12. Luc. 10.* *Ex Hom. in Marty. Iulittam.* *Ex Orat. Qua vtili. ex profan. lib. capi possit.*

extant, ne simus, obsecro, eius vtilitatis, quæ ex ipsis percipi possit, expertes, veluti illius: Probris fundebat homo quidam plebeius Periclem, ille verò ea negligebat: & sanè tota die perseuerabant, ille quidem conuicia faciendo; hic verò nihil hominem pendendo. Deinde cùm iam adueseraseeret, & ille præ tenebris vix discederet, cum lumine ipsum pericles domum deduxit,† ne sibi inquinaret philosophiæ studium. Rursum cædebat quidam Sophronisci filium Socratem, in ipsam faciem impetu facto; ille verò non obuiam ibat, sed permittebat, vt se temulentus ille ita expleret, ita vt iam intumesceret & prę plagis sanioſa eius facies esset. Vbi autem ille cædere destitisset, Socrates quidem nihil aliud fecisse dicitur, quàm quòd eum fronti suæ, veluti statuæ cuidam inscripserit; atque ita vltus est hominem. Euclidi autem Megarensi, cùm esset quidam iratus, mortem illi minatus est, ac iurauit se eum è medio sublaturum: at ille contrà iurauit, se eum placaturum, ac ne animo in se hostili sit, effecturum. Illud verò facinus Cliniæ, qui erat vnus ex familiaribus Pythagoræ, vix nostris persuaderi potest. Autumant enim casu, & non spõte illud accidisse. Quid verò est, quod ille fecit? Cùm illi integrum esset iureiurando trium talentorum mulctam effugere, exoluere potius, quàm iurare maluit, quamuis id sanctè facere potuerit: non inscius, vt opinor, illius præcepti, quod nos iurare vetat. Et hoc quidem Cliniæ simile est huic præcepto, illud verò Euclidis illi, quod inimicis bona optare & non mala imprecari iubet. Quare qui de his ante fuerit edoctus, is non amplius illis tanquàm ijs, quæ fieri non possint, fidem derogabit. Proinde fac sit tibi præceptum Dei familiare, lucem veluti quandam, & splendorem ad dijudicationem rerum tibi assiduè præbens. Quæ ex longinquo animæ tuæ curam suscipens, & veras ac germanas ante de vnaquaque re opiniones præparans, non sinet te ab vlla re earum, quæ quotidie accidere solent, immutari, sed potius mente instructum, tanquam quendam scopulum mari vicinum fortiter, & constanter violentorũ ventorũ impetus ferre docebit, in Christo Iesu Domino nostro, quẽ sempiterna gloria consequatur. Amẽ.

Periclis patientia in conuicijs. † ὅπως ἀυτῷ μὲν διαφθαρῇ τὸ πρὸς φιλοσοφίαν γυμνάσιον. *Socratis tolerantia.* *Euclides Megarensis.* *Matth. 5.*

ORATIO XII.

De Mœrore & Tristitia.

Ex Epist. CVm video malum secundos habere progressus, vestramq; pietatẽ affligi, atque iam omnino assiduis malis renunciasse, mœrore affligor: cùm verò rursus magnam Dei manum mecum perpendo, tum quòd is nouit afflictos erigere, & amplecti iustos, proterere autem arrogantes, & sedibus potentes eijcere, rursum animo mutato spe recreor. Certus enim sum, quòd & vos scire volo, celerem fore rerum commutationem, nec diuturna hæc mala. Nam quæ passi sumus, ob peccata nostra passi sumus: auxilium verò nobis ob singularem suam in seruos charitatem, ac commiserationem hominum amator feret. Siue enim peccatorum pœnas pendimus, satis sunt hæ præsentes plagæ ad deprecandam in posterum Dei in nos iram, siue ad certamina pro pietate per has tentationes vocamur, iustus certaminum præses, *non sinet nos tentari suprà quàm possimus*, sed ob ea, quæ perpessi sumus, dabit nobis tolerantiæ ac spei in ipsum coronam. Quis enim adeò adamantina anima præditus est? quis adeò immanis ac ferus, vt audiens gemitum omni ex parte vos impetentem, veluti à quodam choro tristi communem quandam & consonam lamentationem accinentem, non animo doleat, nec ad terram vultum demittat, nec denique immensis ijs ærumnis penitus colliquescat atque concidat? Hæc autem dico non consolandi vestri gratia, (quæ enim oratio talis inueniri potest, vt tantæ calamitati medicinam faciat?) sed dolorem cordis mei, quoad fieri potest, vobis hac voce demonstro. Expendimus enim artem diabolici belli, qui cum videret virtutem, tum vel maximè cum nos inimici persequuntur, augeri ac florere, mutauit consilium suum, nec amplius aperto Marte bellum gerit, sed occultas insidias nobis struit, obtegendo eas eo nomine, quòd inimici nostri circumferunt, vt eadem perpetientes, quæ & patres

1. Cor. 10.

patres nostri passi sunt, nō tamē videamur pati pro Christo, eo quod etiam illi ipsi, qui nos persequuntur, Christianorū nomen habeant. Hæc nos mirandum in modum perturbarunt, & parum abfuit quin mente emouerent, dumque hæc animo agitaremus, venit etiam illud in mentem: Nunquid Dominus seruos suos deseruit? nunquid extremū tempus instat, & abolitio ab ijs initium sumit, vt in posterū patefiat iniquus ille filius perditionis, qui aduersatur, ac sese effert supra omnem Deum ac numen? Veruntamen, siue hæc tentatio menstrua est, sufferte ipsam vos egregij Christi pugiles, siue etiam perfecto iam interitui res traduntur,

2. Thess. 1. ne, obsecro, negligamus præsentem rerum statum, sed *expectemus reuelationem è cœlis, aduentum magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi.* Si enim omnis creatura diffipabitur, & figura huius mundi transmutabitur, nulli mirum profecto videri debet, si etiam nos pars creaturæ cùm simus, mala perpetiamur, atq; calamitatibus his affligamur, quas pro ratione vi-

1. Cor. 10. rium nostrarū inducit nobis iustus iudex qui nos *tentari non sit permissurus supra quàm possimus*, sed cum tētatione cuiusmodi euentum facturus, vt ferendo vincere queamus. Ne itaq; nos labor frangat. manent enim nos Martyrū coronæ; præstò sunt chori confessorum, qui parati sunt nobis manus porrigere, atque in numerum suorum recipere. Veniant vobis in mentem patres illi sancti, nemo eorum delicijs aut adulatoribus sese dando coronas patientiæ reportauit, sed omnes illi ingentes ærumnas sustinendo, dignos se esse vita æterna probarūt. Beatus qui dignus habitus est, vt afflictiones pro Christo sufferret: longè beatior, qui plures ac maio-

Rom. 8. res ærumnas pertulit, quia *non sunt condignæ passiones huius tēporis, vt conferātur cum futura gloria, quæ nobis tribuetur.* Qui enim in ærumnis animo non cadit, sed ob spem, quam positam habet in Deo, vim mœroris sustinet, is profectò à Deo to-

Ex Hom. de gratiarum actione. lerantiæ suæ mercedem recipiet. Quemadmodum autem vermes in tenerioribus lignis maximè nascuntur, sic etiam mœrores, vt plurimùm in homines molliores cadunt. Neque tamen fœminis, neque viris concessus est nimius luctus, ac ingens vis lacrymarum, sed vt paululum tantum rebus in aduersis tristitiæ se dent, & modicas quasdam lacrymas profundant, atque hoc ita quietè, vt nec dentibus infrendant, neque vlulent, neque vestes discindant, aut puluerem inspergant, aut aliquo alio modo indecorè se gerant, instar eorum, qui rerum humanarum rudes, atque imperiti sunt. Nam fortis animi non est, nec eius, qui firmitudinem aliquam ex ea spe, quam in Deum posuit, habet, rebus

Lacryma vnde. aduersis succumbere atque frangi. Nam lacrymæ ex improuiso quodam incursu, veluti plaga quadā animam cædente, ac contrahente, dum spiritus circa cor comprimitur, ge-

Gaudium. nerari solent. Gaudium verò, exultatio quædam est animæ ijs rebus gaudentis, quæ ex sententia cessere. Vnde etiam ea, quæ circa corpus euenire solent, inter se discrepant. Nam qui tristitia afficiuntur, subpallido, liuido, ac frigido sunt corpore: at qui lætitia exultant, florido, atque rubicundo: saliente propemodum ac foras progrediente anima præ voluptate. Ac sanè multos nouimus, cùm calamitate ingenti affligerentur, vi à lacrymis sibi temperasse, deinde in quosdam morbos insanabiles cecidisse, in apoplexias, inquam, ac paralyses; alios verò penitus exinanitos esse, cùm vires ipsorum perinde ac debile fulcrum quoddam, tristitiæ onere confringerentur. Id in flamma videre licet, quæ à proprio fumo suffocatur, cùm foras non egrediatur, sed circa ipsam se volutet: hoc ipsum etiam aiunt in facultate, quæ animal gubernat, ac regit, fieri: contabescit enim ac extinguitur à doloribus, cùm nulla foris per-

Ioan. 11. spiratio fiat. At dices, cuius igitur gratia Christus Lazarū luxit? nimirū eam ob causam, vt mœstorum ac lamentantium hominum condolentiam, & animi demissionem corrigeret. Lacrymas enim Domini commiserationis plenas non fuisse, sed docendi nostri causa profusas esse, ex ijs verbis patet, quæ dixit: Ait enim: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado excitare ipsum.* Quis nostrûm dormientem amicum luget, quem sperat paulò pòst expergrectum iri? *Lazare adesdum*, ait, & qui iam mortem oppetierat, reuixit, vinculisque constrictus ambulauit. Est quidem res admirationis plena: fascijs constricti erant pedes, nec tamen impedimento fuerant motui: maius enim erat robur impedimento. Quomodo igitur ille, qui talia editurus erat id quod euenit, lacrymis dignum iudicauit? Manifestum itaque est, quòd omni ex parte imbecillitatem nostram fulciendo, mensuris quibusdam, ac terminis necessarias perturbationes constrinxerit, condolentiam quidem quasi ferinam declinans, tristitiæ verò studium, ac nimiam lamentationem, vt ingenerosam deuitans. Quid verò Iob? num adamantino corde erat? num ex lapide viscera eius confecta? ceciderant ipsi momento temporis decem liberi vna plaga contriti, atque hoc in domo iucunditatis, & eo tempore cùm voluptati se darent, dæmone nimirum in ipsos domum incutiente. Vidit mensam sanguine conspersam, vidit liberos diuerso quidem tempore in lucem editos, at communem vitæ finem sortitos, non tamen plorauit, non comam vulsit, non edidit vocem aliquam muliebrem, sed illam decantatam & ab omnibus celebratam: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum?* Num ferus fuit hic homo? & quónam id modo, cùm de se ipso dicat, *Ego magis plorauī, quàm quiuis alius, omnibus miserijs coopertus.* Num ergo mentitus est hæc dicens? nequaquam. Ipsa enim veritas testimonium ipsi præbet, asserendo, eum ad cæteras suas virtutes etiam veritatem adiunxisse. Sic enim inquit: *Homo reprehensione vacans, iustus, pius, verax.* Verùm plurimi mortalium cantilenis quibusdam ad tristitiam compositis lamentantur, carminibusque lugubribus, vt animæ ipsorum diffluant, studentes: ac sanè quemadmodum Tragœdorum proprium est figmentum ipsum, & scena, quibus theatra occupantur, sic etiam putant conuenire lugenti vestem nigram, squalidam comam, tenebras in domo, sordes, puluerem, ac cantum lugubrem, qui animę omni tempore recens mœroris vulnus in memoriam reuocat. Nesciunt equidem, quòd animæ, quæ semel desiderio creatoris ardere cœpit, quæque rebus pulchris, quę illic sunt, assueta est, gaudium, à vario lapsu carnalium perturbationum non immutatur, sed quæ sunt alijs tristitia, ijs illa lætitiam suam cumulat atque auget. Quemadmodum enim qui debiles oculos habent, ipsos à rebus splendidis longè amouentes, floribus ac herbis recreant, sic etiam animam oportet, non semper intueri id, quod lugubre est, neque præsentibus molestijs deditam esse, sed oculos suos ad verorum bonorum speculationem conuertere.

Ex Hom. in fame & siccitate.

Nam res aduersæ animum, sicuti ignis aurum, probant: ac sanè illis, qui rectè sunt instituti, calamitates velut alimenta, quæ athletica atque exercitationes sunt, quæ luctatorem ad paternam gloriam deducunt. Nimia autem tristitia auctor peccati esse solet, cùm mœror mentem submergat, consilij inopia vertiginem afferat, penuria cogitationis ingratum animum generet. Turpe etenim est benedicere vos res ob secundas, silere verò ob aduersas: imo tunc & maximè gratiæ nobis agendæ essent, cùm exploratum habeamus, quòd *quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Eripit quidem ex miserijs sanctos suos Deus, non tamen absque probatione, sed tolerantiam ipsis tribuit. Quòd si calamitates, & miseriæ tolerantiam operantur, tolerantia verò probationem, qui miserias æquo animo ferre non vult, is probatione seipsum priuat. Proinde sicut nemo coronatur sine aduersario, sic neque probatus renunciari quisquam potest, nisi multas calamitates pertulerit. Ex omnibus itaque miserijs, atque calamitatibus eripiet ipsos Dominus, non sinens eos nimium calamitatibus affligi, sed vnà *cum tentatione dabit etiam exitum*, hoc est, vt tolerare eas possimus. Qui verò dicit, non conuenire iusto afflictionem, aliud nihil dicit, nisi quòd non conueniat, vt athleta sese exerceat. Quoniam verò afflictis ingentem consolationem affert, cum participes habent aliquos sui luctus, ideo simul cum ijs dolere, qui calamitate aliqua afficiantur, æquùm est. Hac enim ratione socium te præbebis afflictis, non autem si in calamitate alterius hilaris fueris, nec si in alienis malis indifferentem te exhibueris. Non tamen simul cum afflictis adeò luctu efferri conuenit, vt vnà exclames, aut lamenteris, aut ipsos in alijs imiteris, nec æmuleris eum, cui erumnæ tenebras obduxerunt, hoc est,

Ex Hom. in fame & siccitate.

Ex Hom. in 33. Psal.

Ex Hom. in fame & siccitate.

Ex Hom. in 33. Psal.

Hebr. 12.

Rom. 5.

1. Cor. 10.

Ex Hom. contrà calumni quòd tres Deos dicamus.

Iob 1.

Iob 16. secundum LXX.

Iob 1.

qui

qui seipsum abdit, nigrum vestitum gerit, humi procumbit, capillos negligit. His enim calamitas magis augetur, quàm leuatur. Angi quidem ob ea, quæ acciderunt, & quietè contristari ob ærumnas licet, sed tamen ita, vt in omnibus grauitatem seruet. Vbi verò ad colloquium veniẽdum erit, non conuenit statim ad obiurgationes descendere, velut iacentibus insultantem. Acerbæ enim esse solent afflictis obiurgationes; nec eorum sermonem ferre possunt, qui dolore non tanguntur in alienis malis, quique in persuadendo parum valent. Nam vt oculo inflammato, etiam mollissimum medicamentum molestiam exhibet, sic etiam & animo, qui grauitate calamitatis ardet, quamuis multam consolationem afferat sermo, molestus tamen quodammodo esse solet, si tum, cùm in dolore sumus, proferatur. Cum verò ob delictorum pœnitentiam fratrem lugere conspexeris, vnà cum eiuscemodi fleto. Nam & tu in alienis malis propria corrigere poteris. Qui enim pro peccato proximi calidam lacrymarum guttam profundit, is sibi ipsi medicinam facit, eò quòd fratrem deflet. Ob peccatum luge, hoc enim animæ ægritudo est, hoc rei immortalis mors, hoc luctu, & ingenti eiulatu dignum est, ob hoc lacrymæ profundantur, & ne cesset gemitus ex medio corde proficiscens. Sic flebat Hieremias ob pereuntem populum, cui cum non satis essent naturales lachrymæ, *fontem lacrymarum*, & abditum locum requirebat. Pro his autem omnibus gratias agamus Christo Deo nostro, quoniam illum solùm decet omnis gloria, honos & cultus, vnà cum patre æterno, & sanctissimo ac viuificatore Spiritu, nunc & semper & insæcula sæculorum, Amen.

Ex Hom. in Mart. Iulittam.

Ex Epist.

Ex Hom. de Gratiarum actione.

Hiere. 9.

ORATIO XIII.

De Eleemosyna ac Benignitate.

SI diuitias, ô homo, & eum honorem, qui ex ipsis proficiscitur, suspicis, considera, obsecro, quantò magis ad gloriam faciat, multorum filiorum patrem appellari, quàm ingenti pecunia affluere. Nam pecuniam quidem relinques hoc in mundo, etiamsi nolueris: at eam gloriam, quam ex bonis actionibus adeptus fueris, ad Dominum deferes, quando vniuersus populus coram communi omnium iudice constitutus, nutritorem, & benefactorem suum te appellabit, omniaque humanitatis nomina tibi tribuet. Ac in nundinis quidem nemo mœrore affligitur, profundens præsentia, & vicissim recipiens ea, quibus opus habet; verùm quantò minore pretio pretiosissimas res comparauerit, tantò magis exultat, quasi qui egregiam permutationem fecerit. Tu vero in mœstitia es, cum aurum, argentum, & opes tradis, hoc est cum lapides, & terram largiris, quò beatam vitam consequaris. Sed quasnam ad res vteris auro? veste pretiosa te ornabis? at tunicella ex duabus vlnis confecta tibi satis erit, & vnius pallij amictus omnem indumentorum necessitatem explebit. Ad victum comparandum diuitijs te vsurum inquies? at vnus panis ad explendum ventrem sufficit. Quid igitur mœres, quasi aliqua re priuatus esses? Num gloria ex diuitijs? at si non in terra gloriam quæsiueris, inuenies veram illam & splendidam gloriam, quæ te in regnum cœlorum deducet. Dissipatæ diuitiæ, eum in modum, quem Dominus præscribit, permanere solent, retentæ autem, abalienari. Si eas custodieris, non habebis; si effuderis, iacturam earum non facies. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.* Nam diuitiarum vsum dispensatorium, non autem voluptuarium esse, eos, qui rectè iudicare velint, existimare par est. Itaque vbi eas exposuerimus, lætitia efferri debemus, perinde ac si essemus alienis rebus priuati; non autem ægreferre, tanquam proprijs excidissemus. Cur igitur tristitiæ te das? cur animo luctum percipis, illud cùm audis? *Vende res tuas, & da pauperibus.* Nam etiam si te consequerentur ad vitam sempiternam, non tamen tanto cum studio essent parandæ, vtpote quibus ea præmia, quæ illic tribuuntur, tenebras obducent. Quòd si necessariò nobis sunt hîc relinquendæ, cur amabo, non venditis ipsis, lucrum, quod hinc capi possit, auferimus? Qui enim rebus præsentibus malè vtitur, is æquè miserabilis est, ac ille, qui seipsum sponte eo gladio, quem accepit ad vindicandos hostes, vulneribus conficit. At qui bene eis vtitur, quique secundum rectam rationem præsentia administrat, atque ea bona, quæ ipsi à Deo largita sunt, in pauperes distribuit, dispensatorem se earum gerendo, non autem propriæ voluptatis gratia ea parando, ille & laudibus ornandus, & amore prosequendus est, eò quòd amore fraterno, & moribus humanæ societati studentibus, præditus sit. Aspicite, quæso, quomodo ingens numerus peccatorum nostrorum, & tempora à proprijs naturis abduxerit, & eorum species proprias in alienas temperaturas transmutauerit. Omnia enim æquè creationis terminos transgressa sunt, peruersaque conspiratione in perniciem nostram facta, homines è vita cedere cogunt. Quæ est igitur huius perturbationis ac confusionis causa? nempe hæc, quòd nos ipsi cùm accipiamus, alijs non largimur: Beneficentiam in cælum laudibus ferimus, nec tamen benignè facimus ijs, qui penuria rerũ laborant. Serui ipsi cùm simus, in libertatem vindicamur, non tamen nos nostrorum conseruorum miseret. Esurientes nutrimur, nos verò egenum præterimus. Liberalem suppeditatorem habentes, restricti ipsi sumus, nec volumus participes facere rerum nostrarum pauperes. Fœcundæ nobis sunt oues, nudorum tamẽ maior est numerus, quàm sit ouium. cellæ ob multitudinem earum rerum, quæ sunt in eas conditæ, coarctantur, nos tamen misericordiam non tribuimus ei, qui in summas angustias adductus est. Pauper es? attamen alium habes longè te pauperiorem. Tibi enim decem dierum sunt alimenta, illi verò vnius diei tantùm. Proinde veluti homo benignus, id, quod tibi redundat, cum indigente adæquato, ne cuncteris de modico largiri, ne præferas tuam vtilitatem communi periculo. Et si in vno solùm pane totus victus consisteret, & pro foribus staret qui peteret, proferto ex penu illum vnum panem, & imponens eum manibus, atque ijs in cœlum sublatis, dicito orationem miserabilem simul & mitem: *Vnus panis* tantùm mihi est, quem cernis, Domine, & periculum manifestum impendet, sed ego tuum præceptum meo periculo antepono, & ex pauco præbeo fratri esurienti: da & tu seruo, qui est maximis in angustijs: Noui tuam bonitatem, confido etiam tuæ potentiæ, non in diem tu profers ac producis gratiam tuam, sed dispergis, quando vis, dona tua. Quod si ita dixeris & feceris, ille panis, quem maximo cum luctu præbuisti, existet semen segetis, atque multiplicem fructum gignet. Tu verò dicis, quòd proximum tuum diligis, vt teipsum: verùm id, quod à Domino dictum est, redarguit te, & declarat quàm longissimè abesse à vera charitate. Si enim tantum largitus es vnicuique, quantum sibiipsi, vnde tibi hæc tanta pecuniarum vbertas? Qui enim proximum ita charum habet, vt seipsum, hic nihil amplius quam proximus possidet: sed cùm tu possideas, videris apertè proprium vsum pluris facere, quàm multorum commoda, atque solatium: quantò enim maioribus circũfluis diuitijs, tantò magis charitatis expers es. Nam si charum habuisses proximum tuum, iam diu cogitationem abalienandæ pecuniæ suscepisses. Nunc verò opes tibi magis quàm corporis membra creuere, & dolori maximo tibi est ipsarum separatio, veluti partium corporis abscissio. Si enim vestiuisses nudum, si dedisses esurienti panem tuum, si fores tuæ omni peregrino patuissent, si pupillis patrem te præbuisses, si debilis ac infirmi vicem doluisses, quarum nunc diuitiarum causa mœrore affligeris, iam olim ipsas indigentibus distribuere studuisses. O quantas te benefactori gratias agere oportebat, & quàm hilari ac læto animo esse, ob eum honorem, nimirum quòd ipse aliorum fores non obis, sed quòd alij tuas circunstant. Participes facias frumenti fratres: id, quod cras putrescet, hodie trade egenti. Auaritiæ sane forma pessima est, quæ ne ea quidem quæ corrumpuntur, egenis impertiri vult. Quòd si ille, qui vestem homini induto detraxerit, prædator nominabitur; certè ille, qui hominem nudum non vestierit, cùm id facere possit, alia quadam peiori appellatione dignus est. Esurientis est panis, quem tu detines; nudi est pallium, quod tu in vestiario conseruas; calceus, qui apud te putrescit; Eius, qui eo caret, indigentis est aurum, quod terra obruisti. Proinde tot hominibus iniuriam infers, quot beneficio complecti potuisti. Quomodo tibi pauperis miserias ob oculos

Ex Hom. in eum locum Destruam horrea mea.

Ex Hom. ad diuites.

Psal. 3. & 2. Cor. 9.

Matth. 19.

Ex Hom. de Inuidia.

Ex Hom. habita in fame & siccitate.

Ex Hom. ad diuites.

Ex Hom. in eum locum. Destruam horrea mea.

oculos ponam, quo scire possis, è quibus gemitibus tibi thesaurum comparas? O quàm pretiosum tibi in die illa
Mat.25. iudicij verbum illud videbitur! *Venite benedicti patris mei, possidere regnum iam multis à seculis vobis paratum.* Quantus rursus horror, quantus sudor, quantæ tenebræ tibi oborientur, cùm sententiam illam audies, *Abite à me maledicti*
Ex Hom. in 32. Psal. *in tenebras exteriores, quæ paratæ sunt dæmoni, & angelis ipsius.* Neque enim misericordia sine iudicio, neque
Eccles.3. iudicium sine misericordia est: ante iudicium cordi est illi misericordia, & post misericordiam venit ad iudicium. Hæc autem ita inter se coniuncta sunt, misericordia nimirum cum iudicio, vt neque misericordia sola securitatem parere, neque iudicium solum desperationẽ afferre possit.
Ex Hom. ad diuites. Si neminem morte affecisti, si adulterium non perpetrasti, si nec furtum fecisti, nec falsum testimonium contra quenquam dixisti; studium & operam, quam in ijs rebus ponis, perdis, cùm id non addas, quod reliquum est: cuius opera solum poteris cõsequi regnum Dei. Quod si tibi Medicus promitteret, se membra tua correcturum, quæ aut natura, aut ægritudo mutila effecit, non animo vtique tristi hæc exciperes. Cum vero te magnus animorum Medicus, omnibus numeris absolutum opera misericordiæ facere vult, cui maximæ ac principalissimæ partes desunt, non agnoscis beneficium, sed luges, ac tristem vultum præ te fers, animum tuum dolore conficiens, & ea omnia, quæ erant tibi præparata, inutilia ipsemet reddis.
Ex Hexaemero. Formicarũ sedulitas in æstate Prou.6. Non studiosus eris tui? non in hac vita recondes futuræ quietem atque tranquillitatem, formicæ exemplo? quæ æstate ea, quibus hyeme victitet, reponit, nec quia nondum hyemis incommoda adsunt, tempus per negligentiam ociumque transmittit; sed perpetuo quodam studio seipsam ad opus compellit, quo ad quantum satis est ad vitam tuendam, reposuerit: neque id inertia & ignauia vlla facit, sed prudenti quadam consideratione, quæ res ad victum necessaria diurissimè esse possit, excogitat. Suo enim ore id, quod in medijs fructibus est, verberat & secat, ne si germinarent, nihil ipsi ad victum conducerent. Præterea eos siccat, cum illos humidos esse senserit, nec eos quouis tempore profert, sed tum denique, cum cœlum se-
Ex Hom. in eum locum: Destruam horrea mea. renum præsenserit. Nunquam imbrem ex nubibus delabi videre poteris, quandiu frumentum ex formicarum cauernis prolatum est. Imitare terram, ô homo, fructum ferto velut illa, ne iudiceris deterior esse re, quę est animæ expers: illa enim fructus non ad vsum suum, sed ad tuum gignit: tu verò quem ostendere debebas beneficentię fru-
Hæc ex ora videntur irrepsisse ctum, hunc tibi ipsi cumulas. [*Benefactorum autem gratiæ, ad illos, qui ea in alios collocarint, reuertuntur.*] Dedisti aliquid esurienti, tuum hoc, quod dedisti, efficitur, magno cum fœnore ad te rediens. Quemadmodum enim semen terræ mandatum, lucrum ei parit, qui illud mandauit; sic etiam panis, qui homini esurienti largitur, magnam vtilitatem in
Ex Hom. habita Laticis. posterũ affert. Si aliquis pro foribus tuis astiterit, necessitati suæ medicinam aliquam quærẽs, ne, quæso, ad inæqualia respicias, néve dicas, Hic amicus est, hic cognatus, hic benefactor, ille peregrinus, alienus, ignotus: nam si ad inæqualia respexeris, non tibi etiam impertietur misericordia. Vna est natura, homo & hic & ille, vna necessitas, penuria vterque eadem laborat, largire fratri & peregrino; & ita neque fratrem despicies, & peregrinum fratrem proprium efficies. Vult te Deus omnipotens consolationem adhibere egentibus, non autem rationem habere personarum. Non vult vt cognatis des, peregrinum verò repellas: omnes enim cognati, omnes fratres, vnius patris filij omnes. Sunt nonnulli ex alicuius dominationis graui periculo à creatore erepti, nec est illis quidquam, vnde vitam sustentent suam: solo nanque animo, & corpore periculum illud declinarunt. Nos itaque, qui molestiarum periculo non gustato, illæsi præmansimus, communicemus cum illis opes nostras, amplectamur eos fratres, qui vix seruati sunt, dicat quisque ad
Luc.15.32. vnumquemque, *E vita iam decesserat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Contegamus denique corpus nobis propinquum, opponamus iniuriæ ac impetui hostili auxilium atque consolationem nostram: quo etiamsi læsit ille, nullum tamen damnum dedisse videatur, & illato

A bello nullum victum ostendisse; & si fratrum facultates abstulerit, à nostra munificentia, & liberalitate superatus appareat. Propter charitatem quidem simplicem ac liberalem erga eos, qui petunt, distributorem esse oportet, iuxta illud præceptum; *Petenti dato*, at ratione rursum *Luc.6.* diiudicare conuenit vniuscuiusque eorum, qui petunt, necessitatem, vt ex Actis Apostolorum didicimus, vbi di- *Act.4.* citur; *Datum vnicuique est tantum, quantum opus habebat.* Cùm enim multi transgredientes vsum rerum necessariarum, occasionem nundinationis, & materiem obscœni *Eleemosynæ erogandæ ratio.* luxus, petitionem faciant, scitè & aptè pro necessitate atque vsu vniuscuiusque, distributio rerum necessariarum fieri debet. Illis enim, qui cantilenas lugubres, vt mulieres B circumueniant, componunt, & qui mutilationes corporis, & vlcera quæstus gratia sibi inferunt, non omnino vtile est abundans ac liberale illud ministerium: nam illa erogatio occasionem illis dat vitiorum perpetrandorum: pauca tamen largitione oportet talium clamorem retundere. Animus verò fraternus, & commiseratio in eos conferenda est, qui æquo ac patienti animo miserias ferre didicerunt, de quibus etiam illud dicetur; *Esuriui, & dedistis mi-* *Mat.25.* *hi comedere.* Eam ob causam magna opus est experientia *Ex Epist.* ad dignoscendum, quinam verè indigeat, & qui auaritia adductus petat. Atque ille quidem, qui homini afflicto aliquid dat, Domino ipsi dat, ab eoque mercedem accipiet: qui verò erroni præbet, is proiecit cani molesto ob impu- C dentiam, non autem homini miserabili ob egestatẽ. Au- *Ex Hõ. contra fœnerantes.* dite diuites, qualia consilia propter vestram inhumanitatem damus pauperibus: satius esse dicimus, ea mala, quibus vrgentur, sustinere, quàm eas calamitates, quæ ex vsuris descendunt, subire. Quòd si Domino obediretis, quid esset ijs sermonibus opus? *Mutuum date*, inquit ille, *his, à* *Luc.6.* *quibus sperati nihil vos accepturos.* Cùm enim pauperi dabis propter Dominum, idem illud & donum & mutuum efficietur, donum quidem ideò, quia nihil te speras hinc recepturum, mutuum verò propter Domini magnificentiam, qui pro ipso rependet: qui cùm pauca per pauperem acceperit, magna pro ipsis referet. Perpendat autem *Ex Hom. de Eleemosyna & iudicio.* D vnusquisque diuitum proprios fructus, ex quibus dona Deo consecraturus sit, ne pauperem opptimat, ne infirmiorem se cogat, ne eius bona, qui imperio illius paret, inuadat, potentia & imperio loco iustitiæ vtens. Nam iustitiam & æqualitatem seruare, etiam aduersus seruos iubemur. Ne ideò, quoniam imperas, cogas; neque quia vales, aliena diripias: sed quoniam facultas tibi est, ostende opera iustitię. Non enim ex eo, quod potis non eras, probabis te Deo obedientem fuisse, ac eum timuisse, verum ex eo, quod cum *transgredi posses, tamen non es transgressus.* Qui vero bona pauperum diripiunt, vt in alios benefici sint, hi certe melius ac longè honestius facerent, si nec raperent, nec largirentur. Nam neque benefi- *Eleemosyna ex male partis non grata Deo.* E centia ex iniustis lucris in egenos profecta grata Deo est; neque is, qui à rebus iniustis abstinet, laude est dignus, si nemini res suas impertierit. Nam de his quidem, qui iniuriam faciendo, dona Deo dicare instituunt, sic scriptum est: *Hostiam improborum abominatur Dominus.* De illis vero, *Esaiæ.1.* quos aliorum non miseret, hunc in modum: *Qui aures suas* *Prouer.15.* *obturat, ne pauperem audiat: & ipse aliquando alterius opem* *& 21.* *implorabit, nec erit, qui hominem exaudiat.* Eam ob causam præceptum illud tale nobis consilium dat: *Honora*, inquit, *Prou.3.* *Dominum iustis tuis laboribus, & primitias ei offerto ex fructibus* *Iob 4.* *iustitiæ.* Si enim ex iniustitia, & rapina Deo sacrificium *Luc.14.* facturus sis, multò satius esset, non tenere talem possessionem, neque ex ipsa offerre. Purum nanque donum F liberabit animam, vt scriptum est, & *preces hominum* *Psal.34. &* *proborum gratæ, atque acceptæ sunt illi.* Et rursum; *Si cum* *144.* *possideas ea, quæ iustis laboribus* acquisiuisti, non autem ex ijs offers Deo, offers autem ex his, quibus nutriuntur pauperes, pro rapina illud habebitur. Nam per Malachiam ait Deus, *Primitiæ, & decimæ vestræ sint vobiscum, & re-* *Malac 3 8.* *maneat rapina in domibus vestris.* Cur igitur contaminas di- *& 1.13.* uitias tuas, ô homo, introducendo in eas lucra iniusta? cur *iuxta LXX.* execrabilem iniustitiâ facis tuam oblationem? offerre egrediens illud, quo debebas pauperem hominem prosequi. Illius te misericordia teneat, quem iniuria affecisti,

hunc humanitate comprehendito, huic benigne facito, & ita magno cum iudicio satisfacies misericordiæ. Nullum enim est Deo cum auaritia commercium, neque vlla cum prædonibus aut sicariis consuetudo. Neque ideo quasi ipse non posset alere pauperes, eos nobis alendos reliquit, sed iustum ac benignum fructum à nobis requirit, nostræ beneficentiæ causa. Benignitas ex iniustitia esse non solet, nec ex execratione benedictio, neque ex lacrymis beneficentia: ostentationis gratia talia fiunt, nec laudem Dei Opt. Max. sed hominum quærunt, atque venantur. Si enim quasi ipso Deo intuente, benigne alicui facis, vide ne id agas ex perperam acquisitis, illud persuasum habens, quod inspectorem Deum lætitia non afficies. Proinde sic benigne faciamus pauperibus, vt etiam ipsi hinc aliquid à Deo recipiamus. Rependit autem Deus illis, quos laudat, laudat vero auidum neminem. Ne erretis, non aliter recipiet Christus eam benignitatem, quam in pauperes confertis, nisi prius satisfeceritis iis, quibus aliquod damnum dedistis. Sic Dominus recepit Zacchæi probitatem, dicens: *Hodie huic domui salus parta est*, quoniam paratus erat restituere quadruplum, si quem circumuenisset, & quod mediam partem eius pecuniæ, quæ sibi relicta erat, pauperibus distribuisset. Sciebat enim ita se demum Christo rem gratam facturum. Demus igitur, ô fratres, diuitiis licentiam, quæ ad egenos effundi volunt. Ne prætereamus Lazaros etiam nunc ob oculos nostros positos, neque negemus ipsis micas mensæ nostræ, quæ ad explendam famem illis satis sunt, ne immanem illum diuitem imitantes ad eandem cum illo gehennæ flammam descendamus. Nam multis quidem tum precibus ab Abrahamo contendemus, & ab aliis, qui honeste vitam traduxerunt suam, verum nihil nobis illa vociferatio emolumenti afferet. *Frater enim cum non liberet, liberabitne, amabo, alius homo?* Dicet autem nobis quilibet illorum magna voce: Ne desideres humanitatem, quam tu aliis tribuere noluisti, neque contendas accipere adeo magna, cum tu in minoribus restrictus fueris. Fruere his, quæ tibi, dum in viuis esses, parasti, lacrymas nunc profundito: quandoquidem tum lacrymantem fratrem conspiciens, ipsius non es misertus. Hæc dicent nobis, nec sane iniuria. Valde autem extimesco, ne etiam asperioribus nos impetant, cum longe superiores simus illo diuite, vt scitis, improbitate, quoniam adulatores, & parasiti, præter hoc quod laute à nobis accipiuntur, manus etiam precios is muneribus refertas referunt, & discũt à nobis, longe melius esse, talia exercere, quã virtuti operã dare. Quod si pauper aliquis nobis adstiterit, qui præ fame vix loqui possit, abominabimur hominem, ac festinanter præterimus, tanquam extimescentes, ne etiam infœlicitatis ipsius ex tardiori gressu participes fiamus: & si quidem ille oculos solo defixerit, ob calamitatem pudore affectus, simulationis artificem ipsum esse dicimus. Sin vero confidenter, propter grauem famis stimulum, nos aspexerit, impudentem rursum ac audacem appellamus. Etsi quidem integris vestibus coopertus fuerit, quas forte aliquis illi dono dedit, velut inexplebilem repellimus, paupertatemque ipsum simulare, etiam iuramento asserimus. Sin vero pannis obsitus fuerit, vt putidum abigimus, & neque creatoris nomen, quod supplicationibus suis inserit, neque ne in tales calamitates veniamus, assidue precando, ferum ac inhumanum propositum nostrum flectere potest. Quapropter multo grauiorem gehennæ ignem extimesco, quam diuitis illius fuit, qui Lazarum despexerat. Id ne fiat, misericordiam tribuamus afflictis, & vt præterea ipsi bona æterna consequi possimus, in Christo Iesu Domino nostro, cui sit gloria, & potestas cum æterno Patre, & viuifico Spiritu, nunc, & semper, & in sempiterna sæcula. Amen.

Luc.19.

Ex Homil. non adhærendum rebus huius seculi.

Luc.16.

Psal.48.

ORATIO XIIII.

De Diuitijs, & Paupertate.

Ex Hom. in illud. De struã horrea. *Luc.12.18.*

QVemadmodum putei illi, qui identidem exhauriuntur, longè elegantiores cæteris esse solent, sic etiam diuitiæ illæ, quæ quiescunt ac reponuntur, nullius vsui existunt: at quæ mouentur, & hinc inde transeunt, summam vtilitatem fructumque afferunt. Ego quidem vehementer mirari soleo, quomodo post illos superfluos, ac non necessarios sumptus, cum opes multas in partes distractæ sint, adhuc redundent, & ab ijs, qui eas tenent, sub terram detrudantur, atque locis in abditis asseruentur. Heu, cum infinitis modis aurum insumere non posses, tunc illud terra obruis. Ac mihi sanè videtur animus diuitum, helluonum animo persimilis esse, qui disrumpi potius præ ingluuie malunt, quam quidquam ex his rebus, quæ supersunt, egentibus impartiri. Talis nobis in Euangelio describitur dives, circunsteterant iam eum illi, qui animam ab eo repetituri erant: ille tamen de eduliis cum anima disserebat: illa nocte è vita erat discessurus, multorum tamen illorum vsum meditabatur. Ingens sanè insania est, terram, dum in metallis continebat aurum, perscrutari; cum autem est erutum, rursus illud defodere. Contingit præterea, mea quidem sententia, vt ille, qui aurum defodit, simul etiam cor ipsum defodiat. *Vbi enim thesaurus tuus est*, inquit, ille, *ibi etiam & cor tuum.* Age igitur, ô dives, variè opes tuas dispensa. Ne, quæso, difficili animo sis, néve expectes rei frumentariæ penuriam, vt tum horrea aperias tua. Ne famem appetas auri causa; neque omnium inopiam, priuatę opulentię gratię. Ne sis caupo humanarum calamitatum; ne iram Dei veluti occasionem quandam ad conficiendam pecuniam captes. Tu quidem aurum respicis, fratrem verò tuum non conspicis: Numismatis etiam sculpturam agnoscis, & ab sincero adulterinum bellè discernis, at quantis frater tuus conflictetur malis, non vides: & auri quidem colore mirandum in modum gaudes: at quantus te egeni gemitus sequatur, animo non lustras tuo. Sed dices, quem, obsecro, iniuria afficio, si mea retineo, & conseruo? quęnam ista tua sint, cedo? Vnde ea accipiens in hanc vitam intulisti? Perinde ac si quis in theatro spectandi locum occupet, deinde ingredi volentes arceat, suum esse iudicans id, quod omnium ad vsum constitutum est. Eiuscemodi equidẽ sunt diuites, qui ea, quę omnium ad vtilitatem sunt constituta, præoccupantes sibi vindicant, propter temporis quandam anticipationem, cum si vnusquisque tantum ex ijs caperet, quantum satis esset ad vitam tolerandam, & id quod redundaret, ei qui opus habet, largiretur, nemo esset dives, nemo inops. Nonne nudus ex vtero matris excidisti? nonne rursum nudus in terram reuertes? Ea vero, quę tenes, vnde habes? si casu dicis te ea consecutum esse, impius es, qui neq; conditorem agnoscis, neque gratiam ei, qui hæc in te contulit, refers, sin vero fateris à Deo profecta esse, quę habes, cedo rationem, ob quã ea in te collata sunt? Num iniustus est Deus, qui inęqualiter nobis ea, quę ad vitam sunt necessaria, distribuit? cur tu diuitijs circũfluis? cur illi egestas imperat? Profecto nulla alia de causa, nisi vt & tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem acciperes, & ille ob magna patientiæ certamina præmijs afficeretur. At dices necessarias esse opes liberorum causa. Perbellè tu quidem auaritiam tuam hoc nomine velas, ac tegis: liberos enim prætendis, cor vero auaritia plenum geris. Ne, obsecro, culpam transferas in insontem. Habet enim is proprium Dominum, habet proprium œconomum, cui vitam acceptam refert, & à quo vitæ sumptus expectat. Num his, qui vxores sibi adiunxerunt, Euangelium scriptum non est? scriptum etenim est, *Si vis omni ex parte perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quando petebas à Domino, vt te liberis frugi ornaret, num etiam illud addidisti, Da mihi filios, vt mandata tua negligam, ac nihili pendam: da liberos, ne in regnum cęlorum intrem? Quis vero sponsionem faciet, filium tuum rebus datis ac relictis, rectè vsurum? multis enim diuitię ministras se prębuerunt ad intemperantiam. Vide igitur ne eas diuitias, quas magno cum labore congessisti, alijs veluti materiem quandam peccandi des, & ne deinde binas pœnas pendas, tum ob ea, quæ ipse perperam fecisti, tum ad quæ perpetranda campum alteri suppeditasti. Multi quidem, quamuis à parentibus nihil accepissent, sibiipsis domos pararunt, verùm animæ tuæ, quam tu deseris, quis misericordiam tribuet? Cur, amabo, tanti facis atque adeò suspicis aurum? quis obsecro, ex istis, † qui ornatui nimium studet, horam vitæ suæ apponere potest? cui pepercit mors ob diuitias? quem morbus ob diuitias non afflixit? Quousque tandem auro parando

Ex Hom. ad diuites.

Ex Hom. in illud: De struã horrea. *Luc.12.*

Ex Hom. ad diuites.

Luc.6.

Ex Hom. in illud: De struã horrea.

Iob 1.

Ex Homil. ad diuites.

Matt.19.

† καλλωπι-ζεται.

Aurũ quid. rando operam dabis? auro, inquam, quod nihil aliud est, quam animarum quidam laqueus, mortis hamus, peccatique inescatio. Quamdiu diuitiis, quæ belli causa esse solent, & ob quas conflantur arma, ac enses acuuntur, inhiabis? propter has cognati, quid natura postulet, non vident, fratres se mutuo torue intuentur, cædesque spirant. Propter opes solitudines homicidas alunt, ciuitates vero sycophantas, atque calumniatores. Quis est mendacij parens? quis falsæ accusationis architectus? quis periurij auctor? nonne diuitiæ, nonne opum studium? Quid facitis, ô homines, quis vobis insidias rebus vestris tendit? in adiumentum vitæ, non viaticum malorum, pecuniæ datæ sunt ad redimendam animam, non ad perdendam sunt tributæ; ad vitam sustentandam nobis pecuniæ datæ sunt, non vt se nobis *Ex Homil. de Inuidia.* ministras ad mala præbeant. Etenim si diuitiæ ansam nobis dant iniustitiam perpetrandi, miserabilis profecto est is, qui diteſcit: sin vero ministras se exhibent ad consequendam virtutem, longe à reprehensione absunt: cum omnibus *Ex Orat. ad iuuenes, de vtil. ex profanis li. capienda.* eam vtilitatem ex ipsis percipere integrum sit. Quapropter par est, nos diuitias absentes non expetere, & si nobis suppetant, non tam se ob possessionem ipsarum efferre, quam ob scientiam dispensandi ipsas. Scitum enim est illud Socratis, qui dixit, cum opulentus quidam magnopere pecuniæ causa superbiret, non prius se illum admiraturum, *Ex Comm. in 1. Psal.* quam si cognosceret, quod iis recte vti posset. Nam diuitiæ & sanitas, sæpenumero iis, qui male eis vtuntur, ministras sese ad peccata perpetranda exhibent: at paupertas cum veritate coniuncta, apud homines frugi, inter omnia *Ex Hexaemero.* alia bona principem locum tenet. Sed nihil horum vnusquisque nostrum animo agitat suo, verum si viderit virum *Ex Homil. in diuites auaros.* necessitate astrictum, genua flectere, & ante pedes supplicem se proijcere, denique nescio quid non humile edentem, vt inopiam suam etiam magno cum fœnore illius subleuet, non tamen eius, qui multa præter dignitatem facit, miseretur, sed implacabilem atque inexorabilem se præbet, iurans & obtestans, sibi penitus pecuniam non esse, ac seipsum quoque circunspicere ait, num aliquem reperire possit, qui sibi pecuniam mutuo dare velit. Atque sic mendacium suum iuramento confirmans, præter inhumanitatis malum, etiam periurium concipit. Cum vero is, qui mutuum sumit, vsurarum mentionem fecerit, ac pignora etiam nominauerit, tunc ille demisso supercilio arridet, paternam etiam amicitiam memorat, dein familiarem suum ac necessarium eum nuncupat. Videbo, inquit, an aliquam pecuniam repositam habeam: ac deinde in ista verba prorumpit: Est apud me deposita pecunia viri cuiusdam amici, qui eam lucri gratia apud me deposuit, sed is intolerabiles vsuras exigit, ego tamen nonnihil remittam, ac mihi omnino minores pendes. Talia confingens, ac eiuscemodi verbis blandiens miserum inescat, libellisque alligat, & supra illam vrgentem paupertatem, libertatem etiam ipsam ei adimit. Heu miser quid facis? fructus exigis ab inope, qui si te ditiorem reddere se posset, non profecto fores tuas obseruaret. O ingentem calamitatem, ad auxilium implorandum cum se miser reciperet, hostem inuenit, medicamenta salutaria quærens, in venena incidit. Cum viri paupertatem leuare deberes, indigentiam ipsius adauges, non aliter ac si quis medicus ad ægrotantes accedens, loco restituendæ sanitatis, etiam exiguas insuper vires, quæ restant, eis auferat. Miserorum calamitates veluti occasiones quasdam ad diteſcendum arripis. Et sicuti agricolæ pluuias exoptare solent, quo semina eorum multiplicentur, ita tu inopiam ac indigentiam hominum expetis, vt ex tua pecunia quamplurimum lucri capere possis. Ac ille sane, qui ob mutuam pecuniam vsuram pendit, in summa rerum desperatione miser versatur. Nam cum paupertatem respicit suam, omnem spem restituendæ pecuniæ abiicit, cum vero præsentem necessitatem perpendit, non dubitat mutuo ad vsuras sumere. Vbi vero pecuniam erogauerit, tempus autem præterlabens vsuras secum adduxerit, non noctes ei requiem ferunt, non dies hilaris est, non sol iocundus, sed iniquo animo vitam fert. Odio habet illos dies, qui ad præstitutum tempus accelerant, extimescit menses quasi vsurarum patres: & siue quieti sese tradiderit, per insomnium fœneratorem conspicit, malum, me hercule, capiti A suo insomnium, siue vigilias egerit, nihil aliud curat, & cogitat, quàm vsuram. Verùm iure optimo dicere possem ad eum, qui æs alienum contrahit: *Bibe aquas à tuis vasis*, hoc *Prou. 5.* est, propriorum sumptuum rationem habeas, ad alios vero fontes ne accedas, sed ex propriis aquarum venis solatia vitæ haurito. Habes vasa ærea, vestitum, iumenta, omnis generis supellectilem, hæc restitue: omnia enim perdere tolerabilius est, quàm libertatẽ. Sed dices, Publicare hæc erubesco. Quid igitur facies, cùm paulo post alius ipsa proscribet, ac in oculis tuis paruo æstimabit? satius multo est consilijs paulatim inuentis necessitatem tolerare, quàm alienis aceruatim elatũ, postea omnibus rebus simul denudari, atque spoliari. Proinde si tibi facultates suppetunt, vnde *Fœnerandũ non esse, nec mutuandũ.* B quod mutuò sumpsisti, restituere possis, cur non potius ijs bonis præsentem inopiam propulsas? sin verò spem restituendi abiecisti, malum malo profectò curas. Pauper nunc es, at liber: vbi verò mutuum ad vsuram sumpseris, nõ diteſces. libertatem verò perdes. Nã is, qui mutuo sumpsit, seruus est eius, qui ei in mutuum dedit, nec solum seruus, sed seruus mercede conductus, crudelem seruitutem seruiens. Canes vbi aliquid acceperint, subito mansueti fiunt: at fœnerator plus iusto accipiens, magis irritatur. Non enim latrare cessat, sed multò plus exigit: etiãsi te iuramento obstringas, fidem non habet, perscrutatur interna, commercia tua curiosè inquirit, vxore præsente pudore affectum, coram amicis contumelijs onerat, in foro minas iactat, in die festo noxium est se ei obuium dare, vitam deniq; C tuam intolerandam efficit. At ingenti, * inquit ille, necessitate premor: nullus alius mihi est pecuniarum prouentus. ** Potius, inquis.* Quam, quæso, itaque tibi vtilitatem hæc hodierna dilatio affert? Mutuum enim non penitus liberat, sed solummodo ad tempus inopiam leuat. Si mutuum non sumpseris, æquè quidem eris pauper, & hodie, & in posterũ: at vbi aliquid in mutuum sumpseris, grauius vexaberis. Nemo enim tibi nunc paupertatem vitio vertit. inuitum enim est ipsa malum. Quod si ære alieno te obstrinxeris, nemo te in crimen non vocabit, nemo tuam nullius consilij temeritatem non deteſtabitur: consilium etiam tibi erit ineundum, vnde D rependas, & à quibus accipias, etiam atque etiam cogitandum erit. At dices tuas facultates & ad vsus necessitatem, & ad restitutionem non suffecturas? quod si etiam vsuras animo reputaueris, vnde, obsecro, tibi tantus numerus pecuniæ accreſcet? nullus equidem mortaliũ vulneri vulnere medicinam facit, neque malum malo curat. Quánam igitur ratione, * inquit, vitam tolerabo meam? sunt tibi manus, ** inquis.* est ars, mercede conductus labora, ministri munus obeas, sexcentæ sunt victus parandi rationes: sin vero laborem ferre nõ potes, precibus contendas ab ijs, qui opes tenent. Sed dices, Turpe est petere. at ego dico longe turpius esse, aliquem eo, quod mutuo sumpsisti, defraudare. Formica neque ostiatim panem quærendo, neque mutuo sumendo, E vitam suam sustentare potest. Apes etiam proprij alimenti reliquias regibus impartiuntur, quibus tamen neq; manus, neque artes natura attribuit. Tu vero sagax illud animal homo, ex tantis artibus vnam inuenire nequibis, qua vitam tueri possis tuam? locuples es? ne mutuum sumas. Pauper es? ne etiam accipias. Si enim diuitijs affluis, mutuo opus non habes; sin tibi nihil est, mutuum non rependes. Ne committas, quæso, vitam tuam consilio, cuius te in posterum pœnitere possit. In hoc vno nos pauperes, diuites longe anteimus, quod scilicet curarum minus sustineamus: ludibrio etiam habemus ipsos vigilias habentes, dum nos somnum capimus, tum etiam rebus intentos, & anxios, dum nos omni molestia caremus, animoque vacuo sumus. Qui enim ære alieno se obstringit, is F & in paupertate erit, & nunquam curis vacuus, sed omni tempore varijs cogitationibus distinebitur, nunc res suas æstimando, nunc ædes sumptuosas, nunc diuitum agros, ** inquis.* vestes denique eorum, qui ei obuiam fiunt. Si hæc, * inquit, mea essent, venderem tanti ac tanti, æreque alieno me liberarem. Hæc, inquam, cordi ipsius totos dies, ac noctes insident. Si quis fores pulsarit, debitor sub tectum se condit. Vehemẽter incurrit quis, cor ipsius percellit. Latrat canis, ipse sudore madet, atque anxietate summa afficitur, circunspicitque quo se proripiat. Instat præstitutum

tempus,cogitat miser, quidnam falsi afferat, quonam ficto nomine creditorem protelet.Cur multiplici ac variæ bestię teipsum similem facis ? Ferunt lepores simul & fœtum edere, & educare, ac etiam superfœtare. Pari ratione etiam fœneratoribus pecuniæ simul & ad vsuram dantur,& generantur, atque succrescunt. Nondum enim data est tibi pecunia, & iam præsentis mensis lucrum fœnerator à te exigit.Rursum hoc, quod est ad mutuum datum aliud malum affert, & illud aliud alterum, atque sic malum in infinitum

Fœnus, vnde. Τόκος, ἀπὸ τοῦ τίκτω.

crescit.Fœnus enim,mea quidem sententia, ex mali fœcunditate nomen accepit. (vnde enim aliunde ?) vel fortassis fœnus dicitur,ob eos dolores ac molestias,quas animis eorum, qui mutuum ad vsuram acceperunt, afferre soleat. Quemadmodum enim dolor parturienti, sic præscriptum tempus debitori instat. Fœnus ex fœnore, malorum parentum praua soboles.Ferunt viperas, materno vtero perroso,

Vipera.

partum edere:hoc modo etiam vsuræ,erosis ac consumptis debitorum ædibus,generantur. Semina progressione temporis nascuntur, animantia etiam tempore perficiuntur: verum Vsura simul ac generatur,simul etiam parere incipit. Omnes res, quæ crescunt: vbi iustam ac sibi propriam magnitudinem attigerint, augescere desinunt: sed auarorum argentum omni tempore accrescit. Bruta animantia, quando soboles eorum ad pariendum idonea est, ipsa non amplius partui operam dant: at fœneratorum pecuniæ, & succedentes pariunt,& veteres renouant. Et perinde ac hi, qui ex cholera laborant,semper id,quod ante ingestum est, eiiciunt: & si priusquam penitus purgati fuerint, alium cibum superingesserint,summo cum dolore, ac lancinatione vomunt, ita etiam qui fœnora exercent, vsuras ex vsuris transmutantes,antequam priora expurgentur,alterum mutuum superinducunt, atque vbi paululum aliena in delitiis habuerint,deinde res ob proprias lugent.Sed inquies,multos sibi ex vsura diuitias parauisse. at ego arbitror plures ad restim rediisse. Tu enim eos, qui sibi vitam laqueo finiuerunt non enumeras, qui cum eam turpitudinem, quæ ex mendacitate proficiscitur, ferre non possent, mortem sibi fune conciuerunt. Vidi ego miserabile spectaculum, vidi, inquam,liberos ingenuos ob æs alienum, quod pater contraxerat, in forum pertrahi, ac venundari. Non est tibi pecunia, quam liberis relinquas tuis ? ne igitur etiam illis insuper generis nobilitatem adimas. Vnam hanc ipsam, amabo, conserua libertatis possessionem, depositum nimirum illud, quod ipse à parentibus tuis accepisti. Nulli vnquam patris paupertas crimini data est : at ob nomina paterna multi in carcerem conduntur. Ne relinquas syngraphas, execrationem veluti quandam patris in filios,ac in reliquos

Ex Comm. in 61.Psal.

posteros. *Diuitiæ*,inquit ille,*si affluxerint, nolite animum appellere*.Suscipias,quæso,hanc vocem, *Diuitiæ si affluxerint*. Fluxa enim est diuitiarum natura, torrenteque citius eos, quibus adsũt,præterlabitur.Nam alias alium herũ solent permutare,& perinde ac fluuius ille, qui ab alto fertur, appropinquare solet iis, qui ripæ astant, sed simul vt eos affligit, de repente secedit, sic etiam diuitiæ celerrimum ac lubricum habent accessum : quoniam frequenter alios aliis permutant.Hodie huius est ager, cras alterius erit, ac paulo post

O Domus Anti,quam dispari domino dominaris! Cic.l.1.Of.

alterius.Intuere,amabo,domos,& perpende quot iam nomina, ex quo concidere, immutauerunt aliud ab alio possessore nomen ducentes. Aurum etiam semper è manibus eius, cuius est, dilabens ad alium transit, & post ab alio ad alium . Facilius est profecto aquam manu comprehensam continere, quam longo tempore opes tenere. Ne igitur quenquam ex iis,qui diuitiis circunfluũt,gloria & prædicatione efferas, neue beatam prædices vitam ipsius, etiãsi illi ex multis locis,atque luculentis fontibus affluant pecunię.

Ex Comm. in 34.Psal.

Ne suspicias & optes ipsorum abundantiam. Neque etiam omnis paupertas laudibus in cœlum ferenda est, sed ea demum quæ est digna laude, & quæ ad normam Euangelij dirigitur.Multi enim sunt pauperes, si opulentiam spectes, sin animum & voluntatem, auarissimi : neque eis inopia rerum salutem præstat,sed potius eos animus condemnat.

Ex Epist.

Diuitiæ,& gloria quatenus eos,qui eis prædíti sunt, bonos non efficiunt, eatenus non sunt habenda in bonis. At qua ex parte nobis affluentiam quandam rerum ad vitam hanc tuendam afferunt,longe præstantiora ducenda sunt paupertate & dedecore. Atque hæc quidem nonnullis à Deo Opt. Max. tuendæ rei familiaris causa largita erant, vti Abrahamo,Iacobo,& reliquis. Hominibus vero nequam ideo tribuuntur, vt eos ad frugem reuocent. Verum qui tantis à Deo beneficiis cumulatus, in peccato perseuerauerit, is seipsum reum æterno supplicio statuit.Iustus quidem,si ei diuitiæ suppetunt,non corrumpitur illis : sin ei desunt, non eas inquirit,ac nimium expetit. Non enim ille iis, quæ sibi data sunt,ad voluptatem vtitur,sed ea rite dispensat. Nemo autem sanæ mentis in aliorum largitionem nimis anxie incurret,nisi multorum opinionem respexerit, qui suspiciunt ac in cœlum ferunt eos,qui summa aliqua dignitate affecti sunt.Quod si corpus neglexerimus, nihil quidquam profecto rebus ex humanis suspiciemus atque admirabimur.

Ex Orat. quæ vtil.ex prof.lib. ca. possit. Ex Asceticis.

Quas enim ad res amplius diuitiis vtemur, si corporis voluptates ignominiosas ducemus ? ego quidem non video, quamnam aliam voluptatem nobis diuitiæ afferant, nisi illam, quod illis veluti dracones quidam incubamus. Primum igitur est, quod homini Christiano vel maxime curæ esse debet, nimirum vt à vitiis illis variis, ac diuersis, quæ animam inquinant, abstineat, atque ea deponat. Deinde oportet eum,qui illam cœlestem respicit viam,istius mundi bonis repudium remittere: nam cura & studium, quod in res istas fluxas ponitur, mirandum in modum hominem perturbat, atque distinet. Cum autem plures eundem sibi salutis scopum proponentes communem inter se vitam instituerint.necesse est, vt illud in primis apud eos statuatur, illud inquam,vt vnum in omnibus sit cor,vna voluntas,desiderium vnum, & vt, quemadmodum Apostolus præscribit,vnum corpus fiat ex diuersis membris compactum.Hoc autem aliter fieri non potest, nisi illud ratum sit, ne seorsim alicui aut vestimentum aut vas, aut aliud quidpiam, quæ communi vitæ inseruiunt, attribuatur, sed vt vnumquodque horum necessitati eius,qui opus habet,seruiat, nec fiat proprium possidentis.Sicuti enim non quadrat parua vestis corpori vasto, sed vnicuique id demum, quod conuenit & vtile est,& congruens:ita etiam alia omnia,videlicet lectus, stratum, calidum amiculum, calceamentum eius esse debent, qui valde his opus habet, & non possidentis. Et quemadmodum vulneribus confectus, non autem sanus medicamentis vtitur,sic etiam iis rebus, quæ ad molliciem corporis excogitantur,non is, qui in delitiis vitam agit, sed qui vel maxime his indiget, merito fruetur. Domini nostri Iesu Christi gloria, & imperium in perpetuum floreat. Amen.

1.Cor.12. Proprium nihil religiosis.

ORATIO XV.

De Auaritia.

Ex Homil. in illud, Destruam horrea mea.

Cvm domum † viri inepti ingredior, videoque eam omni genere florum exornatam esse, iudico nihil hunc ijs, quæ videntur, pretiosius tenere, sed eas res quidem, quæ animæ sunt expertes, exornare, animam vero ipsam negligere, atque incomptam relinquere, cuius præ foribus innumerabiles stant pauperes, miserabili ac luctuosa voce, vt sibi subueniat, precantes: at ille preces eorum repudiat,affirmans,suas opes tot petentibus non suffecturas. Ac ille quidem lingua se excusat, à manu vero sua falsitatis conuincitur.Nam manus illius etiamsi taceat, vanitatem tamen ipsius declarat, dum fulgore gemmę,quę anulo inclusa est, coruscat splendescitq;. Sed cedo, miser ac infortunate, quot potest anulus tuus ære alieno oppressos liberare? quot domos iam collapsas reficere?vnica sanè vestiaria arca tua satis esse posset ad totum populũ frigore obrigentem amiciendum: non tamen dubitas pauperem vacuis ablegare manibus, nec pertimescis iudiciũ retributionis illius iudicis.Non tu misertus es alterius, non etiam ille miserebitur tui: domum tuam alteri patêre noluisti,non etiam tibi patebit regnum. Non dedisti tu panem, non etiam tibi dabitur vita æterna. At pauperem te esse ais, equidẽ & ipse ita iudico. Pauper enim is est,qui multis opus habet; vestra vero ista nimia habendi cupiditas, quæ expleri nunquam potest, multis rebus vt indigeatis, facit. Decem talenta cum habeas, alia decem addere studes. Vbi viginti congesseris,

† ἀνδρὸς ἀπορου καλοῦ.

alia

Habendo cupiditas non expletur.

alia viginti quæris: nec vnquam id, quod additur, studium habendi tuum restinguit, sed magis ac magis accendit atque inflammat. Quemadmodum enim hominibus temulentis largior vini infusio maiorem bibendi sitim generat; sic etiam isti, qui cumulandis opibus student, etiamsi sibi multas diuitias pararint, plures tamen expetunt, additione illa morbum alentes suum. At studium illud eorum in contrarium conuertitur: non enim eos tanta lætitia afficiunt ea, quę sibi pepererunt, etiamsi multa sint, quanta molestia conficiunt ea, quæ desunt, quæque sibi adhuc deesse autumant. Et

Ex Homil. in Martyrem Iulittam.

sanè par erat illos, & rebus præsentibus lætari, & Deo Opt. Max. gratias agere, quod tam multos homines diuitiis anteeant, verum illi miseri mirandum in modum anguntur, atque lamentantur, quod videant se ab vno, aut altero diuite, diuitiis superari, nec eos respiciendo, qui se pauperiores sunt, gratias, pro iis, quæ tenent, benefactori agunt, sed eos secum, qui amplissimis diuitiis circunfluunt, pertendendo, quantumque ab his superentur, animo reuoluendo, tanta tristitia afficiuntur, tantamque querelam habent, ac si iis

Ex orat. Quæ vtil. ex profan. l. capi possit.

rebus, quæ aliis præ se adsunt, priuati essent. Nam hi, qui necessarios fines transeunt, similes mihi esse illis videntur, qui decliuem in locum feruntur, qui cum non habeant locum firmum, cui adhærere possint, in infinitum feruntur, nec vbi consistant, habent. Sic etiam isti, quanto plura acquisiuerint, tanto pluribus opus habent, ad auaritiam suam explendam, ex sententia Solonis filij Execestidis, qui ait;

Diuitiis nullum statuunt mortalia finem,

Præterea nec Theognidem eo in genere prætereundum esse iudico, cuius hoc est:

Non ego diuitias moror aut peto, viuere tantum,
De paucis detur, vt sit nihil inde mali.

Ego sane illum Diogenis omnium humanarum rerum contemptum & admiror, & suspicio, qui quouis Rege se multo ditiorem esse ostendit, cum illud proferret, Se longe paucioribus quam regem, in hac mortali vita opus habere. At auaris nisi adsint Pythij Mysi talenta, & tot ac tanta terræ iugera, pecorumque longe plures greges, quam numerando percenseri possint, nihil satis erit. Sed quemadmo-

Ex Homil. ad diuites.

dum hi, qui scalas scandunt, semper ad superiorem gradum pedem attollendo, non prius eum sistunt, quam summum gradum attigerint; ita etiam isti, etiamsi aliquem ex locupletibus diuitiis æquauerint, non tamen conquiescunt, sed adhuc multo ditiori pares esse contendunt: & si etiam illum opibus anteiuerint, studium tamen suum ad alium conferunt, nec prius ab illa sua immensa habendi auiditate desistunt, quam in altum sublati, è sublimi illo loco se ipsos præcipites dederint. Ac sane perinde ac ij, qui ex insania

Ex Homil. in illud. Destruam horrea mea. Luc. 12.

mente capti sunt, res non cernunt ipsas, sed eas imaginantur, quę ex perturbatione proficiscuntur, sic etiam auari animus nimio amore pecuniæ incensus, omnia quæcumque videt, aurum & argentum se videre putat; longeque iucundius aspexerit aurum, quam solem, atque vt omnia in aurum conuertantur, mirandum in modum desiderat, & studet. Quid enim est, quæso, quod ille propter aurum non aggreditur? ex frumento aurum parat, vinum illi in aurum glaciatur, lanæ denique ipsæ aureæ efficiuntur, omnis nundinatio, omnis solertia aurum illi affert. Ipsum denique aurum seipsum generat, dum in vsuris accrescit, atque multiplicatur, nec sane vllus cupiditatis finis reperitur. Pueris quidem iis, qui nimium alicuius rei auidi sunt, sæpe concedimus, quo his cibis, quos in deliciis habent, se largiter expleant, vt eis postea cibus ille ex nimia illa satietate fastidio

Ex orat. habita Laicis.

sit; at in auaro longe aliter res se habet: nam is quanto plus habet, tanto plura desiderat. Ignis quidem vbi semel flammam concepit, omnem materiem, quæ sese ei offert, consumere festinat, nec deleri aut extingui potest, nisi prius eum materies, in quam agat, defecerit: Quid vero est, quod inhibere auarum possit? Ipso igne difficilior sanè est, omnia per continuationem quandam depascens. Bona vicini abripuit; aliud se vicinum offert; illius etiam bona acquirere studet: nec iis animum applicat, quæ iam consequutus est, quamuis multa sint, sed vicinorum inhiat bonis. Neque lætitiam afferunt ei ea, quæ possidet, sed molestiam pariunt, quæ desunt: nec rebus præsentibus vtitur miser, sed seipsum ampliora semper appetendo conficit. Hinc vigiliæ, hinc curæ, hinc solicitudines: *Quid faciam?* exclamat, *destruam horrea mea*, inquit, *& maiora construam. O vesane, nescisne quod hac nocte animam abripient tuam? Ea vero quæ parasti, cui relinques?* Maior est profectò risus temeritatis, quam sit risus æterni supplicij. Ille enim, qui iam iam rapietur, quanta animo non agitat suo? *Destruam horrea mea,* inquit. Rectè sanè facis, dicerem ego ipsi. digna enim sunt iniustitiæ promptuaria vt funditus euertantur: dirue manibus tuis, quæ male extruxisti, conuelle illos tuos frumentarios penus, ex quibus nulli vnquam benignè fecisti: dele omnem domum tuam, quæ auaritiæ custos est: subuerte fornices, demolire muros, profer in solem frumentum putridum: educ ex carcere vinculis constrictas opes: duc denique in triumphum, domicilium illud tenebrosum mammonæ. *Destruam,* inquit, *horrea mea, & maiora ponam.*] Quid vero, hoc si perfeceris, post facies? num rursus destrues, atque rursus construes? Quid vero amentius esse potest, quam laborare sine vllo fine, ædificare omni cum studio, ac omni cum studio vicissim euertere? Et si quando illud audiueris, *Vende quæ habes, & da pauperibus,* vt ita tibi veluti viaticum quoddam ad vitam æternam consequendam pares, tristitia affectus abis. At si illud, numera pecuniam ad ornatum muliebrem comparandũ, numera lapicidis, fabris lignarijs, tessellarijs, pictoribus. Gaudio exultas, perinde ac si aliquid longe precio sius pecuniis acquiras. An non vides muros hos, hos inquam, qui præ vetustate ruinas ędidere? quorum parietinæ, veluti scopuli quidam, tota vrbe eminent, quod putas tum pauperes in vrbe fuisse, cum hi ponerentur? qui miseri, propter nimiam operam & studium, quod in ædificationem horum collocatum fuit, à diuitibus illius temporis negligebantur. Vbi iam est, amabo, illa splendida operum structura? vbi is, qui propter horum magnificentiam laudibus in cœlum tollebatur? nonne hæc iam ita collapsa & deleta sunt, ac ea, quæ à pueris dum ludũt, in arenis extruuntur? Ille vero miser, qui illa collocarat, in Orco iacet, vehementer ingemiscens, quod tantum studij in res nihili posuisset. Magno animo fac sis, ô homo: muri enim tam magni quam parui, vtilitatem afferunt his, qui eos tenent. Non deerunt tibi horrea, si voles, ventres inquam pauperum. *Thesaurizate tibi thesaurum in cœlo, vbi collocata nec ærugo demolitur, nec tinea exedit, neque fures furantur:* sed tunc reddam indigentibus, cum secunda impleuero horrea. Longum equidem tibi ipsi tempus vitæ præfigis; vide ne te id prius comprehendat, quod tibi, ex præscripto veluti quodam, impendet. Nam hæc tua pollicitatio non bonitatis, sed calliditatis cuiusdam potius argumentum est: neque enim etiam ob causam promissum facis, vt deinceps aliquid des, sed vt in præsens hominem repellas, cum nihil sit, quod te impediat, quominus etiam nunc largiri possis. An non indigens adest? an non tibi sunt referta horrea? an non merces proposita? an non præceptum manifestum? Esuriens fame conficitur, nudus alget, miser ob æs alienum vincitur, tu tamen beneuolentiam tuam in crastinum differs. Audi obsecro Salomonem dicentem: *Ne dixeris,* inquit ille, *Rursus redeas & cras dabo, cum possis iam benigne facere. clam enim te est, quid crastinus afferet dies.* Tu quidem cum pecuniam erogas in equum comparandum, mœrore conficeris nullo: at si quid numerandum sit ad comparandum regnum cœlorum, lacrymis opples os tuum, & eum qui opem implorat tuam, repellis, ac negligis; nec quidquam impertiri vis, innumerabiles sumptuum causas afferendo. Quid, quęso, tu respondebis iudici? Qui parietes vestis, hominem vero non induis. Qui equum ornas, fratrem verò tuum pannis obsitum despicis. Qui frumentum putrescere sinis, esurientes vero non nutris. Qui aurum terra obruis tuum, eum vero, qui fame conficitur, negligis? Quomodo tibi miserias pauperis ob oculos ponam? Ille miser rem suam familiarem circumspiciens, videt aurum sibi non esse, nec vnquam fore sperat; supellectilem vero, & vestitum talem sibi suppetere cernit, quales sanè esse solent pauperum possessiones, quę vix vno nummo æstimari queant. Quid tum miser facit? ad filios oculos suos conuertit, & eos proscribere cogitat, vt ex ea venditione aliquod remedium ad mortem suam propulsandam capere possit. Velim hic tecum

Ex Hom. in illud: Destruã horrea mea. Luc. 12.

Ex hom. ad diuites. Matt. 19. Marc 10. Luc. 12.

Ex Hom. in illud: Destruam horrea mea. Matt. 6. 20.

Prou. 3.

cogites pugnam famis vrgentis, & paterni amoris. Illa quidem ei miserrimam mortem minitatur, si filios non proscripserit, at natura hominem retrahit suadetque vt potius cum suis mortem oppetat, quam liberos suos venundet: ac tandem sæpe incitatus, sæpe retractus, manus dat ab incredibili egestate victus. Et quænam consilia mente agitat pater? illa nimirum animo voluit suo. Quemnam horum primum vendam? quemnam frumenti venditor libentius aspiciet? maiorisne natu filij venditionem faciam? at illius ætatem reuereor, an minoris natu? at miseret me eius ætatis, quæ nondum calamitatis capax est. Hic parentum formam vel maxime refert; ille ad bonas percipiendas artes propensior est. Heu me miserum, quam sim consilij inops! quid de me futurum est? Quemnam ex his offendam? cuius bestiæ animum assumam? quomodo naturæ in obliuionem veniam? Si omnes complexus fuero, omnes fame mœstos videbo, sin vnum ex his venum dedero, quibus oculis reliquos intuebor? Cum iam iam malam in opinionem de mea erga se fide venient. Quomodo miser domum inhabitare potero, cum ipse me filiis meis priuauerim? Quomodo ad mensam accedam, quam tam nefando scelere instruxerim? Atque huc quidem pauper multis profusis lacrymis ad te venit, charissimum tibi venditurus suum filium; te vero illius calamitas non mouet, naturam non respicis. Miserum illum fames enecat, tu vero hominem reiicis, ac ludis, calamitatem eius cumulando. Ipse quidem tibi viscera sua pro alimentis præbet; tua vero non solum non constupescit manus, quæ ex tam acerba re pretium accipit, sed etiam de ampliori dando contendis, quomodoque multum accipias, & minus des, laboras, omni ex parte miseri calamitatem adaugens. Seleucidem auiculam vniuersi conditor in hominum vsum insatiabilem esse voluit, tu vero in multorum detrimentum animam tuam inexplebilem geris. Sunt nonnulli pisces, qui se inuicem comedunt, ac inter eos minor cedit in escam maiori. Quod si quando accidat, vt is, qui minore superior fuit, ab alio maiore comprehendatur, vterque ille ab vltimo victore absorbetur. Quid igitur nos, ô miseri mortales, aliud facimus, cum nobis minus potentes subiugamus? Quid', quæso, à postremo pisce differt is, qui improba diuitiarum cupiditate incensus pauperes opprimit? Ille bona pauperis occupauit. Tu hunc omnino comprehendens, partem veluti quandam supellectili tuæ facis, ita & eum, qui iniuriam fecit, in facienda iniuria, & auarum auaritia longe post te reliquisti. Vide, amabo, ne te idem finis, qui pisces, maneat: qui aut hamo aut nassa aut rete ad extremum capiuntur. Nam & nos multa iniuste perpetrando, etiamsi plurima mala euaserimus, illud vltimum supplicium omnino non euademus. Reliquit tibi pater opes, quas iniuste parauit; eas tu vicissim illis reddas, quibus ille iniuriam intulerat, ne, si tibi eas veluti proprias vindicaueris, paterni peccati hæres fias. Reliquit tibi pater seruum, quem iniuste in seruitutem redegerat; dona tu vicissim eum libertate. Nam ita & patris tui pœnam leuiorem facies, & tibi ipsi libertatem paries. Ne filios tuos in excusationem afferas. Filij tibi sunt? depone itaque ipsis thesaurum perpetuum, nempe *bonum nomen*, *non autem diuitias amplas*. Fac denique vt omnes filio tuo patres per quandam beneuolentiam sint. Veniat tibi in mentem, quod aliquando ex hac mortali vita discessurus sis: Vbi vero diem tuum obieris, eiusq; ætatis reliqueris filium tuum, vt curatoribus adhuc opus habeat, si honeste ac probè vitam tuam traduxeris, vnusquisque filium tuum, perinde ac suum enutriet. Nam & ipse in memoriam reuocabit suam, quod & tu aliquando pupillorum curam gesseris. Sin vero iniustam, & inhonestam vitam transegeris, multos mœrore affeceris, omni denique fera bestia grauior in conuersando fueris, si, inquam, talem vitam degens, è viuis excesseris, relinques sobolem tuam omnibus mortalibus inuisam. Sicuti enim ille, qui sobolem scorpij conspicit, timet ne ea aliquando ad maturam ætatem perueniens Patrem imitetur, ita etiam filijs tuis, tanquam paternæ malitiæ hæredibus, priusquam ad ætatem integram peruenerint, ab omnibus insidiæ struentur. Ac sanè veluti flumina, quæ ex paruo exorsu progrediuntur: deinde paulatim crescentibus incrementis, miran-

Grandibus exigui sunt pisces piscibus esca. Sic Psal. 13. & 52. Qui deuorãt plebem meam, &c.

Ex Comm. Basil. in Isaiæ cap. 8. in fine.

Male partorum restitutio fiat.

Prou. 22. 1.

Ex Homil. ad diuites.

dum in modum adaugescunt, ac violento illo impetu suo quicquid obstiterit, secum trahunt, ita etiam isti è paruis initijs progressi, deinde ex his, quos iá potentia sua oppresserunt, ampliorem facultatem iniurias inferendi adepti reliquos, qui restant, in seruitutem redigunt suam; atq; hoc modo incrementum potentiæ ex prauitatis redundantia consequuntur, cum vnusquisq; eorum, quos iniurijs onerarunt, magis cogitet, ne quid amplius mali accipiat, quam vt eos in iudicium vocet, ob eas iniurias, quas sibi imposuerunt. Noli igitur vicini agros appetere; noli sulcum sulco ex alieno addere: nam quatenus agrum cum iniuria alterius propagaueris tuum, eatenus maiori peccato te obstrinxeris. Ac terra quidem hoc in mundo permanebit, quam tu alterius cum iniuria exaggerasti, neque amplius tua erit, sed eorum, qui tuam hæreditatem adibunt: & sanè relinquis successori tuo iniustum victum. Terra quidem in perpetuum consistet, peccatum autem te comitabitur, veluti vmbra quędam, quæ animam consequi solet. Quemadmodum enim vmbra corpus sequi consueuit, sic etiam peccatum animæ inhærescit. Præterea illi quicunque agros alienos occupando fines suos protulerunt, eo quod non sine luctu & gemitu aliorum diuitias sibi pararunt, indigni diuina benignitate atque beneficentia ita habentur, vt vix eo loco, vbi decem iuga boum laborarunt, vti Esaias scriptum reliquit, vnam amphoram fructus colligant, & vbi sex artabas terræ mandarint, sex mensuras tantum frumenti congerunt. Cum auaro & in vrbe & in agris periculosum simul habitare est. Mare limites suos nouit, nox antiquam illam præscriptionem non excedit, at auarus non tempus reueretur, non terminum statuit, non concedit consequentium successionis, sed ignis impetum imitatur, qui omnia & corripit & consumit. Quæcumque oculis acceperit auarus, his inhiat, *non expletur satietate videndi oculus eius*, neque vnquam auarus accipiendo satiatur: &, vt *infernus nunquam dixit satis sibi esse*, sic neque auarus illam vocem vllo tempore protulit, sufficit. Fructus autem, qui ex diuitijs percipitur, quis est? Nimirum vigiliæ, curæ, anxietates, iudicisque expectatio. Nam auarus semper circunspectat, ne in iudicium protrahatur, dies noctesque secum cogitat, quosnam patronos sibi asciscere debeat, quomodo falsos testes subornet, quomodo illum, qui omni patrocinio destitutus est, expugnet, quomodo in potestatem redigat suam, denique hoc vnum studet, quomodo veritatem in iudicio inuoluendo, & iudicem decipere, & pupillum circumuenire possit. Auarus quidem diuitias partim in aperto, partim defossas in terra habet, ad spes incertas eas sibi reseruando, ad spes inquam, quæ spes nullæ sunt. Si enim ad spes eas deponeret, ad spem vtique æternam eas reponeret ac pararet. Ille autem sub tecto incertas diuitias occultat, si quid damni acciderit, autumat se illis hoc propulsaturum, sed an aliquando vsus earum accidat, in incerto est. Verum hoc est certum, atque id ego in me recipio, quod tempus veniet, in quo ipsum pœnitebit, quod diuitias perperam dispensauerit suas. Quid facis miser, thesaurum defodiens? quando rebus præsentibus vteris? quando ipsis frueris, cum omni tempore in acquirenda possessione distinearis? An non sexcenta prætendis, vt ea, quæ sunt vicini, occupes? Vmbram offundit mihi, inquit auarus, vicini domus, tumultus excitat: aut si qua in re aberrauerit, illud protinus arripit. Si inhias domui vicini, & ille te inferior non sit, ad extremos fines tuæ regionis te conferas oportet: sin hoc non potes, à prima cogitatione tuam illam prauam propensionem cohibens, contentus sis iis, quæ à tuis accepisti. Inhære his, quæ habes, illud pro comperto habens, quod omnem amplitudinem ac splendorem, qui ex iniustis diuitiis constat, mira solitudo consequutura sit. Ac sane illa copia agri, quæ per nefas acquisita est, sæpenumero pro fructu certamina nobis præbet. Diuina enim iustitia sæpenumero iudicium futurum anteuertit domosque eas, quæ iniuste possessæ sunt, ad rem longe vtiliorem deducit; nimirum à frequenti illa hominum inhabitatione, & splendida fertilitate, summam solitudinem inducens. Is enim qui rebus alienis inhiat, breui lacrymas profundet, vbi se rebus propriis spoliatum conspexerit. Quid quæso, Israelitam illum Nabuthē pessundedit?

Ex Homil. habita Lazizis.

Ex Comm. in Esaiam.

Esaiæ 5.

Ex Homil. in illud: Destruam horrea mea. Luc. 12.

Ex Homil. habita Lazizis. Eccl. 1. 8. Prou. 30. 16.

Ex Homil. in illud: Destruam horrea mea.

3. Reg. 21. dedit? an non illud, quod tantopere vineæ Achab inhiaret? A
Ioan. 15. Veniat tibi in mentem illius diei, in quo Dei Opt. Max. ira de cœlo reuelabitur: memor sis illius clarissimi aduentus Christi, quo suscitabuntur hi, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò praua in resurrectionem æterni iudicij. Illa te potius mœrore affligant, non autem præceptum diuinum. Quomodo te perterrefaciam? quid dicam? cùm desiderio regni cœlorum non tenearis, nec gehennam reformides. Quam tandem amabo, animæ tuæ medelam afferam? si horrenda te non mouent, nec iucunda alliciunt; ad lapideum profecto cor verba facio. Vellem profecto, vt aliquantulum ab iis iniustitiæ operibus respirares, & illud cogitares, cuiusnam rei gratia tantis rebus studes, & ad quemnam finem has res tibi pares. Habes terræ, quæ arari & coli potest, iugera tot & tanta; terræ etiam, quæ arboribus consita est, alia tanta; montes, saltus, campos, fluuios, riuos præterea innumerabiles habes. Quid deinceps futurum est? nonne tres re terræ manent cubiti? nonne pauci lapides satis erunt, ad infelicis corporis tui sepulturam? Cuius gratia tam iniquè agis? cur inanes stipulas manibus colligis, & materiem æterno igni accumulas? An non aliquando ab hac ebrietate desistes? non tandem medicinam tuis cogitationibus facies? non te aliquando ipsum respicies? non tibi ob oculos pones Christi illud iudicium? Quid respondebis tum, cùm te corona veluti quadam ij, quos iniuria affecisti, circundabunt, & apud iudicem iustum, reum facient? quid tum facies miser? quos patronos precio conduces? quos produces testes? quomodo in tuam sententiam adduces illum iudicem, qui nullis fraudibus circumscribitur? non est isthic Orator, non eloquentia, quæ veritatem tegere posset, non adulatores illic reperiuntur, non pecuniæ, non summi magistratus. Desertus ab amicis, destitutus auxilio patronorum, sine patrocinio, sine defensione relinquêris, tristis, mœrore confectus, soliuagus, omni denique loquendi fiducia priuatus consistes. Quocumque enim oculos conuertes tuos, ibi euidentes imagines malorum cernes, hinc pupilli lacrymas, hinc viduæ gemitum, aliunde pauperes, quos pugnis contudisti, aliunde vicinos, quos miris iniuriis lacessiuisti: omnes denique te adorientur, atque prauus actionum tuarum chorus te stipabit. Ibi negare ea, quæ perpetrasti, non poteris, sed vltro ipse tua facinora fateberis; & ea, quæ dum in viuis essemus, fecimus, talia illic apparebunt, qualia à nobis edita aut perpetrata sunt: neque illic ea, quæ perpetrasti, inficias ire poteris: Nam ibi obturatur os etiam impudentissimum. Facta enim ipsa vniuscuiusque nostrûm testimonium tribuent, non vocem quidem emittendo, sed talia ibi apparebunt, qualia à nobis perpetrata sunt. Quare quantum in nobis situm est, auaritiam fugiamus, fugiamus, inquam, vt & eas pœnas, quæ nos manent, effugere possimus, & valeamus consequi bona illa æterna, in Christo Iesv Domino nostro, cui gloria & potentia, vnà cum Patre ipsius æterno, & viuificatore Spiritu sancto, nunc & semper, ac in perpetuum tribuatur. Amen.

Ex Homil. ad diuites.

Extremi iudicij imago.

ORATIO XVI.

De Ingluuie & Ebrietate.

Ex Asceticis. Victvs, ac ratio viuendi hominis Christiani, ô amicissimi, simplex atque vniformis est, vnumque scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei. *Siue*
1. Cor. 10. 31 *enim cibum capitis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite,* inquit in Christo verba faciens Paulus. At aliorum hominum multiplex est & varius, vtpote qui aliàs aliter ad voluptatem eorum, qui accedunt, transformatur. Quod si & nos quoque iisdem rebus operam dare, & quantum in nobis est, voluptati studere voluerimus, tum etiam ostentationis gratia omnia parare, vereorne ea, quæ demolimur, rursus construere videamur, & in quo alios iudicamus, ipsi iudicemur cùm adeo compositè vita vtamur, atque alias aliter transformemur. Nisi fortassis vestitum nostrum permutare voluerimus, si nobis aliquando cum splendidioribus res erit. Sin hoc turpe esse ducimus, longe profectò turpius est, propter delicatos quosdam mensam immutare. Nam dum copia, & curiositate ciborum, fratris tui mensam ad voluptatem transmutas, studium voluptatis in ipso accusas, atque ingluuiem ipsius ignominia afficis. Per ea enim, quæ instruis, ipsius iis in rebus studium in crimen vocas. Quid, obsecro, nobis cum nimio sumptu? Accessit peregrinus quidam, si frater est, eundemque vitæ scopum sibi proposuit, propriam mensam agnoscet. Quæ enim domi reliquit suæ, ea inueniet apud nos. Sed dices, fessus est de via. Tantum igitur ipsi proponamus, quantum satis esse possit ad lassitudinem abigendam. Alius venit, qui diuerso genere viuendi vtitur; discat is ex operibus, quæ sermo ipsi non persuasit, & accipiat normam sufficientiæ in cibis. Permaneant denique in ipso monumenta mensæ Christianorum, & paupertatis, quæ ob Christum suscepta, nullo pudore afficitur. Sin ijs animum non adijciet suum, sed nos ludibrio habebit; neque hac ratione vllam nobis molestiam asperget. Nam perquirere ea, quæ ad necessarium vsum non spectant, sed quæ ad pernicioſam voluptatem, & nociuam vanam gloriam excogitantur, non solum turpe est & absurdum, verum ingens etiam secum detrimentum affert: cum ij, qui delitijs sese dediderunt, & qui corporis voluptatibus omnem beatitudinem metiuntur, easdem res nobis curæ esse vident, quas illi admirantur, atque suscipiunt. Cum autem comedimus, ne animum à meditatione Dei abducamus, sed ipsorum eduliorum naturam, & corporis ea suscipientis structuram considerando, gloriam tribuamus Deo; considerando, inquam, quàm varij cibi corporum proprietati conuenientes ab eo, qui omnia gubernat, adinuenti sint. Hora vna ad capiendum cibum sit destinata, eademque per circuitum reuertens, vt ex viginti-quatuor horis diei ac noctis vix hęc sit, quę corpori tribuatur: cæteræ vero omnes, in mentis actionibus consumendæ sunt. Qui igitur salutare consilium inire volet, is animæ, quàm maximam curam habebit, & hanc omnibus in rebus sinceram, ac genuinam seruare contendet. Sin vero caro aut fame conficiatur, aut frigore, aut calore, aut morbis affligatur, aut violentum quid ab aliquibus perpetiatur, exiguam ipsius rationem habebit, neque pericula vitæ impendentia pertimescet. Quod si quis velit corpori parcere, veluti possessioni cuidam, quæ animæ ad vitam in terra tuendam necessaria sit, is tamen exiguam ei, huius necessitatis causa operam dabit: tantum, vt & contineri & ad animæ ministerium sanum conseruari possit, nec vnquam permittet, vt saturitate exultet, ac lasciuiat. His enim ipsam obedientem, & expeditam ad cælestem profectionem reddet, atque ad proposita magis auxiliarem efficiet. Si vero sui iuris eam esse permiserit, omnibusque rebus quotidie veluti feram quandam inferserit, post violentis ipsius retractionibus ad terram detractus iacebit frustra ingemiscens. Ad Dominum autem adductus, & vt itineris in terra concessi fructum exhiberet, postulatus, nec quod det habens, ingentes lamentationes edet, atque in tenebris perpetuis vitam ducet, valde irascens delitijs, ac captiosis illecebris, propter quas salutis æternæ consequendæ occasione priuatus est. Verum nullum amplius ex lactymis fructum percipiet. *In inferno enim quis confitebitur tibi?* inquit Dauid. Venter in commercijs, ac contractibus infidelissimus est, promptuarium neglectum, quod ex multis depositis detrimentum capit, depositа tamen non conseruat. At verò ea, quæ ad cibum, ac potum inuenta sunt, & cætera omnia, quæ præter necessitatem iniuriosæ diuitiæ ad voluptatem ingrati ac nihil continentis ventris adinuenerunt, quandonam nostra fuerint, etiamsi identidem in ventrem ingerantur? Quæ exigua sanè quadam gustum voluptate, veluti in transitu perfundunt, statimque rursum ea vti molesta ac superflua ægre ferimus, tanquam si ea diutius in viscеribus immorarentur, maximum adituri essemus vitæ periculum. Multis equidem satietas mortem attulit, & ne amplius vlla re frui possent, in causa fuit. Nam facultas naturalis facilè cibum paucum conficit ac concoquit, atque ei, quod nutritur, assimilat: at cibum multum & varium si assumpserit, cùm illum concoquere

Pauperтas Christiana.

Ex Epistol.

Ex Homil. de non adhærendo rebus huius vitæ.

Ægroti officium.

Psal. 6.

Ex Hom. ijs de ieiunio.

Ex Homil. de non adhærendo rebus huius vitæ.

Saturitas sæpe noxia.

non posit, varia morborum genera parit. *Repletio omnis,* iniuriæ auctor est: simul enim cum ipsis delitiis,& ebrietate, ac variis condimentis, omne genus brutæ petulantiæ nascitur. Hinc homines, veluti equi rabiosi in feminas ferũtur, hinc naturæ ordine commutato, ob œstrum ex delitiis animæ ingeneratũ, in masculo feminam, in femina masculum quærunt. Ex crasso enim alimento, euaporationes quędam fuliginosæ, densæ nubis instar efferuntur, quæ eas illuminationes, quæ à Spiritu sancto in mentem manant, dirimunt, ac intercipiunt. Ne igitur indulgeas carni tuæ, somnis, balneis, mollibusque stratis, semper illud in ore habens, *Quæ vtilitas in sanguine meo, si quidem descendam in corruptionem?* Cur obsecro, complecteris illud, quod paulo post dissipabitur? Cur pinguefacis ac carnosum efficis teipsum? An te præterit, quod quanto crassiorem tibi facis carnem, tanto grauiorem animæ construis carcerem? Nam nimia vis corporis impedimento est spiritui ad salutem. Ventri quidem necessaria suggerenda sunt, at non iucundissima, nec talia ac illi, qui mensarum structores, qui cocos excogitant, qui omnem terram, qui omnia maria perscrutantur, ventri tributa exigentes, veluti tyranno cuidam. Miserrimi ob occupationes suas,& sanè nihil tolerabilius perpetiuntur iis, qui apud inferos pœnas pendunt. Nam apertè ignem fodiunt, cribro aquam ferunt, pertuso dolio humorem hauriunt, nec vllum finem suorum laborum statuunt. Quemadmodum enim sitis potum dulcem facit, & fames antegressa iucundam instruit mensam, sic etiam ciborum voluptatem continentia efficit. Mediam enim seipsam interponens,& continuitatem deliciarũ dirimens, desideratã, ac suauem tibi veluti peregrè redeuntem escam efficiet. Proinde si tibi velis iucundam instruere mensam, suscipito ex inedia mutationem: Tu verò ex eo, quòd vehementer delitiis deditus sis, ignoras te tibiipsi delicias obscurare, & nimio amore voluptatis voluptatem abolere. Nihil enim est tam iucundum, quod ex assiduo vsu in fastidium non veniat. Quorum enim rara est possessio, eorum etiam iucundus est vsus. Qui igitur vbi dies illuxit, circumspectant quonam in loco compotationes fiant, quique cœnopolia, & cauponarias tabernas collustrant, & qui se mutuo ad compotandum assumunt, omneque animi studium iis in rebus consumunt, hi sunt illi, quos vates deflet. Non enim tantum est ocij oculis ipsorum, vt cœlum intueantur, mirandamque eius pulchritudinem vti cognoscant: sed statim exorto die sympotia sua exornant, omneque studium suum, ac diligentiam in poculorum apparatu ostentant. Vasa, in quibus vina refrigerantur, crateras, phialas, veluti in pompa quadam, & conuentu publico disponentes, vt vasorum diuersitas satietatem ipsorum expleat, & poculorum mutatio, diu in potando vti immorentur, faciat. Ordo sanè in confusione, dispositio in re ordinata quæritur. Ad hæc certamina de ampliori potu exhauriendo oriuntur, tum etiam contentiones atque lites, dum se mutuo in Ebrietate superare conantur. His autem certaminibus diabolus præest, victoriæ vero præmium est peccatum. Qui enim plus meri hausit, his de alijs victoriam consequitur: contendunt enim inter se, atque seipsos ipsi vlciscuntur. Plena omnia dementiæ, plena confusionis. Qui manus dederunt, vino se omnino proluerunt, seruisque suis ludibrio fiunt. Manus * officium non præstat suum, os munus non obit, venter disrumpitur, nec malum quidquam remittit. At miserum corpus naturali robore dissoluto, omni ex parte diffluit, ferre non valens nimij potus violentiam. Miserandum profectò spectaculum, vir ætate integra, ac florente, inter militares copias clarus, domum deportatur, cum ipse non possit seipsum attollere, atque proprijs pedibus incedere. Vir, qui terrori debebat esse hostibus, pueris in foro materiem ridendi præbuit: sine ferro prostratus iacet, sine hostibus occidit. Vir armiger in ipso ætatis flore consistens, nimirum sese vino ingurgitando, nullo negotio ab hostibus prosternitur, superaturque. Quis est, obsecro, horum malorum auctor? Quis est, qui has insidias tetendit? Tu symposium aciem veluti bellicam instruens, vino vigorem iuuentutis eneruas. Ac inuitas quidem illum ad cænam tanquam amicum, eiicis autem mortuum, vitam illi vino eripiens. Qua re à brutis animantibus differs, ô homo? nonne ratione, qua à conditore tuo accepta, princeps ac Dominus omnis creaturæ effectus es? Qui itaque se prudentia per ebrietatem priuat, is similis est belluis, quæ ratione carent. Ac sanè merito cum illis pertenditur. Siquidem dicere ausim temulẽtos magis rationis expertes esse, quam ipsas belluas: quadrupedia enim, ac feræ omnes, ordinatos habent ad coïtus impetus; at illi, quorum amicus ebrietate detinetur, corpusque præternaturali calore refertum est, omni tempore, ac omni pænè hora ad immundos ac turpes complexus delabuntur. Perinde enim ac aqua ignem extinguit, sic etiam immoderatus vsus vini rationem moderatam delet. Quod enim pecus per Deum immortalem ita vt ebrioſus visu, & auditu delinquit? nam vino obrutus, familiarissimos suos non agnoscit, sed sæpius quasi ad necessarios accurrit. Nonne vmbras etiam ipsas aliquando transilit, quasi riuos quosdam, & conualles? Aures autem talium sonitu, ac strepitibus tanquam æstuantis maris repletæ sunt. Terra altum petere ipsis videtur, montes verò in orbem circumuerti. His quidem somni sunt graues, animam ipsorum intercludentes, & qui magna cum difficultate excitantur, quique morti sunt quàm simillimi. Vigiliæ autem somnis longe stupidiores: vita enim ipsorum quasi insomnium quoddam est, vtpote qui cùm ne pallium quidem habeant, neque quod crastina luce edant, dominantur tamen, exercitui præsunt, vrbes statuunt, pecuniæ largitionem faciunt. Hem quid agis, ô homo! famulus fugit Dominum cædentem, tu autem permanes cum vino, quod singulis diebus caput ferit tuum. Modus optimus vini est vsus, ac indulgentia corporis: quod si fines transieris, cras venies capite aggrauato, oscitabundus, vinum putridum olens: omnia tibi circumferri, omnia moueri videbuntur. Quando enim membranæ cerebri vaporibus, qui ex vino exhalant, replentur, tum caput multis ac maximis doloribus afficitur, & cùm recta in humeris consistere non possit, alio, vertebris labantibus, recidit. Ipsa autem incontinentia aperte ex vino, velut ex quodam fonte manat, & cum ea simul etiam petulantiæ morbus nascitur, qui brutorum omnem in fœminas insaniam longe exuperat. Siquidem bruta animantia naturæ terminos non excedunt, at ij, qui vino obruuntur in masculo fœminam, in fœmina masculum quærunt. Cùm enim animam iam sic perdiderint, vt sit omni macula inquinata, ipsum etiam corporis habitum corrumpunt, non solum voluptatis exuperantia, quæ ipsos immodica libidine diffluentes, œstri instar exagitat, sed etiam ob ipsam molem humiditate nimia laxum, & fœtidum, ac vitali firmitate dissolutum corpus ferentes. Horum oculi liuidi sunt, cutis subpallida, spiritus citus, lingua resoluta, vociferatio obscura, pedes titubantes, non aliter ac puerorum: excrementa autem sponte quasi à rebus anima carentibus profluunt. Miserabiles, me hercule, ob voluptatem, ac sane longe miserabiliores sunt iis, qui in pelago tempestate aliqua iactantur, quos alios post alios succedentes, ac demergentes fluctus, sursum ferri non permittunt. Quemadmodum enim nauigia onusta, tempestate si correpta fuerint, necessario onerum abiectione leuia fiunt; sic etiam & hi necessario, ea, quæ ipsis oneri sunt, deponunt: vomentes & eructantes vix onere liberantur. Sed tanto miserabiliores iis sunt, qui aduersa tempestate iactantur, quantum hi quidem ventos, mare, necessitatemque omnem externam accusant; at isti voluntariam ex ebrietate tempestatem subeunt. Qui à dæmone obsidentur, miserandi habentur; at ebrij quamuis eadem perpetiantur, nulla tamen misericordia digni iudicantur, eo quod sponte sua cum dæmone contendant. Quinetiam contra ebrietatem medicamenta parant, non ideo, ne quid mali à vino perpetiantur, sed ne semper vinum hauriendo inebrientur: nec mali hic finis adhuc est. Nam ipsum vinum longius se propellit, nec sitim restinguit, verùm alterius potus implacabilem necessitatem inducit, temulentos exurendo, semperque amplioris potus auiditatem prouocando. Ac sane sicuti valles, quæ vbi torrentes in ipsas influxerint, videntur plenæ esse, at vbi inundatio præteriit, siccæ relinquuntur, similiter etiam accidit ebriosorum ori. Restagnante enim vino, plenum est quodammodo & humidum;

Rom.1.

Ex Comm. in 29. Psal.

Pythagoræ dictum.

Ex orat. de vtil. ex profan. lib. capienda.

Inferorum pœnæ.

Ex Hom.1. de Ieiunio.

Quotidiana vilescũt. Rara, cura. Ex Homil. cõtra ebriosos.

Ebrietas.

** Terentij est.*

Ex Hom. ij. de Ieiunio.

Ex Homil. cõtra ebriosos.

Ebriorum imago.

midũ; verùm vbi vinum dilapsum fuerit, siccum ac humore vacuum deprehenditur. Proinde viro prudenti penitus abstinendum esse arbitror ab iis rebus, quæ eum perturbant. Cum enim multum meri infusum fuerit, quasi tyrannus quidam arcem petit, & à summo vertice ingentes tumultus animæ præbet, nulli rei, ne principali quidem parcens, sed ipsam primùm rationem in seruitutem adducit, deinde eam dispositionem ac ornatum, qui doctrina partus est, confundit, atque perturbat, risu indecoro, voce horrenda, ira præcipiti, libidine effrenata, œstro ac furore in omnem honestam voluptatem. *Propter hoc* Dynastæ, inquit, *ne bibant vinum*, nec illi, quibus aliquis magistratus mandatus est, aut aliqua rerum publicarum administratio concredita. nec etiam illi, qui ob vigorem ætatis robore corporis multum possunt. Nam tales, cùm sint à natura ad libidinem proni, quando præterea vini assumpserint impetum, veluti flammam quandam larga suppeditatione ardentis materiæ, ipsum ad summum extollunt. Quemadmodum enim naues onere pressæ difficilè educuntur, at faciles sunt & expeditæ ad nauigandum; sic etiam corpora, quanto maiori, & abundantiore carne degrauantur, tanto in magis profundam perniciem fluitantia ruunt.

Cur execrationem ipsius Cain tibiipsi accersis, temulentus, tremens, & oberrans toto tempore vitæ tuæ? nam corpus, quod ex natura sustentaculo caret, necessariò agitatur, atque contremiscit. Quousque tandem ebrietas procedet? nam paulo post necessario cœnum pro homine fies. Adeo omnino immersus es vino, & iam vnà cum ipso putrefactus es, ex assidua crapula vinum illud olens, atque hoc mucidum, velut vasa, quæ nullius amplius sunt vsui.

Quod si *ebrij regnum Dei non possidebunt*, tu cùm vino sepultus ad ieiunium accedas, quam, quæso, inde vtilitatem capies? si enim excludit te regno ebrietas, quem amabo, tibi fructum ieiunium in posterum feret? An non vides peritissimos domitores equorum, fame equos ad certamina destinatos, cùm certamen instat, præparare? tu autem teipsum de industria satietate deprimis. Venter præterea aggrauatus non solum ad cursum, sed neque ad somnum idoneus est. Nam cibi copia, ac onere pressus quiescere nos non sinit, verùm multas circumuersiones in vtramq; partem nos facere cogit. Ne igitur ad ieiunium ebrietas tibi dux sit: non enim patet aditus ad Ieiunium per ebrietatem, neque per auaritiam ad iustitiam, neque per incontinentiam ad precationem, neque, vt omnia vno verbo complectar, per vitium ad virtutem. Ebrietas enim ad incontinentiam ducit; ad Ieiunium verò mediocritas. Qui decertat, prius sese exercet; sic qui ieiunare volet, ante temperans sit oportet, nec se quinque dierum crapula ante infarciat, sed penitus eam prius deponat. Nam incassum laboras, corpus frustrà conterendo; inopiam verò ac famem non exples. Ebrietas Dominum non suscipit, Spiritum sanctum depellit. Nam vt fumus fugat apes, ita crapula fugat dona Spiritus sancti. Quare ne id nobis aliquando accidat, elaborandum est: nec tantopere ventri est seruiendum, si volumus vitam sempiternam adipisci. Domino nostro IESV Christo gloria, & honos in omnia sæcula deferatur. Amen.

Ex Comm. in Esaiam.

Optimates. Prou. 31. 4.

Ex Comm. in Euang. Matt.

Ex Hom. ij. de Ieiunio. 1 Cor. 6.

ORATIO XVII.

De Humilitate & Vana gloria.

DIFFICILE quidem est, vt is, qui nec omnium infimus esse, nec postremum tenere locum cupit, vnquam possit, aut conuiciis iactatus iracundiæ resistere, aut multis coopertus miseriis, tolerando ac patienter ferendo tentationibus esse superior. At qui summa modestia est præditus, & qui dum conuiciis afficitur, fatetur se longe esse inferiorem quàm dicatur, eius animum nulla vnquam conuicia percellent, atque perturbabunt, sed si appellabitur inops, nouit inopem se esse, & omnibus rebus indigentem, atque quotidiana Domini suppeditatione opus habere. Quod si acceperit ignobilem & obscuro natum loco se dici, iam animo multo ante percepit, fictum se ex limo atque creatum esse, ac in summa, magnus ille apud Deum habetur, qui humanum ac facilem vicino se præbet suo, & qui sine vllo pudore omnes sui vicini in se recipit criminationes, quantumuis à veritate longe abhorreant, idque pacem pariat fratri suo, pacem, inquam, quæ maximum mortalium est bonum. Æquè enim est arduum in rebus aduersis animo non deiici, ac in secundis non efferri: nam reuera mores inflati, si culti ac obseruati fuerint, seipsis longe superbiores plerumq; euadere solent. Consequitur autem animum humilem, visus subtristis, & in terram demissus; habitus neglectus, capillus passus, vestis sordida, ita tamen vt hæc videantur casu ac fortuito fieri, quæ lugentes de industria faciunt. Vestis cingulo corpori apte sit accincta, cinctura autem neque lumbis sit superior, muliebre enim hoc, neque adeo remissa, vt vestis diffluat, noxium namque istud. Incessus vero neque lentus, vt qui animi dissoluti sit signum, neque rursus celer & concitatus, vt qui ipsius impetus perturbatos ac temerarios esse demonstret. Scopus autem vestis vnus esto, nimirum vt sit operimentum carnis commodum, cum aduersus hyemem, tum æstatem. Noli autem quærere, neque in colore iucunditatem neque in structura tenuitatem ac mollitiem. Nam in vestitu habere rationem amœni coloris, perinde est, ac si quis studeret fuco muliebri, cuius illæ perstudiosæ sunt: alieno enim flore genas ac capillos suos illinientes hoc ipso placere student. Vestis autem crassities talis esse debet, vt caloris gratia opus non habeat altera. Calceus vilis quidem sit pretij, sed tamen satis commodè necessitatem expleat. Nam modestiæ exercitatio nihil aliud est, quam conuersatio in rebus tenuibus ac simplicibus, honoris studium exactè tollens & curans. Ambitiosus vero merito ille habendus, qui ob exiguum & nihili huius mundi honorem, aliquid facit loquiturue. Veluti ille, qui eam ob causam benignè facit pauperibus, vt gloria & laude publicè afficiatur. Is quoniam mercedem aucupatur, nec misericordiam tribuere, nec alios bonorum suorum participes facere censendus est. Et qui ideo temperantiam seruat, vt hominibus probetur, non est temperans, cùm virtuti nequaquam studeat, verùm eam gloriam, quæ ex ea proficisci solet, captat. Integrum erat Ananiæ à principio possessionem suam Deo non promittere, sed postquam gloriam humanam spectans, eam quidem ideo consecrauisset, vt ab hominibus ob pietatis studium suspiceretur, de pretio tamen eius partem detraxit, quo facto talem in se iram Domini, cuius *administer Petrus erat, concitauit, vt ne pœnitendi quidem tempus præstitutum reperiret vllum. Dominus etenim, qui *superbis resistit*, & sceleribus obstrictos ad terram vsque deprimit, pollicetur, se improbitatem elatorum protriturum. Qui igitur se efferentium fastum contundit, liberat ac educit ipsos ex illa similitudine, quam habent communem cum dæmone, omnis fastus & superbiæ patre, persuadetque, vt discipulos se præbeant illi ipsi, qui dicit: *Discite à me, quoniam mansuetus sum, & humilis corde*. Quid, obsecro, elato es animo quòd gentes concideris, & imperia ciuitatum euerteris? Num & securis ideo spiritus tollet, quod arbores excelsas in terram deiecerit? num serra, quod solida & bene compacta ligna findat, in partesque tribuat? Verùm nec bipennis sine manibus ferit, nec serra sine illo, qui eam trahit, findit. Quod si proximum tuum scelere se contaminantem conspexeris, ne hoc solum ipsius facinus animo lustret, sed ea omnia, quæ fecit, aut facit probè tecum reputes, & sic multis partibus ipsum te longe meliorem esse reperies, nimirum, cùm in vniuerso rem, non in parte accuratius perpenderis. Nam nec Deus ipse homines ex parte ponderat, expenditque. ait enim: *Ego venio, vt & facta & cogitationes ipsorum congregem*: & cùm quondam increpasset Iosaphat, propter recens admissum peccatum, meminit etiam eorum, quæ ab ipso rectè probeque facta fuerant, dicens: *Veruntamen bona opera in te reperta sunt*. Atq; ita sæpenumero animi demissio liberat eum, qui multa & permagna in se concepit vitia. Ne igitur teipsum supra alterum iustum feceris, ne aliquando tua sententia iustus factus, Dei iustissimo iudicio condemneris. Autumas aliquid

Ex Comm. in 61. Psal.

Humilis quomodo conuicia vincat.

Vestis Reli-gioforum qualis.

Mulierum fucus.

Honos reli-gioso fugiẽ-dus.

Ex Comm. in Esaiam.

Act. 5.

* ὑπερη-φανος.

Iacob. 4

Matth. 11.

Ex Hom. de humi-litate.

Isa. 66. 8

2 Paral. 12.

Ex Hom. Quomodo quis sobrius esse debeat.

quid te boni feciſſe, Deo gratiam habeto, nec te vnquam extollas ſupra proximum. cui quid, quæſo, te profuiſſe cenſes, eo quod fidem profeſſus es tuam? quod exilium ob nomen Dei tui ſuſtinueris? aut quod ieiunij labores perpeſſus ſis? non profectò alius quiſquam ex eo fructum capiet, ſed tute ipſe. Fac pertimeſcas lapſus dæmonis ſimilitudinem, qui cum ſe ſupra hominem extuliſſet, infra omnes homines cecidit, & traditus eſt, veluti puluis pedibus noſtris conculcandus. In ſumma tibi in mentem veniat dictum illud, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus vero ſuam tribuit gratiam.* Habeas, obſecro, verbum illud Domini ſemper in promptu: *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur.* Ne ſis iudex tui ipſius iniquus, neque ad gratiam rem expendito, hoc ſolum in ſuffragium vocans, quod te rectè feciſſe exiſtimas, errata autem ſponte obliuioni tradens, neque ob ea, quæ hodie probè feciſti, teipſum magni æſtimato, veniam tibi facillimè concedens eorum, quæ antea & olim perperam patraſti, ſed cum præſens te extulerit officium, antiquum facinus fac tibi ſuccurrat, atque ita à ſtolida ſtultaque inflatione conquieſces. Veriſſimum namque illud eſt: *Nihil eſſe difficilius quàm noſſe ſeipſum.* Non enim oculus tantum ſuo in ſemetipſũ munere non fungitur, dum ea, quę extra ſunt, cernit & perluſtrat, ſed & ipſa mens noſtra; cum accuratè acriterque peccata peruestigat aliena, tardior vero in vitijs noſtris conſiderandis eſſe deprehenditur. In obiurgando caue ſis grauis, neque citò, neque cum impetu reprehendas: hoc enim contumacis habetur. Neque etiam ob res paruas, aut nihili aliquem condemnes, veluti ipſe omnibus numeris ſis iuſtus, verum eos qui deliquerunt, placidè aſſumito, ac ſpiritualiter ipſos complectito, vti Paulus commodiſſimè monet, *conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris.* Si enim delinquimus, meliores moniti & correcti efficiemur; ſin autem nihil iniqui egimus, cuius rei cauſa in odium vocabimur? Abijce, quæſo, ac penitus euelle ex animo tuo perſuaſionem illam nullius te opera & ſocietate egere. Non enim illius eſt, qui alios amore complectitur, nec etiam illius, qui iuſſa Chriſti ſummo ſtudio capeſſere contendit. Non te ſegreges à coniunctione fraterna, ne quando belli calamitas, quę orbem circumit, te quoque attingat, & tunc niſi cum alijs bellici inſultus particeps fueris, haud facilè reperies, qui vicem doleat tuam: eo quod cum ſecundis vtebare rebus, iniuria affectis miſericordiam non tribueris. Ego profecto magis ſtudeo, in loco eſſe obſcuro, quam quidam ambitioſi in conſpicuo & illuſtri. Velim tu quoque tantum in id conferas exemplo meo ſtudij, ne ab hominibus gloria afficiare, quantum cęteri mortales contendunt, vt glória quàm maximè conſpicui euadant. Honores aliqui tibi mandati ſunt, teq; homines complectuntur, ac magni faciunt; caue animum tollas, verum ſimilis ſis ijs, qui alicui parent. Nam qui primas ferre cupit, is decreto Domini *ſeruus omnium ſit oportet.* Moſes ille vir Dei magnus, qui cum omnibus in rebus obedientem ac morigerum ſeſe præberet Domino, tamen quando ad populum Iſraëliticum mitteretur, ait, *Obſecro, Domine, alium, quem mittas, pares.* At ex eo ipſo, quod excuſatione & confeſſione imbecillitatis ſuæ, quaſi cum quadam contentione Deo reſiſteret, Deus eum dignum eſſe iudicauit, qui populo præeſſet ſuo. Quamobrem præclarè ſe habet præceptum illud: *Ne quæras eſſe iudex, ne aliquo modo non valeas è medio tollere iniuſtitiam.* Sermo enim vatis excuſationem propter eos, qui imperium deferebant ad eos, qui ſeditionem conflabant, non omnino factam fuiſſe dicit, nam non ſimpliciter dixit, *Dux non ero*, ſed cum quadam additione, *Dux non ero populi huius.* Et cauſam attulit, *Quia linguæ ipſorum cum iniquitate quadam Domino diffidunt.* Deinde Moſes cum ad genus vitæ illuſtre, atque officium nobiliſſimum, nimirum ad tanti populi præfecturam vocaretur, excuſatione vtitur. *Quis ego ſum,* inquit, *vt adeam Pharaonem Regem Aegypti & ducam populum hunc?* & rurſum, *Obſecro, Domine, nihil valeo à die heſterno & tertio, & ex quo cœpiſti colloqui cum ſeruo tuo.* Et iterum, *Quæſo Domine, alium pares, quem mittas, qui huic oneri ſatisfacere valeat.* At Dominus dixit illi: *Vade, & ducem te præbeas populo iſti, ecce Angelum meum præmitto tibi.* Quid Moſes ad hæc tandem? *Obſecro,* inquit, *nam niſi tu ipſe præieris, nequaquam hinc nos educes.* Eſaias vero nihil eiuſmodi audiens, ſolum de neceſſitate legationis edoctus ſponte ſeipſum obtulit, ac in media pericula ſe intulit. Quæ igitur horum fuit mens? Moſis quidem quod populus eſſet ſceleſtus, quique opus haberet eo, qui conniuere delictis, & peccata remittere poſſet, id quod ipſi Angeli efficere nequeũt, ſiquidem illi vlciſcuntur eos, qui ſe vitiis inquinarunt, veniam autem concedere iis, qui ſceleribus ſe obſtrinxere, nequaquam poſſunt. Veniat igitur verus legiſlator potens ille Seruator, qui ſolus remittendi peccata poteſtatem habet abſolutiſſimam. Eſaiæ vero, quod propter amoris exuperantiam ſibi perſuadebat, nihil eorum, quæ acciderant, vnquam à populo ſibi accidere potuiſſe. Ex his duobus alterum nos imitemur, vt futura conſequamur bona, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, cui vna cum patre & ſancto Spiritu, gloria, honor & potentia tribuatur nunc & in perpetuum. Amen.

1. Petr. 5.
Luc. 18.
Ex Hexaemero. γνῶθι σεαυτόν.
Ex eadem Hom.
Gal. 8.
Ex Epiſtol.
Ex eadem Homil. Gloria fuga.
Matt. 10.
Ex Com. in Eſaiam.
Exod. 3. 4.
Eccleſ. 7.
Exod. 3.
Exod. 4.

ORATIO XVIII.

De Honore, quo afficiendi ſunt parentes: & de Senectute ac Iuuentute.

ILLVD, quod à vate prolatum eſt, *Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod tradidiſti*, poterit cum ad reſurrectionis myſterium referri; exhortante nimirum vate iudicem, vt exurgeret ad vindicandum omne ſcelus, & vt præcepta nobis antea data perficeret: tum etiam ad eum rerum ſtatum, qui tum erat, ita vt excitet Deum vates ad vltionem præcepti, quod dederat. Præceptum autem erat, vt vnuſquiſque *honore patrem & matrem ſuam afficeret:* quod quidem filius ipſius vatis non tenuerat. Proinde exhortatur Deum, cum ad illud ipſum corrigendum, tum ad multos alios modeſtiores reddendos. Ne, inquam, cunctator in puniendo eſſet, ſed exurgeret in ira, & exurgens vlciſceretur proprium inſtitutum. Non enim, inquit, iniuriam meam perſequeris, ſed iuſſum tuum ſpretum, quod ipſe deſcripſiſti. Patet enim, quòd ſi vnus iniuſtus ad modeſtiam reducatur, multos etiam ſua ſponte redituros eſſe. Prouidentia, quæ in ſenio confectas ciconias confertur, poteſt liberos noſtros, ſi modo attentos ſe, docilesq; præbere velint, amantes parentum efficere. Nemo eſt enim omnino ſic prudentiæ inops, qui non ſumma infamia dignum iudicet, ſe ab auibus, quæ longiſſimè à ratione abſunt, virtute ſuperari. Nam illæ patrem, cui præ ſenectute alæ decidunt circunſtantes alis ſuis fouent, paſtusque ei copioſè præparant, ac ſuppeditant, quodque poſſunt, in volatu auxilium ferunt, ita vt leniter vtraque ex parte eum alis ſuſtineant. Idque ſic omnium voce celebratum eſt, vt iam quidam referendæ gratiæ officium ἀντιπελάργωσιν nominent. Quamobrem tu ſi vis de rebus futuris certus eſſe, facito ea, quæ lege præſcripta ſunt, & tandem ſic expecta vſum bonorum. Honorem tribuito patri tuo atq; matri, vt tecum bene agatur, multumq; in tempus vitam producas, quo te bono Deus Opt. Max. ornabit. Probi enim filij, & beneficiorum memores magno ſunt parentibus ornamento. *Filij*, inquit diuinus Apoſtolus, *diligite parentes veſtros: parentes, ne prouocetis ad iram liberos.* Nam ſi leænæ cordi eſt fœtus, ſi lupus pro catulis decertat: quid, quæſo, dicet homo? qui & præceptum negligit, & naturam peruertit, quando aut filius ſenectutem patris ignominia afficit, aut pater ſecundis nuptiis in obliuionem priorum filiorum venit. Aquila in educando partu iniuſtiſſima exiſtit. Cum enim duos pullos excluſit, alterum pennarum ictibus in terram deiicit, alterum vero tantum ſuum eſſe ducit, auerſando id quod procreauit, propter paſtus difficultatem: ſed hunc oſſifraga mori non patitur, verum ſuſcipit ac vna cum ſuis educat. Eiuſmodi ſunt parentes illi, qui inopia coacti, infantes exponunt, aut ij etiam, qui in diuidunda hæreditate iniquiſſimi ſunt in liberos. Æquum enim eſt eos, vt ex æquo vincuique vt eſſet dederunt, ſic ea etiam, quæ ad vitam tuendam pertinent, æqualiter eis præbere. Noli imitari aues aduncitate vnguium

Ex Hom. in 7. Pſal.
Deut. 5. Exod. 20. Matth. 29.
Ex Homil. 8 in Hexaem. & Ant. Meliſſa c. 2 part. 2.
De ciconia vide Paræmiam. ἀντιπελάργειν.
Ex Comm. in Eſaiam. Exod. 20.
Ex Epiſt. Et Cõm. in Eſaiam. Epheſ. 6.
Aquila natura.

præditas

prædítas, quæ cùm pullos suos animaduertunt iam in posterum volare posse, eos ex nido eijciunt, pennisque verberant ac pulsant, nec deinceps eis vllo modo consulunt. In cœlum ferenda est cornicis in pullos charitas, quæ etiam volantes iam comitatur, eisque pastum diu parat & præbet. Differt autem nihil is, qui ætate puer est, ab eo, qui mẽte est infans: Cana enim prudentia homines antiquos facit, ac magis profecto ad cõstitutionẽ senis concurrit id, quod est in Prudentia antiquius, quàm albedo capillorum. Si enim quis sit, vt sapienti Danieli placet, *iuuenis quidem corpore, prudentia vero canus*, æquius sane est, vt ei maior honos tribuatur, quàm illis, qui prauo iudicio corporis canitiem anteponunt. Etenim Daniel puer cum esset, & ætatem iuuenilem, quæ sensu, senecturem vero ob prudentiam, quæ mente percipi poterat, ageret, senis nomen meruit. Sic contingit aliquando, cùm senes ociosè & neglectè vitam degunt, vt reperiantur iuuenes eis longè excellentiores, maioríque honore digni: vtpote qui sint * longè seniores, ob canescentem animæ virtutem. Maxima autem pœna & supplicium est, cum ciuitati adolescentes insani ac prudentes præsunt. Iuuentus enim leuis est, & ad mala propensa atque procliuis. Libido indomita, ira immanis, insolentia & contumelia, superbia, & animus inflatus, propriæ sunt iuuentutis perturbationes. Inuidia prætereà in rem, quæ excellit: suspicio aduersus suos, sexcentorum deniq; malorũ aceruus iuuentuti est adiũctus. Quorũ omnium participes esse, necesse est eos, qui ab illis reguntur: quoniam Principum mala calamitatem afferre solent ijs, qui in eorum ditione ac imperio sunt. Hinc etiam mala, quæ ante euersionem Hierusalem extitere, profecta sunt, cum inter se iuuenes concurrendo ac seditiones excitando, seditionibus ac cædibus ciuitatem repleuissent, neque vellent; etiam si mœnia eorum iam hostes cinxerãt, ad necessariam concordiam redire: sed de rebus nullius precij concertantes, vrbe iam capta, mœnibus dirutis, hostibus vrbem ingressis, de ambitione & principatu inter se contendebant. Et hæc passi sunt eò, quod vate priuati essent, & interprete, & seniore, & sapienti consultore, quodque ipsis iuuenes præessent atque irrisores dominarentur. Ne igitur & nobis similia illis accidant, contentiones mutuas fugiamus, concordiam vero & honorem, tum etiam pacem persequamur, vt deinde, postquam tuto vitam transegerimus, futura bona consequi valeamus, per Christum Iesum Dominum nostrum, quem sempiterna gloria & potentia consequatur. Amen.

Dan. 13. 43.

* *Canè sunt sensus hominis.* Sap. 4. 7.

ORATIO XIX.

De Prouidentia.

Ex Hexaemero.

TAM est multiplex opificis nostri in imperando mens & sententia, quantæ etiam sunt rerum ab eo effectarum differentiæ ac proprietates: quę omnia si quis subtiliter & accuratè persequi velit, similiter faceret, vt si omnes maris fluctus numerando cõplecti, aut aquã eius vase emetiri institueret. Quo enim pacto omnes auium proprietates aliquis exponere poterit? nemo, profecto dicendo consequetur, quomodo * iconiæ sic vno tempore his in locis nidos construunt, & quo pacto vicissim omnes, vno quasi consensu hinc se proripiunt: quod quidem non est alienum à prudentia humana. Has, cum volãt, quasi armati milites quidam cornices stipant, atq; in regiones illas deducunt, mihique videntur auxilium quoddam eis ferre in eas aues, quæ illis aduersantur. Cuius rei illud primum argumentum est, quod illo ipso tempore cornix omnino nõ apparet, deinde quod redeunt vulneribus confectæ: quæ omnia mutui auxilij ac tutelæ perspicua sunt indicia. Quis, quæso, eis hospitalitatis leges sciuit? quis eis desertæ aciei actionẽ minatus est? si quæ illarum prosequendi officium desereret. Grues autem nocturnas vigilias vicissim agunt, earumque aliæ somno se dant, aliæ circumuolando summam cæteris in somno securitatẽ præbent. Deinde cum tempus vigiliarum completum est, tum vna, voce edita,

* οἱ πελαργοὶ.

Grues.

A dormitum se confert, altera vero labori succedit, quamq; securitatem nacta est, eam vicissim alijs reddit. Eundem etiam in volando ordinẽ seruant, aliâs enim alia itineris ducem se præbet, cumq; statò tempore in volatu principatum obtinuerit, ei, quæ eam sequitur, viæ tradit principatũ, ipsa vero circumuolando post principia se recipit. Qui vero mutationi, quæ in resurrectione futura est, non assentiuntur, hi ex bombycis commutatione euidentem claramque hauriant notitiam. Et qui ludibrio habent mysteriũ nostrum, tanquam à natura sit alienum, fierique non possit, vt virgo ea, quæ seminis viri expers sit, salua virginitate pariat, velim cogitent, eum, cui visum est, stulta prædicatione,

Resurrectionis argumentum bombyx.

B eos, qui crederent, seruare, innumerabiles ex natura occasiones, ad rerum admirabilium fidem nactum esse. Vultures enim sine concubitu fœtus edere fecit, eosque summa vitæ diuturnitate donauit, quippe quibus vita vsque ad centesimum annum prorogetur. Atque sane in omnibus rerum à se admirabiliter gestarum illustria nobis monumenta reliquit. Est etiam & apud pisces insignis quædam & bene ordinata prudentia. Nam vnumquodque eorum genus, præscriptam sibi à natura regionem nouit, & tanquam in vrbibus, aut vicis, aut veteribus patriis, sic in eis maris partibus, quæ illis constitutæ sunt, habitat. Iam quidam è numero piscium, quasi de communi omnium consilio & sententia extra terminos suos egrediuntur, omnesque vno consensu abeunt. Cum enim tempus conceptus venit, alij ab aliis partibus migrant, communique naturæ lege excitati, ad mare Septentrionale contendunt. Ac sane videre licet eos, tum cum ascendunt, quasi quendam fluxum copulatos per Propontidem in Euxinum mare delabi. Quis cedo eos impellit? quod regis imperium? quæ tabulæ in foro propositæ voluntatem regis exponunt? quis denique eos in peregrina & longinqua loca ducit? Videsne diuinam legem omnia implentem, & ad minutissima quæque animantia pertinentem? Pisces diuinæ legi non repugnat; nos vero, proh dolor! salutaria instituta & documenta non ferimus. Caue, pisces, eo quod muti sint,

Vultures.

Piscium natura.

D & rationis expertes, nihili pendas, sed vide, ne tu, qui diuinis legibus obuiam is, magis expers, quàm illi, rationis esse videare. Nullus piscis dimidia ex parte dentibus præditus est, vt apud nos bos & ouis: neque enim vllus piscis ruminat, præter scaurum, vt quidam literarum monumentis prodidêre. Omnes tamen acutissimis dentibus & iis creberrimis ornati sunt, atque id ideo, ne tardiore confectione cibus delaberetur. Futurum enim erat, nisi cito diuisus in stomachum mitteretur, vt dum paulatim conficitur, in aquam effligeret. Audi itaque pisces tantumnon vocem edentes, cur tantum maris ementiantur. Nos, inquiunt illi, tam longinquum iter, propter generis nostri perpetuitatem suscipimus. Non rationis ipsi sunt

Scaurus piscis non ruminat.

E participes, sed eis lex naturæ constans & immutabilis data est, quæ ipsis id, quod agendum est, ostendit atque præscribit. Confluamus, inquiunt, in mare, quod Septentrionem spectat: eius enim aqua cæteras omnes dulcedine longè anteit. Nam quoniam Sol paucos dies illud collustrat, eius dulcedinem totam suis radiis non elicit. Pisces autẽ marinos rebus dulcibus delectari, hinc sciri potest, quod sæpe in fluuios commeant, & procul à mari deferuntur. Ob eamque causam Pontum cęteris sinibus anteponunt, quod ad pariendum, & ad fętum educandum sit accommodatus. Cum autem satisfactum est cumulatè ei negocio, quod illuc eos traxerat, tum vniuersi domum repetunt. Quæ autem ipsos causa impellat, age à mutis ipsis audiamus. Vadosum

Septentrionalis maris aqua cæteris cur dulcior.

F est, aiunt, mare Septentrionale, & resupinum patet ventorum iniurijs, & pauca habet litora, atque oras præaltas: proinde ex alto venti & procellæ ortæ, facilè ipsum ita exagitant, vt etiam inter vndas arena mixta fluitare videatur; quin etiam hyeme multis magnisque, qui eo influunt, amnibus augetur. Quocirca cum æstate, quantum satis erat, sese in eo oblectarunt, rursus hyeme alti repetunt amœnitates, atque ea loca quæ Solis radijs patent, declinatoque Septentrionali mari, quod ventorum procellis & tempestatibus infestum est, ad eos sinus delabuntur, qui minore vi ventorum impellantur. Vidi ego hęc, & Dei sapientiam in omnibus sum admiratus. Quod si animantia rationis

expertia

expertia saluti suæ consulunt, eamque tuentur, & piscis quid expetendum sit, quid fugiendum intelligit: quid non, obsecro, afferemus, qui & rationis sumus participes, & legem præceptricem habemus, quique promissis impellimur, atque in spiritu instituimur? Præterea pisces, qui longius à rationis motu abhorrent, res suas recte & ordine gerunt, siquidem rerum futurarum quandam habent prouidentiam: nos autem propter rerum futurarum desperationem, in pecudum voluptate totum vitæ tempus conterimus. Quod si oratione vix explicari potest, quanta in iis, quæ ratione non vtuntur, insit, quam nemo docuit, nisi ipsa natura, vitæ studium ac cura, nonne etiam nos ad nostri custodiam, & ad animæ salutem, toto pectore incumbemus? ne videamur ab iis, quæ rationis sunt expertia, vinci atque præteriri. Vrsa sæpenumero grauissimis vulneribus sauciata, contactu verbasci, quæ herba sicca est, sibi medicinam facit. Cernere etiam licet vulpem lacrymis & glutine pini se curantem. Testudo vero viperæ carnibus satiata contra veneni incommoda ab origano remedium petit. Serpens etiam pasto fœniculo, oculorum doloribus medetur. Boues diu hyeme concluſi, tandem aliquando ineunte vere suapte natura mutationem cœli præsentientes, omnes quasi vno consensu ex præsepibus, qua egrediantur, crebro aspectu exquirunt. Oues vero hyeme instante, pastu se infarciunt, & quasi armant, contra futuram herbarum penuriam. Quid tandem his nobis ostenditur? nimirum etiam apud animantia rationis expertia, quendam rerum futuratum sensum inesse. Admonemur præterea iis, ne in hac vita hæreamus, sed in futura, omnem curam nostram, studiumque ponamus. Agnus etiam inter sexcentas oues, cum ex ficu desilit, matris vocem internoscit, atque ad eam properat, ipsosque lactis fontes exquirit. Ac sane contentus esse solet macilentis maternis mammis, etiamsi aliarum mammas graues plenasque percurrerit. Mater quoque inter agnos innumerabiles suum agnoscit, quamuis vna sit vox omnium, idem color, odor similis, quantum nostro olfactu iudicare possumus. Sed tamen est in eis sensus quidam, nostra cognitione acrior, quo id, quod naturæ cuique accommodatum est, internoscitur. Nondum enim dentes fœtus lupi habet, & tamen eum, qui iniuriam sibi infert, morsu appetit. Nondum cornua vitulo creuere, scit tamen vbi sibi arma nascentur: quoniam qui ea fabricatus est Deus, rationem qua carent, sensuum acrimonia compensauit. Nec vero est, quod quisquam rerum parentem eam ob causam in crimen vocare debeat, quod animalia, quæ virus iactant, pernicioſa & inimica vitæ nostræ procreauerit. Isto enim pacto pædagogum etiam culpare licebit, qui ad frugem adolescentiæ procliuitatem reuocat, plagisque ac verberibus, eorum intemperantiam castigat. Confidis in Deum? habes eam, quam præbet fides, potestatem, vt *super serpentes & scorpiones ambules.* An non vides viperam, quæ ex sarmento, quod Paulus colligebat, exilierat, nullum ei detrimentum attulisse? eo quod factus vir, fidei plenus esset. Quod si perfidus sis, time non magis animal, quam tuam perfidiam, qua te ipse omni malo, & interitui obnoxium reddidisti. Etenim eas omnes calamitates, quas perpetimur, ex diuina constitutione sustinemus. Non patietur autem ille nos desertos, nec prauis potentiis prodet, quæ peccatoribus pœnas infligunt: sed ipse pœnas mediocres definiet, ratione habita eorum, qui sibi seruiunt. Ac sane omne bonum, quod in nos ex diuina constitutione redundat, dicamus illustre argumentum esse gratiæ diuinæ, quæ omnia operatur. Nihil est omnino, quod non in Dei prouidentiam & curam cadat: omnia peruigil oculus Dei intuetur, omnibus adest atque præsens est; & quod vnicuique denique commodum est ac salutare, suppeditat. Sæpenumero etiam in minutissimis sapientia diuina atque prouidentia perspicitur: nam qui cœlum finxit ac creauit, & qui immensa maria aqua repleuit, hic etiam est, qui tenuissimum apis aculeum veluti foramen quoddam fabricatus est, vt per ipsum virus effunderet. Sed iam tempus est, vt cum vate illud exclamem: *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti.* Gloria, honos, & magnificentia Patri, & Filio, atque Spiritui Sancto, in sempiterna sæcula tribuatur. Amen.

Medicina à brutis reperta. Vrsa.

Ouium prouidentia.

Agni.

Psal.90. Act.28.5.

Ex Comm. in Esaiam.

Ex Ethicis.

Psal.103.

ORATIO XX.

De Principatu, ac Potentia.

HOnestum sane & æquum est, vt semper deterius à præstantiore gubernetur: sæpe enim temeritas populi ad improbos homines principatum detulit. Proinde necesse est huiusce modi viris mandare magistratus, atque eos aliorum constituere duces, qui ceteros omnes prudentia, constantia, ac vitæ sanctimonia longe anteeant, vt virtutes, quibus præditi sunt, communes fiant eorum omnium, qui eos imitantur. Nam ad mores eorum, qui gubernacula tenent, componere sese totos ij, qui parent, solent: ita vt *quales duces fuerint, tales etiam necesse sit esse eos omnes, qui sequuntur: & quales fuerint in repub. principes, tales vt plurimum existere solent etiam reliqui ciues.* Item quemadmodum si plures pictores, vnius faciei formam effingerent, omnes imagines similitudinem quandam inter se habebunt, eo quod ad exemplar vnius pictæ sint; sic etiam multi mores, si ad vnius imitationem respexerint, in omnibus æque bonus vitæ character eluceſcet. Nam vera & perfecta obedientia eorum, qui parent, erga eum, qui præest, ex eo cognoscitur, si non solum à rebus absurdis de sententia præfecti abstinuerint, sed si neque ea, quæ laude digna sunt, absque illius consilio fecerint. Continentia enim & omnis corporis afflictio multas ad res perutilis est: verum si quis proprios impetus sequutus, quod sibi libuerit, fecerit, nec consulenti præfecto morem gesserit, maius peccatum erit, quam recte factum. *Qui enim magistratui resistit, diuinæ ordinationi resistit.* Præterea Obedientiæ maior merces est, quam recte facti, quod ex continentia descendit. Ille igitur, qui habet sua in manu mali cultum, sua autem sponte se illi subiicit, non iniuria æque condemnabitur, ac illi, qui sibi manus attulerunt. Princeps vere atque omnis is, qui aliis præest, dignitate ne efferatur, vt non excidat ea beatitudine, quæ ex humilitate manat. Nec etiam ille, qui regi operam nauat suam, prædicatione se efferat, eo quod in tali vel tali ministerij ordine collocatus sit: ille vero qui dignus iudicatus est vt Deo seruiret, aliunde laudem peret, tanquam ipsi non satis sit appellatio Domini, ad omnem gloriæ & claritudinis exsuperantiam. Sufficit enim nobis ad omnem dignitatem, talis & tanti Domini seruos nos appellari. Et sicuti nulli alij nos præterquam soli Deo cultum tribuere par est, sic etiam neque in vlla alia re spem nostram constituere debemus, quam in Deo omnium rerum Domino. Qui enim in homine spem collocat suam, aut qui ob aliud quiddam rebus ex humanis se iactat, veluti ob potestatem, aut pecunias, aut aliquid eorum, quæ vulgo splendida esse existimantur, is non potest dicere, Domine Deus meus in te spem defixi meam: cautum enim est, ne quis spem poneret in principibus: & literis proditum est, maledictum eum esse hominem, qui spem suam constituit in homine. Beatus igitur re vera ille est, qui nullam earum ob rem, quæ in hac vita summæ habentur, superbit, sed qui omnem gloriam suam sitam habet in Domino, cuius exultatio est Deus, quique dicere possit iuxta Apostolum: *Mihi vero absit gloriari, nisi in cruce Christi.* Si enim quis ideo se iactat, quod sit seruus regis, & quod magnis honoribus ab eo affectus sit; quanto te magis decet in te ipso gloriari, quod seruum agas magni illius Regis, accersitus ab ipso ad summam familiaritatem. Qui autem vere princeps est, is non externis indiciis cognoscitur, veluti chlamyde purpurea, aut diademate, sed ex eo, quod sit præditus ea virtute, quæ est apta ad regendum: ille vero, cui voluptates imperant, & qui sæpius cupiditatibus ducitur, *seruus cum sit peccati*, ineptus est ad imperandum. Ac eos quidem, qui resistunt, subigere, fortis re vera est, vt is, qui præest: at iis, qui aliquid admiserunt, facilem se ac benignum præbere, illius est, qui animi magnitudine & lenitate cæteris omnibus longe præit. Plurimi enim ex illis prisci, Domini eorum effecti sunt, qui illos iniuria affecerant, verum nulla fama de iis ad

Ex Ascetic.

Ex Com. in Esaiam. Eccles.10.

Ex Epistol.

Rom.13.

Ex Ascetic.

Ex. Hom. in 33. Psal.

Ex Hom. in 7. Psal.

Psal.7. Psal.145. Hier.17.

Ex Hom. in 45. Psal.

Galat. 6.

Ex Com. in Esaiæ cap. 3

Ioan. 8.

Ex Epistol.

ijs ad posteros peruenit: sedauerunt verò iram, qui Philosophiâ multis præstiterunt, quorũ memoria immortalitati consecrata est. Eos enim, qui quauis re iniuriam inferunt, non, eas ob res, quas antè gesserunt, punimus, (quisenim esset fructus pœnæ?) sed vt aut illi ijdem in posterũ meliores essent, aut alijs exemplum modestiæ præberent. Sæpenumerò etiã in minutissimis sapientia diuina perspicitur. Qui enim cœlum finxit & immensa maria repleuit, ille idẽ etiam tenuissimum aculeum apis quasi foramen quoddã fabricauit, vt per eum virus effunderet. Hũc oculis huius carnis intueri non possumus: nã id, quod corporis est expers, non potest cadere sub oculos carnis. Quod etiam ipse vnigenitus filius Dei attestatus est dicendo; *Deum nemo vidit vnquã.* At dices, Ezechiel vidit, vti literarũ monumẽtis proditũ est: vide, quæso, quid dicat scriptura: *Vidit*, inquit illa, *similitudinẽ gloriæ Domini*, non tamẽ ipsum Dominũ, imo neq; ipsam gloriã re vera vidit. Tamen cùm cõspexissẽt exemplar gloriæ, & non ipsã gloriam, cecidit in terram præ timore. Si verò similitudo gloriæ conspecta tantam trepidiationem & timorem hominibus incutiat, ipsum si quis conspiceret Deum omnino, deleretur, iuxta illud, quod dictum est: *Nemo videbit Deum, & viuet.* Eam ob rem pro sua eximia humanitate Deus velum propriæ diuinitatis obduxit, videlicet cœlum, ne occideremus. Nec existimes velim ista mea esse, sunt verba Prophetæ: sic enim ille ait: *Si aperueris cœlũ, tremor, qui à te proficiscitur, inuadet etiam ipsos montes, & resoluentur à se ipsis ac contabescent.* Sed quid miraris, quòd Ezechiel similitudinem gloriæ conspiciendo ceciderit? Daniel seruũ conspicatus Domini, obstupuit, in faciemque prolapsus est, & quoad duceretur ad similitudinem filij Dei, non ausus erat respondere. Quòd si Gabrielis conspectus timorem injcere solebat vatibus Dei, quid si ipse Deus oculis acciperetur, nonne omnes omnino cõciderent? Si autem vis apertè ac penitus cognoscere, fieri non posse vt natura Dei comprehẽdatur, accipe quid dicãt tres pueri in camino ignis Deũ celebrantes: *Benedictus es, qui profunditates maximas perspicis, & qui sedes super Cherubin.* Dic mihi prius, obsecro, quænam sit natura Cherubin, & tunc eum, qui ei insidet, contemplari poteris. Quamuis Ezechiel vates eos descripserit audacter dicens, *Quatuor facies vni ineſſe, vnam quidem hominis, alteram leonis, aquilæ alteram, postremam vituli, & vnumquemque sex alis esse præditum, oculosq; eorum omnes in partes ferri; vnicuique denique rotam triangularem suppositam esse.* Nec tamen quamuis nobis formam eorum descripseris, possumus naturam eorum consequi. Quòd si thronum, quem exposuit, nequeamus comprehendere, eum qui huic insidet, nimirum Deum, qui in conspectum non cadit, quomodo, amabo, comprehendemus? Nam facies ad faciem, & perfecta cognitio incõprehẽsibilis maiestatis Dei in futuro seculo dignis exhibenda promissa est. nunc verò siue Paulus quis sit, siue Petrus, cernit quidem ea verè, quæ videt, nec errat, neq; imaginatur, *per speculum tamen & veluti in ænigmate cernit*, & id, quod nunc ex parte assequitur, grato animo suscipit: perfectam autẽ cognitionem in futurum magno cũ gaudio expectat. Nam id, quod nunc in cognitione perfectum esse videtur, breue quiddam atque obscurum est, ita vt magis absit à claritudine, quæ erit in futuro sæculo, quàm abest à conspectu faciei ad faciem. Adeò igitur infinita est cognitio Dei, adeò difficilè est humanæ naturæ assequi in hac vita diuina mysteria, cùm semper amplius quiddam per promotionem vnicuique accedat, & omnibus id, quod ex dignitate est, desit, donec venerit illud, quod omnes numeros perfectionis habet: veniet autem tum, cùm id, *quod ex parte est, abolebitur* atque è medio tolletur. Qui verò res comprehendi posse ait, via quadam & consequentia, per cognitionem rerum intellectum suum promouẽs, & in his, quæ facilè percipi possunt ac in minoribus, ea assiduè comprehendendo, exercitatus, is per comprehensionem hanc etiam ad eam, quæ excedit omnem intelligentiam, suijpsius comprehensiuam imaginationem perduxit. Nõne igitur ille nobis, qui gloriatur, se posse existentium rerum cognitionẽ assequi, minutissimi animalis formicæ, inquam, naturam explicabit? & aperiet, an spiritu & anhelitu vita ipsius constet? an ossibus corpus distinctum, an neruis & ligamentis compages firmatæ sint? an musculorum & glandularum munimento neruorum natura contineatur? an vertebris dorsi medulla à syncipite ad caudam vsque extensa sit? an neruosæ membranæ ambitus membris, quæ mouentur, motiuam vim tribuit? an insit ipsi hepar, & vas, quod bilem sub hepate recipit, & renes, & cor, & arteriæ, & venæ, & mẽbranæ, atque ipsum deniq; diaphragma? num nuda sit, num pilis prædita? num pedes indiscretos, num verò plures digitos distinctos habeat? dein quàm longo tempore vitam propaget, & quomodo partus edat, quantoque tempore ferat partum? & cur non sint pedestres omnes formicæ atque alis præditæ, sed quædam ex his humi serpunt, quædam verò per aërem feruntur? Proinde qui cognitionem rerum existentium ostentat, is primùm formicæ naturam exponat, ità deinde de natura eius facultatis, quæ omnem mentem exuperat, disserere poterit. Quòd si minutissimæ formicæ naturam nondum cognitione assecutus es, quomodo, obsecro, naturam Dei, quæ comprehendi atque percipi nequit, te comprehendere posse gloriaberis? Nam existimare, se essentiam Dei, qui omnes res longè antecellit, cõprehendisse, † magnæ arrogantiæ est ac fastus. Ac sanè tales mihi videntur etiam illum ipsum iactantia præterire, qui dixit: *Super astra ponam sedem meam.* Nonne magnus ille Dauid, cui occulta & abdita sapientiæ suæ Deus patefecerat, apertè fatetur, essentiam diuinam comprehendi non posse? dicens: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Esaias autem quamuis maiestatem Dei acerrimè contemplatus esset, nihil tamen nobis certi de diuina essentia attulit. Nam in ea vaticinatione, quam de Christo habuit, sic scriptum reliquit: *Generationem ipsius quis dicendo consequetur?* Paulus verò vas illud electionis, qui loquentem in se habuit Christum, quique vsque ad tertium cœlum raptus erat, cui denique verba arcana erant concredita, quæ homini eloqui religio est, quam nobis, quæso, de essentia Dei doctrinam reliquit? qui cùm ad singulares dispensationis rationes inspexisset, tanquam è vertigine laborans ob arduam speculationis viam, illam vocem edidit, *O altam sapientiæ cognitionisque Dei opulentiam, quàm penitus recondita eius iudicia, quàm abstruſa sunt ad perscrutandum rationes?* Quòd si ij hæc, qui Paulum cognitione adæquarunt, assequi non possunt, quanta eorum est arrogantia, qui se scire essentiam Dei profitentur? quos profectò perlubens rogauerim, vt mihi terræ, in qua consistunt, & ex qua ficti sunt, naturam atque essentiam exponerent. Quòd si de his, quæ humi & ante pedes sita sunt, perspicuè ac sine vlla hæsitatione disseruerint, tum ipsis de his, quæ sub intelligentiam nostrã non cadunt, finem habebimus. Et quemadmodum aiunt Adam ex Deo ortum esse, † ita nos quæramus de ipsis, Deus ex quónam? nónne in promptu cuiuis respondere est, Ex nullo? Quod autem ex nullo est, id nimirũ principio caret, at quod principium non habuit, id ingenitum sit necesse est. Quare sicut in hominibus non erat essentia, nempe illa ex quo, ita etiam neque in Deo, qui vniuersis præest, essentiam dicere possumus, videlicet illam ex nullo, quod idem est ac si dicas ingenitum esse. Qui verò id, quod principio caret, essentiam esse dicit, perinde facit ac ille, qui, si rogaretur quæ fuerit essentia Adam, & quæ ipsius natura, responderet, non ex coniunctione viri & mulieris, sed diuina manu fictam atque formatam esse. Quis igitur amplius reliquus est nobis cognitionis modus? respondeant nobis, qui ea quæ ante pedes sunt, nihili pendunt, cœlum verò atque omnes cœlestes virtutes penetrant; si cœli magnitudo mensuram humanæ mentis excedit, naturam sempiternorum quomodo inuestigando consequi poterunt? si Sol, interitui obnoxius, est adeò venustus & magnus, celer quidem si motum respicias: attamen ordinatos circuitus efficit, magnitudinemque conuenientem ac moderatã ratione totius habens, pulchritudine plurimùm excellit. Est enim veluti oculus quidã perlucidus totius istius machinæ. Si huius contẽplatione ac aspectu nemo expleri potest, quomodo explebitur pulchritudine Solis Iustitiæ? si cæcus ingens dãnum capit, hunc non intuendo, quam, amabo, iacturam faciet peccator, si vera luce orbus fuerit? si hæc fluxa & caduca talia sunt, qualia, obsecro, putas esse æterna? & si ea, quæ aspectu percipiuntur, adeò venusta, cuiuscemodi sunt ea, quæ oculorum effugiunt obtutum? *quæ præparauit Deus ijs, qui se dili-*

Ex Hom. quod Deus sit incomprehẽsibilis. *Ioan. 1.* *Ezech. 32.* *Exod. 33.* *Esaiæ 64. 1.* *iuxta LXX.* *Ezech. 32.* *Daniel. 10.* *Daniel. 3.* *Ezech. 10.* *1. Cor. 13.* *Ex Hexaemero.* *Formicæ miracula.* † πόθεν ἡμῖν ὑπερφανία. *In Basil. p. 653. v. 48.* *legitur* ὡσὲης. *Esai. 14.* *Psal. 138.* *Esaiæ 53.* *2. Cor. 12.* *Rom. 11.* † οὕτως ἡμεῖς ἐκζητῶμεν. *Sic in Basil. pa. 655. 30.* *Adæ creatio.* *Sol, mundi oculus.* *1. Cor. 2.*

se diligunt, ea vtinam nos omnes adipisci possimus, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui soli gloria in perpetuum tribuatur. Amen.

ORATIO XXI.

De Felicitate ac Infortunio, tum etiam de Prudentia.

Ex Hom. in principium Prouerb. Salom.

NEque res secundæ; & quæ magno cum studio à multis expetuntur, firmæ sunt aque stabiles, neque aduersæ & tristes sedem stabilẽ domiciliumq́; certum habẽt, verùm omnia fluctibus, ac varijs perturbationibus, repentinisque quibusdam mutationibus sunt obnoxia. Nam neq; corporis bona habitudo, neque iuuentutis flos, neque domus incolumitas, neque reliquæ vitæ prosperitas diuturna est, semperque sibijpsi constans, sed tum vel maximè aduersa tibi præstolanda esse censeo, cùm omnia tibi ex animi sententia cedant. Ingruet enim morbus, aderit paupertas, nec semper secundo vtẽris vento. Nam sæpenumero virum etiam in omnes partes longè prospicientem, ac summa admiratione dignum subitæ comprehendẽre ignominiæ, omnemque vitæ prosperitatem calamitates atque improuisa infortunia, veluti turbines quidam conturbauere. Et sanè mala, quæ alia super alia excitantur, perinde ac fluctus quidam perpetuantur. Nonnunquam tamen hæc omnia vicissim præterlabi, vitamque ad hilaritatẽ & summam tranquillitatem reuocari videbis. Vt enim fieri nequit,

Mare inconstantia.

vt mare in eodem rerum statu diu persistat, (nam quod nũc quietum, & tranquillum cernis, hoc paulò post ventorum impetu commotũ æstuans conspicies: & tamen hoc ita fluctibus iactatum atque exagitatum summa tranquillitas repentè sedare solet) sic etiam res humanæ facilè in vtramque partem commutantur. Quapropter in hac rerum vicissitudine, gubernatore sagacissimo opus est, qui & in vitæ prosperitate, cùm omnia ex voto succedunt mutationes excipere possit, néve nimium in rebus præsentibus quasi perpetuis conquiescat, & in tristiori rerum statu animo non cadat, rerumq; bonarum spem omnem abijciens, maiori mœstitia aggrauatus succumbat. Is verò prudens ille rationum humanarum erit moderator, qui cuncta, quæ accidere solẽt, & possunt, ad propositam naturam, veluti ad certũ scopum, dirigit, sibique æqualiter omni tempore constat, nec secũ-

μαλαξία tranquillitas maris.

dis effertur, nec aduersis frangitur. Et quamuis nauis gubernatori concessum non sit, tranquillitatẽ mari pro arbitrio & voluntate imponere; nobis tamen integrum est, vitã quietam omniq; vacantem perturbatione constituere, si nimirum internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficisci solent, sedauerimus, & mẽtem ijs, quæ extrinsecus accidunt, altiorem constituerimus: si quidem illi, qui nimis magnum studium & curam in res mundi istius con-

Ex Epist.

ferunt, tanquam volucres carnosæ frustrà alas habentes, vnà cum suis escis deorsum trahuntur. Multi autem sæpenumero pluribus rebus ab adolescentia, congestis ac cumulatis, cùm vix mediũ vitæ suæ cursum tenuerint, irruẽtibus in illos nonnullis tentationibus, quæ ex ventis prauitatis nostræ prodeunt, vim tempestatis ferre non potuerũt, & ideò quòd ipsis gubernator non esset, omnium illarum rerum iacturam fecerunt. Alij quidem naufragium fidei fecerunt. Alij verò castimoniã, quam ab ineunte ætate sibi cõparauerant, praua voluptate ceu procella quadã eos inuadẽte perdiderunt. Est autẽ spectaculum omni cõmiseratione dignum, inedia multa perpessa, seuerissima educatione perlata, tot precibus factis, tot lacrymis profusis annis viginti aut triginta castitate custodita, tandem propter animæ segnitiem negligentiamque omnibus spoliari ac denudari rebus, & eum, qui præcepta Domini religiosè seruauit, similẽ effici mercatori locupleti, qui copia mercium elatus, cùm iam nauis ipsius maria periculosissima vento secundo emẽsa esset, ad ipsum portum naui elisa, omnibus simul priuatus conspicitur. At talium Deus omnipotens miseretur vel maximè: siquidem commiseratio affectio est in eos, qui de gradu alto deiecti sunt, proficiscens ab ijs, qui facilè

Fidei, & castitatis naufragium.

In portu sæpe naufragium.

misericordia ducuntur. Miseret enim nos eius, qui ex magnis diuitijs ad extremam deuenit paupertatem; & qui ex firma & optima corporis constitutione in morbum grauissimum repentè incidit, tum etiam illius, qui ob pulchritudinem & venustatem corporis exultans, factus est subitò à turpissimis affectionibus deformis. Quocirca & nostri, cùm olim ob introductionem in paradisum illustres essemus, abiectissimi verò & homines ob expulsionem facti, Deus Opt. Max. meritò misertus est, maximè contẽplans, quales pro quibus facti simus, cuius affectionis argumento nobis esse potest vox illa lugubris, qua compellauit Adamum, dicens: *Vbi es Adam?* quærebat, non vt aliquid diceret, cùm nihil sit, quod ipsum clam esse possit, omnium scilicet rerum gnatus, sed percunctatione hac admonere voluit, vt perpenderet, quis pro quali effectus esset. *Vbi es*, inquit? quasi diceret viden' in quem horrendum lapsum ex illa claritate deueneris? Quare necesse est, vti ratio nostra, quæ principem locum meritò apud nos tenet, veluti iudex quidam diligenter examinet, dijudicetque, quæ amplectenda, quæ verò reijcienda sint nobis, & approbationibus rerum, & animi permotionibus, non tamen sine diligenti quodam iudicio omnia permittat. Hoc enim illud est, quod ait Paulus. *Si nos ipsos dijudicauerimus, à Domino non iudicabimur*. Ne itaque tibi curæ sint res futuræ: verùm præsentes ad vtilitatem tuam disponito. Quid enim vtilitatis, obsecro, ex ista rerum præsentia percipitur? nam si id, quod futurum est, bonum erit, veniet, etiamsi non ante animo prospexeris; sin verò triste, quis hinc fructus, quæso, nisi quòd tristitiam adauges cumulasque tuam? Bipartita sanè est prudentia, vna quidem studium propriæ vtilitatis continet, coniuncta cum insidijs proximi, qualis est serpentis, qui in custodiendo capite omnem operam ponit suam; altera quasi improbitas quædam morũ esse videtur, quæ propriam vtilitatem citius inuenit, & quæ homines sinceriori animo præditos spoliat, & deprædatur. At vera prudentia nihil aliud est, quàm rerum faciendarum omittendarumque cognitio: quam qui sequitur, nullo tempore à virtutis operibus deflectet, nec vnquã prauitatis spiculo configetur. Cùm autẽ nemo satis esse possit, vt suo marte id, quod decens & vtile sit, inueniat, idcirco summis beneficijs complectens nos Deus consultores & Dominos subinde dat nobis. *Regis* namque proprium est, ijs, quæ suæ parent potestati & imperio, dominari; *Consultoris** verò munus est, his, quibus consilium dat, persuadere ea, quæ è re ipsorum sint futura. Proinde etiam vnusquisque nostrum, nõ principem se populo à Domino datũ esse existimare debet, sed consultorem: Sic quoque Paulus consultor erat noui testamenti: vnde dicit; *Consilium do vobis, vti is, cuius misertus est Dominus.* Magna autem est vtilitas, consultoris prudentis ac familiaris præsentia: supplet etenim id, quod deest prudentiæ eorum, qui de rebus ambigentes consultant. Quanta verò vtilitas ex cõsilio alterius percipiatur, vel maximè patet in Mose, qui quãtũuis omni Ægyptiorũ sapientia instructus esset, & licet cũ Deo de facie in faciẽ, vti amicus cum amico sermonem & consilia conferret, tamen soceri sui Iothor cõsilium est sequutus, in cõstituendis Cẽturionibus, Decurionibus, ac Tribunis, qui præessent, & iudicarent populum. Sic etiam Dauid consilio Chusis vsus, hostilis animi consilia Achitophel euertit dispulitque. Profecto diuina quædam res est consilium, est namque animi coniunctio, charitatis fructus, mentis demissi demonstratio. Superbia etenim magna habetur, existimare nullius se egere auxilio, ac sibijpsi penitus acquiescere quasi vel solus sapiat, vel quàm optima in medium consulere valeat. Quare nequaquam cunctemur ijs nos submittere, qui nobis ea, quæ decora sunt, consulunt, nec vnquam turpe esse ducamus, confiteri, alios quoad vitam instituendam nobis longè esse prudentiores. Qui enim cõsultorem expectat, suisque cogitationibus tempus dat, is longiori tempore, cum examinatione atque attentione quadam id, quod decet, inquirit, atque inuestigat. Magnam mehercule affert hominibus vtilitatem consilium, eò quod nemo sibi sufficiat ad electionem rerum vtilium honestarúmve, sed pluribus sanè socijs, & ijs quidem solertibus opus habet. Vnde haud absurdè homo consilij expers si-

Ex Com. in Esaiam.

Diuinatio futurorum.

Prudentiæ duplex.

Prudentia serpentis.

Ex Comm. Basil. in c. 1. Isaiæ.

Maxim. Serm. 9. Anton. lib. 11. Meliss.

** al. Consiliarij.*

1. Cor. 7. 2. Cor. 8.

Exod. 18.

2. Reg. 17.

Res sacra consilium.

milis

milis censetur nauigio rectore carente, quòdque ventorum impetu huc & illuc impellitur. Si itaque cùm de rebus flocci ac nihili consultamus, consultores tamen nonnumquam adhibemus, cur, amabo, hos nõ inquirimus maiori cũ delectu, quando de anima, re omnium præstantissima deliberamus? Qui verò habens consilium bonum, suam potius prauam sequitur sententiam, similis profectò est illi regi Roboam, qui spreto salutari consilio senum, adolescentulorum, qui secum alti & educati erant, opinionem sequutus, decem tribus Israël ab imperio suo abscidit. Hoc modo etiam nunc, consilia, quæ contra bonos mores dantur, *in propria capita eorum*, qui consulunt, redundant, perinde ac tela iacta à corporibus solidis, in eos, qui ea emisere, resilire solent. *Custodit namque Dominus hos, qui se amant*, & omnes, qui semetipsos vitijs inquinant, funditus delebit: quoniam par est eum omnem gloriam, honorem, ac maiestatem per vniuersa secula consequi. Amen.

3. Reg. 12.

Hesiod.

Psal. 144.

ORATIO XXII.

De Anima.

Ex Orat. Quæ vtili. ex profan. lib. capi possit. Platonicũ dogma.

OMne studium & operam suam in eo ponere, vt corpus quàm optimè sese habeat, non eius esse arbitror, qui se ipsum cognoscit, neque illius, qui sapientissimum illud dogma probè perspectum habet: Hominem nimirum, non esse id, quod cernitur, sed præstantius quippiam, ad cuius cognitionem eximia sapientia, & instrumento excellentiori nobis opus esse arbitror, cuius opera & beneficio, vnusquisque nostrum, quidnam sit, tandem intelligat. Quod sanè ijs, qui animum à vitijs non remouent suum, profectò longè est difficilius quàm lippienti intueri Solem. Vt enim in cera scribi non potest, nisi prius characteres impressi deleantur, ita nec animus diuinis institutis probè instruetur, nisi multò antè eas opiniones, quas ex consuetudine & vsu acquisiuit, euulseris, aut certè suppresseris. Nam si animum proba cogitatio deficit, patet quòd eum etiam splẽdor deficiat & illuminatio, non tamen ideò, quòd illi desit, aut penitus recesserit id, quod ipsum illustrare debeat; sed quia dormitet vel etiam oppressum latitet. Quemadmodum enim nec corpus, si spiritibus præclusis respiratione caruerit, vitam tradere valet, sic nec animus consistere, & vires suas exercere potest, dum in ignorantia conditoris sui versatur. Siquidem verissimè ea, animi mors, & viui hominis sepultura censetur. Quapropter corpori seruiendum non est, nisi quatenus summa nos cogit necessitas, sed animo alacriter ea omnia suppeditanda sunt, quæ bonitate cætera cuncta præcedunt. Hoc namque pacto & animum ipsum à societate & communione, quæ illi est cum corpore, quasi è quodam carcere perpetuo in libertatem asseremus, & corpus longe fortius ac cunctis perturbationibus valentius reddemus. Qui enim id vnicè student, vt corpus quàm optimè sese habeat, animam autem, quæ corpere veluti instrumento quodam vtitur, quasi rem nullius precij negligunt ac pro nihilo ducunt, hi mihi nequicquam ab ijs differre videntur, qui instrumentorum exactam curam gerãt, at ipsam artem, quæ ijs vtitur, flocci pendunt. Tu si sapis, omnem curam, studium, & industriam conferes, non in tuas res, neque in ea, quæ circum te sunt, sed tantummodo in temetipsum. Aliud nanque nos sumus, aliud res nostræ, aliud denique ea, quæ circum nos sunt. Animus quidem nos sumus, quatenus ad similitudinem & exemplar conditoris ficti & creati sumus: Res nostræ sunt corpus, ac sensus, quibus illud præditum est, circum nos vero sunt artes, pecuniæ, & reliqua vitæ nostræ communis supellex. Proinde noli carni adhærescere, neque illius commoda modis omnibus quærito, sed animum exorna. In quo excolendo omnem operam & diligentiam ponito, consumitoque. Ac in primis quidem da operam, vt omnes sordes, atque quisquiliæ ex malitia acquisitæ precatione sedulo eluãtur. Neque enim fieri potest, vt speculum, quod sordibus inquinatum est, germanas imaginum repræsentationes ac simulacra suscipiat, reddátve; sic nec animus rerum humanarum curis distractus, & ijs perturbationibus, quæ ex corporis studio proficiscuntur, obcæcatus Spiritus sancti illuminationem susciperе valebit. Par itaque est, nos existimare, animi bonum naturam ipsam rem præclaram atque præcellentem esse. Animæ thesaurus, corporis egestas est. Eo enim diteſcente, illam summa penuria laborare oportet. Quemadmodum enim in librarum momentis, ponderibusque, si lancem vnam degraues, leniorem omnino facies eam, quæ ex oppositо ponitur; eodem modo etiam se res habet in corpore & anima: siquidem vnius redundantia necessariam alterius inducit ac efficit diminutionem. Corpore bene affecto carneque onusto, necesse est mentem ad actiones suas proprias obeundas imbecillem admodum atque infirmam esse. E conuerso, si animus bona habitudine præditus, & præclara meditando ad proprium sui fastigium euectus fuerit, corporis habitus contabescat, concidatque necesse est. Et sicut nulla nos ratio docuit morbum fugere, & odisse, sed sponte, natura duce, ea, quæ nocent, aspernamur, & declinamus; ita & animi est quædam rerum malarum declinatio, non edocta, verum naturæ ipsius instinctu prodita. Malum certè omne infirmitas animi est, virtus vero sanitatis rationem habet. Nemo filium suum in foueam cadentem negligit, aut eum, qui iam cecidit, in lapsu relinquit: impius etenim, & ab omni humanitate abhorrens merito haberetur: At quanto periculosius est, animam, quæ in profunditate peccatorum est, immersam permittere, vt fundum æterni exitij petat? Quapropter oportet vt anima omnibus perturbationibus imperet, seruiat vero ipsa soli Deo, alioquin fieri non potest, vt eadem simul & à peccatis, & Deo possideatur, sed necesse est, vt peccato dominetur, pareat autem ipsa vniuersarum rerum Domino. Ac vt plantæ propria virtus est maturo fructu turgere, in quo summa & natiua eius commendatio est posita; accedunt tamen folia & ramusculi cum quadam venustate ipsam condecorantes: sic quoque animæ præcipuus quidem est fructus, & effectus, ipsa veritas, qua etsi satis specioſa resplendet, non iniucundum tamen erit, imo gratissimum, si externa quoque sapientia, veluti quibusdam folijs, quæ & tegumentum quoddam fructui, & aspectum non ingratum præstent, circundata fuerit. Nullus pictor quidem imaginem corporis ita exactè exprimere potest, vt sermo animæ arcana prodit atque effingit. Huic igitur, quãtum in nobis est, omnem operam demus, vt possimus bona consequi futura, in Christo Iesv Domino nostro, qui vnà cum Patre & sancto Spiritu in omne tempus laudetur atque celebretur. Amen.

Ex Epistol.

Ex Adhortatione ad baptismum.

Ex Orat. Quæ vtili. ex profa. li. capi possit.

Ex Homil. in illud: Attende tibi ipsi. Epicteus in Enchiridio.

Ex Epist.

Ex Hexaemero.

Ex Orat. ad iuuenes de vtil. ex profan. lib. capienda.

ORATIO XXIII.

De futuro Iudicio.

CVm peccatum aliquod perpetraturus sis, reuolue, quæso prius animo tuo horrendum illud ac intolerabile Christi iudicium, in quo præsidet quidem iudex in alto ac excelso throno: astat autem omnis creatura tremebunda, ob glorioſum illius conspectum. Cogetur autem ibi vnusquisque nostrum vitæ suæ rationẽ reddere. Eum verò, qui multa mala, in vita cùm esset, perpetrauit, truces quidã ac formidabiles circunstant angeli igneam faciem præ se ferentes, ignemque spirantes, propter nequitiam ac prauitatem sui instituti: nocti vultu similes, ob mœrorem & odium, quo sunt in homines. Post mente agita barathrum illud profundum, & tenebras, quæ perspici nequeunt, & ignem, qui in tenebris non lucet, vrendi quidem facultate præditus est, at luce caret. Item vermium quoddam genus, quod venenum emittit, carnibusque vescitur, quod etsi mirandum in modum voret, nunquam tamen famem explere potest, intolerandos dolores corrodendo inurens. Nouissimè supplicium omnium grauissimum, nempe opprobrium illud & pudorem æternum. Hæc time, & horum timore institutus animam à malo, veluti freno quodam coërceas. Nam qui diem illum ac tempus ante oculos sibi proponit, quo omnis creatura coram iudice sistetur, rationes afferendo eorum, quæ fecit, & semper meditando defensionem in foro, in foro inquam, vbi nulla fraus & dolus, valet, talis aut

Ex Homil. in illud: Attende tibi ipsi.

Ex Epistol. Memorare nouissima tua. Eccli. 7.

aut nihil omnino, aut exiguum quiddam delinquet. Homines enim ideò peccare solent quia timore Dei carent; at qui certò minas expectant; ijs domesticus ac familiaris timor nullum tempus concedet ad actiones imprudentes vel cogitationes delabi. Etenim etiam generosi Dei athletæ, quamuis omni tempore vitæ suæ cum ijs hostibus, qui omnem sensum effugiunt oculorum, decertarunt, & omnes ipsorum persecutiones superarint; tamen dum animam agunt, à principe huius seculi examinantur, nũ vulnera à luctatoribus acceperint, aut maculas aliquas, vel typos à peccato impressos retineant: Quod si nulla vulnera accepisse reperiantur, nullasque maculas concepisse, tanquam inuicti existentes ac liberi à Christo reficiuntur. Atque hæc quidem ex ipso Domino discere potes, qui tempore passionis dixit: *Nunc princeps huius mundi venit, & in me quidem nihil poterit:* homini verò sat fuerit, si dicere possit, *Nunc venit princeps huius mundi, prauaque & exigua quædam est illi in me potestas.* Proinde diligenter meditare ea, quæ tremenda à Deo accident ijs, qui supplicio afficiendi erunt, quando nimirum stellæ obducentur tenebris, Sol autem obscurus, & Luna sine splendore erit, quando fulmina iacientur, & tonitrua magno cum terrore disrumpentur, quando super capite aër tenebricosus existet: ita vt omni ex parte sit consolationis expers, examen eorum, qui iræ tradentur. Nam creatura conditori suo ministrans, pœnis afficiet iniustos; eos verò, qui omnem spem suam in eo posuerunt, omni genere beneficiorum complectetur, & perinde vt, cum vnus peccator ad frugem redit, *in cœlis gaudio perfunduntur omnes*; ita rursum mœrore affliguntur, dum aliquis peccando ab effectore suo desciscit. Tum ignis ille, qui est præparatus in supplicium diabolo & angelis ipsius, voce Domini, dissecabitur, vt cùm sint duæ ignis facultates, vrendi vna, illustrandi altera: acris quidem & punitoria vis ignis permanet apud eos, qui meruere vt vrerentur; at illustrandi & perspicua exhilarationi beatorum cedit, ita vt supplicij quidem ignis obscurus, requiei verò vrendi expers permaneat. Nec est quòd de eo dubites, in retribuendis enim facinoribus huius vitæ, natura ignis diuidetur, lux quidem ad vsum iustis, vrendi verò vis ijs, quibus supplicia irrogabuntur, est constituta. Sed longè magis horrendus est, quàm tenebræ & ignis ille æternus, is pudor, quem perpetuò ij, qui se vitijs obstrinxerunt, retinebunt, semper ob oculos habentes eius peccati, quòd, dum vitam agerent, patrarunt; vestigia, perpetuò in memoria ipsorum quasi quædam tinctura, quæ deleri non possit, permanentia. Paucorum autem est accedere ad veram lucem, & post abditorum reuelationem non abire facie confusa. Dei enim abalienatio, atque auersio, inter eas omnes pœnas, quæ in gehenna expectantur, longè intolerabilior ac grauior ei est, qui plectitur, (etiamsi dolore careat) quàm oculo lucis priuatio. Quòd si quis omnem simul, ex quo homines in lucem editi sunt, sermone complectatur, in vnumque congreget felicitatem, ne minimæ quidem parti illorum bonorum inueniet illam parem, sed vniuersa huius bona, plus à minimo illorum dignitate distãt, quàm vmbra & somnium, à rebus veris, imo multò magis. Quantò enim anima in omnibus præstat corpori, tantò etiam hæ vtræque vitæ inter se differunt. Verum plurimi ex illis verbis: *Ille quidem multis flagris cædetur, ille verò paucis*, finem supplicij eorum, qui punientur esse aiunt. At illa non temporis productionem aut adimpletionem, sed differentiam pœnæ declarant, cùm Dominus interdum affirmet, *quosdam ad pœnam æternam ituros, iustos verò in vitam sempiternam*: interdum verò cùm quosdam ableget in ignem æternum, *qui est præparatus diabolo & angelis ipsius*, & nonnunquam nominante eo *gehennam ignis*, & addente, *vbi vermis eorum non moritur*, nec ignis deletur, & cum præterea per Prophetam de quibusdam dicat, quòd *vermis eorum non occumbet, & ignis ipsorum non extinguetur.* Hæc & talia cùm sacræ literæ dicãt, vnũ omnino illud est, ex insidijs & calliditate diaboli, quòd cùm multos homines tantæ ac tales Domini sententiæ prætereant, finem * supplicij, vt audentiores ad peccandum sint, si ipsis proponant. Quòd si aliquando supplicij æterni erit finis, etiam profectò & vitæ æternæ. At si hoc de vita statuere nolumus, quomodo, amabò, rationi erit consonũ, æterno supplicio finem statuere velle? æterni enim adiectio æqualem vim habet in vtrisque. *Ibunt*, inquit, *hi ad supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam.* Illud itaque, *ille vapulabit plurimum*, alter *paulutum*, non finem, sed differentiam supplicij demonstrat. Nam si Deus iustus iudex est, non solùm bonis, sed etiam improbis æquum se præbebit, æqua præmia vnicuique, ijs, quæ quisque in vita gesserit, tribuens. Fieri enim non potest, vt ille quidem igne, qui deleri nunquam possit, dignus sit, & eo, aut magis frigido, aut magis ardenti, ille verò verme immortali, & eo rursum, aut mitius affligente, aut vehementius: Prout vnusquisque meritus est, alter gehennam meritus est, alter tenebras externas, cum omnino supplicia inter se discrepent, & illic quidem alter solum in fletu, alter verò etiam in stridore dentium, ob incrementum calamitatis existit. Ac sanè illud, *In externas tenebras*, prorsus declarat esse etiam & internas, & illud, quod in Parabolis dictum est, *In fundum inferni*, denotat quosdam esse in inferno quidem, sed non in ima parte inferni, qui longè mitius supplicium alijs subeunt. Nec me existimes velim, veluti nutricem quandam terriculis te terrere, quemadmodum illæ pueros, cùm nimium lugent, consueuere, confictisque fabellis eos quietos reddunt. Hæc enim non fabulæ, sed sermo verus multò antè prædictus dicit. Proinde certò tibi persuadeas, exquisitum examen fore eorum, quæ in vita peregimus. Iniuria affecisti fratrem, eandem præstolare: ademisti bona eorum, qui minus te poterant, pugnis concidisti pauperes, conuicium fecisti, calumniam adhibuisti, mendacium dixisti, alienis nuptijs insidias struxisti, peieraſti, terminos auitos transtulisti, fortunas pupillorum inuasisti, viduas iniurijs oneraſti, præsentem voluptatem bonis futuris prætulisti, proinde horum omnium exspecta retributionem. Vt enim vnusquisque sementem fecerit, ita & metet. Quòd si etiam aliquid boni egisti, illud tibi quoque magno cum fœnore rependetur. Quamobrem etiam atque etiam tecum reputes extremum diem, ô homo: non enim solus tu omni tempore vitam ages: & diligenter consideres velim, anxietatem illam, & suffocationem, & horam mortis, & sententiam Dei vrgentem, & angelos festinantes, & animam his grauiter perturbatam; quæque à delinquente conscientia crudeliter affligitur, tum etiam quæ se ad ea, quæ hic sunt, miserabiliter conuertit. Postremò ineuitabilem necessitatem longè illius peregrinationis animo, & cogitatione præterea comprehende, vltimam illam communis vitæ euersionem, quando scilicet veniet filius Dei in gloria sua: *veniet* enim nec tardabitur, *iudicare viuos & mortuos*, & rependere vnicuique æqua præmia, ijs, quæ quisque gesit: quando tuba illa magno & horrendo sono edito, eos, qui iam ab æterno dormierant, excitabit, & *procedent ij, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* Memoria repete diuinam illam Danielis visionem, quæ nobis iudicium Dei ob oculos ponit. *Intuebar*, inquit, *quàm longè throni extensi essent, & antiquus dierum sedebat. fluuius ignis ante ipsum circumuoluebatur. mille millia ministrabant ipsi, centena millia circunstabant ipsum, iudicij locum constituit, & libri aperti sunt.* Qui manifestè bona, mala, aperta, abditæ, facta, verba, cogitationes, omnia aceruatim ita vt ab angelis, & hominibus exaudiri possint, patefaciunt. Tum etiam, quales necesse sit eos esse, qui perperam vixerunt? Vbi, inquam, anima illa submergetur, quæ in oculis tot spectatorum, tam fœdæ turpitudinis plena esse visa est? Quali verò corpore infinita illa ac intolerabilia flagra perferet? ibi est ignis, qui extingui non potest, & vermis, qui sine intermissione vlla corrodit, & profundum inferni tenebricosum atque horrendum, & eiulatus amari, & vlulatus indecorus, & ploratus, & stridor dentium, nec finis est vllus malorum. His nemo potest liberari post mortem, neque reperiri potest vlla industria, neque ars, qua adiutrice effugere possimus acerba illa supplicia. Hæc nunc effugere licet. Proinde dum licet, nos ipsos tantis malis liberemus, neque spem nostri abijciamus, si modò vitia deponere voluerimus. Est in promptu via salutis, si modò velimus. Te quærit pastor bonus, relictis ijs ouibus, quæ non aberrarunt: Si te dedideris ipsi, non tardabitur, neque indignum ducet ille hominum amator te, super humeros proprios gestare, gaudio exultans, quòd inuenerit ouem, quæ perierat. Stat ille pater, & exspectat, vt

errorem

Ex Hom. in 7. Psalmũ.

Ioan. 14.

Luc. 15.

Ex Hom. in 38. Psal.

Matth. 25.

Ignis duæ facultates.

Ex Hexaemero.

Ex Hom. in 33. Psal.

Ex Orat. de vtilitate ex prof. lib. capienda.

Ex Asceticis Luc. 12.

Matth. 25.

Matt. 5. & 18. Marc. 9. Isai. 66.

* *vt Millenarij hæretici.*

Matt. 25. Luc. 12.

Matth. 8. & 22. & 25 Prou. 9. 18.

Ex Com. in 38. Psal.

Galat. 6.

Ex Epist. ad virginem lapsam.

Ioan. 3.

Daniel. 7.

errorem deponas, modò te in viam des, & dum adhuc longè aberis, occurrens irruet in collum tuum, amicisque amplexibus complectetur eum, qui iam dolore pœnitentiæ purgatus est. Et si quis illi ex his, qui se stare putant, vitio verterit, quòd citò assumptus est, ipse ille bonus pater patrocinium tui suscipiet, dicens: *Lætari oportet & gaudio exilire, quia hic filius meus mortem oppetierat & reuixit; perditus erat & repertus est*, cui gloria in perpetuum tribuatur. Amen.

Luc. 15. 32.

ORATIO XXIV.

De Morte.

Ex Hom. de non adhærendo rebus huius vitæ.

MIrum est, ô viri amicissimi, quàm statim vnusquisque nostrûm, postquàm ex vtero materno in lucem prodierit, temporis fluxionibus vinctus rapiatur, à tergo semper diem, quem transegit, relinquens, neq; ad hesternum etiàsi totis adnitatur viribus, reuerti vnquam potest. Nos autem lætamur vlterius ætate progrediendo, ac tempora per vices mutantes, quasi aliquid assumeremus, ita exultamus, beatumque sanè iudicamus, si quis è puero vir, è viro autem senex efficiatur, nescij, quòd semper tantùm nobis de vita decedat, quantum temporis ipsam coluimus. Neque sentimus vitam consumi, quamuis eam omni tempore ex præterita, acea, quæ iam præterlapsa est, metiamur: neque mente agitamus vnquam, id quòd sanè scitu est perdifficile, quantum temporis interuallum is nobis ad cursum concedere volet, qui nos ad hanc mundi peregrinationem ablegauit, neque etiam mente diligenter perpendimus, quænam onera sint ad eiuscemodi iter leuia, quæque facilè ferri possint, & quæ è contrario grauia, quæ molesta, quæ terræ affixa, quæque hominibus omnino coniungi nec soleant, nec permittunt etiam, vt hi, qui ea gestant, per portam illam angustam transire valeant. Sed quæ cogitare debebamus, ea vt plurimum relinquimus; quæ verò pro nihilo ducenda erat, ea sæpè colligimus anxij. Præterea ijs, quæ facilè nobis coniungi, atque animo corporique nostro ornamento esse possint, ne tantillum quidem studemus, quæ verò perpetuò aliena à nobis sunt; quæque turpitudine nos fœdant ea congregare adnitimur, in cassum laborantes, ac eum laborem sustinentes, qualem is subire solet, qui dolio pertuso aquam haurit. Quemadmodum enim illi, qui iter aliquod longum conficiendum suscipiunt, semper vlterius ad cursum; pedum gressus mutua contentione permutantes, semperque priorem in terra fixum posteriorem reddentes, veloci alterius pedis transpositione facilè ad metam vitæ perueniunt; sic etiam illi, qui ad vitam à conditore producti sunt, statim in principio, interuallis quibusdam temporis procedentes, & semper quod præcessit, post se relinquentes, finem vitæ ac terminum attingunt. Nam mihi quidem præsens hæc vita nihil aliud esse videtur, quàm perpetua quædam via; & veluti quoddam iter ætatibus, quasi stationibus quibusdam interstinctum, quod quidem profectionis vnicuique exhibet & principium, videlicet maternos partus, & finem cursus, nempe sepulchrorum tentoria, ad quæ vniuersos ducit; alios quidem citius, alios verò tardius: & alios quidem per omnia temporis interualla itinere confecto, alios verò neque in primis vitæ stationibus mora facta. Ille namque Deus, qui nos finxit, atque anima ornauit, certum ac proprium vnicuique animæ vitæ statum præfixit, atque alijs alios vitæ terminos statuit. Nonnullos enim longiore temporis spatio in hac vita manere vult; nonnulli verò, vt citius ijs corporis vinculis, quibus sunt astricti, leuarentur, ordinauit, iuxta inenarrabiles ipsius Sapientiæ ac Iustitiæ rationes. Animæ siquidem nostræ simile quiddam mihi pati videntur his, qui in carceres conduntur, quorum nonnulli longiore tempore vinculorum ærumnas sustinent, nonnulli citius è vinculis emittuntur; sic & animæ nostræ affectæ sunt, quarum aliæ multum sanè temporis in hac vita permanent, aliæ vero ocyus ex vita hac migrant, secundum analogiam ac proportionem dignitatis vniuscuiusque, Deo Optim. Maxim. prudenter, ac sapienter, & sanè ita, vt mens hominis cogitatione consequi non possit, res nostras gubernante atque disponente. Vt enim illi, qui in nauigijs dormiunt, casu ac fortuitò à vento ad litora deferuntur, etiam si ipsi ne minimum quidem sentiant, cursus tamen ipsos ad finem ducit, ita etiam nos, tempore vitæ nostræ præterlabente, veluti continuo ac perpetuo quodam motu, ad proprium terminum vitæ nostræ, cursu quodam, qui vix percipitur, delabimur. Viator, ô homo, veluti quidam es in hac vita, omnia præteris, omnia à tergo relinquis; conspexisti in via plantam, aut herbam, aut aquam, aut quoduis aliud huiuscemodi, paululum ijs oblectatus, præterijsti: Rursus incidisti in lapides, in valles, in rupes præcisas, in scopulos, in paludes, aut etiam in feras, in reptilia, in spinas, aut in aliquas alias res molestas, paululum his perturbatus, mox rursum ea reliquisti. Talis etiam est vita hæc humana: nam neque res iucundas stabiles, neque tristes satis firmas cõtinet. Hodie agrum tuum coluisti, cras alius; & mox post illum alius eundem colet. Videsne agros hos, hasque magnificè extructas ædes? Dij boni, quot iam nomina vnaquæque harum ex quo extructæ sunt, mutauit, quæ huius paulò antè esse dicebantur, nunc ab alio nomen acceperunt? & quæ iam in istius venerunt ditionem, exiguo temporis interuallo in alterius dominium transeũt. Nunquid igitur vita nostra similis est viæ? quæ cùm alios subinde transeuntes mutet, omnes tamen habet mutuò se insequentes. Omnes quidem vias, quæ ad vrbem ex vrbe aliqua ducunt, declinare possumus; &, si velimus: integrum est eis se non committere. at vitæ huius nostræ via, etiamsi cursum differre maximè cupiamus, vi tamen nos comprehendens, ad eum nos trahit terminũ, quicunq; nobis à Deo fuerit præscriptus. Nec fieri potest vt, qui semel eam portam, quæ ad hanc ducit viam, est ingressus, eique si se dederit, non aliquando ad finem illius perueniat. Nolite igitur, obsecro maiori honore afficere res ignominiosas, quàm res præclaras, magnoque honore dignas, nec sitis iniqui rerum æstimatores, vitam mortalem immortali ac beatæ anteponentes. Nam præter illas ignominiosas perturbationes, quibus plurimi eorũ, qui voluptatibus dediti sunt, studentetiam rebus ijs, quæ vitæ huic inseruiunt, animæ præstantiam inflectunt, atq; eã, quasi in seruitutem quandã carnis adducũt. Vbi autem seruitur, ibi etiam ignominiam esse patet. Proinde fugienda nobis est hæc vita, cui inhonestas quædã adnata est. Nihil enim, inquit ille, egregij facio, me ipsum tibi Domino meo tradens, seruus tuus cùm sim, possessionem tuam ad te defero. Quandoquidẽ omnis res cõdita eius in dominio est, à quo facta atque creata est. Quapropter eum hominem, qui in carne viuit, ceu peregrinum & accolam quendam hic esse conuenit, vt qui cùm ex hac vita decesserit, proprijs in locis sit cõquieturus. Vnde Abraham in viuis existens, cùm extraneis tanquam peregrinus & aduena quidam habitabat, neque pedis vestigium propriæ terræ possedit, ad sepulturam saltem propriam sibiipsi terram, quæ eius corpus susciperet, comparauit. Longè itaque ad vitam degendam est beatius, non adhærere ijs rebus, quæ sunt in terra, veluti proprijs, nec hanc, quasi naturalem complecti patriam, sed in hoc vitæ statu, tanquam ex condemnatione aliqua simus grauati, perseuerare, non secus, ac si à iudicibus quibusdam, ob certa facinora in exilium pulsi hic exulari iussi essemus. Diuitijs gloriaris? ob maiores tuos superbis? splendor te effert patriæ? ob corporis denique venustatem, eosq; qui tibi ab omnibus tribuuntur honores, altos sumis spiritus? Mortalem te quæso, esse recordare, terra equidem es, in terramq; rursum dissoluêris. Circunspice eos, qui ante te similibus sese splẽdoribus efferebant, vbinam sunt illi, qui ciuilibus dignitatibus ornati erãt? vbi inuicti rhetores? vbi duces? vbi dynastæ? vbi tyranni? nonne omnia puluis? nonne fabula? nonne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conseruatur? contemplare sepulchra, vide num poteris discernere, quisnam seruus, quis Dominus; quis pauper, quis locuples fuerit? dijudica, si tãtum tibi est ingenij, vinctum à rege, robustum ab imbecilli, formosum à deformi: hoc modo si naturæ fatalem cursum tecum expenderis, nunquã mehercule intumesces. Quam enim vtilitatem homini locupleti mortem tandem opperenti afferunt diuitiæ? cùm eas nec

Adagium.

Vita hæc, vere Via, & Iter.

Homo, viator.

Ex Hom. de non adhærendo rebus huius vitæ.

Genes. 12.

Gen. 23.

Ex Hom. in 45. Psalmũ.

nec secum auferre possit, nec quicquam aliud ex vsu earum lucri faciat, excepto, quòd anima ipsius in hac vita ab adulatoribus delinita atque beata prædicata sit. Nam ex hac vita decedens omnem profectò hunc ornatum relinquet, vix vnum indumentum capiet, quod ipsius velet pudenda; idque etiam tum demum, si seruis humanioribus, qui ipsum ad sepulturam amicient, ita visum fuerit. Bene mehercule cum illo agetur, si paululum terræ nactus fuerit, eaque propter commiserationem ipsi ab ijs, qui ei iusta facient, largita: qui quidem ipsi talia præstant, ob communis saltem humanæ naturæ reuerentiam, non illi hoc tribuentes, sed nudam humanitatem venerantes. Proinde nihil ex ijs rebus, quæ in vita iucundæ habentur, & ob quas plerique insaniunt, nostrum reuera esse putemus: æquè enim hæ ab omnibus alieniſſimæ sunt, tam ab ijs, qui his frui videntur, quàm etiam illis, qui ipsas nec attingunt quidem. Neque enim si aliqui aurum ingens in vita congesserint, proprium ipsorum perpetuò permanet, sed aut à viuis adhuc, quantumuis ipsum omni ex parte coarctent, ad potentiores delapsum aufugit, aut iam animam agentes deserit, nec vult simul cum eis, qui illud tenuerant, peregrè proficisci. Vnde plerunque illi, qui dum ab eo, qui violenter animas à misera hac carne separat, ad fatale hoc iter trahuntur, frequentes se ad pecuniam conuertunt, ac labores propter hanc ipsam in iuuenili ætate exantlatos deflent, at illa iam tum etiam aliorum spectat manus, nihil ipsis præter afflictam memoriam insatiabilis auaritiæ, ac laborum, quos in colligendo consumpserant, reliqui faciens. Licet enim quis † sexcenta terræ iugera possideat, & magnificè extructas ædes inhabitet, animantium omnis generis greges alat, & omnem denique inter homines principatum teneat: non tamen his perpetuo fruetur, verùm breui temporis spatio dominatus, alijs rursus facultate atque opulentia illa cedat necesse est; ipse exiguam terræ partem subiens, sæpius etiam ante ipsam sepulturam, & multoties prius quam hinc discedat, ad alios & fortassis hostes bona sua transire conspiciet. Num ignoramus, imo clarum est, plurimos agros, domos, ciuitates ac gentes aliorum dominorum nomina, amissis prioribus, accipere, etiam viuentibus ac valentibus ijs, qui ea & acquisiuerant & tenuerant? nonne videmus olim seruitutem perpessos, ad summas dignitates euectos? Domini verò aliquando in numero seruorum esse percupiebant, & à suis proprijs seruis subacti, in seruitutem venerunt, rationibus rebusque ipsorum de repentè, veluti in tesserarum iactu transmutatis. Quoties itaque herbam fœni, floremque venustum conspexeris, fac tibi in mentem veniat humanæ naturæ fatalis fragilitas, ac recordare eius similitudinis, quam Esaias propheta ille magnus proponit, dicens: *Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni.* Qua sanè similitudine commodissimè Propheta complexus est, humanæ vitæ breuitatem, & fluxam commodorum eius lætitiam atque voluptates. Hodie vegeto quis est corpore, diffluit delicijs, præstantem & gratum ei colorem flos ætatis præbet, animo magno ac forti est præditus, cras verò is ipse miserabili apparet specie, quam vel tempus dedit, vel morbus immutauit. Alius abundantia pecuniarum suspicitur, assentatorum magnus numerus, & cohors amicorum fictorum, qui eius captant auram, eum circumstat: multitudo cognatorum præstò est, comitatus illum sequitur infinitus, cuius alij in mensa ministrant, alij verò necessaria munera tuentur: at hos dum secum exiens & rediens trahit, in odium eorum, qui se adeunt, incurrit. Adde si placet, ad diuitias potentiam quandam in Republica, aut etiam regum honores, gentium gubernationem, aut exercituum principatus, præconem præcinentem, lictores fasces præferentes, vbique maximum terrorem ac metum eis, qui in illius sunt imperio, incutientes, verbera intentantes, publicationes bonorum, abductiones, vincula, ex quibus intolerandus quidam metus ijs qui parent, oboriatur. Quid tandem ex his cunctis consequitur? vna nox, vna febris, aut pleuritis, aut pulmonis morbus, eum, qui ne commoueri quidem posse videbatur, subitò rapit, & omni simul supellectili repentè spoliat: atque sic eius illa gloria & maiestas somnij instar declarata est. Apparet itaque omnem hominis magnificentiam, ei flori, qui vnus ex omnibus vel maximè instabilis est, aptissimè à Propheta comparatam esse. Sed quam, quæso, nobis miseri illi, qui vitæ huic totos sese tradiderunt, nimiæ illæ suæ parsimoniæ causam afferunt? Non vendo, aiunt, bona mea, neque illa erogo in pauperes, vt vitæ necessarios vsus habeam: at vbi per omnem vitam illis vsus fuero, post mortem demum meam pauperes ex cognatis & affinibus meis hæredes instituam. Proh dolor, cùm non amplius inter homines eris, tunc benignum ac liberalem te præbebis? cùm mortuum te conspexero, pium ac fratris amantem compellabo? egregiam sanè gratiam ex liberalitate ista tua capies, quòd in sepulcro iacens, & in terram resolutus, beneficentiam & magnanimitatem exerceas, quorum, cedò, temporum mercedem exiges? eorúmne quibus in vita superstes fueris, an eorum, quæ post mortem sunt consequuta? atqui eo tempore, quo viuebas, voluptatibus vitæ deditus, & delicijs diffluens, ne oculis quidem pauperes dignabare. Qualis autem actio, talis etiam merces pro operibus debetur: ostende prius opera, & tandem exige mercedem. Nemo mehercule finitis nundinis, mercaturam exercet; neque ille vnquam, qui post certamina accedit, coronatur; neque qui iam confecto bello venit, laudem consequitur. Meritò igitur ne is quidem, qui vita iam exacta, post mortem pietatem exercet, pius esse censendus est. Si atramento & literis in mortis termino beneficentiam denunciare cupis, quis aperiet tibi tempus excessus? quis vas tibi modi finiendæ vitæ erit? perpende, obsecro, plurimos violentis periculorum incursibus esse raptos: quibus ne vocem quidem emittere, ob mali irruentis atrocitatem, permissum est. Quid igitur expectas tempus, quo incertum est, num cogitationum etiam tuarum dominus sis futurus? nox profunda est, morbus grauis, casus varij & qui opem ferat, nusquam interdum apparet, ac tunc demum, vbi huc & illuc circumspexeris, & miram penes te solitudinem esse videris, dementiam tuam percipies, fruſtraque stultitiam lugebis istam. In cuiusnam modi tempus mandatum Domini differs? dum vita suppeditabit, inquis, fruar voluptatibus, vbi autem decessero, faciam quæ sunt à Domino præcepta. Cum viueres teipsum mandato anteposuisti; post mortem & dissolutionem mandatum hostibus ac inimicis prætulisti. Ne enim, inquit, accipiat ille, accipiat Christus. Quid verò hæc agendo facis? inimicosne vlcisceris, an in proximos beneficus es? Non est itaque anxiè lugendus ex hac vita discessus viri etiam vel maximè sancti, sed magis deploranda natiuitas, & in hanc vitam ingressus, qui reuera per ignominiam fit, sordium ac fastidij plenus, atque sanè per ea, quorum ne conspectum quidem, etiam natu maiores, facilè ferre possint. Talis autem carnalis natiuitatis nostræ ingressus naturæ necessitate constitutus est: at exitus & vitæ discessus pretiosus ac illustris habetur, non quidem in genere omnium hominum, sed eorum tantùm, qui sanctè & iustè vitam hanc transegêre. *Pretiosa itaque mors est,* sed natiuitas nequaquam. *Seminatur enim,* vt inquit ille, *in ignominia, surgit in gloria: plantatur in corruptione, resurgit sine vllo vitio.* Quando in Iudaismo moriebantur homines, execranda & detestabilia eorum erant cadauera: at nunc si quis mortem Christi causa oppetit, pretiosæ sanè eius sunt reliquiæ. Antea quidem in mandatis datum erat sacerdotibus & Nazaræis, ne se aliquo mortuo inquinarent; & si quis mortuum contigisset, pro immundo habebatur, vestesque eius abluebantur, nunc autem ille, qui contingit ossa Martyris, quandam sanctificationis societatem, & eam gratiam, quę corpori insidet, assumere putatur: *Pretiosa etenim est coram Domino mors sanctorum eius.* Conferto cum generatione mortem, & desines deflere eum, qui ex hac vita ignominiæ & miseriarum plena migrauit. Sermo quidem diuinus nobis præcipit, exultare & lætari cum iustis; cum ijs verò, qui ex pœnitentia lacrymas profundunt, lugere ac lamentari; & deflere eos vel maximè, qui nullo nec affectionis sensu tanguntur, eò quòd neque intelligant, quomodo & quàm miserè pereunt. Non tamen existimandum est, eum, qui ob hominum mortem, vnà cum lugentibus flet, præcepto diuino satisfacere, cùm neque medicus ille sit probandus, qui dum ægris auxilium ferre debeat, seipsum inficit,

Mortuorũ exequiæ.

Ex Hom. de non adhærendo rebus huius vitæ.

† πλέθρα μυρία.

Ex Hexaemero.

Esa. 40.

Esa. 40. Ex Homil. ad diuites. Pauperib. in vita benigne faciendum.

Liberalitas in vita, quã in morte vtilior.

Ex Hom. in 115. Psal. Luctus in funere sanctorum, cũ gaudẽdum.

Sanctorum pretiosa mors. 1. Cor. 15. Exod. 11.

Num. 19. Exod. 11. Martyrum reliquiæ.

Psal. 115.

Ex Hom. in Mart. Iulittam. Rom. 12.

Ex Hom. de inuidia.

2. Reg. 1.

ac morbis plenum reddit. Dauid amicum Ionatham lugens, etiam inimicum simul defleuit suum: Ait enim: *Mœrore conficior tui causa ô Ionatha.* & *: Vos filiæ Hierusalem Saulem deplorate.* Diuersa tamen ratione. Hunc siquidem deflet, vt qui peccatis inquinatus sine pœnitentia è viuis excesserit; at illum Ionatham, vt eum, qui se socium vitæ omni tempore

Ex Homil. quòd Deus malorum auctor non sit.

ipsi præbuerit. Mors sanè cunctos manet homines, præstoque adest, ijs terminis vitæ expletis, quos à principio vnicuique nostrum præscripsit diuinum Dei præpotentis iudicium, qui ex longinquo, quid nobis singulis expediat, prospicit. Sed fortassis filij tui, quem in delicijs habuisti,

Luctus inobitu filij.

obitus animam tuam grauius perturbat atque affligit. Neminem profecto, ô amice, tam adamantino pectore esse arbitror, nec tam omnis humanitatis expertem, qui sine vlla perturbatione ferre possit id, quod accidit; cuiusque animã valde casus illius filij non affligat, qui illustris familiæ hæres, qui gentis fulcrum, qui patriæ spes maxima, qui parentum probatissimorum soboles præclara, qui denique sub multis precibus ac cura sollicita enutritus, in ipso ætatis flore, è medijs manibus parentum ereptus discessit. Hæc nonne emolliant cor etiam plus quàm ferreum? nonne dissoluent naturæ penetralia, atque in commiserationem adducent? verùm si ob eas res, quæ nobis acerbæ accidunt, lamentari ac lacrymis dare vellemus, profectò ad eam rem omne tempus vitæ nostræ nequaquam nobis sufficeret, & licet cuncti homines nobiscum lugerent, efficere tamen non possemus, vt luctus noster affectione careat, nec vnquam lacrymarum vis, sit quantumuis vel maxima, explere & sarcire valebit iacturam earum rerum, quæ aduersæ eueniunt. Proinde vos adhortor, ac sedulò moneo, vt veluti generosus quidam & fortis certator, aduersus plagæ magnitudinem consistatis, & grauitati, ac tristitiæ non succumbatis, nec animam vestram conficiatis; illud persuasum habentes, quòd quamuis rationes nos eorum, quæ à Deo aguntur, prætereant, gratum tamen & acceptum nobis esse debet quodcunque à sapientissimo, & eo, qui nos amat, est factum atque ordinatum, etiam si sit laboris & molestiæ plenum. Ipse enim probè nouit, quid ex vsu vniuscuiusque sit, & quomodo id disponere debeat; tum etiam cuius rei gratia in æquales vitæ terminos hominibus præstituerit. Torquentur quidem homines in inuestiganda causa, cur alij celerius hinc euocentur, alij verò in longius tempus, vt hac calamitosa vita affligantur, reseruentur: actum tamen agunt, nec vnquam huius rei causam indagare possunt. Itaque par est, in omnibus nos eius benignitatem adorare, nec ægrè ferre, imo recordari vocis illius præclarissimæ ac decantatæ, quam magnus ille athleta Domini protulit, cum circa mensam, vno momento temporis, decem liberos deletos atque contritos cerneret: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placitum est, ita etiam factum est.* Hoc nobis in exemplum proponamus: æquale siquidem præmiũ à iusto iudice tribuetur ijs, qui etiam æqualem atque eundem animum fortem ostenderint. Non mehercule orbati sumus filio, sed expetenti reddidimus. Non euanuit vita ipsius, sed in melius commutata est, nõ terra absorpsit, quem paulò antè in oculis ferebamus nostris, verùm cœlum recepit; expectemus paululum, & simul vnà cum eo, cuius tanto desiderio flagramus, erimus. Neque enim longè abest tempus dissolutionis, & terminus præscriptus harum omnium rerum, quæ in hoc mundo extant: nam in hac vita,

Vita, peregrinatio est.

perinde ac peregrinantes in itinere aliquo, ad idem omnes hospitium tendunt. In quo quidem licet alter alterum præueniat, vel alius iam abijt, alius verò adhuc eò tendit: omnes tamen vnus & idem excipiet finis. Nec quicquam refert, celerius an tardius hoc iter conficiamus, cùm omnes nos & illud ipsum iter, & nõ aliud faciemus, & idem etiam manet diuersorium. Reuoca tibi in memoriam patrem tuum, quòd diem suum obierit. Quid igitur mirum è mortali genitum, mortalis filij patrem te esse? quòd autem mortuum dicis ante tempus legitimum, & prius quàm vita se expleret, & ad certam ætatis mensuram peruenisset, & antè quàm hominibus clarescceret, & successionem generis reliquisset, hæc sanè omnia luctum non augent, sed potius consolationem afferunt, quod non reliquerit hoc in mundo orbos liberos, quòd non vxorem viduam, aut ærumnis infinitis expositam, aut paulò pòst alij se viro coniungens, prioris penitus oblita, liberos eius despicientem atque negligentem. Illud verò quòd non longius vitam puer produxerit, quis est, obsecro, adeò mentis emotæ, qui hoc non maximis in bonis enumeret? nã longior hoc in mundo conuersatio, plurium infinitorumque peccatorum occasio existit. Cur, obsecro, mortaliter de mortali sentire non assueuisti, sed improuisam filij mortem susceptisti? si quis tum, cùm primùm tibi filij natiuitas nunciata est, ex te quæsiuisset, cuiusnam modi est id, quod recens natum est? quidnam responsi dedisses? num aliud, quàm hominem esse? quod si homo etiam mortalis, cùm ea lege nascimur, vt moriamur. Quid igitur præter opinionem accidisse eiulas, quòd occiderit ille, qui mortalis erat? non vides Lunam augescentem, & post deficientem, terram florentem, & exiguo spatio marcescentem? quid igitur mirum, si & nos pars mundi cùm simus, eorum etiam, quæ ex mundo sunt, participes sumus. Filij charissimi, aut vxoris, quam ex animi sententia duxeras, aut alterius cuiusdam ex amicissimis, omnique benuolentia coniunctis, priuatio mœrore te affligit; nihil profectò graue atque molestum homini prouido accidit, & ei, qui rectam rationem vitæ ducem habet, nec secundum vulgi consuetudinem viuit. Imperitorum sanè & parum à natura informatorum est, grauius, ob consuetudinis separationem angi, & difficulter atque iniquo animo eam ferre, id quod bruta animantia faciunt. Vidi etenim ipse aliquando bouem ad præsepe lacrymantem, cùm contubernalis ipsius morte ereptus esset. Nec tamen ego æquum esse censeo, silentio id, quod acerbè nobis euenit, penitus præterire: Neque etiam prohibeo, quin matres lugubres sermones ad suos conuertant, quandoquidem non ignoro, quales matrum sint affectus, & quatenus conueniat ob res præsentes dolori indulgere. Filio orbatus es eo, quem omnes matres laudibus ad cœlũ vsque efferre incolumem solebant, ac sibi etiam tales esse liberos optabant, mortuum verò vehementer, perinde ac si quæq; proprium suum natum tumulasset, luxere: eius filij è vita excessus ingentem parẽti attulit plagam. cum illo enim familia amplissima, ac genus illustre, quasi vnico sublato sustentaculo, concidit. Heu, tantumne praui dæmonis insultus mali perficere valuit? heu tantumne dolorem terra susciperе? Sol etiam ipse forsitan, si modo ei aliquis commiserationis est sensus, tetricum illud spectaculum horruit. Hæc & similia animus doloris impatiens nobis subijcit, quæ singula quis, quæso, verbis consequi potest? Sed istis posthabitis credas mihi velim, res nostras Dei prouidentia non carere, quemadmodum sacrum eius Euangeliũ aperte docet, in quo scriptum legimus: *Passerculum non cadere sine voluntate patris cœlestis.* Quare quicquid factum est, voluntate conditoris factum esse credito, cui quis, quæso, obuiam ibit? Feramus itaque æquo animo quodcunque nobis humanitus eius voluntate accidit: nam molestè ferendo malum non corrigimus, & nosmetipsos pessundamus. Ne, obsecro, in crimen voces iustum Dei iudicium. Stolidi atque inepti sanè sumus ad exquirenda eius iudicia inuestigabilia. Istud est tempus, quo Dominus charitatis in se tuæ periculum facit, istud, quo tibi licet, eadem præmia ac bona ob tolerantiam consequi, quibus & Martyres affecti sunt. Imitare Machabæorum matrem, quæ quamuis septem filios morte deletos vidisset, non tamen lacrymis ac luctui se tradidit, neque vocem emisit muliebrem, sed Deo egit gratias, quòd illos igne, ferro, atque alijs molestissimis vinculorum supplicijs ab hac carne dissoluisset. Quam etiam ob causam & à Deo probata est, & ab hominibus in hunc vsque diem celebratur. At dicet hic aliquis, ingens est luctus, summus dolor, nec alius similis huic. Assentior mehercule, & fateor, sed magnæ etiam sunt merces à Domino repositæ ijs, qui ærumnas sustinent. Quando, ô mater, puerum in lucem edidisti & Deo pro beneficio gratias egisti: num ignara prorsus eras, mortalis ipsa cum esses, mortalem eum te etiam peperisse? quòd si istud te non latuit, non tibi mirum videri debet, si is vitam cum morte commutauit, qui ea lege natus erat vt occideret. Sed inquies, illud nos affligit, quòd intempestiuè excesserit. Imo fortasse potius opportunè, quandoquidem nos ne expti-

Iob 1.

Matt. 10.

2. Mach. 7.

Matrum in filij obitu luctus.

Luctus in funere minuendus.

mere quidem nec intelligere possumus, ea quæ nobis expediant, minus certè, terminum idoneum vitæ nostræ statuere. Circunspice omnem hanc mundi machinam, nonne omnia, quę in ea sunt, mortalia & corruptioni subiecta sunt? respice cœlum, & hoc aliquando aliquo pacto dissoluetur: intuere Solem & stellas vniuersas, sed nec hæ quantumuis venustę sint, perpetuo consistent: perlustra denique vniuersa animantia, tam terrestria, quàm aquatilia, flores, plantas, ipsum etiam terrarum orbem, singula & vniuersa hæc fluxa & caduca sunt, & quæ vno temporis momento euanescent. Harum & similium rerum consideratio, hoc quicquid aduersi nobis occurrit, merito lenire ac leuare deberet: Præterea, vt magis confirmeris, nunquam metiaris afflictiones & mala ex semetipsis: hoc enim modo intolerabilia tibi esse videbuntur. Sed semper ea omnium aliorum hominum casibus comparato: sicque leuamen & cõsolationem exactam reperies. Illud autem fac firmiter teneas, vt parcas coniugi. Mutuò vos consolemini, & caue ne luctu tuo calamitatem ipsi longe grauiorem efficias. Suspectus est nobis immoderatus tuus in liberos amor, timemusque ne quando ob morum mollitiem dolori te tradens, mœroris nimij plagam accipias prima acerbiorem. Memineris verò nihil ex his, quæ nobis tristia eueniunt, ac si molesta essent, recipiẽdum, licet tum vel maximè imbecillitatem nostram attingunt. Quamuis enim rationes nos lateant, secundum quas vnumquodque earum, quod fit, à Domino quasi vtile nobis tribuitur: illud tamen persuasum nobis esse debet, omnia in rem nostram fore, vel ob patientiæ mercedem, vel quòd anima nostra abripiatur, ne amplius in hac vita moram trahens, vitijs, quæ hic dominantur, inquinetur. Si spes vitæ Christianis certis limitibus circumscripta esset, meritò fortasse quis ægrè ferre posset, quòd celerius à corpore distrahatur: sin verò, cùm anima corporis vinculis liberatur, initium vitæ veræ existit, ijs nimirum, qui vitam iuxta voluntatem Dei traduxere, quid tristamur perinde ac illi, qui spe omni carẽt? At viri amici priuatio facit, vt luctum æquo animo ferre nequeas. Agnosco, & in tuam sententiam libenter eo: hemo enim est, qui nesciat, permolestam esse illius luctus calamitatem, qui ex amissione viri optimi prouenit, nec quẽquam adeo ferreum esse scio, qui cùm acciperet hunc, qui cum illi consuetudo erat, ex hominum cœtu raptum, illius mortem, non vt proprium casum æstimet. Quòd si hi, qui vlteriori propinquitatis vinculo sunt coniuncti, sic molestè ferunt separationem viri coniuncti, quo dolore par est tuam animam affici, ob dissectionem veluti quandam viri coniunctissimi? quæ reuera non minus est acerba, & grauis, ac si media corporis nostri pars abrumperetur. In huiusce modi verò vel etiam tristioribus fatalis infirmitatis nostræ casibus, quamnam consolationem adhibebimus? perpetua & ineuitabilis est illa Dei nostri constitutio, vt omnis qui in lucem hanc prodierit, tandem conuenienti tempore etiam decedat. Quòd si ab Adamo ad nostra hæc sæcula vsque talis rerum humanarum status semper fuit & est, ne, quæso, grauius feramus communes naturæ ærumnas, sed potiùs grato animo susciplamus sanctam Domini voluntatem atque ordinationem. Semper quidem sacrosanctæ Scripturæ explanatio, & doctrina summæ est consolationis & vtilitatis, sed vel maximè tali in tempore. Memoria idcirco repete conditoris nostri decretum, quo omnes, *qui ex terra orimur in terram rursum conuerti iubemur*: nec quisquam adeo est magnus, qui dissolutionem effugere, & illa æterna sententia superior esse possit. Licet formosus quis & omni admiratione dignus sit, strenuus simul ac omnibus animi virtutibus exornatus: nullam tamen in alteram partem habet exuperantiam. Sed quia homo est, naturæ concedat necesse est, vt Adam, Noë, Abraham, Moses, aut vt alius quispiam eiusdem naturæ particeps. Vnum reuera humanæ naturæ omni admiratione dignum exemplum nobis conditor nostri in Mose expressit, quem virum sic effinxerat, vt omnes in illum oculi conijcerentur, omnisque lingua res ipsius prædicaret. Pictores & statuarij lõgè à dignitate ipsius aberrant. Historici * res eius præclarè ac ex virtute gestas dum enarrant, ad fabularum incredulitatem planè deueniunt. Vnde plurimi nec fidem adhibere volunt his, quæ tristia de ipso circumferuntur; neque omnino credere, hunc talem morte extinctum esse. Perpessus tamen ea est, quæ & cœlo, & astris, & terræ aliquando contingent. Quare sic calamitatem tuam metiare, vt neque eam è corde eijcias: nec ita tristitiæ indulgeas, vt illi prorsus succumbas. Velim tibi persuadeas, eos, qui hoc in sæculo amicitia copulantur, post verò morte disiunguntur, viatoribus seu itineris comitibus esse persimiles, qui vnum ac idem iter ingredientes, etsi ob assiduam inter se conuersationem consuetudine vniuntur, tamen postquam commune iter confecerint, necessariò & distrahuntur, & diuersa itinera susciplunt, nec coniuctui mutuo & contractæ familiaritati inhærentes, ea, quæ principalis propositi erant, negligunt, sed causam & scopum, quæ eos à principio mouit, intuentes, quisque ad peculiarem & proprium instituti sui finem tendit. Nam vt his diuersus viæ erat scopus, contingit verò, vt inter eundum familiaritatem inter se contraherent, ita etiam in vita hac peregrinantes, quilibet proprium, & peculiarem vitæ terminum propositum habet. Et licet matrimonio atque alijs vitæ huius communis vinculis societate inuicem astringantur, ne quidquam tamen hæc morantur, quò minus ad præstitutum terminum quem superare nequeunt, tendant atque mutuo disiungantur. Grati igitur est animi, non molestè ferre separationem hominis tibi necessitudine vel maxima coniuncti, sed potius ob eam societatem, quam à principio iniuistis, gratiam habere ei, qui vt iniretis, concessit. At tu cum tibi incolumis esset vir, cum filius florens, aut quiduis tale, quod defles, nunquam gratiam habebas ei qui te rebus præsentibus cumulauit, imo eorum pertæsus, ob ea, quibus carebas conquerebaris: Nam cùm viro vno cohabitares, quòd filios non haberes, angebaris, at ijs adeptis, aut quòd non essent tales, quales cuperes, aut quòd deessent diuitiæ vel aliud simile, conquerebaris. Ita insatiabilis cupiditas, nunquam non inuenit, quæ desideret. Quare sedulo cauendum duco, ne, dum præsentes amicos nõ agnoscamus, sublatos verò prosequamur & complectamur, nobismetipsis necessarias amicorum priuationes paremus. Si enim ob præsentia bona, quæ Deus in nos contulit, non agimus gratias, merito nostro eorum nobis ablatio contingit. Nam quemadmodum oculi, quæ nimis apposita sunt, non vident, sed distantia quadam opus habent; ita etiam ingratæ animæ, in bonorum demum † ademtione gratiam præteritam percipere videntur. Dum bonis fruimur, ijs minimè contenti nullam largitori gratiam referimus; vbi illis priuati sumus, beneficium agnoscimus, beatumque prædicamus. Verum nos posthabita rerum præteritarum, & absentium tristitia discamus potius ob præsentia gratias agere, illaque æqui ac boni consulere. Fateamur in aduersis medico sapiente opus nobis esse, in secundis, modica disciplina & castigatione, dicamus: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* Fateamur non esse dignas nec comparandas huius seculi ærumnas ad gloriam, quæ in nos conferetur: Dicamus denique, non satis dignè ob scelera nostra, cum praua promerueramus, flagris nos cæsos, ac Dominum inuocantes precemur: *Castiga nos Domine, veruntamen in iudicio & non in impetu iræ tuæ.* Nã dum *redarguimur à Domino, castigamur, ne cum hoc mundo condemnemur.* In splendidiore autem vitæ cultu illam Dauidis vocem tollamus: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* rectè sanè ambigit vates, suamque tenuitatem & infirmitatem agnoscit, quòd nihil habeat retributione dignum, pro his summis ac infinitis beneficijs, quæ Deus in nos subinde confert. Ac sanè longè maiora in posterum nobis promittit, & quidem ea, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligũt ipsum*: & qui eius voluntatẽ sanctã obseruant. Hæc tanta bona faxit omnium præpotẽs Deus, vt & nos, carnalibus istis perturbationibus purgati, consequi valeamus, gratia & benignitate Domini nostri IESV Christi, cui gloria & potentia in sempiternum tribuatur. Amen.

Mors æquo animo toleranda.

Præsentem virtutem odimus. Horat.

† ὃν τῇ ἀλλοτριώσει *in alienatione.*

Genes. 3.

Moſis laus.

** Philo Iudæus libris III. de vita Moſis, & Greg. Nyſſenus.*

Pſal. 118.

Rom. 8.

Hierem. 10.

1. Cor. 11.

Pſal. 115.

1. Cor. 2.